

RERUM
MOSCOUITICARUM

1551







82 **HERBERSTEIN, SIGMUND VON.** Sigmund Freyherr zu Herberstain, Neyperg, und Guetenhag, Obrister Erb-Camrer und Obrister Truchsäss inn Cärndten, Denen Gegenwürtigen und Nachkommenden Freyherrn zu Herbertstain. Seines Thuens, Diensten und Raysens mit trewer vermanung, Sich zu Tugenden unnd guetem wesen zeschicken. Vienna, Mich. Zimerman, 1561. Folio. 24 ff. Title in black and red, large woodcut arms on verso, **six splendid full-page woodcuts** showing the author in the various ambassadorial robes of honour presented to him by the Emperor, by the Sultan of Turkey, and the Tsar of Russia, and a series of 14 small cuts on a folding plate, showing various scenes from his embassies, and the medallion portraits of the emperors under whom he served, and the princes to whom he was accredited. Hf. leather, rebacked. **£48**

Herberstein's autobiography, written by him in his old age, as an account, and an exhortation, for his kinsmen and heirs; the claim to fame of this 16th century Imperial dignitary lies in the first authentic account given by a European traveller of Russia which he visited, on embassies to the Grand Duke of Moscow, in 1517, and 1526; in 1541 a diplomatic mission took him to Turkey.

There is a German and Latin edition, both of equal rarity, as only few copies were printed for private distribution, and we can only trace one copy of each to have come into the market for many years; Graesse points out that the German edition is more complete.

The six striking full-page woodcuts have been variously ascribed to Augustin Hirschvogel and Donat Hübschmann.
A very fine copy, from the library of the Prince of Liechtenstein.

SEE ILLUSTRATION ON PAGE 15.

RERVM MOSCOuiticarum Commentarij Sigismundi Liberi Baronis in Herberstain, Neyperg, & Guettenhag.

In his Commentarijs sparsim contenta habebis Candide Lector,

RVSSIAE, & quæ nunc eius Metropolis est, Moscouiæ, breuissimam descriptionem.

De religione quoq; uaria inserta sunt, & quæ nostra cum religione non conueniunt.

Chorographiam deniq; totius imperij Moscici, & uicinorum quorundam mentionem.

Quis deniq; modus excipiendi & tractandi Oratores, disseritur.

Itineraria quoq; duo in Moscouiam, sunt adiuncta.

Accessit etiam locuples rerum & uerborum in his memorabilium Index.

BASILEAE, PER IOannem Oporinum.

OPT. VIRO D. IOANNI OPORINO, AMICO OBSERuando, Vuolfgangus Lazius, Viennen. medicus, Rom. Regis Historicus & Consil. S. M. D.

Binas à te literas obseruandißime mi Oporine, posteaquam Basilea à uobis disceßi, accepi. Vtrasq; tuæ erga me obseruãtiæ plenas, atq; officij, quod tu mihi (nimis sedulus amicus) usq; exhibere nõ desinis, testes locupletißimas. Quare tametsi nihil eorum mihi librorum comparaueris, quorum ut faceres nomine meo inquisitionem, tibi discedens in mandatis dederam, non tamen tuam uel fidem uel diligentiam desidero. Vsq; adeò tuus mihi candor perspectus est. Habeoq; gratiam de Iconibus, tua industria atq; sedulitate sculptis. Atq; utinam extremam operi illi manum imposuissem, cui imagines illæ accedent, & gentium continuas in tractum inferiorum Austriacarum prouinciarum migrationes, habitum, linguam, uniuersamq; rempublicam demonstrabũt. Sed nimis multa misero atq; ualetudinario onera imponuntur, sub quibus ne Hercules, uel Atlas ille Poetarum duraret. Quæ causa fuit, ut nec Austriæ tibi, uti promiserã, Chorographiã, nec eorum aliquem transmittere autorum potuerim quos superiori æstate & antehac peregrinationibus meis literarijs, à tineis & blattis uindicauerã. Quorũ tamen tibi hic Catalogum mittere uolui, ut quod tuũ est cum Italis Gallisq; commerciũ, indagares sedulò, sicubi eorũ aliquis antè fuerit excusus. Abdias quidẽ, qui Historiã Apostolorũ Hebraicè scripsit, & ab Africano quodã ante annos mille & trecentos est uersus, nondum à nobis aut transcriptus est, aut ad finem excussus. Nicephorum Rex noster adhuc premit. Qui ubi ad nos redierit, quod quotidie expectamus agam rem tuam ea fide qua debeo. Cyrinum et reliquos partim de industria differo, ne in meis interim lucubrationibus cessares: partim transcriptione & ipsi, & emendatione non parua egent, ad quas res nulla mihi tempora sufficiunt. Quamobrem, mi Oporine, cum non stare promißis turpe mihi ducerem, ne nihil ad has nundinas à nobis acciperes, quod amicitiam nostrã soluere posset, mitto interea Commentarios rerum Moscouiticarum, à longè nobilißimo uiro, doctißimoq; Heroe, Domino SIGISMVNDO Libero Barone ab Herberstain, Neydberg, et Guttẽhag, Regis nostri Camerario, & Prouinciarum Austriæ inferiorum Fisci præfecto, concinnatos. Qui, quod non magis ex autorum lectione, quàm oculata fide fortißimo Heroi (& cuius ad eas prouincias non semel Maximilianus Imperator & Rex noster Ferdinandus opera in legationibus fuerunt usi) sint lucubrati, dignos existimaui, qui tua industria tuoq; prælo excusi in manus hominũ perueniant. Fuere quidẽ obiter hi apud nos excusi (ut sunt apud nos chalcographi) sed adeò corruptè, adeoq; absurdis typis, uti uides, ut ni tua industria accedat, opus mehercule memorabile iniuriam patiatur. Quod ne fiat, quæso meo nomine dabis operam. Cuius fidei & hos Cõmentarios committo: & illos, quos de Republica Romana scriptos, post paucos dies, sed per alium tabellarium Franconofurtum sum missurus. Opus mehercule et illud est, quod mihi immortalitatem, & tibi gloriam cum pari commodo coniunctam párere potest: adeò uniuersum Historiæ alueare illo complexi sumus. Bene ualebis, uir eruditißime: è Vienna Austriæ, festo die Inuocauit, Anni M. D. L I. De prærogatiua uti tu statues, res certa erit: eo enim loco is uir est. Sed cupit insignia sua sub finem, et Chorographiam à frontispicio Operis collocari: quæ tu sumptu tuo curabis sculpi. Iterum bene uale, et à me ea omnia exspecta, quæ possunt proficisci à tui amantißimo.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO FERDINANDO, Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ &c. Regi, Infanti Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ & Vuirtenbergæ, & multarum prouinciarum Duci, Marchioni, Comiti, & Domino, Domino meo clementißimo.



ROMANOS olim ferunt legatis, quos ad longinquas ac incognitas nationes miserant, id etiam negotij dedisse, ut mores, instituta, totam'que uiuendi rationem eius gentis, apud quam legationis nomine uersabantur, diligenter literis consignarent. quod adeò deinceps solenne fuit, ut renunciata legatione, cōmentarij eiusmodi in ædem Saturni, ad instituendam posteritatem reponerentur. Quod institutum si fuisset à nostræ, uel paulo superioris memoriæ hominib. obseruatum, fortasse plus lucis in historia, certè minus uanitatis haberemus. Ego uerò, qui ab ineunte ætate externorum hominum consuetudine domi forisq; delectabar, libenter tuli meam operam in legationibus, non solum ab auo Maiestatis uestræ, D. MAXIMILIANO, Principe prudentisimo, uerùm etiam à Maiestate uestra requiri: cuius iussu non semel Septentriones perlustraui, præcipuè uerò iterum Moscouiã, unà cum dignitatis & itineris comite, tum Cæsareo oratore, LEONARDO Comite à Nugarola accessi: quæ regio inter eas quæ initijs sacrosancti baptismatis tinctę sunt, moribus, institutis, religione, ac disciplina militari à nobis non mediocriter differt. Licet itaq; uoluntate & mandato Diui MAXIMILIANI, orator, Daniam, Hungariam, Poloniam'que accessissem: post obitum autem suę Maiestatis, patrio nomine ad potentisimum & inuictisimum D. CAROLVM V. Ro. Imperatorem, germanum fratrem Maiestatis uestræ, per Italiam, Galliã, terra mariq; usq; Hispanias profectus: iussu deinde Maiestatis uestræ, denuò Hungariæ & Poloniæ reges, postremò uerò cum NICOLAO Comite à Salmis, &c. ipsum Solymanum Turcarum principem adijssem, multaq; alias non solum obiter, sed etiam accuratè inspexissem, quæ dubio procul comemoratione ac luce dignisima fuissent: nolui tamen in illo meo ocio, quod à publicis cōsilijs succiditur, quicquam istarum rerũ in literas referre, quòd partim prius fuissent illa ab alijs luculentè ac diligenter tractata, partim in oculis ac quottidiano conspectu Europæ posita. Res uerò Moscouiticas multò interiores, ac cognitioni istius ætatis non ita obuias, prætuli, easq; describere aggressus sum, maximè duabus reb.

fretus, perquirendi ſcilicet diligentia, ac linguæ Slauonicæ peritia, quæ magnum mihi adiumentum ad hoc qualecunq; ſcripti genus attulerunt. Et quamuis de Moſcouia plures, pleriq; tamen alieno relatu ſcripſerunt: ex antiquioribus, Nicolaus Cuſanus: noſtra ætate, Paulus Iouius (quem ſummę eruditionis ac incredibilis in me ſtudij cauſa nomino) eleganter ſanè, et magna cum fide (uſus enim eſt interprete locupletiſsimo:) Ioannes Fabri, et Antonius Bied, cùm tabulas, tum commentarios reliquerint: nonnulli etiam non ex profeſſo, ſed dum proximas regiones deſcribunt, ex quorum numero eſt Olaus Gothus in Suetiæ deſcriptione, Mathęus Mechouita, Albertus Cãpenſis & Munſterus attigerint, me tamen illi quidẽ minimè à ſcribẽdi propoſito deterruerunt: tum quòd earum rerum oculatus fuerim teſtis, tum quòd nonnulla ex fide dignis relationibus coràm prę ſens hauſerim, deniq; quòd diu multumq; ijs de rebus cum pluribus ex quauis occaſione diſſeruerim. quo factum eſt, ut copioſius fuſiúsque (abſit uerbis inuidia) nonnunquam ea explicare neceſſe habuerim, quæ ab alijs quaſi per tranſennam propoſita uerius quàm explicata ſint. Accedit ad hoc, quòd ab alijs ne tacta quidem ſcribo, quæ à nullo niſi oratore cognoſci potuerunt. Hanc uerò cogitationem meam ac ſtudium, Maieſtas ueſtra confirmauit, meq; ut inchoatum opus aliquando abſoluerem, cohortata eſt, & ultrò etiam currenti calcar (ut dicitur) addidit: à quo tamen legationes, aliaq; Maieſtatis ueſtræ negotia ſæpiſsimè auocarunt, quo minus hactenus præſtare, quod inſtituerã, potui. Nunc uerò, dum ad interceptũ negotiũ quoquo modo interdabũ quottidianis Auſtriaci fiſci negocijs reſpirãs redeo, Maieſtatiq; ueſtræ pareo, minus uereor in iſtius emunctiſsimæ ætatis acumine parum æquos lectores, qui maiorem dictionis florem fortaſſe deſiderabunt. Satis enim ſit, & me re ipſa (uerbis enim paria facere nõ poſſum) uoluntatem utcunq; inſtruendæ poſteritatis oſtendere: ac Maieſtatis ueſtræ iuſsis, quibus mihi æquè nihil antiquum eſt, parêre uoluiſſe. Nuncupo itaq; Maieſtati ueſtræ hos de Moſcouia commentarios, à me ueritatis inueſtigandæ, ac in lucẽ proferendæ longè maiore, quàm dicendi ſtudio ſcriptos: meq; in clientelam Maieſtatis ueſtræ, in cuius iam officijs conſenui, ſuppliciter dedico ac commẽdo: oroq;, Maieſtas ueſtra dignetur ipſum librum ea clementia ac benignitate complecti, qua auhorem ſemper complexa eſt. Viennæ Auſtriæ, prima Martij, M.D.XLIX.

Eiuſdem Maieſtatis ueſtræ
fidelis Conſiliarius Camerarius,
& præfectus fiſci Au ſtriaci,

Sigiſmundus Liber Baro
in Herberſtain, Neyperg
& Guettenhag.

D. M. S.

SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEIPERG ET GVETENHAG, VIRTVTIS AC MERITORVM ERGO IMMVNITATE DONATO.

P. P.



Tala me primo tellus sub flore iuuentæ,
Aurata patriæ donatum torque remisit.
Maximus Aemilius Cæsar uirtute, fideq́;
Fortè mea adductus, Patrum me protinus Aulæ,
Consilio adscripsit. requies hinc nulla laborum
Facta mihi: magnis de rebus iussa peregi.
Fœderibus iunxi Reges, pacisq́; tuendæ
Accendi studio, latè quà Rhenus inundat,
Danubiusq́; pater, uagus Albis, & Istula, quaq́;
Dura Borysthenides colit impiger arua colonus,
Et gelido manat Tanais de fonte niuosus,
Rha leni placidas quaq́; agmine lambit arenas,
Nauigijs penetrans lustraui cæca Rubonis,
Crononisq́; fluenta: & inhospita Tesqua peragrans,
Legatus mandata tuli, Regumq́; superbas
Accessi sedes: gemino subiecta Trioni
Balthea tranaui freta, magni Regia nostræ
Danorum domini lætata salutis honore.
Queis gestis rebus, me Cymbrica Chersonesus
Excipit, & patriæ reddit, charisq́; propinquis.
Pòst ubi mortalis defuncto munere uitæ,
Carolus acer auo successerat, hunc quoq́; dulcis
Impulsus patriæ precibus, de more salutans,
Indomitos adij populos & ditia Regna,
Hesperiæ. reducem dein Ferdinandus ab Aulæ
Consilijs statuit: latè quo Regna tenente,
Arctoos iterum Reges, populosq́; reuisi.
Hinc mihi pro meritis, serisq́; nepotibus auctum
Libertate decus, quod nulla aboleuerit ætas.
Ast postquam inuasit Solymanus mœnia Budæ,
Accensum furijs, uim perniciemq́; minantem
Pannoniæ, Orator compressi, diraq́; retro

A nostris suasi iugulis auertere tela.
His nunc defunctus curis, post fata quiete
Sopitus placida, iusti dum buccina somnum
Iudicis excutiat, dormiscam. Viue uiator,
Exemploq; meo patriæ seruire memento.

IO. ROSINVS.


On moror hanc Christo repetenti reddere uitam.
Et uixisse mihi satis, & uidisse superq; est
Tot maria & montes, tot flumina, totq; paludes,
Tot Reges, dominosq; orbis, tot regna, tot urbes.
Nam mare conscendi, supra, quodq; alluit infra
Italiam, remis hinc præteruectus, & illinc.
Baltheaq; emensus freta, mox Balearica soluens,
Sardiniæ ingredior, gelidiq; Borysthenis oras,
Rhaq; cauas tacito stringentem flumine ripas
Traieci: Tanaisq; supra caput osq; niuosi,
Nusquam Rhiphæos didici consistere montes.
Iamq; Albim & Rhenum, fluuiumq; binominis Istri
Nauigijs superans, Legati munus obiui,
Atq; Sigismundum moderantem iure Polonos:
Lituaniæq; Ducem, mos est quem dicere Magnum,
Sæpe salutaui uerbis & nomine Regis
Ferdnandi: & toto diuisos orbe Mosynos
Non semel atque iterum magnis de rebus adiui,
Moscouiaq; Ducem magnum sum affatus in urbe
Vuasilium: hinc Danis, Noruegis, atque Suedis
Imperitantem adij Christernum, non satis æquo
Dissidio sancti turbantem fœdera lecti,
Liberius monui infami desistere cœpto:
Hæc mandata ferens à Cæsare Maxmiliano,
Ipsum etiam Hungariæ Regem, Dominumq; Bohœmis
Luduicum accessi, Regno, & florentibus annis.
Iam uerò multis locuples Hispania regnis
Cognita, & Hispanis non cedens Belgica regnis,
Carolo ubi Austriacam regionem, nomine Quinto,
Ceu patris orbatam interitu commendo pupillam.
Præterea Decimum Romana in sede Leonem
Conspexi: Veneti Dux Lauredane Senatus

Cognite

Cognite porrò mihi es, notiq; fuere Dynastæ
Imperij plures, quos hic numerare molestum est.
Ecce autem Hungaricis ubi rursus imminet oris,
Et nostros misera Solymanus clade peremit,
Nequicquam longa Budam obsidione prementes,
Ipsius horrifica subnixi sede tyranni,
Altius erectæ fixi stans oscula dextræ,
Quam prona in terra melior pars orbis adorat:
Principis inde mei gnatam deduco Polonos
Reginam in Regis thalamos: belliq; togæq;
Expertus casus uarios hæc inter, & olim
Militiæ emeritus ueterana stipendia, iuui
Consilio interea innocui compendia Fisci.
Linguarumq; potens, in iura ac fœdera fidum
Præsto ministerium, studioq; senesco laborum,
Publica priuatis præponens commoda lucris:
Respondente tamen fidei sorte, atq; fauore
Austriadum Regum, domui rem linquo, decusq;,
Et prisci generis stemma haud inglorius orno.
Vitæ igitur plenus, quam sum mihi conscius actam
Gnauiter in uitæ officijs, sine labe, notaq;,
E magno ueluti satur, expletusq; theatro,
Cedo lubens, & nostra do lampada gesta sequenti.
IOANNES LVDOVICVS
Brassicanus.

NVLLAM VIRTVS ALIAM MERCEDEM LABORVM periculorumq; desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? CICERO.

Tydidem socium coniungit Homerus Vlyxi:
Nempe manum menti, nempe animum gladio.
Aurea Nobilitas nitidum tibi porrigit ensem,
Doctrina at certam monstrat ubiq; uiam.
IOANNES ALEXANDER
Brassicanus.

Quos adij populos, quæ Regna potentia uidi,
Exposui lustranda oculis. Non iudicis æqui

Examen,

Examen metuo, moueor nec bile maligni:
Robore uera suo stant inconuulsa, uigentq́ꝫ.

IOANNES ROSINVS.

Sismundum uarias mundi rapuere per oras,
Terra, rates, undæ, nix, traha, currus, equi.


GEORG. LOGVS.

Occasus, mediusq́ꝫ dies, septentrio & ortus,
Perlustrata fero, rate sunt, rhedaq́ꝫ, rotaq́ꝫ,
Sigismunde tibi, Orator dum publica regum
Magnorum exequeris totum mandata per orbem.

IOAN. LVD. BRASSIC.

Sic uehor, ampla gerens Regum mandata meorum,
Ad Danos, Moscos, Pannonas, Hesperios.

GEORG. VERNERVS.


MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTEIN, NEIPERG, ET GVTENHAG ANNO M.D XLIX
MARE GLACIALE
DWINA PROVINCIA
IVHRA INDE VNGARORV ORIGO
LADOGA LACVS
ALBVS LACVS
FINLANDIÆ PARS
SINVS LIVONICVS ET RVTHENICVS
NOVOGARDIA MAG.
PERMIA PROVINCIA
CZEREMISSA POPVLI
VOLODIMERIA
MOSCOVIA
OTWER
PLESCOVIA
LIVONIA
REZAN PRINCIPATVS
MORDVA POPVLI
OCCIDENS
ORIENS
DISTANTIA PER MILIARIA
9 18 27 36 45 54 63 72 81 90
FL. RHA GRECÆ WOLGA RVTHENICE EDEL TARTARICE
LITVANIÆ PARS
SIBIER PROVINCIA
NAGAYSKI TARTARE
TARTARIA
CIRCASI POPVLI
CIRCASI PETIGOISKY
MEOTIS PALVS
MOLDAVIÆ PARS
ALIAS NESTER
PONTI EVXINI
MARE CASPIVM
ASTRACHAN
KITHAY LACVS
AVREA ANVS
SLATA BABA
TANAIS FONTES
WELIKIPREVOS, SEV TRAIECTVS MAGNVS
FL. DON RVTHENICE TANAIS
RIGA
KIOW
CZERNIGO
SMOLENCZKO
VSTINGO
PERMIA
CASAN
BASILOWGOROD
COLMOGOR
MESEN
PINEGA
VIBVRG
BIELOYESERO

Russorum Rex & Dominus sum, iure paterni
Sanguinis: imperij titulos à nemine, quauis
Mercatus prece, uel precio: nec legibus ullis
Subditus alterius, sed Christo credulus uni,
Emendicatos alijs aspernor honores.





OSCOVVIAM mihi descripturo, quæ Russiæ caput est, suamque ditionem per Scythiam longè latèque extendit, pernecessarium erit, candide Lector, multas in hoc opere septentrionis parteis attingere, quæ non solum priscis, sed etiam nostræ ætatis authoribus non satis cognitæ fuerunt: quo fiet, ut nonnunquam ab eorum scriptis dissentire cogar. Ne cui tamen uel suspecta, uel arrogans uideatur mea, in hac re sententia, equidem fateor me non semel, sed iterum, dum Diui MAXIMILIANI Imperatoris, ac eius nepotis Ro. Regis Domini FERDINANDI legationibus fungerer, Moscovuiam, tanquam in re præsenti (ut dici solet) uidisse, ac perlustrasse: maiorē tamen partē ex eius loci hominibus, tū peritis, tum fide dignis cognouisse: nec unius alterius'ue relatu fuisse contentum, sed multorū constantibus sententijs fretum, ac etiam Slauonicæ linguæ (quæ cum Rhutenica & Moscovuitica eadem est) cognitione beneficioque adiutum, hęc nō solum ut auritum, sed etiam oculatum testem, non fucato orationis genere, sed aperto & facili perscripsisse, ac posteritatis memoriæ prodidisse.

Cæterùm, quemadmodū quælibet natio suum quendam pronunciandi morem habet, ita & Rhuteni facere, literasque suas uariè connexas, coniunctas'ue, nobis inusitata quadam ratione proferre solent: adeò ut, qui eorum pronunciationē non singulari diligentia obseruauerit, is neque sciscitari quicquam commodè, neque cognoscere certi aliquid ab illis poterit. Equidem in Russiæ descriptione, cum Rhutenicis uocabulis in rerum, locorum, ac fluuiorū appellatione non temerè usus sim, uolui iam inde ab initio literarum quarundam connexionem ac uim paucis ostendere: qua animaduersa, Lector pleraque facilius cognoscere, & aliquando plura fortasse inquirere poterit.

Basilius, etsi Rhuteni per Vu cōsonantē scribant et proferāt, cum tamē apud nos inoleuerit per B scribi & proferri, non uidebatur mihi per Vu scribēdum.

C aspirationi præposita, non per Ci, uel schi, ut pleræque nationes solent, sed per Khi, Germanorum quodammodo more, est exprimenda: ut in dictione Chiovuia, Chan, Chlinovua, Chlopigrod, &c.

Præposita uerò Z duplæ, sonorius aliquanto proferenda: ut Czeremisse, Czernigo, Czilma, Czunkas, &c.

G Rhuteni, præter aliorum Slauorum morem, per h aspirationem, Bohemico propemodum more proferunt: ut cum Iugra, Vuolga scribunt: Iuhra, Vuolha pronunciant.

I litera ut plurimum uim consonantis obtinet: ut in Iausa, Iaroslavu, Iamma, Ieropolchus, &c.

Th ferè per ph proferunt: ita Theodorum ipsi Pheodorum, seu Feodorum appellant.

V quando uim consonantis habet, eiusdem loco vu literam, quam Germani per b latinum exprimunt, posui: ut in Vuolodimeria, Vuorothim, Vuedrasch, Vuiesma, Vuladislaus. Eadem porrò in medio uel fine dictionis posita, eandem uim seu sonum obtinet: ut Oczakovu, Rostovu. Diligenter igitur obseruabit Lector huius literæ uim, ne una & eadem dictione deprauatē prolata, diuersas res interrogasse, intellexisse'ue uideatur.

Præterea in Rhutenorum Annalibus, origine, rebus'que gestis uertendis, non eo, quo nos, sed quo ipsi utuntur, annorum numero usi sumus: ne, dum ab ipsorum scriptis discreparemus, correctores uerius quàm fidi interpretes uideremur.

RERVM MOSCOVITICARVM COMMENTARII, SIGISMVNDO LIBERO BArone in Herberſtain, Neyperg & Guetenhag, Autore.



RVSSIA unde nomen habeat, uariæ extant opiniones. Sunt enim qui eam à quodam Ruſſo, fratre ſeu nepote Lech, principe Polonorum, perinde ac ſi ipſe Rhutenorũ princeps fuiſſet, nomen accepiſſe uolunt. Alij autem à quodam uetuſtiſsimo oppido, Ruſso dicto, non longè à Novuogardia magna. Quidam uerò à fuſco eius gentis colore. Plericꝫ nomine mutato, à Roxolania Ruſsiam cognominatam eſſe putant. Verùm eorum qui haſce aſſerunt opiniones, tanquam uero haud conſonas, Moſci refutant, aſserentes Roſſeiam antiquitus appellatam, qua ſi gentem diſperſam, ſeu diſſeminatam: id quòd nomen ipſum indicat. Roſſeia etenim, Rhutenorum lingua, diſseminatio, ſeu diſperſio interpretatur. quod uerum eſſe, uarij populi incolis etiam permixti, & diuerſæ prouinciæ Ruſsiæ paſsim intermixtæ ac interiacentes, apertè teſtantur. Vndecuncꝫ nomen acceperit, certè populi omnes, qui lingua Slauonica utuntur, ritum ac fidem Chriſti Grecorum more ſequũtur, gentiliter Ruſsi, latinè Rhuteni appellati, ad tantam multitudinem excreuerunt, ut omnes intermedias gentes aut expulerint, aut in ſuum uiuendi morem pertraxerint: adeò ut omnes nunc uno & communi uocabulo Rhuteni dicantur.

Slauonica porro lingua, quę hodierno die corrupto nonnihil uocabulo Sclauonica appellatur, latiſsimè patet: ut qua Dalmatæ, Boſſnenſes, Chroati, Iſtrij, longocꝫ ſecundum mare Adriaticum tractu ſo rum Iulij uſcꝫ, Carni, quos Veneti Charſos appellant, item Carniolani, Carinthij, ad Drauum fluuium uſcꝫ: Stirij uerò infra Gretzium, ſecũdum Mueram Danubiũ tenus, indécꝫ Myſij, Seruij, Bulgari, alijcꝫ Conſtantinopolim uſque habitantes, Bohemi præterea, Luſacij, Sileſij, Moraui, Vagicꝫ fluuij in regno Hungariæ accolæ: Poloni item, & Rhuteni latiſsimè imperantes, & Circaſi Quinquemõtani ad Pontum, denique per Germaniam ultra Albim in ſeptentrionem Vuandalorum reliquię ſparſim habitantes utuntur. Hi etſi omnes ſe Slauos eſſe fatentur, Germani tamen à ſolis Vuandalis denominatione ſumpta, omnes Slauonica lingua utentes, Vuenden, Vuinden, & Vuindiſch, promiſcuè appellant.

Cæterùm Ruſsia montes Sarmaticos haud longè à Cracouia attingit, & ſecundum fluuium Tyram, quem incolæ Niſtrum uocant, ad Pontũ Euxinum atcꝫ Boriſthenem uſcꝫ fluuium protendebatur: ſed ante aliquot annos Albam, quæ aliàs Moncaſtro appellatur, quæcꝫ

ad oſtia Tyræ ſita, ſub ditione Vualachi Moldauienſis erat, Thurca occupauit. Præterea Rex Thauriciæ Boryſthenem tranſgreſſus, lateq́ꝫ omnia uaſtans, duo ibi caſtra exædificauit: quorum alterum Oczakovu nomine, nõ longè ab oſtijs Boryſthenis ſitum, nũc Thurca pariter occupat: ubi ſolitudines hodie ſunt inter utriuſque fluuij oſtia. Porrò aſcendẽdo iuxta Boryſthenem, deuenitur ad oppidum Circas, occidentem uerſus ſitum: atque inde ad uetuſtiſsimam ciuitatem Chiovuiam, quondam Ruſsiæ metropolim. ubi traiecto Boryſthene, eſt prouincia Sevuera, adhuc habitata: ex qua rectà in orientem procedenti occurrunt Tanais fontes. Longo deinde ſecundum Tanaim, ad confluxum ſcilicet Occæ & Rha fluuiorum, itinere emẽſo, tranſeundo deniq́ꝫ Rha longiſsimo tractu in mare uſq́ꝫ Septentrionale, pòſt inde redeundo, circa populos Regi Svuetiæ ſubditos, & ipſam Finlandiam, ſinumq́ꝫ Livuonicum, atq́ꝫ per Livuoniam, Samogithiam, Maſovuiam deniq́ꝫ & Poloniam uſq́ꝫ reuertendo, Sarmaticis tandem montibus terminatur, duabus duntaxat prouincijs, Lithvuania ſcilicet & Samogithia interiectis: quæ duæ prouinciæ licet Rhutenis intermixtæ ſint, ac proprio idiomate rituq́ꝫ Romano utantur, earum tamen incolæ ex bona parte ſunt Rhuteni.

Principum qui nunc Ruſsiæ imperant, primus eſt, Magnus Dux Moſcovuiæ, qui maiorem eius partem obtinet: ſecundus, magnus Dux Lithvuaniæ: tertius eſt Rex Poloniæ, qui nunc & Poloniæ & Lithvuaniæ præeſt.

De origine autẽ gentis, nihil habent præter annales infrà ſcriptos, gentem ſcilicet hanc Slauonicam eſſe ex natione Iaphet, atque olim conſediſſe ad Danubiũ, ubi nunc Hungaria eſt & Bulgaria, & tum Norci appellatam: tandem diſpalatam, & per terras diſperſam, nomina à locis accepiſſe, utpote Moravui à fluuio: alij Ozechi, hoc eſt Bohemi: itẽ Chorvuati, Bieli, Serbli, id eſt Seruij, Chorontani dicti, qui ad Danubium conſederant, à Vualachis expulſi, uenientes ad Iſtulã, nomen Lechorum à quodam Lecho Polonorũ principe, à quo Poloni etiamnum Lechi uocantur, acceperunt. Alij Lithvuani, Maſouienſes, Pomerani: alij ſedentes per Boryſthenem, ubi nunc Chiovuia eſt, Poleni dicebantur: alij Drevuliani, in nemoribus habitantes: alij in Dvuinam & Peti, dicti Dregovuici: alij Poleutzani, ad fluuiũ Poltæ, qui influit Dvuinam: alij circa lacum Ilmen, qui Novuogardiam occupauerunt, ſibiq́ꝫ principem Goſtomiſſel nomine cõſtituerunt: alij per Deſnam & Sulã fluuios, Sevueri, ſeu Sevuerski appellati: alij uerò ſuper fontes Vulhæ & Boryſthenis, Chrivuitzi nominati: horũ arx & caput Smolenſco eſt. Hæc annales ipſorum teſtantur.

Qui initiò Rhutenis imperauerint, incertum eſt. characteribus enim carebant, quibus res geſtæ memoriæ mandari potuiſſent. Poſteaquam uerò Michael Rex Conſtantinopolitanus, literas Slauonicas in Bulgariam anno mundi 6406. miſiſſet, tum primum, non ea duntaxat

duntaxat quæ tum gerebantur, uerùm etiam quæ à maioribus acceperant, & per longã memoriam retinuerant, scribi, inq; Annales eorum referri cœpta sunt: ex quibus constat, Coseros populum, à nonnullis Rhutenis tributi nomine aspreolorum pelliculas de singulis ædibus exegisse, item Vuaregos ipsis imperauisse. De Coseris, unde, aut qui nam fuerint, nihil præter nomẽ ex annalibus: de Vuaregis itidem, certi quicquam ab illis cognoscere non potui. Cæterùm cum ipsi mare Baltheũ, & illud quod Prussiam, Livuoniam, indeq; pòst ditionis suæ partem à Svuetia diuidit, mare Vuaregum appellarent, putabam equidem, aut Svuetenses, aut Danos, aut Prutenos, ob uicinitatem, principes illorum fuisse. Iam uerò, cum Vuagria famosissima quondam Vuandalorum ciuitas & prouincia, Lubecæ & Ducatui Holsatiæ finitima fuisse, mareq; hoc quod Baltheum dicitur, ab ea nomen, quorundam sentẽtia accepisse uideatur: illudq; ipsum, & sinus ille qui Germaniam à Dania, item Prussiam, Livuoniam, maritimã deniq; Moscovuitici imperij partem à Svuetia separet, & adhuc apud Rhutenos nomen suum retineat, atq; Vuaretzokoie morie, hoc est, Vuaregum mare appelletur: ad hęc, quòd Vuandali ea tẽpestate potentes erant, Rhutenorum deniq; lingua, moribus atq; religione utebantur: uidentur itaq; mihi Rhuteni ex Vuagrijs, seu Vuaregis potius, Principes suos euocasse, quàm externis, & à religione sua, moribus, idiomateq; diuersis, imperiũ detulisse. Cum itaq; Rhuteni aliquando inter se de principatu contenderent, ac mutuis odiorum facibus inflammati, exortis deniq; grauissimis seditionibus decertarent: tum Gostomissel, uir & prudens, & magnæ in Novuogardia authoritatis, in medium consuluit, ut ad Vuaregos mitterent, atque tres fratres, qui illic magni habebantur, ad suscipiẽdum imperiũ hortarentur. mox audito consilio, legatis missis, principes germani fratres accersuntur: uenientesq; eò, imperium ipsis ultrò delatum, inter se diuidunt. Rurick principatum Novuogardię obtinet, sedemq; suã ponit in Ladoga, XXXVI. miliarib. Germanicis infra Novuogardiam magnam. Sinaus consedit in Albo lacu. Truvuor uerò in principatu Plescouiensi, in oppido Svuortzech. Hosce fratres originem à Romanis traxisse, gloriantur Rhuteni: à quibus etiam præsens Moscovuiæ princeps, se genus duxisse suum asserit. Horum autem fratrũ ingressus in Russiam, iuxta annales fuit anno mundi 6370. Duobus sine hæredibus defunctis, principatus omnes Rurick superstes obtinuit, castra inter amicos & famulos diuisit. moriens filium iuuenem Igor nomine, unà cum regno commendat cuidam Olech propinquo suo: qui id, deuictis multis prouincijs, auxit: arma in Græciam usque transferens, Bisantium etiam obsedit. & cum triginta tribus annis regnasset, atq; in caput seu craniũ sui equi iam olim mortui, pede fortè impegisset, uermis uenenosi morsu lęsus occubuit. Mortuo Olech, Igor ducta ex Plescovuia uxore Olha, imperare cœpit: qui cum exer

citu suo

citu suo longius progrediens, Heracleam & Nicomediam usq; peruenisset, tandem bello superatus aufugit. post à Malditto Drevulianorum principe, in quodam loco Coreste nomine, ubi etiam sepultus est, occiditur. Filius autem Svuatoslaus, quem infantem reliquit, cum per ætatem imperare non posset, interim mater Olha regno præfuit: ad quam cum Drevuliani uiginti internũcios misissent cum mandatis, ut eorum Principi nuberet: Olha nuncios Drevulianorum uiuos obrui iussit, suosq; interim legatos ad eos misit, nimirum si se principem & dominam expeterent, ut plures atq; præstantiores procos mitterẽt. mox alios selectos quinquaginta uiros ad se missos in balneo combussit: aliosq; legatos iterum misit, qui aduentum suum annunciarent, iuberentq; apparare aquam mulsam, aliaq; ex more ad parentandum marito defuncto necessaria. Porrò ad Drevulianos cum uenisset, maritũ deplanxit, Drevulianos inebriauit, quinque millia illorum occidit. mox Chiovuiã reuersa, exercitum conscripsit: contra Drevulianos progressa, uictoriam reportauit, fugientes in castrum persecuta, obsidione ad integrum annum pressit. pòst interpositis conditionibus, tributum illis de qualibet domo, tres uidelicet columbas, totidemq; passeres imperat: acceptasq; in tributum aues, continuò alligatis sub alas igneis quibusdam instrumentis, dimittit. auolantes columbæ, ad ædes consuetas redeunt, reuolantq;, & castrũ incendunt. inflammato iam castro diffugientes, aut occiduntur, aut capti uenduntur. Occupatis itaq; omnibus Drevulianorum castris, ulta mariti mortem, Chiovuiam reuertitur. Dein anno mũdi 6463. in Græciam profecta, baptismum sub Rege Ioanne Cõstãtinopolitano suscepit: commutatoq; nomine Olhę, Helena uocata est: ac magnis post baptismum à Rege munerib. acceptis, domum reuertitur. Hæc prima inter Rhutenos Christiana fuit, ut annales eorum testantur, qui eam soli æquiparant. Sicuti enim sol ipsum mundum illuminat, ita & ipsa Rusiã fide Christi illustrasse dicitur. Svuatoslaum autem filium ad baptismum nequaquam perducere potuit. qui cum adoleuisset, strenuus ac promptus statim omnes bellicos labores, periculaq; consueta, non detrectauit: in bello nulla impedimenta, ne uasa quidem coquinaria exercitui suo permisit. carnibus tostis duntaxat utebatur, humi requiescens, sella capiti subiecta. Vicit Bulgaros, ad Danubium usq; progressus: inq; ciuitate Pereaslavu, sedem suam posuit, ad matrẽ atq; consiliarios suos dicens: Hæc enim sedes mea, in medio regnorum meorum: ex Græcia ad me adferuntur Panodocki, aurum, argentum, uinum, uarijq; fructus: ex Hungaria, argentũ & equi: ex Rusia Schora, cera, mel, serui. Cui mater: Iam iam moritura sum, tu me ubicunque uolueris sepelito. itaq; pòst triduò moritur, atq; à nepote ex filio Vuolodimero iam baptisato in numerum sanctorũ refertur, diesq; undecimus Iulij sacer illi dicitur.

Svuatoslaus, qui post obitum matris regnabat, dimisit prouincias

filijs: Ieropolcho Chiouuiam, Olegæ Drevulianus, Vuolodimero Novuogardiam magnam. Nam Novuogardẽses impulsu cuiusdam mulieris Dobrinæ, Vuolodimerum Principem impetrarunt. erat enim Novuogardiæ ciuis quidã Calufcza paruus dictus, qui habuit duas filias, Dobrinam & Malufchã. Malufcha erat in gynęcio Olhę, quã imprægnauerat Svuatoslaus, & ex ea Vuolodimerũ susceperat. Svuatoslaus cum filijs prospexisset, pergit in Bulgariam, Pereaslavu ciuitatem obsidet, capitq́; Basilio & Constantino Regibus bellum denunciat. at hi legatis missis pacem poscebãt, & quantũ exercitum haberet, cognoscere ab eo propterea cupiebant, quòd tributum daturos se iuxta numerum exercitus, sed falso, pollicebãtur. mox cognito militum numero, exercitũ scripserunt. Pòst cum uterq; exercitus conuenisset, Rhuteni Græcorum multitudine terrentur: quos cum pauidos uideret Svuatoslaus, inquit: Quia locum non uideo, Rhuteni, qui nos tutò capere posset: terrã autẽ Russię tradere inimicis, nunquam in animum induxi: fortiter cõtra illos pugnando, aut mortem oppetere, aut gloriã reportare, certum est. Etenim si strenuè pugnando occubuero, nominis immortalitatem: si uerò fugiam, perpetuam inde ignominiam sum relaturus. & cum hostiũ multitudine circumuentis effugere non liceat, stabo ergo firmiter, caputq́; meum in prima acie, pro patria, omnibus periculis obijciã. Cui milites: Vbi caput tuum, ibi & nostrum. Mox confirmato milite, in aduersum hostem raptus, magno impetu facto, uictor euadit. Terram dein Græcorum uastantem, reliqui Græcię Principes muneribus oppugnant. aurum autem & panadockmi (ut est in Annalibus) munera cum spreuisset, recusassetq́;, uestimẽta autem & arma à Græcis iam denuò sibi missa accepisset: tanta eius uirtute, Gręciæ populi permoti, Reges suos conuenientes: Et nos, inquiunt, sub eiusmodi rege esse cupimus, qui non aurum, sed arma magis amat. Appropinquante Constantinopolim Svuatoslao, Græci magno se redimẽtes tributo, eum à finibus Græciæ auertunt. quem tandem anno mũdi 6480. Cures princeps Pieczenigorum, ex insidijs interfecit. & ex cranio eius poculũ faciens, auro circundato, literis in hanc sententiam signauit: Quærendo aliena, propria amisit. Mortuo Svuatoslao, quidam ex eius primoribus Svuadolt nomine, Chiovuiam ad Ieropolchum profectus, maximo eum sollicitans opere atq; studio, quo Olegam fratrem regno expelleret, quòd filium suum Lutam necasset, Ieropolchus eius persuasione adductus, bellum fratri infert: exercitumq́; eius, Drevulianos scilicet, profligat. Olega autem fugiens in quoddam castrum, à suis exclusus, impetuq́; facto, ex quodam põte detrusus ac deiectus, multis super eum cadentibus, miserè adobruitur. Ieropolchus castro occupato fratrem quærens, corpus eius inter cadauera repertum, & ad suum conspectum allatũ aspiciens: Svuadolte, inquit, ecce hoc tu concupiuisti. pòst sepelitur. Interfectũ sepultumq́; Olegam, cum Vuolodimerus

lodimerus accepiſſet, relicta Novuogardia, ultra mare ad Vuaregos profugit. Ieropolchus autem Novuogardiæ ſuum locum tenẽtem imponens, totius Rusſiæ monarcha efficitur. Vuolodimerus Vuaregorum auxilio comparato reuerſus, locumtenentem fratris Novuogardia expulit, fratrięꝫ bellum prior denunciat. ſciebat enim, ipſum contra ſe arma ſumpturum. Interea temporis mittit ad Rochvuolochdam principem Peſcovuiæ (nam & ipſe ex Vuaregis illuc cõmigrauerat) & filiam ſuam Rochmidam uxorẽ petit. filia autem non Vuolodimero, quod eum ex illegittimo thoro natum ſciebat, ſed Ieropolcho fratri, quẽ breui ſe pariter expetiturum putabat, nubere uoluit. Vuolodimerus, quod repulſam paſſus eſſet, Rochvuolochdæ bellum infert: eumq́ꝫ una cum duobus filijs occidit, Rochmidam uero filiam ſibi iungit, atqꝫ poſt Chiovuiam cõtra fratrem progreditur. Ieropolchus cum fratre inire prælium cum non auderet, occluſit ſe Chiovuiæ. Vuolodimerus dum Chiovu oppugnat, occultum mittit nuncium ad Blud quendam Ieropolchi intimum cõſiliarium: quem patris appellatione dignatus, rationem interficiendi fratrẽ ex eo petit. intellecta petitione Vuolodimeri, pollicetur Blud ſemet dominum ſuum interfecturum, conſulens Vuolodimero, caſtrum ut oppugnet: Ieropolchum autem monet, in caſtro ne maneat, exponens multos ex ſuis ad Vuolodimerum defeciſſe. Ieropolchus conſiliario ſuo fidem habens, fugit Roden, ad oſtia Iurſæ, ſe qꝫ ibi aduerſus fratris uim tutum fore putat. Vuolodimerus deuicta Chiovuia, Roden exercitũ transferens, longa & graui obſidione Ieropolchũ premit. Poſt longa inedia exhauſti, cum obſidionem tolerare diutius non poſſent, cõſulit Blud Ieropolcho, ut pacem cum fratre, ſe longe potentiore, faciat: Vuolodimero autem interim nihilominus nunciat, ſe ſibi fratrem ſuum mox traditurum, adducturumq́ꝫ. Ieropolchus ſecutus conſilium ipſius Blud, fratris ſe arbitrio atqꝫ poteſtati permittit, conditionem hanc ultro offerens, nempe, quicquid ex gratia ſua ſibi rerum cõceſſurus eſſet, in eo ſeſe gratũ futurum. Vuolodimero conditio oblata, haudquaquam diſplicet. Mox Blud monet dominum, ut ad Vuolodimerum iret, quod tamen Vueraſco pariter Ieropolchi cõſiliarius prorſus diſſuadet: ſed huius cõſilium negligens, ad fratrem pergit. ingrediẽs per portã, à duobus Vuaregis, Vuolodimero interim ex quadam turri deſpiciente, occiditur. quo facto, fratris uxorem natione Græcam ſtuprauit: quam Ieropolchus pariter, priuſquã in uxorem duxiſſet, monialẽ impregnauerat. Hic Vuolodimerus multa idola Chiovuiæ inſtituit. primum idolum, Perum dictum, capite argẽteo, cætera lignea erant: alia, Vslad, Corſa, Daſvua, Striba, Simaergla, Macoſch, uocabantur: quibus immolabat, quæ alias Cumeri appellabantur. Vxores habuit plurimas, ex Rochmida autem ſuſcepit Iſoslaum, Ieroslaum, Servuoldum, et duas filias. Ex Græca, Svuetopolchum.

polchum. Ex Bohema, Saslaũ: item ex alia Bohema, Svuatoslaum, Stanislaũ. Ex Bulgara, Boris & Chleb. Habebat præterea in alto castro trecentas concubinas: in Bielgrad, similiter trecentas: in Berestovuo, Selvui ducentas. Vuolodimerus cum sine impedimento totius Rußiæ esset monarcha factus, uenerant ad eum ex diuersis locis Oratores, hortantes, ut se eorũ sectæ adiungeret. Varias autem cum uideret sectas, misit & ipse Oratores suos, qui perquirerẽt cõditiones et ritus singularũ sectarum. tandem cum alijs omnibus fidem Christianam Græco ritu prætulisset, elegisset'q; missis Oratoribus Cõstantinopolim ad Basilium & Constantinũ Reges, Annam sororem, uxorem sibi si darent, se fidem Christi, cum omnibus subditis suis suscepturũ, et restituturũ illis Consum, et alia omnia, quę in Græcia poßideret, pollicetur: re impetrata, cõstituitur tempus, eligitur locus, Corsun. quò cũ uenissent Reges, baptisatus Vuolodimerus, commutato'q; nomine Vuolodimeri, Basilio illi nomẽ imponitur. Nuptijs celebratis Corsun unà cũ alijs, sicuti promiserat, restituit. Hæc acta sunt anno mũdi 6469. à quo tempore Rußia in fide Christi permansit. Anna moritur XXIII. anno post nuptias, Vuolodimerus uerò anno post obitum uxoris quarto deceßit. Is ciuitatem intra Vuolham & Occam fluuios sitam cõdidit, quam à suo nomine Vuolodimeriam nominauit, eam'q; Rhußię metropolim constituit. Inter sanctos tanquam Apostolus, solenni die uidelicet 15 Iulij, quotannis ueneratur. Mortuo Vuolodimero, dißidentes inter se filij eius, uariè de regno præsumentes, decertabant: adeò ut qui potentior esset, alios se inferiores imbecilliores'ue opprimeret, regno'q; pelleret. Svuatopolchus, qui principatum Chiovuiensem ui occupauerat, cõstituerat sicarios, qui fratres suos Boris & Chleb conficerent. Interfecti, commutatis nominibus, hic Dauid, ille uerò Romanus uocati, in sanctorum numerum connumerati sunt: quibus etiã 24. dies Iulij sacer est constitutus. Fratribus porrò sic dißidentibus, nihil dignũ memoria interim ab eis gestũ est, nisi proditiones, insidias, simultates, intestina'q; bella audire uelles. Vuolodimerus Sevuoldi filius, cognomento Monomach, uniuersam Rußiam rursus in monarchiã redegit, relinquens post se insignia quædã, quibus hodierno die in inaugurãdis principibus utũtur. Moritur Vuolodimerus anno mundi 6633. nec post eum filij eius, neque nepotes quicquam posteritate dignum, usq; ad tempora Georgij & Basilij, gesserunt: quos Bati rex Tartarorũ bello uicit, interemit'q;: Vuolodimeriam, Moscovuiam, atq; bonam Rußiæ partem exußit, & deprædatus est. Ab eo tempore, anno scilicet mundi 6745. usq; ad præsentem Basilium, omnes ferè Rußiæ principes Tartarorũ non solum tributarij erant, uerum etiam Tartarorum arbitrio Chutenis ambiẽtibus singuli principatus deferebãtur. Lites deniq; inter illos de succeßione principatuum, aut hæreditatum gratia exortas, licet

Tartari discernentes, cognoscentes'que decidebant, nihilominus tamen bella sæpe inter Rhutenos & Tartaros oriebātur: inter fratres autem uarij tumultus, expulsiones & permutationes regnorum & ducatuū erāt. Nam Dux Andreas Alexandri, impetrarat magnum Ducatum: quem cum occupasset Demetrius, frater Andreas impetrato Tartarorū exercitu, illum expulit, multaq́ꝫ nepharia per Russiam perpetrauit. Item Dux Demetrius Michaelis, interfecit apud Tartaros Ducem Georgium Danielis. Asbeck Tartarorum Rex, arrepto Demetrio, capitali eum pœna affecit. Contentio erat de magno Ducatu Tvuerensi, quem Dux Simeon Ioannis, cum à Tartarorum Rege Zanabeck peteret, annuū ab eo tributum poscebat: quod ne penderet, primores largitione corrupti, pro eo intercedentes effecerant. Deinde anno 6886. Magnus Dux Demetrius uicit bello magnum Tartarorum regem, nomine Mamaij. Item tertio anno pòst, eundem iam denuò usqꝫadeò fudit, ut plus quàm tredecim millibus passuum terra cadaueribus obruta esset. Anno post eundem conflictum secundo, superueniens Tachtamisch Rex Tartarorum, Demetrium profligauit, Moscovuiam obsedit & occupauit: interempti ad sepeliendum octoginta uno Rublo redimebantur, summa computata 3000. Rublorum fuit. Magnus Dux Basilius, qui præsidebat anno 6907. Bulgariam, quæ ad Vuolhiam sita est, occupauit, Tartaros'que eiecit. Is Basilius Demetrij reliquit unicum filium, quem cum non diligeret, quòd Anastasiam uxorem, ex qua illum susceperat, adulterij suspectam haberet, magnum Ducatum Moscovuiæ non filio moriens, sed Georgio fratri suo reliquit. Cum autem plerique Boiaronum filio eius, tanquam legitimo hæredi atque succesori, adhærerent, animaduertens hoc Georgius, ad Tartaros properat, supplicat Regi ut Basilium accersat, atque utri iure Ducatus debeatur, decernat. Rex impulsu cuiusdam consiliarij sui, qui partes Georgij fouebat, præsente Basilio, cum sententiam pro Georgio diceret, prouolutus ad genua Regis Basilius, orat, fas ut sit sibi loquendi. Mox annuente Rege, inquit: Quanquam tu sententiam super literis mortuis tulisti, spero meas tamen, quas mihi sigillo aureo communitas dedisti, quòd uelles me magno Ducatu inuestire, adhuc uiuas, longè maioris efficaciæ atqꝫ authoritatis esse. rogatq́ꝫ Regem, ut uerborum suorum esset memor, promissisq́ꝫ stare dignetur. Ad hæc Rex, iustius esse respondit, uiuarum literarum promissa seruare, quàm mortuarum rationē habere. Tandem Basilium dimittit, Ducatuq́ꝫ inuestiuit. Molestè id ferēs Georgius, exercitu congregato, Basilium expulit: quod Basilius susqꝫ deque tulit: seq́ꝫ in principatum Vglistz, sibi à patre relictum, recepit. Georgius magno Ducatu, quoad uixit, quietè potitus est, quē testamento nepoti suo Basilio legauit: quòd Andreas & Demetrius filij Georgij, ceu priuati hæreditate, grauiter tulerūt. atqꝫ ideò Moscovuiam

vuiam obsederunt. Basilius, qui monasterium sancti Sergij ingressus erat, cum hæc audiret, illico exploratores constituit: præsidijsque dispositis cauit, ne ex improuiso opprimeretur. Quod cum animaduerterent duo illi fratres, inito consilio, certos currus armato milite cōplent, ac ueluti mercibus onustos eò mittunt: ibique cum hinc inde ducerētur, iuxta uigilias nihil periculi suspicātes inuadūt, capiuntque. Capitur & Basilius in monasterio, atque excæcatus ad Vglitcz unà cum coniuge mittitur. Pòst Demetrius, ubi infestam sibi communitatem nobilium, eamque ad Basilium cæcum deficere uidet, mox Novuogardiam profugit, relinquens filium Ioannem: ex quo postea natus est Basilius Semeczitz, qui etiā me tum in Moscovuia existente, in uinculis detinebatur, de quo infrà plura. Demetrius autem dictus fuit cognomēto Semecka, unde omnes ab eo descendentes Semeczitzi cognominantur. Tandem Basilius cæcus, Basilij filius, quietè magno Ducatu potitus est. Pòst Vuolodimerum Monomach, usque ad hunc Basilium, Russia carebat monarchis. Filius autem huius Basilij, Ioannes nomine, felicissimus fuit. nam simul ubi Mariam, sororem Magni Ducis Michaelis Tvuerensis, uxorem duxisset, sororium expulit, & occupauit magnum Ducatum Tvuerensem, deinde etiā Novuogardiam magnā: cui postea omnes alij principes, magnitudine rerum à se gestarum cōmoti, seu timore perculsi, seruiebant. Rebus deinde feliciter procedentibus, titulum magni Ducis Vuolodimeriæ, Moscovuiæ & Novuogardię sibi usurpare, monarcham denique se totius Russiæ appellare cœpit. Hic Ioannes suscepit ex Maria filium Ioannem nomine, cui in consortem iunxerat filiam Stephani illius magni Vuaiuodæ Moldauiæ: qui Stephanus Mahumetem Thurcarum, Matthiam Hungariæ, & Ioannem Albertum Poloniæ, Reges prostrauerat. Mortua priore coniuge Maria, Ioannes Basilij alteram uxorem duxit, Sophiam, filiam Thomæ, latè quondam in Peloponneso regnātis, filij inquam Emanuelis, Regis Constantinopolitani ex Palæologorum genere: ex qua suscepit quinque filios, Gabrielem, Demetriū, Georgium, Simeonem, & Andream: eisque uiuens adhuc patrimonium diuisit. Ioanni primogenito monarchatum reseruauit, Gabrieli Novuogardiam magnam consignauit, cæteris alia iuxta arbitrium suum attribuit. Primogenitus Ioannes moritur, relicto filio Demetrio, quem auus in patris mortui locum, iuxta consuetudinem monarchatu inuestiuerat. Aiunt Sophiam hanc fuisse astutissimā, cuius impulsu Dux multa fecit. Inter cætera induxisse maritum perhibetur, ut Demetrium nepotē monarchatu moueret, inque eius locum præficeret Gabrielem. Persuasus nanque Dux ab uxore, Demetrium in uincula conijcit, detinetque. tandem moriēs, eidem ad se adduci iusso: Chare, inquit, nepos, peccaui in Deum & te, quod carceribus mancipatum te afflixi, teque iusta hæreditate spoliaui. iniuriam igitur à me tibi illa

iam, obſecro mihi remitte: liber abi, iureq́ tuo utere. Demetrius hac oratione permotus, noxam auo facile cōdonat. Egreſſus autem, Gabrielis patrui iuſſu comprehenditur, in'que carceres conijcitur. Alij fame illum ac frigore, pars fumo ſuffocatum putāt. Gabriel, uiuente Demetrio, gubernatorem ſe geſsit: eo uerò mortuo, principatum tenuit, non inauguratus, Gabrielis duntaxat in Baſilij nomine cōmutato. Erat Ioāni magno Duci ex Sophia, filia Helena, quā collocauit Alexandro magno Duci Lithuanię, qui poſtea Rex Polonię declaratus eſt. Sperabant Lithuani iā grauiſsimas utriuſq; principis diſcordias eo matrimonio ſopitas fore: at lōgè grauiores inde exortæ ſunt. In ſponſalib. nanq; cōcluſum erat, ut templū Rhutenico ritu in caſtro Vuilnēſi, deſtinato loco exędificaretur, eiq; certę matronę ac uirgines eiuſdē ritus iungerentur. quē cum aliquanto tempore fieri negligerētur, ſumit ſocer cauſam belli cōtra Alexandrum: et tripli ci exercitu inſtructo, contra eum progreditur. primū uerſus prouinciam Sevuerā in meridiem, ſecundū uerò in Occidentē contra Toropecz et Biela inſtituit, tertiū in medio uerſus Drogobuſch & Smolēczko collocat. ab ijs exercitum in ſubſidijs retinet, quò ei maximè, cōtra quē Lithvuanos pugnaturos animaduerteret, ſuccurrere poſſet. Poſtq; autem ad fluuium quendā Vuedraſch uterq; exercitus uenisſet, Lithuani duce Conſtantino Oſtroskij maxima procerū & nobiliū frequentia ſepto; ex quibuſdā captiuis numerū hoſtium ac ducum quoq; cum cognouiſſent, magnā ſpem profligādi hoſtē concipiunt. Porrò cum fluuiolus conflictū impediret, ab utriſq; tranſitus ſeu uadū quęritur. Primi autē Moſci aliquot, ſuperata ripa, Lithuanos ad pugnam laceſſunt: atq; illi haud timidi reſiſtūt, eoſq; inſequuntur, fugant, ultraq́; fluuiolum pellunt. mox utrinq; acies committuntur, prælium'q; atrox oritur. Interea dum utrinq; eodem ardore animorum acriter certarent, exercitus in inſidijs collocatus, quem paucisſimi Rhuteni adfuturum ſciebant, ex latere in medios hoſtes inducitur. Lithuani metu perculſi, dilabuntur: imperator exercitus unà cum pleriſq; nobilibus capitur: reliqui perterriti, caſtra hoſti concedunt, ſe & arces Drogobuſch, Toropecz, & Biela pariter dedunt. Exercitus uerò, qui meridiem uerſus proceſſerat, cui præerat dux Machmethemin Tartarus Rex Caſani, fortè Brenſko ciuitatis pręfectū, quem uernacula lingua Vuaivuodam uocāt, comprehēdit, Brenſkoq́; ciuitate potitur. duo pòſt germani fratres, Baſilij patrueles, alter de Staradub, alter uerò Semeczitz dicti, bonam partem prouinciæ Sevuerę poſsidentes, alioqui Lithvuanię ducibus obediētes, imperio Moſci ſe tradunt. Sic unico conflictu, & eodem anno adeptus erat Moſcus, quæ Vuitoldus magnus Dux Lithvuaniæ multis annis, maximiſq; laboribus obtinuerat. Porrò cum hiſce captiuis Lithvuanis, Moſcus crudelius egit, grauiſsimis cathenis uinctos detinuit: egitq; cū Conſtantino duce, ut relicto domino naturali, ſibi ſeruiret.

uiret. qui cum aliam ſpem elabendi non haberet, conditionem accepit. obſtrictusq́ꝫ grauiſsimo iuramento, liberatus eſt. Huic porrò quamuis prædia poſſeſsionesq́ꝫ pro ſtatus ſui conditione attributæ eſſent, ijs tamen placari ac detineri adeò non poterat, ut ad primam occaſionem, per inuias ſyluas redierit. Alexander Rex Poloniæ, magnus dux Lithvuaniæ, qui perpetuò magis pace quàm bello gaudebat, relictis omnibus prouincijs et caſtris à Moſco occupatis, liberatione ſuorum contentus, pacem cum ſocero fecit. Is Ioannes Baſilij adeò fortunatus erat, ut prelio Novuogardenſes, ad fluuium Scholona ſuperarit. uictos adegit certis cõditionibus propoſitis, ſe ut dominum & principem agnoſcerent: magnã eis pecuniam imperauit: unde etiam conſtituens prius ibi locumtenentẽ ſuum, abijt. quò, exactis tãdem ſeptem annis, reuerſus, ciuitatem ingreditur auxilio Archiepiſcopi Theophili: incolas ad miſerrimam ſeruitutem redegit: arrepto argento & auro, ablatis deniq́ꝫ omnibus ciuium bonis, inde ultra trecenta plauſtra bene onuſta abuexit. Ipſe ſemel duntaxat bello interfuit, cum principatus Novuogardiæ & Tvuerenſis occupabantur. aliàs prælio nunquam adeſſe ſolebat, & tamen uictoriã ſemper reportabat: adeò, ut magnus ille Stephanus Moldavuiæ Palatinus, crebro in conuiuijs eius mentionem faciens, diceret: Illum domi ſedendo & dormitando imperium ſuum augere, ſe uerò pugnando quotidie uix limites defendere poſſe. Ille etiam Reges Caſani ex uoluntate ſua conſtituit, aliquãdo captiuos reduxit, à quibus tamen poſtremò ſenex maxima ſtrage profligatus eſt. Ille idem primus caſtrum Moſcovuiæ, ſuam q́ꝫ ſedem, ut hodie cernitur, muro communiuit. Mulieribus porrò uſq́ꝫ adeò infenſus erat, ut eius conſpectu, ſi quæ forte obuiam ſibi ueniſſent, tantum non exanimarentur. Pauperibus à potentioribus oppreſsis, iniuriaq́ꝫ affectis, aditus ad eum non patebat. in prandio plerunq́ꝫ adeò ſe potu ingurgitabat, ut ſomno opprimeretur. inuitatis interim omnibus timore perculſis, ſilentibusq́ꝫ: experrectus, oculos tergere, ac tum primùm iocari, & hilarem ſe conuiuis exibere ſolebat. Cæterum & ſi potentiſsimus erat, Tartaris tamen obedire cogebatur. Aduenientibus namq́ꝫ Tartarorum Oratoribus, extra ciuitatẽ obuiam procedebat, eosq́ꝫ ſedentes ſtans audiebat. quam rem uxor eius Græca tam grauiter tulit, ut quotidie diceret, ſeſe Tartarorum ſeruo nupſiſſe: atq́ꝫ ideo hanc ſeruilem conſuetudinẽ, ut aliquando abijceret, marito perſuaſit, ut ægritudinem Tartaris aduenientibus ſimularet. Erat in caſtro Moſcovuiæ domus, in qua habitabant Tartari, ut omnia quæ Moſcovuiæ agerentur, intelligerent. quod cum ferre uxor pariter non poſſet, certos Oratores inſtituit, munera ampla Reginæ Tartarorũ mittit, ſupplicando, ut eam ſibi domum concederet, donaretq́ꝫ: uiſione etenim diuina commonitam, templum ſe eò loci ædificaturam: ita tamen, ut aliam domum Tartaris ſe aſsignaturam polliceretur. Con

ſentit hoc Regina, diruitur domus, templumq́ eo loco extruitur. ſic caſtro eiecti Tartari, domum aliam nec uiuentibus adhuc, nec mortuis iam ducibus conſequi poterant.

Moritur autem Ioannes ille magnus, anno mundi 7014. cui filius Gabriel, poſtea Baſilius dictus, mag. Dux ſucceſsit, habens in captiuitate Demetrium nepotem ex fratre, qui auo adhuc uiuente iuxta gentis conſuetudinẽ legitimus monarcha creatus erat: & ob id uiuo adhuc, atq́ etiam mortuo poſt nepote, ſolenniter Baſilius creari monarcha noluit. Patrem multis rebus imitatus eſt: ea quæ ſibi reliquerat pater, integra cuſtodiuit: ad hæc multas prouincias non tam bello, in quo erat infœlicior, quàm induſtria, imperio ſuo adiecit. quemadmodum pater Novuogardiam magnam in ſeruitutem ſuam redegerat, ita & ipſe Pleſcovuiam, ſociam urbem: item inſignem principatum Smolẽczko, qui plus quàm cẽtum annis ſub ditione Lithvuanorum fuerat, adeptus eſt. mortuo etenim Alexãdro Rege Poloniæ, etſi belli cauſam contra Sigiſmundum Regem Poloniæ & magnũ Ducem Lithvuaniæ nullã haberet, tamen quia Regem ad pacem magis quàm bellum inclinatum, Lithvuanos uerò bellum pariter abhorrentes uideret, occaſionem belli inuenit. Sororem uidelicet ſuam Alexandri relictam, dicebat ab eis minimè pro dignitate tractari: Regem præterea Sigiſmundum inſimulabat, Tartaros contra ſe concitauiſſe. Quare bellum indicit, Smolenczko obſidet, admotis tormentis: nequicquam tamẽ oppugnat. Interea Michael Lyntzky, ex principum Rhutenorum nobili ſtemmate & familia ortus, qui quondam ſummam rerum apud Alexandrũ tenebat, ad magnum Ducem Moſcovuiæ profugit, quemadmodum infrà patebit: mox Baſilium ad arma hortatur, eiq́ promittit, ſe Smolenczko, ſi iam denuò obſideretur, expugnaturum: ea tamen lege, ut ſibi hunc Principatum Moſcus concedat. Poſt cum ad conditiones à Michaele propoſitas aſſenſus eſſet Baſilius, atq́ Smolenczko graui iam denuò premeret obſidione, Lynczky pactionibus, ſeu largitione uerius urbe potitus, militiæq́ præfectos omnes ſecum in Moſcovuiam duxit: uno dũtaxat excepto, qui ad dominum ſuum, nullo proditionis crimine ſibi conſcius, redierat. reliqui uerò centuriones corrupti pecunia & muneribus, redire in Lithvuaniam non audebant: & ut culpæ ſuæ patrocinium prætenderent, iniecerũt metum militibus, dicentes, Si Lithvuaniam uerſus iter arripiemus, paſsim aut ſpoliabimur, aut occidemur. quo malo perculſi milites, omnes in Moſcovuiam profecti ſunt, ſtipendio'que Principis aluntur.

Hac uictoria elatus Baſilius, exercitum ſuum continuò in Lithvuaniam progredi iubet: ipſe uerò in Smolenczko manet. Dein cum aliquot propinquiora caſtra & oppida deditione capta eſſent, tum primùm Sigiſmũdus Rex Poloniæ obſeſsis in Smolẽczko, coacto exercitu auxiliũ, ſed tardius miſit. mox occupato Smolẽczko, ubi Lithvuaniam uer-

niam uer-

niam uerſus Moſci exercitũ ire animaduertit, ipſe Boriſovu iuxta fluuiũ Bereſina ſitum, aduolat, atq; inde exercitũ ſuum Conſtantino Oſtreskij duce dimittit. qui cum attigiſſet Boryſthenẽ, circa Orſam oppidum, quod à Smolenczko XXIIII. miliaribus Germanicis diſtat, aderat tũ iam exercitus Moſci circiter octoginta milia: Lithvuanicus autem non excedebat triginta quinq; milia hominum, adiunctis tamen aliquot bellicis tormẽtis: Conſtantinus menſe Septemb. die 8. anni 1514. ſtrato ponte, peditem ultra Boryſthenem, iuxta Orſam oppidum, transfert: equitatus autem anguſtum uadum ſub ipſo caſtro Orſæ ſuperat. Mox ubi dimidia pars exercitus Boryſthenem tranſiſſet, nunciatur Ioanni Andreæ Czeladin, cui ſumma rerum à Moſco erat commiſſa, ut hanc exercitus partem inuaderet, contereretq;. At ille reſpondit: Si partem hanc exercitus oppreſſerimus, ſupererit altera pars, cui fortè aliæ iungi copiæ poſſent, atq; ita nobis maius periculum immineret. expectemus tantiſper, dum totus exercitus tranſferatur: tantæ enim ſunt noſtræ uires, ut ſine dubio, nec magno labore, hunc exercitum aut opprimere, aut circumuentum Moſcovuiam uſq;, ueluti iumenta agere poſsimus. Tandem, quod unicum reſtat, totam occupemus Lithvuaniam. Interim appropinquabat exercitus Lithvuanicus. & cum quatuor millibus paſſuum ab Orſa proceſſiſſet, uterq; ſubſiſtit. Moſcorum duę alæ longius ab exercitu receſſerant, ut hoſtem à tergo circumuenirent: acies autem inſtructa in medio ſtabat, ſubductis quibuſdam in fronte, qui hoſtem ad pugnam laceſſerent. Ex aduerſo Lithvuanus diuerſas copias, ordine longo collocabat. ſinguli etenim principatus, ſuæ gentis copias, & ducem miſerant. atq; ita ſingulis ſuus in acie dabatur locus. Tandem cohortibus in fronte conſtitutis, Moſci claſsicum canentes, primi in Lithvuanos impetum faciunt. illi haud timidi reſiſtunt, eosq; repellunt. quibus mox alij in auxiliũ miſsi, uiciſsim Lithvuanos in fugam cõuertunt. ſic aliquoties utraq; pars nouis ſubſidijs aucta, alterã repellebat. Poſtremò maxima ui certatur. Lithvuani ſtudio cedentes ad locum, ubi tormenta bellica collocauerant, quæ in Moſcos inſequentes conuertũt, extremamq; aciem eorum in ſubſidijs arctius collocatam feriunt, turbant, dirimuntq;. Hoc nouo belli genere Moſci, qui primos duntaxat in acie cum hoſte confligentes, in periculo eſſe putabant, terrentur: turbatiq;, primam aciem iamiam fuſam putantes, fugam capeſſunt. quos Lithvuani conuerſi, omnibus copijs effuſis inſequuntur, fugant, cæduntq;. Hanc cædem ſola nox ac ſyluæ dirimerunt. Eſt inter Orſam & Dobrovunam (quæ quatuor mil. Ger. diſtant) fluuius Cropivuna dictus, in cuius dubijs & altis ripis fugientes, tot Moſci ſubmerſi ſunt, ut curſus fluminis impediretur. Capti ſunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti ac conſiliarij: quorum præſtantiores, Conſtantinus ſequenti die lautiſsimè accepit, dein ad Regem miſit: qui per caſtra Lithvuanica ſunt diſtributi. Ioannes Czeladin cum alijs duo-

lijs duobus præcipuis ingrauescentis iam ætatis ducibus, habebatur in ferreis cõpedibus Vuilnæ. hos ego, cum à Cæsare Maximiliano legatus in Moscovuiam missus essem, permittente Rege Sigismundo, accessi, eosq; consolabar: aureos præterea aliquot, obsecrãtibus mutuò dederam. Princeps porrò accepta suorũ clade, Smolẽczko continuò relinquens, in Moscovuiam fugit: & ne castrum Drogobusch Lithvuani occuparent, incendi iubet. Lithvuanicus exercitus rectà Smolẽczko ciuitatem contendit, sed capere eã non potuit: quòd præsidijs impositis, Moscus eam bene firmatã reliquerat: & quòd hyems impendens obsidionem impediebat: tum quòd plurimi post conflictum præda onusti, satis se effecisse rati, domum repetebant: denique quòd neq; Lithvuani, neq; Mosci expugnare arces, aut ui capere norunt. Ex ea autem uictoria, præter recuperata citra Smolenczko tria castra, Rex nihil reportauerat. Anno post hunc conflictum quarto, misit in Lithvuaniam exercitum Moscus, atq; intra meatus Dvuinæ fluuij & Poloczko castrum consedit: ac inde bonã exercitus partem, quæ Lithvuaniam abacta præda cæde & incendijs depopularetur, dimisit. Albertus Gastold Poloczkij Vuayuoda una noctium egressus, flumine superato, aceruũ fœni, quod ad longam obsidionem congesserant Mosci, incendit, hostem inuadit: quorum alij cæsi ferro, alij fugiendo submersi, alij capti, pauci euaserunt. cæteri, qui palantes Lithvuaniam uastabant, pars in locis diuersis deuicti, alij in syluis errantes à colonis trucidati sunt.

Casan Regnũ Moscus quoq; eo tempore, tam nauali quàm equestri exercitu erat aggressus: sed re infecta, amissis quampluribus militibus redijt. Porrò princeps ille Basilius, etsi in bello esset infelicissimus, nihilominus tamẽ à suis semper, tanq; res fœliciter gereret: laudatur: et cum nonnunquam uix dimidia militum pars domũ redierit, tamen ne unũ quidem prælio esse amissum dictitant. Imperio, quod in suos exercet, omnes facile uniuersi orbis monarchas superat. & id quod pater incœperat, ipse perfecit: nimirum omnes principes, & alios quosuis omnibus castris ac munitionibus exuit. Certè fratribus suis germanis nec arces permittit, nec etiam confidit. omnes iuxtà, dura seruitute premit: adeò ut quemcunq; apud se in aula esse, aut in bellum ire, aut legationem aliquã obire iusserit, obire quoduis suis sumptibus cogatur: exceptis adolescentulis filijs Boiaronum, hoc est, tenuioris fortunæ nobilium, quos paupertate oppressos, quotãnis assumere, eosq; inæquali stipẽdio proposito alere solet. Porrò quibus in annum sex aureos numerat, ijs tertio quoq; anno stipendium exoluitur: quibus autem in singulos annos dantur xij aurei, ij coguntur ad quoduis munus obeundũ suis & sumptibus & equis aliquot, esse parati ac expediti. prẹstãtioribus, qui legationẽ aut alia grauiora officia obeunt, aut præfecturæ, aut uillæ, aut prẹdia, habita cuiusq; & dignitatis & laboris ratione, attribuũtur: de quibus tamen singulis certos

annuos

annuos census Principi pendunt. mulcta duntaxat, quam à paupe-ribus aliquid forte delinquentibus extorquent, & quædam alia illis cedunt. Huiusmodi autē possessiones utendas plerunq; ad sesquiannum permittit. si quem tamen singulari gratia, seu beneuolētia complectitur, addit menses aliquot: sed elapso eo tempore, cessat omnis gratia, totoq; sexennio gratis tibi erit deinceps seruiendū. Erat quidā Basilius Tretyack Dolmatovu, charus principi, & inter intimos Secretarios habitus: quem cum legatū ad Cæsarem Maximilianum decerneret, seq; ut prępararet, iuberet: ac cum is uiatico se ac sumptibus carere diceret, mox in Bieloyessero captus, inq; perpetuos carceres coniectus, tandem miserrimè perijt. cuius tam mobilia quàm immobilia bona Princeps sibi uendicauit. & quāuis ter mille florenorum in prompta pecunia repererat, fratribus tamen ac hęredibus suis ne teruncium quidem dederat. Hoc ita esse, præter communem famam, Ioannes Scriba, qui à Principe, ut mihi res in quotidianos uitæ usus necessarios suppeditaret, constitutus erat, fatebatur: & qui illum simul ubi captus erat, in sua custodia habebat: itidem duo Basilij fratres, Theodorus et Zacharias, qui nobis redeuntibus ex Mosaisco in Smolenczko procuratores erant dati, sic actam rem affirmabant. Quicquid Oratores ad externos Principes missi, preciosi reportant, id Princeps in suū fiscum reponit, inquiens, aliam ipsis gratiam se facturum: quæ talis est, ut suprà dixi. Oratores enim, Knes Ivuā, Posetzen, Iaroslavuski, & Semen, id est Simeō, Trophimovu Secretarius, à Cæsare CAROLO Quinto, ad quem missi erant, donati grauibus torquibus aureis, cathenis, Hispanica et ea quidem aurea moneta: item à Cæsaris fratre FERDINANDO Archiduce Austriæ, Domino meo, argēteis poculis, aureis & argenteis pānis, Germanica aurea moneta, cum redeuntes nobiscum in Moscovuiam uenissent, Princeps continuò & cathenas & pocula, atq; maiorem partem Hispanicorum aureorum illis ademit. Eius rei ueritatem cum ab Oratoribus inquirerem, alter timens ne Principem suum traduceret, constanter negabat: alter uerò dicebat, Principem iussisse munera Regia ad se deferri, ut ea uideat. Pòst cum sæpius eius rei meminissem, alter, aut ut mentiendi occasionem, si pernegaret: aut periculum, si fortè ueritatem fateretur, effugeret: me posthac frequentare desierat. Aulici deniq; factum nō negabant, sed respondebāt: Quid tum, si alia gratia illis Princeps rependit? Authoritate sua tam in spirituales quàm seculares utitur, liberè ac ex uolūtate sua de omniū & uita & bonis constituit: consiliariorum quos habet, nullus est tantæ authoritatis, qui dissentire, aut sibi in re aliqua resistere audeat. Fatentur publicè, uoluntatem Principis, Dei esse uoluntatem: & quicquid Princeps egerit, ex uolūtate Dei agere. ob id etiam clauigerum & cubicularium Dei appellant, exequutorem deniq; uoluntatis diuinæ credunt. Vnde Princeps ipse, si quando preces interponuntur

 proca-

pro captiuo aliquo, aut re alia graui, respondere solet: Cum Deus iusserit, liberabitur. Ita similiter, si quispiam de re aliqua incerta & dubia quærit, respondere communiter solent: Deus scit, & magnus Princeps. Incertum est, an tanta immanitas gentis Tyrannum principem exigat: an tyrannide Principis, gens ipsa tam immanis, tamq; dura crudelisq; reddatur.

A tempore Rurickh usq; ad hunc præsentem principem, non alio titulo usi sunt principes illi, quàm magnorum Ducum aut Vuolodimeriæ, aut Moscovuiæ, aut Novuogardiæ, &c. præter Ioannem Basilij, qui se dominum totius Rusiæ, & magnum Ducem Vuolodimeriæ, &c. appellabat. Hic uerò Basilius Ioannis sibi uendicat & titulum & nomen Regium, in hunc modum: Magnus Dominus Basilius Dei gratia Rex & Dominus totius Rusiæ, & magnus Dux Vuolodimeriæ, Moscovuiæ, Novuogardiæ, Plescovuiæ, Smolenczkiæ, Tvueriæ, Iugariæ, Permiæ, Viackiæ, Bulgariæ, &c. Dominus & magnus Dux Novuogardiæ terræ inferioris, & Czernigovuiæ, Rezaniæ, Vuolotkiæ, Rschovuiæ, Beloiæ, Rostovuiæ, Iaroslavuiæ, Bielozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, &c. Porrò cum omnes hunc Imperatorem nunc appellant, uidetur necessarium, ut & titulum & causam huius erroris exponam. Czar Rhutenica lingua Regem significat. cum autem communi Slauonica lingua, apud Polonos, Bohemos, & alios omnes sumpta quadam consonantia, ab ultima, & ea graui quidem syllaba Czar, Imperator seu Cæsar intelligatur: unde omnes qui Rhutenicum idioma seu literas non callent, item Bohemi, Poloni, atq; etiam Slaui regno Hungarico subditi, alio nomine regem appellãt, nempe Crall, alij Kyrall, quidam Koroll: Czar autem solum Cæsarem, seu Imperatorem dici existimant: unde factum, ut Rhuteni interpretes audientes Principem suum ab externis nationibus sic appellari, cœperunt & ipsi deinceps Imperatorem nominare, nomenq; Czar dignius esse quàm Regis (licet idem significent) existimant. Cæterum si euolues omnes eorũ historias, atq; sacram scripturam, ubiq; Regis nomine Czar, Imperatoris uerò Kessar reperies. Eodem errore Imperator Thurcarum Czar appellatur, qui tamen non alio eminẽtiore quàm Regis, hoc est, Czar titulo ab antiquo est usus. Hinc Constantinopolim Czarigrad, quasi dicas Regiam urbem, Turcæ Europei, qui lingua Slauonica utuntur, appellant. Sunt qui principem Moscovuiæ Album Regem appellant. Ego quidem causam diligenter quærebam, cur Regis Albi nomine appellaretur, cum nemo principum Moscovuiæ eo titulo antea esset usus: imò consiliarijs ipsis sæpe data occasione & apertè dixi, nos non Regem, sed magnum Ducem agnoscere. Pleriq; tamen hanc Regij nominis rationem esse putabant, quod sub Imperio suo Reges haberet: Albi uerò rationem nullam habebãt. Credo autem, ut Persam nunc propter rubea tegumenta capitis Kisilpassa, id est,

rubeum caput uocant: ita illos propter alba tegumenta, albos appellari. Regis porro titulo utitur ad Roman. Imperatorem & Pontificem, Regem Suetiæ & Daniæ, Magiſtrum Pruſsiæ, Liuoniæ: & ut accepi, ad Turcarum principem. ipſe uerò à nemine horum, niſi fortè à Liuonieñ. Rex appellatur. Titulis autem antiquitus, tribus circulis triangulo incluſis, uti ſolebant, quorum primus in ſupremo circulo hiſce uerbis continebatur: Deus noſter trinitas, quæ fuit ante omnia ſecula, pater, filius, & ſpiritus ſanctus: non tamen tres dij, ſed unus Deus in ſubſtantia. In ſecundo titulus Imperatoris Thurcarum erat, particula adiecta: Fratri noſtro dilecto. In tertio, titulus Magni ducis Moſcovuiæ, quo ſe Regem, & hæredem ac dominum totius Ruſsiæ orientalis & meridionalis fatebatur, in quo communi formulę ſubiunctum uidimus: Miſimus ad te noſtrum fidelem Conſiliarium. Ad Regem autem Poloniæ huiuſmodi titulo utitur: Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia Dominus totius Ruſsiæ, & Magnus Dux Vuolodimeriæ, Moſcovuię, Novuogardiæ, Smolenski, Tvueriæ, Iugariæ, Permiæ, Bolgariæ, &c. omiſſo Regis titulo. neuter enim horum alterius literas nouo titulo auctas, accipere dignatur. Quod quidem nobis Moſcovuiæ exiſtentibus acciderat, cum Regis Sigiſmundi literas ad ſe miſsas, atq; titulo ducis Maſovuiæ auctas, Moſcus grauatim acceperat.

Scribunt quidam, Moſcum à Pontifice Romano & à Cæſare Maximiliano nomen expetiuiſſe, & titulum Regium. Mihi uериſsimile non uidetur: pręſertim cum nulli homini infenſior ſit, quàm ſummo Pont. & quem non niſi Doctoris titulo dignatur. Cæſarem autem Romanũ non maiorem ſe exiſtimat: ut ex literis ſuis apparet, in quibus nomen ſuum Imperatoris titulo præponit. Nomen item Ducis apud eos dicitur Knes: nec alium maiorem titulum, ut dixi, unquam habuerunt, adiuncta illa dictione, Magnus. nam omnes alij qui unicum principatum habebant, dicebantur Knes: qui uerò plures principatus, atq; alios Knes ſubiectos ſub imperio habebant, Vueliki Kneſi, id eſt Magni Duces appellabantur. neq; alium gradum ſeu dignitatem habẽt poſt Boiaros, qui more noſtro locum nobilium (ut ſuprà dixi) ſeu equitum tenent. In Croacia uerò primores ſimiliter Kneſi uocantur: apud nos uerò, ſicuti & in Hungaria, non niſi Comitum nomen obtinent.

Morem, quo Principes Moſcovuiæ inaugurantur, ſequens formula, quam non ita facilè conſecutus ſum, tibi depinget: & qua uſus eſt Magnus Dux Ioannes Baſilij, cum ſuum nepotem Demetrium, ut antea memini, magnum Ducem & monarcham Ruſsiæ inueſtiuerat.

In medio templi diuæ Virginis erigitur tabulatum, ſuper quo tria ſedilia, Auo ſcilicet, Nepoti, & Metropolitano collocantur. Conſtituitur item ſuggeſtum, quod ipſi Nolai uocãt: ſuper quo Ducalis pi-

leus, & Barma, hoc eſt ornamentum ducale, ponuntur. Pòſt ad conſtitutum tempus Metropolitanus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, totus'que conuentus eccleſiaſticorum, ſolennibus ornamentis induti adſunt. Magno itaque Duce cum Nepote templum ingrediente, canunt diaconi, Multos annos uni Duci magno Ioanni, ſecundum conſuetudinem. ſub hæc Metropolitanus cum toto clero canere incipit orationem diuæ Virginis, & ſancti Petri confeſſoris, quem ipſi more ſuo miraculoſum appellant: qua finita, Metropolitanus, magnus Dux, & Nepos, tabulatum aſcendunt, inq; ſedilia collocata ſedent, nepote interim ab initio tabulati ſubſiſtente. Tandem magnus Dux in hæc uerba præfatur: Pater Metropolitane, ex diuina uoluntate à noſtris maioribus magnis Ducibus antiqua & hactenus obſeruata conſuetudine, patres magni Duces, filijs ſuis primogenitis conſignabant magnum Ducatum: & ſicut eorum exemplo, genitor meus magnus Dux, me coram ſe benedixit magno Ducatu: ita ego quoque primogenitum meum Ioannem, coram omnibus magno Ducatu benedixi. Sed quia diuina uoluntate accidit, ut filius ille meus mortem obierit, ſuperſtes autem ſit unigenitus Demetrius, quem mihi Deus loco filij mei dedit: hunc itaque ego pariter coram omnibus benedico, nunc, & poſt me, magno Ducatu Vuolodimeriæ, Novuogardiæ, &c. ſuper quibus & patrem eius benedixeram.

Sub hæc Metropolitanus iubet Nepotem, locum ſibi aſſignatum accedere, & benedicit illi cruce, diaconum'que iubet orationes diaconorum recitare. ipſe interim ſedendo iuxta illum, capite inclinato quoque orat: Domine Deus noſter, Rex Regum, dominus dominantium, qui per Samuelem prophetam elegiſti Dauid ſeruum tuum, & inunxiſti illum in Regem, ſuper populum tuum Iſrael, tu nunc exaudi preces noſtras, tuorum indignorum, & reſpice à ſanctuario tuo ad fidelem ſeruum tuum Demetrium, quem elegiſti, exaltare Regem tuis gentibus ſanctis, quem redemiſti precioſiſsimo unigeniti filij tui ſanguine: & inunge eum oleo lætitiæ, protege eum uirtute excelſi, pone ſuper caput coronam de lapidibus precioſis, da illi longitudinem dierum, & in dextram ſceptrum Regale: pone illum in ſedem iuſtam, circunda illum omnibus armis iuſtitiæ, fortifica illum in brachio, & ſubijce illi omnes linguas Barbaricas: & ſit totum cor eius in timore tuo, qui te humiliter audiat: auerte illum à fide mala, & demonſtra illi ſaluum conſeruatorem mandatorum ſanctæ tuæ uniuerſalis Eccleſiæ, ut iudicet populum in iuſtitia, & iuſtitiam præſtet pauperibus, conſeruetq; filios pauperum, & conſequatur dein regnum cœleſte.

Poſtea clara uoce loquitur: Sicuti eſt tua potentia, & tuum eſt regnū, ita & laus & uirtus ſit Deo patri, & filio, & ſpiritui ſancto, nunc & in ſecula ſeculorum. Finita hac oratione, imperat duobus Abbatibus

tibus Metropolitanus, ut ſibi barma porrigant, quæ unà cum pileo, quodam tegumento ſerico (quod Schirnikoiu appellant) tecta erat. Mox hanc tradit magno Duci, cruceq́ꝫ nepotem ſignat. Magnus autem Dux eam ſuper nepotem ponit. dein Metropolitanus inquit: Pax omnibus. Cui diaconus: Domine oremus. tum Metropolitanus orans: Tibi unico Regi æterno, cui terrenum quoque Regnum creditum: inclinate uos nobiſcum, inquit, & orate omnia regnãtem: Conſerua illum ſub protectione tua, contine illum in regno, ut ſemper bona & decentia agat, fac clareſcat iuſtitia in diebus ſuis, amplificatione'que ſui dominij, & ut in tranquillitate eius, quietè ſine diſcordia uiuamus, in omni bonitate & puritate. & hæc ſubmiſsius. alta autem uoce: Tu es Rex mundi, & ſeruator animarum noſtrarum: laus tibi patri, & filio, ſpirituiq́ꝫ ſancto, nunc & in ſecula ſeculorum, amen. Tandem pileum Ducalem à duobus Abbatibus mandato ſibi allatum, magno Duci porrigit: ad hæc, cruce Nepotem in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti ſignat. pileum porrò magno Duce capiti Nepotis imponente, Metropolitanus primùm, dein Archiepiſcopus & Epiſcopi accedentes, manu ei benedicebant. His ordine peractis, Metropolitanus, & magnus Dux, Nepotem ſibi aſsidere iubent, pauliſperq́ꝫ commorati ſurgunt. Interea diaconus Letaniam (ut uocant) incipit, Miſerere noſtri Domine: nominans Ioannem magnum Ducem. rurſus alter chorus commemorat, magnum Ducem Demetrium nepotem, & alios ſecundum conſuetudinem. Finita Letania, orat Metropolitanus: O' ſanctiſsima domina uirgo Dei genitrix. & poſt orationem Metropolitanus & magni Duces conſident. Sacerdos ſeu diaconus locum demonſtrat, in quo legebatur Euangelium, alta'que uoce dicit: Multos annos magno Duci Ioannni, bono fideli Chriſti dilecto, Deo electo, & Deo honorando, magno Duci Ioanni Baſilij Vuolodimeriæ, Novuogardiæ & totius Ruſsię monarchæ, per multos annos. Sub hęc Sacerdotes ante altare canunt, Magno Duci multos annos. itidem in dextro ac ſiniſtro choro diaconi canunt, Multos annos. tandem rurſus diaconus alta uoce, Multos annos magno Duci Demetrio, bono fideli Chriſti dilecto, Deo electo & honorando, magno Duci Demetrio Ioannis Vuolodimeriæ, Novuogardiæ, & totius Ruſsiæ multos annos. Sacerdotes item apud altare, & in utroq́ꝫ choro intonãt, Multos annos Demetrio. Quibus peractis, Metropolitanus, Archiepiſcopus, Epiſcopi, & tota congregatio ordine, magnos Duces accedunt, eosq́ꝫ honorificè conſalutant. accedunt & filij magni Ducis, inclinando & ſalutando magnum Ducem.

INSTITVTIONES MAGNI *ducis iam inaugurati.*


Imon Metropolitanus inquit: Domine & fili, magne Dux Demetri diuina uolūtate, auus tuus magnus Dux fecit tibi gratiā, benedixit te ducatu magno: & tu Domine & fili, habe timorem Dei in corde tuo: ama iustitiam, & iustum iudicium: obedias auo tuo magno Duci, & curam de omnibus rectè fidelibus ex toto corde habeto. & nos te Dominum filium suum benedicimus, et Deum oramus pro tua salute. Dein Metropolitanus & magni Duces surgūt, Metropolitanusq; orans benedicit cruce magno Duci, eiusq; filijs. tandem Liturgia, hoc est sacro peracto, magnus Dux auus se in suam habitationem confert. Demetrius uerò in ducali pileo & barma, ex æde diuæ Virginis, magna Boiaronum caterua, filijsq; comitantibus, ad templum Michaelis Archangeli pergit, ubi in uestibulo supra pontem à Georgio magni Ducis Ioannis filio, ter dengis aureis aspergitur (per dengam genus monetæ intellige) templum'que ingresso, Sacerdotes letaniam orantes, secundum consuetudinem, cruce ei benedicebant, et iuxta sepulchra ac monumenta eum signo crucis signabant. Dein templum egrediens, in porta à Georgio rursus dengis aureis aspergitur. Pòst rectà in templum annunciationis Mariæ progreditur, ubi Sacerdotes pariter ei benedicebant, & à Georgio dengis ut antea aspergebatur. Peractis tādem ijs, ad auum & matrem se contulit Demetrius. Acta sunt hæc anno mundi 7006. à nato autem Christo 1497. die quarta mensis Februarij.

Interfuerunt autem huic mandato magni Ducis, & benedictioni Simonis metropolitani:

Tychon Archiepiscopus Rostovuieñ. & Ioroslavuiensis: Nyphont Susdaliensis & Toruski: Vuasian Episcopus Tvuereñ. Prothasius, Resanēsis & Muromski: Afranius Columbnensis, Ieusimi, Sarki & Podonski Episcopi.

Multi item Abbates & Priores, inter quos potiores Serapian, Prior monasterij ad sanctam Trinitatē, diui Sergij & Makirij, Prior monasterij sancti Cyrilli: magnus deniq; conuentus religiosorum & Ecclesiasticorum aderat. Inter prandendum, muneris quasi loco oblatum erat cingulum latum auro, argento, gemmis preciosis confectum, quo cingebatur. mox Selgi quoq; Pereaslavuski, hoc est pisciculi ex lacu Pereaslavuiensi, halecibus non dissimiles, quorum & nomen habent. Ideo autem id genus pisciū putant afferri, quòd Pereaslavu nunquam separabatur à Moscovuia, uel Monarchia.

Barmai est ueluti torques latæ formæ, ex serico uilloso, extrinsecus tamen auro & omnis generis gemmis concinnè cōfectus: quem Vuolodimerus ꝑfecto cuidam Caphæ Ianuēsi profligato ademit.

Pileus ipsorum lingua Schapka dictus,quo Vuolodimerus Monomach usus est,& quem gemmis ornatũ, aureis item laminis quasi quibusdam spirulis subinde sese uibrantibus,mirè concinnatum reliquit. hactenus dixi de Principe,qui maiorem partem Russiæ tenet.

Cæteras Russię partes nunc unus Sigismundus Polonię Rex, magnusq́ꝫ Dux Lithvuaniæ tenet.Cæterum cum Regum Poloniæ,qui originem suam ex Lithvuanis traxerunt, mentio fit, de genealogia eorum quædam subiungenda uidentur.

Pręfuit magno Ducatui Lithvuanię princeps quidam Vuitenen, quem cum famulus eius Gedemin, ut Polonorum annales referunt, occidisset, mox & ducatu & uxore potitus est: ex eaq́ꝫ inter plures alios, præcipuos duos suscepit filios, Olgird & Kestud. Ex Kestud natus est Vuitoldus,quem aliàs Vuitovudum appellant: & Anna, Ianusij ducis Mazovuiæ coniunx.

Vuitoldus reliquit unicam filiam Anastasiam, quæ Basilio duci Moscovuiæ in matrimonium collocata, Sophiaq́ꝫ nominata est: ex qua natus est Basilius,pater magni illius Ioannis,auus Basilij Rhutenorum Principis,ad quem Orator missus fui.

Kestud porrò ab Olgird fratre in carcerẽ coniectus,miserè perijt. Vuitoldus quoque, uir,quo maiorem Lithvuania non habuit,& ex baptismo Alexander dictus, 1430 moritur.

Olgird Gedemini filius, ex uxore Maria,principe Tvuerẽsi Christiana,inter alios filios Iagelonẽ suscepit. Is regnandi cupiditate non solum Regnum Poloniæ,sed ipsam Hedvuigim quoq́ꝫ,quæ tum diademate insignita regno præfuit, Vuihelmoq́ꝫ duci Austriæ desponsata fuit, atq́ꝫ adeò parentibus primatibusq́ꝫ utriusq́ꝫ Regni consentientibus,ante nubiles annos Regio more cum eo concubuisset, affectabat: missisq́ꝫ mox in Poloniam Oratoribus suis,Regnum et Hedvuigim uxorem expetit. Vt autem Polonos in suam sentẽtiam pertraheret,uotiq́ꝫ compos fieret,inter alia fidem se Christi unà cum fratribus suis,ducatibus item Lithvuaniæ & Samogithię suscepturum pollicetur: alijsq́ꝫ id genus promissionibus,Polonos in suam sententiam permouit, ut Hedvuigis horũ authoritate adducta, atq́ꝫ etiam inuita,rescisso priore matrimonij fœdere, illi nuberet. quo facto, Iagelo ipse cõtinuò Vuladislai nomine accepto baptisatur, in Regem coronatur, nuptijsq́ꝫ peractis Hedvuige uxore anno Domini 1386 potitur. qua tamen non longe pòst primo in partu mortua, Annam Comitem Celeiæ duxit uxorem: ex qua suscepit unicam filiam Hedvuigim,desponsatam Friderico iuniori Brandenburgensi. Duxerat & anum quandam,qua pariter mortua, Rhutenam Andreę Ioannis ducis Chiovuiensis filiam Soncam, quæ pòst assumpto ritu Romano Sophia appellata est, duxit: ex eaq́ꝫ suscepit Vuladislaum & Casimirum filios.

Vuladislaus patri in regno successit,inq́ꝫ Hungariæ Regem,submoto

moto legittimo hæredc, Alberti Regis defuncti filio Ladislao posthumo, coronatus, ad Vuarnāq; lacū pôst à Thurcis oppressus est.

Casimirus, qui tum magnum Lithvuaniæ ducatū tenebat, & qui Ladislao posthumo similiter Regnum Bohemiæ, fortè fratris exemplo ductus, adimere uoluit, fratri in Regno Poloniæ successit. dein eius Ladislai, Hungariæ & Bohemiæ Regis sororem Elisabetham in uxorem duxit: ex qua suscepit filios, Vuladislaum Hungariæ & Bohemiæ regem, Ioannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum, Poloniæ reges: Fridericum Cardinalem, & Casimirum, qui in Sanctorum numerum relatus est.

Vuladislao erat Ludouicus filius, & Anna filia. Ludouicus in Regno successit: Maria Philippi Regis Castellę, Archiducis Austrię, filia in uxorem ducta, à Thurcis in Mohacz anno 1526 oppressus est.

Anna FERDINANDO, Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi, Archiduci Austriæ nupsit: quatuor filijs, & undecim filiabus ex ea susceptis, Pragæ tandem in puerperio, anno Domini 1547 moritur.

Ioannes Albertus sine coniuge obijt.

Alexander Helenam, Ioannis magni Ducis Moscovuiæ filiam, duxit uxorem: sine liberis tamen decessit.

Sigismundus ex priore uxore Barbara, Stephani Comitis Zepusiensis filia, suscepit Hedvuigin, Ioachimi Brandēburgensis Electoris coniugem. Ex posteriore Bona, filia Ioannis Sfortię Ducis Mediolani & Barij, suscepit Sigismundum secundum Poloniæ Regem, magnum Lithvuaniæ Ducem, qui Elisabetham FERDINANDI Ro. Hungariæ & Bohemiæ Regis &c. filiam, anno 1543. sexta die Maij uxorem duxit: quę tamen immatura morte, & sine prole, anno 1545. die Iunij decimaquinta decesit.

Semouites Mazovuiæ Dux, ex Alexandra Iagelonis sorore suscepit multos filios, filias que. Filij sine liberis decesserunt. Ex filiabus Czimburgis nupsit Arnesto Austriæ Archiduci, ex eoq; genuit Fridericum Romanorū Imperatorem, patrem Maximiliani Imperatoris. Maximilianus genuit Philippū, Hispaniarū Regem: Philippus CAROLVM V. & FERDINANDVM, Romanorū Imperatores.

Ovuka Vuoleslao, Thesinēsi Duci, in matrimoniū collocata est.

Amulia, Vuoguslao Stolpensiū Duci, qui nunc Pomeranię Dux appellatur, nupsit.

Anna uerò, Michaeli Duci Lithvuanię: Catharina innupta obijt.

Porrò Olgird atq; Iagelonis fratres, nepotesq;, item filiarum eiusdem liberos, Kestudis deniq; Casimiri, aliorumq; Regum posteros, si quis ordine recensere uellet, in immensum tam numerosa proles excresceret: quæ tamen ut subitò aucta est, ita nunc in uno Regis Poloniæ iam mortui filio, Sigismundo secundo Poloniæ rege, masculinus sexus residet. Sed nunc ad Moscos redeo.

Basilio

Basilio Ioannis de uxore ducenda deliberanti, consultantiq́ue, uisum tandem fuit, ut potius subditi alicuius filiam, quàm externam duceret: tum ut maximis parceret sumptibus, simul ne uxorem peregrinis moribus diuersaq́ue religione imbutam haberet. Huius autem consilij Georgius cognomento Paruus, Principis & Thesaurarius & Consiliarius summus, author fuit. Putabat enim, Principem, filiam suam uxorem ducturum. Sed tandem publico de consilio, Boiaronũ filię numero mille & quingentę, cum in unum locum conductæ essent, ut ex illis quam uellet, eligeret: delectu Princeps habito, Salomeam, Ioannis Sapur Boiaronis filiam, contra Georgij opinionem in uxorem elegerat. Ex ea porrò cum ad unum & uiginti annos liberos non suscepisset, sterilitate uxoris offensus, eam eo anno quo nos Moscovuiam ueneramus, nimirum 1526. in monasterium quoddã in Susdali principatu intrusit. huic Metropolitanus in monasterio lachrymãti, eiulantiq́ue, capillis primùm abscisis, cum cucullam porrexisset, eam sibi inijci hæc adeò non patiebatur, ut apprehensam, in terramq́ue proiectam cucullã pedibus calcauerit. qua rei indignitate, Ioannes Schygona, unus ex primarijs Consiliarijs, commotus, eam non solum acriter obiurgauit, sed flagello cæcidit, superaddens: Tu'ne uoluntati Domini resistere audes? illius'que iussa capessere moraris? Hunc Salomea cum interrogaret, qua se authoritate cæderet? mandato Domini, cum respondisset: animo illa tum fracto coram omnibus, quòd cucullam inuita atq́ue coacta induat, protestatur, tãtæq́ue iniuriæ sibi illatæ Deum ultorem inuocat. Salomea itaq́ue in monasterium coniecta, cum Princeps Helenam filiam Knes Basilij Lintzkij Cæci, iamq́ue uita defuncti, fratris inquam Ducis Michaelis Lintzkij, qui tum captiuus detinebatur, uxorem duxisset, continuò fama exoritur, Salomeã grauidam, propeq́ue partum esse. rumorem confirmabãt duæ matronæ, primorũ Consiliariorũ, Georgij parui Thesaurarij, et Iacobi Mazur cubicularij, uxores: aiebantq́ue sese ex ore ipsius Salomeę audiuisse, ut quę grauidam se et prope partum esse fateretur. Quare audita, grauiter cõmotus Princeps, utramq́ue à se repulit: alteram, Georgij uxorem, etiam uerberibus affecit, quòd tẽpestiuius de hac re ad se non retulisset. Mox ut rem compertam haberet, Theodericũ Rack Consiliarium, & Potat Secretarium quendam, ad Monasterium in quo detinebatur, mittit: illis'que, ut ueritatem rei diligenter inquirerent, demandat. Quidam nobis tum Moscovuiæ existentibus, sanctè affirmabant, Salomeam filium Georgium nomine peperisse: nemini tamen infantem ostendere uoluisse. Quin cognoscendæ ueritatis gratia, quibusdam ad se missis, dicitur respondisse, indignos illos esse, quorum oculi infantem uiderent: dum in suam Maiestatem ueniret, matris iniuriam ulturus. quidam uerò eam peperisse, constanter negabant. Ambigua itaq́ue ea de re est fama.

Basilij porrò Linczkij ex Lithvuania profugi filiam, cur uxorem duxerit Princeps, duas causas, pręterquã quòd se ex ea liberos suscepturum sperabat, fuisse accepi: tum quòd socrus genus suum duxisset ex familia Petrovuitz, quæ magni quondam nominis in Hungaria erat, Gręcorumq; fidem sequebatur: tum quòd Michaelem Linczkij, singulari dexteritate ac rara quadã fortitudine uirũ, patruum liberi habituri essent. Habebat etenim Princeps duos germanos fratres, Georgium & Andream: atq; ideo si fortè liberos ex aliqua alia uxore susciperet, eos fratribus uiuentibus, parũ tutos fore in Regni administratione putabat. Michaele autem in gratiã recepto, libertateq; donato, filios ex Helena susceptos, authoritate patrui in maiore quiete futuros non dubitabat, de cuius liberatione nobis præsentibus tractabatur: quem etiam uinculis solutum, liberisq; custodijs honestè mandatum, uidimus tãdem libertate donatum, interq; cæteros Knesos testamento à Principe nominatum, tutorem denique nepotum suorum Ioannis & Georgij institutum fuisse. Sed postea Principe mortuo, cum uiduam Regium thorum continuò cum quodam Boiarone cognomento Ovuczina contaminantem, inq; mariti fratres uinculis constrictos sæuientem, crudeliusq; imperantem uideret, eam ut honestius et sanctius uiueret, aliquoties sola pietate ac honestate adductus admonuerat: sed huius illa admonitionem adeò molestè impatienterq; tulit, ut mox qua ratione è medio tolleretur, consilium quæreret. causaq; reperta, Michaelem aiunt continuò proditionis crimine fuisse insimulatum, atque in carceres rursus coniectum, miserè tandem perijsse: uiduam quoque non ita diu pòst ueneno sublatam, Ovuczina uerò adulterum in partes dissectum fuisse. Matre itaque è medio sublata, maior natu filius Ioannes, 1528. anno natus, in regno successit.

RELIGIO.


Vsia ut cœpit, ita in hunc usq; diem in fide Christi ritu Græco perseuerat. Habuit Metropolitanum, quondam residentẽ in Chiovuia, dein in Vuolodimeria, nunc uerò in Moscovuia. Pòst, cùm Metropolitæ septimo quoque anno Rusiam Lithvuanorum imperio subiectam inuiserent, exactisq; nummis inde redirent, hoc Vuitoldus, ne uidelicet prouincię suæ argento exhaurirẽtur, ferre noluit. Cõuocatis itaq; Episcopis, proprium Metropolitanum constituit, qui nunc Vuilnæ, metropoli Lithvuaniæ, suam sedem habet: quæ etsi Romanum ritum sequatur, plura tamen templa Ruthenici, quàm Romani ritus, in ea cernuntur. Cæterum Metropolitæ Rutheni authoritatem suam à Patriarcha Constantinopolitano habent.

Rutheni in annalibus suis apertè gloriantur, ante Vuolodimerum & Olham, terram Rusię esse baptizatã & benedictam ab Andrea Chri-

drea Christi apostolo, quem ex Græcia ad ostia Borysthenis uenisse ipsi affirmant: & aduerso flumine ad montes, ubi nunc Chiovuia est, nauigasse, atq; ibi omnem terram benedixisse & baptizasse: crucem suam illic collocasse, prædixisseq; magnam ibi Dei gratiã, multasq; Ecclesias Christianorum futuras. Post inde usq; ad fontes Borysthenis peruenisse in Vuolok lacum magnum, & per fluuium Louat descendisse in Ilmer lacum: unde per fluuium Vuolchovu, qui ex eodem lacu fluit, Novuogardiam: inde fluuio eodem in Ladoga lacum, & Heua flu. atq; in mare usq; quod ipsi Vuaretzkoiæ appellant, nos Germanicum, inter Vuinlandiam & Livuoniã, Romam nauigãdo peruenisse. Postremò in Pelopõneso propter Christum, ab Ago Antipatro crucifixum fuisse. Hæc Annales ipsorum.

Eligebantur quondam Metropolitę, item Archiepiscopi, conuocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Prioribus Monasteriorum. inquirebatur uir sanctioris uitæ per monasteria & heremos, eligebaturq;. Huncuerò Principem aiunt ad se certos conuocare solere, atq; ex eorum numero unum suo iudicio deligere. Erat eo tempore, cum Cæsaris Maximiliani Oratorem Moscovuiæ agerem, Bartholomæus Metropolita, uir sanctæ uitæ: cumq; Princeps uiolasset iuramẽtum, per se & ipsum Metropolitam Duci Semesitz præstitum, & alia quædam designasset, quæ uidebãtur contra authoritatem illius esse, accessit Principem, & inquit: Dum omnem authoritatem tibi usurpas, ideo officio meo præesse non possum. Porrectoq; sibi baculo suo, quem in modũ crucis ferebat, officium resignat. Princeps baculũ cum officio sine mora suscipit, atq; pauperẽ cathenis uinctum, cõtinuò Bielogesero mittit. Aiunt hunc ibi aliquandiu in uinculis fuisse: liberatum tamen pòst, priuatumq;, in monasterio reliquũ uitę exegisse. Huic Metropolita Daniel quidã xxx ferè annos natus, homo corpore robusto atq; obeso, facie rubenti, successit: qui ne uẽtri magis quàm ieiunijs, uigilijs, ac orationibus deditus uideretur, quoties actum publicum esset celebraturus, sulphuris fumo tum faciẽ, ut impallesceret, inficere, atq; ita pallore imbutus, in publicum prodire solebat.

Sunt et alij duo Archiepiscopi in dominio Mosci, in Novuogardia, scilicet Magrici & Rostoff. item Episcopi Tvuerensis, Resanensis, Smolensis, Permiæ, Susdali, Columnæ, Czernigovuiæ, Sari. Hi omnes Metropolitę Moscovuitico subiecti sunt. habent autẽ suos prouentus certos ex prædijs, & alijs extraordinarijs, ut uocant, accidentalibus: castra autem, ciuitates, aut ullam administrationem secularẽ (ut uocant) non habent: carnibus perpetuò abstinent. Abbates duos tantum in Moscovuia esse reperi: Priores uerò monasteriorum plurimos, qui omnes arbitrio ipsius Principis, cui nemo resistere audet, eliguntur.

Priores quomodo eligantur, ex cuiusdam Varlami, Prioris Hut

teniensis monasterij, anno 7034. instituti, literis, ex quibus capita rerum duntaxat excerpsi, apparet. Principiò fratres alicuius monasterij, magno Duci supplicant, ut idoneum Priorem eligat, qui eos diuinis præceptis instituat. Electus autem, priusquam confirmetur à Principe, cogitur se iuramento atq; inscriptione obstringere, quòd uelit in eo monasterio iuxta Sanctorum patrum constitutionem piè & sanctè uiuere: omnes Officiales iuxta maiorum consuetudinem, consentientibus etiam senioribus fratribus, assumere: singulis officijs fideles præficere, atq; commodum monasterij diligenter procurare: de negotijs & rerũ causis, cum tribus aut quatuor Senioribus deliberare, factaq; deliberatione, negotium ad totum Collegiũ fratrum referre, atq; eorum communi sentẽtia de rebus decernere, constituereq;: non lautius priuatim uiuere, sed in eadem mẽsa perpetuò esse, & communi cibo cum fratribus uti: omnes census & reditus annuos diligenter colligere, ac in thesaurum Monasterij fideliter reponere. Hæc sub magna pœna, quam sibi infligere Princeps potest, item priuatione officij, seruaturum se promittit. Obstringunt se iuramẽto quoq; ipsi Seniores fratres, prædicta omnia sese seruaturos, ac Priori instituto fideliter & sedulò obtemperaturos.

Sacerdotes seculares utplurimum consecrantur hi, qui diu apud Ecclesias tãquam diaconi seruierunt. In diaconum autem nemo consecratur, nisi coniugatus. unde plerunque & nuptias celebrare, & in gradum Diaconatus simul ordinari solent. Si uerò spõsa alicuius diaconi malè audit, tum in diaconum, nisi integræ famæ uxorem duxerit, non consecratur. Mortua coniuge, Sacerdos à sacris obeundis prorsus suspenditur: si castè tamen uiuit, officijs ac alijs rebus diuinis, cum cæteris Ecclesię ministris, choro tanquam minister interesse potest. Erat quidem antea consuetudo, ut uidui castè uiuentes, sine reprehensione sacra peragerent. Sed nunc mos inualuit, ut nullus uiduorum ad sacra facienda permittatur, nisi monasterium aliquod ingrediatur, iuxtaq; regulam uiuat.

Quicunq; sacerdos uiduus, ad secundas nuptias, quod cuiq; liberum est, transierit, is nihil habet cum clero commune: item nullus sacerdotum aut sacra obire, aut baptizare, aut alio quouis fungi munere audet, nisi diacono præsente.

Sacerdotes in Ecclesijs primum tenent locum. Et quicunq; illorum contra religionem aut officium Sacerdotale, quauis ratione fecerit, iudicio Spirituali subijcitur. Si uerò furti aut ebrietatis accusatur, aut in aliud id genus uicij inciderit, à seculari magistratu, ut uocant, punitur. Vidimus Moscovuiæ ebrios Sacerdotes publicè uerberari: qui aliud nihil querebantur, quàm sese à seruis, & non à Boiarone cæsos esse.

Paucis retroactis annis, quidam Principis locumtenens, sacerdotem in furto deprehensum, laqueo suffocari fecit. quam rem Metropolita

polita grauiter ferens, ad Principem defert. Accersitus Locumtenens, Principi respondit: Iuxta antiquum patriæ morem, furem, non Sacerdotem se suspendisse. atq; ita ille impunè dimissus fuit.

Si sacerdos queritur coram laico iudice, se à quopiam laico esse cęsum, (offensiones etenim omnes, ac iniuriarū genera, ad seculare iudicium spectant) tum iudex si fortè cognouerit hunc ab illo lacessitum, aut quauis iniuria prius affectum fuisse, Sacerdotem punit.

Sacerdotes plerunq; ex contributione curialium sustinentur, assignanturq; illis domūculæ cum agris & pratis, unde uictum suis aut famulorum manibus, instar uicinorum quæritant. Pertenues habēt oblationes: aliquando Ecclesię pecunia datur ad usuram, de centum decem, eamq; Sacerdoti porrigunt, ne suis illum alere sumptibus cogantur. Sunt etiam quidam, qui liberalitate Principum uiuunt. Certe non multæ parochiæ reperiuntur, prædijs ac possessionibus dotatæ: exceptis Episcopatibus, & quibusdam Monasterijs. Nulla parochia, seu Sacerdotium confertur cuipiam, nisi Sacerdoti. In singulis autem templis unicum tantum altare, & in dies singulos unicum quoq; Sacrū faciendum putant. Rarissimè templū reperitur sine Sacerdote, qui ter in hebdomada tantum sacra peragere obstringitur.

Vestitum propè laicorum habent, extra piretum paruum, & rotundum, quo rasuram tegunt: pileum amplum contra calorem & imbres superimponentes: aut pileo oblongo ex castorum pilis, colore griseo, utuntur. Omnes, baculos quibus innituntur, deferunt, Possoch dictos.

Monasterijs præsunt, ut diximus, Abbates & Priores: quorum hos Igumenos, illos uerò Archimandritas uocant. Habent seuerissimas leges ac regulas, quæ tamen sensim labefactæ, iacent. Nullo solatij genere uti audent. Cithara, aut aliud musices instrumentum, si apud aliquem repertum fuerit, grauissimè punitur. Carne perpetuò abstinent. Omnes, non solum Principis mandato, sed & singulis Boiaronibus à Principe missis parent. Interfui, quum prouisor meus à Priore quodam rem certam peteret: quam cum continuò non dedisset, uerbera minabatur: quo audito, euestigio rem petitam attulit. Sunt plures qui ex monasterijs in heremū se conferunt, ibiq; tuguriola faciunt, quæ aut soli, aut cum socijs incolūt: uictum ex terra & arboribus quærunt, nimirum radices, & alios arborum fructus. Hi autem Stolpniki appellantur. Stolp etenim columna dicitur. Domunculas autem angustas, & in altum erectas, columnis sustinent.

Metropolita, Episcopi, et Archiepiscopi, quamuis carnibus perpetuò abstinent: tamen cum inuitāt hospites laicos, aut sacerdotes, eo tempore quo carnibus uescuntur, habent hanc prærogatiuam, ut carnes illis in suo conuiuio apponant, quod Abbatibus & Prioribus prohibitum est.

Mitras Archiepiſcopi, Epiſcopi,& Abbates nigras & rotundas ferunt:ſolus autem Epiſcopus Novuogardienſis albam bicornem, more noſtro fert.

Veſtes quotidianæ Epiſcoporum ſunt, ſicut aliorum monachorum, niſi quòd aliquando ſericeas ferunt, & præſertim pallium nigrum,quod habet à pectore in utramq; partem tres fimbrias albas, inflexas inſtar riuuli fluentis: in ſignificationem, quòd ex corde & ore illorum fluūt riuuli doctrinę fidei, & bonorū exemplorum. Hi ferunt baculū,quo innituntur,quem gentiliter Poſſoch appellāt,in modū crucis. Epiſcopus Novuogardienſis album fert palliū. Cæterum Epiſcopi dūtaxat circa res diuinas, ac ipſam religionē piè procurandā ac promouendam ſunt occupati: rem autem familiarem, & alia publica negotia,officialibus adminiſtranda committunt.

Habent in Catalogo certos Romanos Pontifices,quos inter Sanctos uenerantur: alios uerò,qui poſt illud ſchiſma fuerunt,execrantur,tanquam eos qui ab Apoſtolorum Sanctorumq; patrum,& ſeptem Conciliorum ordinationibus defecerint, & tanquam hæreticos & ſchiſmaticos appellant; eoſdemq; maiori odio proſequuntur,quàm ipſos Mahumetanos. Dicūt enim,ſeptimo generali Concilio concluſum eſſe,ut ea quæ in pręcedentibus conſtituta ac determinata erant,in poſterum quoq; firma rata & perpetua eſſent: nec unquam poſthac cuiquam licere aliud Concilium aut indicere,aut accedere,ſub pœna anathematis. & hoc ſeuerißimè ſeruant. Erat quidam Metropolitanus Rußiæ,qui ad inſtantiam Eugenij Papæ Synodum acceſſerat, ubi & Eccleſiæ erant unitæ: reuerſus in patriam capitur, omnibus bonis ſpoliatur, atq; in carceres conijcitur: ex quibus tandem euaſit.

Inter nos & illos fidei diuerſitatem eſſe, licet ex literarum exemplo cognoſcere, quas Ioannes Metropolita Rußiæ ad Archiepiſcopum, ut ipſi dicunt,Romanum,dederat,ut ſequitur:

Dilexi decorem tuum domine ac pater beatiſs. Apoſtolica ſede ac uocatione digniſs. qui ex remotis reſpicis ad humilitatem & paupertatem noſtram, & alis dilectionis foues nos, & ſalutas nos ſicuti ſuos ex charitate, & interrogas ſpecialiter de noſtra fide uera & orthodoxa: de qua etiam audiens, ut nobis beatitudinis tuæ Epiſcopus retulit, admiratus es Et quia tantus es, & talis Sacerdos, propterea ego pauper ſaluto te,honorando caput tuum,& deoſculando manus tuas & brachia. Sis lætus,& à ſuprema Dei manu protectus: & det Dominus omnipotens tibi, tuis ſpiritualibus,& nobis ordinem bonum. Neſcio unde exortæ ſunt hæreſes, de uera ſalutis & redemptionis uia: & mirari ſatis non poſſum, quis diabolorum tam malus ac inuidus, tam ueritati inimicus, ac mutuæ beneuolentiæ aduerſarius fuerit,qui fraternam noſtram charitatē à tota Chriſtiana cōgregatione alienauit,dicens,nos nō eſſe Chriſtianos. Nos profectò,


profectò, Christianos uos ex Dei benedictione ab initio cognouimus, licet in omnibus fidem Christianam non seruetis, & in multis diuersi sitis: id quod ex septem magnis Synodis ostendam, in quibus fides orthodoxa & Christiana instituta est, ac prorsus cõfirmata, in quibus etiam tanquã septem columnis sapientia Dei domum sibi ædificauit. In his præterea septem Synodis, omnes Papæ digni sunt habiti cathedra S. Petri, quia nobiscũ sentiebant. In prima autem Synodo erat Syluester Papa, in secunda Damasus, in tertia Cælestinus, in quarta beatissimus Papa Leo, in quinta Vigilius, in sexta Oaphanius, uir honorandus, et in Sacris scripturis doctus: in septima S. Papa Adrianus, qui misit primus Petrum Episcopum & Abbatem monasterij S. Sabę: unde postea exortæ sunt dissensiones inter nos & uos, quæ pullularunt præcipuè in antiqua Rana. Sunt profectò mala multa, quæ à uobis contra leges diuinas ac statuta committũtur: de quibus pauca ad charitatem tuam scribemus. Primùm de ieiunio Sabbathi, contra legem obseruato: secundò de ieiunio magno, in quo septimanam abscinditis, & carnes comeditis, ac propter carnium uoracitatem homines ad uos allicitis. Item, qui sacerdotes secundum legem ducunt uxores, illos uos rejcitis. Item qui à presbyteris in baptismate inuncti sunt, illos uos iam denuò inungitis, dicentes, illa simplicibus Sacerdotibus facere nõ licere, sed solis Episcopis. Item de azymis malis, quæ manifestè Iudaicum seruitium seu cultum indicant. Et quod est caput omnium malorum, ut quæ confirmata sunt per S. Synodos, ea uos cœpistis permutare & peruertere, dicẽtes de Spiritu Sancto, quòd non tantum à patre, sed & à filio procedat: & multa alia maiora, de quibus tua Beatitudo ad Patriarcham Constantinopolitanum, fratrem suum Spiritualem, referre, & omnem diligentiam adhibere deberet, ut aliquando tollerentur isti errores, & ut unanimes essemus in concordia Spirituali. sicut dicit S. Paulus, informans nos: Oro uos fratres propter nomen Domini IESV CHRISTI, ut idem sentiatis, & dicatis, & non sit inter uos discordia, & sitis in eodem intellectu fortificati, & in eadem cogitatione. De istis sex excessibus, quãtum potuimus, ad uos scripsimus: deinceps & de alijs scribemus charitati tuæ. Si enim ita res se habet, sicuti audiuimus, agnosces ipse nobiscum, transgredi per uos Canones sanctorum Apostolorum, & instituta magnarum septem Synodorum, in quibus erant omnes uestri primi Patriarchæ, & cõcorditer dicebant quòd uerbum uestrum esset uanum. & quòd manifestè erretis, nunc palàm redarguam. In primis de ieiunio Sabbathi, uidetis quæ de isto S. Apostoli docuerũt, quorum doctrinam habetis. & maximè beatus Papa Clemens, primus post S. Petrum Apostolũ, ita scribit ex statutis Apostolorum, ut est in Canone LXIIII. de Sabbatho dicens: Si Ecclesiasticus inuẽtus fuerit, qui die Dominico uel Sabbatho ieiunaret, pręter Sabbathum

bathum, magnum degradetur: si autem secularis homo fuerit, excommunicetur, & ab Ecclesia seiungatur. Secundum erat de ieiunio, quod uos corumpitis. Est Iacobitarum & Armeniorum hæresis, qui lacte & ouis in sancto ieiunio magno utuntur. quis enim uerus Christianus audet ita facere & cogitare? Legite Canones sextæ magnæ Synodi, in qua Oaphanius Papa uester, ea prohibet. Nos profectò, cum resciueramus in Armenia, & alijs quibusdam locis, ouis & caseo in magno ieiunio uesci, nostris illico mandauimus, ut ab eiusmodi cibo atq; omni Imolo dæmonioru͂ abstinere͂t: à quibus si quis non abstineret, ab Ecclesia separaretur: si sacerdos, à sacris suspenderetur. Tertius præterea maximus est error & peccatum, de coniugio sacerdotu͂, quòd ab illis qui uxores habent, sumere corpus Domini renuitis: cum sancta Synodus, quæ fuit in Gangra, scribat in quarto Canone: Qui spernit sacerdotem, secundum legem uxorem habentem, & dicit, quòd non liceat ex manibus eius accipere Sacramentum, sit anathema. Item Synodus dicit: Omnis diaconus, uel sacerdos dimittens propriã uxorem, priuetur sacerdotio. Quartum peccatum erat inunctio, seu co͂firmatio. Non'ne ubiq; dicitur in Synodis: Confiteor unu͂ baptisma in remissionem peccatorum? Si ergo est unum baptisma, erit & unum Chrisma, et uirtus eadem tam Episcopi quàm sacerdotis. Quintus est error de azymis: qui quidem error est principium & radix totius hæresis, sicuti demonstrabo. & quanquam necesse esset huc multas adducere scripturas, tamen id aliàs faciam, & in præsentiarum hoc tantum dicam: Quia azymi à Iudæis fiunt in memoriam liberationis eorum & fugæ ex Aegypto, nos autem semel Christiani sumus, nunquam in labore Aegyptiorum fuimus, & huiusmodi Iudæorum de Sabbatho, azymis, & circuncisione obseruationes, nobis obmittendas esse mandatum est. Et si aliquis sequatur unum ex illis, sicuti dicit S. Paulus, tenetur totam legem implere, eodem Apostolo dicente: Fratres, ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis: quia Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, sanctificauit, fregit & dedit sanctis discipulis, dicens, Accipite & manducate, &c. Considera quid dico. non dixit, Dominus accipiens azyma, sed panem. Quòd illo tempore nec azymi erant, nec Pascha fiebat, nec Dominus tunc comedebat Pascha Iudæorum, ut daret azyma Apostolis, probabile est per hoc, quòd Iudæorum Pascha stando fit & comeditur: quod in Christi cœna no͂ fiebat, ùt Scriptura dicit, Recumbentibus eis cum duodecim. item, Et discipulus recubuit super pectus ipsius in cæna. Nam quod ipse dixit, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare uobiscum: Iudæorum pascha non intelligit quod antè semper co͂medebat cum ipsis. Neq; cum dicit, Hoc facite in meam commemorationem, necessitatem faciendi, tãquam Iudæorum Pascha esset, imponit: neque azyma illis, sed panem dat,

cum dicit,

cum dicit, Ecce panis quem ego do uobis. similiter ad Iudam, Cui ego dabo panem intingens in sal, ipse est traditurus me. Si autem dicitis istam rationem, quòd nos celebramus in azymis, quia nulla est terrestreitas uel cõmixtio in diuinis: cur diuinitatis obliti estis, & sequimini ritum Iudæorum, ambulantes in hæresi ipsius Iuliani, Machumeti, & Apollinaris Laodicensis, & Pauli Syrij Samosatensis, & Eutychij, & Diasterij, aliorumq́ue qui erãt in sexta Synodo deprauatissimi hæretici, diabolicoq́ue spiritu repleti. Sextus denique error est de Spiritu sancto. Quomodo enim dicitis, Credo in deum patrem & filium, & spiritum sanctum, qui à patre & filio procedit? Mirabile est profectò, & horrendũ dictu, quòd audetis fidem peruertere: cum ab initio per uniuersum orbẽ, in omnib. Christianorum Ecclesijs cõstanter canatur: Credo in spiritũ sanctum, & Dominum uiuificantem, & à patre procedẽtem, qui cum patre & filio simul adoratur & glorificatur. Quare igitur uos non dicitis, sicuti alij Christiani omnes, sed additiones ponitis, & nouam adducitis doctrinam? cum tamen Apostolus dicat: Si quis annunciauerit uobis, præter ea quæ uobis diximus, anathema sit. Vtinam uos non incurratis istam maledictionem. Difficile est enim, & horrendum, Dei scripturam, compositam per Sanctos, permutare & peruertere. nescitis quàm maximus sit error. Nam duas uirtutes, duas uoluntates, & duo principia de sancto Spiritu adducitis, adimentes & parui facientes eius honorem, & hæresi Machidoniȩ conformes estis: quod absit. Oro, & me inclino ad sanctos pedes tuos, ut ab huiusmodi errorib. qui inter uos sunt, cesses, et maximè ab azymis abstineas. Volui etiam aliquid scribere de suffocatis & immundis animalibus, & de monachis edentibus carnes: sed de his postea (si Deus uoluerit) scribam. Parce autem, propter maximam charitatem, quòd de his rebus ad te scripsi. An autem sunt facienda illa quȩ fiunt, interroga scripturas, et inuenies. Rogo te Domine, ut scribas ad Dominum nostrum Patriarcham Constinopolitanum, & ad sanctos Metropolitas, qui uerbum uitæ in se habent, & sicut luminaria in mundo lucent. Fieri enim potest, ut Deus per illos super huiusmodi erroribus inquirat, emendet et constituat. Deinde si tibi uidebitur, mihi minimo inter alios omnes, rescribas. Saluto te ego Metropolita Rusiæ, & alios omnes tibi subiectos clericos & laicos. Salutãt te etiam mecum S. Episcopi, Monachi & Reges, magni homines. Charitas Spiritus sancti sit tecum, & cum omnibus tuis: Amen.

SEQVVNTVR CANONES CVIUSDAM *Ioannis Metropolitæ, qui dicitur Propheta, quos raptim ut potui adſequi, adiungere uolui.*



PVeri in neceſsitate abſq; Sacerdote baptiſentur, animalia, uolucres, ab auibus uel feris lacere, non comedantur: qui uerò cōmederint, aut in azymis celebrauerint, uel in Septuageſima carne uſi fuerint, uel animantium ſanguinem uorauerint, corrigantur.

Aues, animalia ſuffocata, non comedantur.

Rutheni cum Romanis in neceſſitate comedant, celebrent autem minimè.

Rutheni omnes Romanos non rectè baptiſatos, quia in aquam toti non ſunt immerſi, ad ueram fidem conuertant: quibus conuerſis, non ſtatim Euchariſtia, ſicuti nec Tartaris, alijs'ue à fide ſua diuerſis, porrigatur.

Imagines antiquæ, & tabulæ, ſuper quibus conſecrationes fiunt, non comburantur: ſed in hortis, aut alio honorifico loco, ne iniuria afficiantur, aut dedecore, ſepeliantur.

Si in loco ſacro domum exædificaueris, locus ubi erat altare, uacuus relinquatur.

Maritus monaſterium ingreſſus, ſi eius uxor alteri nupſerit, in ſacerdotem conſecretur.

Principis filia, ei qui communione in azymis, & cibis utitur immundis, non in matrimonium locetur.

Sacerdotes, hyberno tempore ex animalium, quibus ueſcuntur, pellibus, femoralia ferant.

Non confeſſi, & aliena bona haud reddentes, ad communionem non admittantur.

Sacerdotes & monachi, nuptijs chorearū tempore non interſint.

Sacerdos ſi ſciens, perſonam iam tertiò expetētem matrimonium coniunxerit, officio priuetur.

Mater filios baptizari uolēs, ieiunare non ualētes, pro illis ieiunet.

Si maritus relicta priore uxore, alteram duxerit, uel uxor alteri nupſerit, ad cōmunionem, niſi ad matrimoniū redierit, nō admittatur.

Nullus alienæ fidei uendatur.

Sciens cum Romanis comedens, orationibus mundis mundetur.

Vxor ſacerdotis ab infidelibus capta, redimatur: & in matrimonium, quia uim paſſa eſt, reaſſumatur.

Mercatores & peregrini ad Romanorum partes proficiſcentes, communione non priuentur: ſed ad eandem, iniunctis quibuſdam pro pœnitentia orationibus reconciliati, admittantur.

In monaſterio conuiuia, aduocando mulieres, non habeantur.

Matrimonium non niſi publicè, in Eccleſijs contrahatur.

SEQVVNTVR QVAESTIONES *Cyrilli cuiusdam, ad Episcopum Niphontem Nouuogardiensem.*



QVid si homo post communionem, ex nimia cibi aut potus repletione euomuerit? RESPON. Quadraginta diebus ieiunando pœniteat. Si non ob repletionem, uerùm ex nausea, xx diebus: si uerò alia leui ex causa, minus. Sacerdos tale quiddam committens, XL diebus à diuinis & abstineat, & ieiunet: sin alia leui ex causa, per septimanam ieiunet: quin Medone & carne ac lacte abstineat. Si autē tertia aut quarta post communionem die euomerit, agat pœnitentiam. Sin aliquis Sacramentum euomerit, centum & uiginti diebus pœniteat: si uerò in infirmitate euomerit, tribus diebus: uomitum uerò igni comburat, & centum Psalmos dicat: si autem canis uomitum deuoraret, centum diebus ieiunet.

Si uasa terrea, uel lignea immunda fuerint, quid faciendum? R. Orationibus mundis mundentur.

Quid pro anima defuncti faciendum? R. Det grifnam unā pro quinq; Missis, cum fumigationibus, panibus, et tritico cocto, quod dicitur Kuthia. Sacerdos uerò habeat uinum proprium.

Quid si monacho infirmo, Seraphica ueste induto, per octo dies nihil dederim ad edendum? R. Benè factum, quia erat in angelico ordine.

Quid si Latinus Ruthenico ritu initiari uoluerit? R. Intret Ecclesiam nostram VII. diebus, nouum illi imponatur nomen, singulis diebus quatuor orationes eo præsente dicantur deuotè: abluat se deinde in balneo, septem diebus carnibus et lactarijs abstineat, octaua die lotus ingrediatur Ecclesiam. Super quo quatuor illę orationes dicantur, mundis uestibus induatur, corona seu sertum super caput illi imponatur, Chrismate inungatur, cereus illi in manus detur: dum Missa peragitur, communicetur, proq; nouo Christiano habeatur.

An aues, pisces, uel alia terrestria animalia, festis diebus interficere liceat? R. Die Dominico, quia dies festus est, homo in Ecclesiam eat: humanis uerò necessitatibus exigentibus, occidantur.

An Sacramētum in hebdomada Palmarum consecratum, per totum annum seruare liceat? R. Seruetur in uase mundo: Sacerdos uerò id infirmo porrigens, parum uini addat.

An aquam uino addere liceat, communicando infirmum? R. Sufficit uinum tantùm.

An infirmis dæmoniacis, & mente captis, liceat dare Sacramentum? R. Ora illorum tantum Sacramento tangantur.

An sacerdoti habenti uxorem in puerperio, quemadmodum super laico-

per laicorum fit uxoribus, orationes dicere liceat? R. Non. nam ea in Grecia nõ seruatur cõsuetudo, nisi alius nõ inueniatur Sacerdos.
Quid in die Exaltationis S. Crucis edendum? R. Monachi piscibus nõ uescantur: laici uerò eadem die deosculantes S. Crucẽ, carnes edere possunt, nisi fortè in diẽ Veneris aut Mercurij inciderit.
An sacerdoti noctu cum uxore cõcumbenti, mane Ecclesiam ingredi licet? R. Lauet prius eam partem quæ sub umbilico est, ecclesiam ingrediatur, Euangeliũ legat: ad altare uerò accedere, uel celebrare prohibeatur. Volens aũt sacerdos diebus Solis & Martis celebrare, poterit die lunæ cum uxore concumbere, & sic deinceps.
An uxorem non habenti, Eucharistia porrigenda? R. Dummodo per integram quadragesimam cum nupta alterius, aut bruto non coierit.
An infantuli post baptismum cõmunciandi? R. In templo, dũ sacra peraguntur, aut uespertinę preces cantãtur, communicentur.
Quo cibi genere in ieiunio maiore utendum? R. Dominicis & sabbatis diebus, piscibus: alijs uerò Ikhri, hoc est piscium intestinis.
In maiori hebdomada, monachi mel edant, & bibant kvuas: id est, aquam acetosam.
In consecratione Kuthie, cerei quot sunt incendendi? R. Pro animabus duo, tres uerò pro salute uiuentis.
Kuthia quomodo conficienda? R. Sint tres partes tritici cocti: quarta uerò de pisis, fabis, & cicere, pariter coctis, cõdiantur melle, et zaccaro. adhibeantur etiã, si habentur, alij fructus. Kuthia autem hac, peractis exequijs, in Ecclesia utantur.
Quando Bulgari, Polovuczi, & Czudi baptisandi? R. Si quadraginta diebus antè ieiunent, & orationes mundæ super illos dicantur: si uerò saluus fuerit, octo tantũ diebus ieiunet. Baptisans autem puerum, manicas benè succingat, ne dum immergit puerum, de lauacro baptismatis in ueste aliquid remaneat. Puerpera quoq; à partu quadraginta diebus, templum non ingrediatur.
An mulier post menstrua, communicanda? R. Non communicetur, nisi prius sit lota.
An liceat ingredi habitaculum puerperæ? R. In locum ubi mulier peperit, nemo ante triduum ingrediatur. Quemadmodũ enim alia immunda uasa, diligenter lauanda: ita habitationem illam orationibus esse prius mundandam.
An post occasum Solis sepeliendum? R. Occaso iam sole, nemo sepeliatur: est enim hæc mortuorum corona, uidere solem antequam sepeliãtur. Plurimùm autem meretur, qui ossa mortuorum & imagines antiquas condit.
An liceat marito, circa festum Paschæ sumere Eucharistiam? R. Si cum uxore per quadragesimam non concubuerit. Item qui dentibus die Paschæ ouum attigerit, aut ex cuius gingiua sanguis manauerit,

nauerit, eadem die à communione abſtineat.

An liceat marito, proxima poſt communionem nocte cum uxore concumbere? R. Licet. diebus tamen Veneris, Sabbati, & Dominico, ſi deprauati ingenij conceperit puerum uxor, parentes pœniteant. Si autem nobiles & magni nominis fuerint parentes, dent certas griffnas Sacerdoti, ut pro eis oret.

Si fortè lacerata papyrus, quę aliquid ſacrarū literarū continebit, in terram proiecta fuerit, an eodē loco deambulare liceat? R. Nō.

An liceat lacte alicuius uaccæ, eodē die quo uitulum edidit, uti? R. Non, quia eſt ſanguine mixtum: poſt biduum autem licebit.

Quando poteſt aliquis à Sacris ſuſpendi? R. Sacerdos tempore ieiunij feminæ alicuius amore flagrans, inq; os eius linguam inſertans, ſemen deniq; genitale libidine inflammatus ſpargēs, à diuinis per integrum annum abſtineat: ſi uerò ante Sacerdotium tale quid commiſerit, in Sacerdotem non conſecretur.

Laicus uerò eiuſmodi peccata ac flagitia deſignans, eo anno non communicetur.

An ſit initiandus ſacris is, ex quo aliqua uno duntaxat cōcubitu concepit? R. Raro concipiunt ex primo coitu. decies autem ſi congreſſus fuerit, non conſecretur.

Præterea qui uirgini ſtuprū obtulit, aut uxorem ſuam uitiatā primo cōcubitu animaduerterit, in Sacerdotē pariter nō conſecretur.

Diuortium celebrans, quomodo pœnitebit? R. Perpetuò ab Euchariſtia, niſi iamiam animam agens, abſtineat.

Licebit'ne cuipiam in uita, pro animæ ſuæ ſalute exequias mortuorum obire? R. Licet.

An coniux coniugem, in perficienda pœnitentia iuuare poteſt? R. Non poteſt, tanquam frater fratrem.

An ſacerdos ea die qua mortuum ſepeliuit, & deoſculatus eſt, obire Sacra debeat? R. Non debet.

An puerpera deploratæ ualetudinis communicari debet? R. Dummodo ex eo loco, ubi enixa eſt, aſportata, ac lota fuerit.

An liceat rem habere cum uxore eo loci, ubi ſunt imagines ſanctorum? R. Accedens ad uxorem, non'ne deponis crucem de collo? ſimiliter nec in habitatione coram imaginibus, niſi bene recluſę & opertæ fuerint, coire licebit.

An liceat illico à prādio, uel cœna, antequam dormias, in templo orare? R. Vtrum melius, dormire, an orare?

Poteſt'ne Sacerdos ſine Sacerdotali habitu accedere ægrotum, ei'q; porrigere Sacramentum? R. Poteſt.

Quomodo ducendæ uxores? R. Volens uxorem ducere, quadraginta, aut minus octo diebus, ſe ab alijs mulieribus contineat.

An mulieri quæ facit abortum, pœnitendum? R. Mulier non caſu aliquo, ſed temulenta, faciēs abortum, pœniteat. Item, quę uiro

 ſuo aquam,

ſuo aquam, qua ipſa ſe lauit, ad bibendum, ut ſe amet, dederit, ſex hebdomadis ieiunet.

An carne & lacte eius uaccæ, qua cum homo miſcuit corpus, utendum? R. Omnes, præter exceſſorem, uti poſſunt.

An mulier conſilio uetularum, quo concipiat, utatur? R. Mulieres, antiquarum uetularum conſilio, herbis, ut concipiant, utentes, & non potius ſacerdotes, qui eas orationibus ſuis iuuent, accedentes, ſex hebdomadis pœniteant, atque ſacerdoti tres griffnas numerent. Grauidam autem temulentus ſi læſerit, ita ut aborſum faciat, medio anno pœniteat. Obſtetrices quoq; octo diebus ab æde ſacra abſtineant, dum orationibus mundentur.

BAPTISMVS.



Aptizantur hoc modo. Nato infante, mox accerſitus ſacerdos, ante ianuam habitationis in qua eſt puerpera, certas ſtando recitat orationes, puerοq; nomen imponit. Dein XL communiter die, ſi fortè puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur, ac ter in aquam totus immergitur: alioqui baptizatum non crederent. Mox inungitur Chriſmate, quod conſecratum eſt in hebdomada magna. inungitur deniq; myrrha, ut ipſi dicunt. Aqua uerò baptiſmatis ſingulis infantibus conſecratur, & cõtinuò poſt baptiſmum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptiſantur infantes, niſi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obeſſet: neque unquam aqua tepida, niſi pueris infirmis utuntur. Suſceptores ex uoluntate parentum aſſumuntur: & quoties præeunte certis uerbis ſacerdote, diabolo renunciant, toties in terram expuunt. Sacerdos etiam infanti capillos abſcindit, eosq; ceræ etiam intricat, & in templo loco certo reponit. Non adhibent ſal, neq; ſaliuam cum puluere.

SEQVITVR BVLLA ALEXANdri Papæ, ex qua Baptiſmus Rhutenorum abundè conſtat.



Lexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Altitudo diuini conſilij, quod humana ratio nequit comprehendere, ex ſuæ immenſæ bonitatis eſſentia, aliud ſemper ad ſalutem humani generis pullulans, tempore congruo, ſecreto myſterio, quod ipſe Deus nouit, opportuno, producit & manifeſtat: ut cognoſcant homines, ex ſuis meritis, tãquam ab ipſis, nihil proficere poſſe, ſed eorum ſalutem & omne donum gratiæ ab ipſo ſummo Deo & patre luminum prouenire. Sanè non ſine grandi & ſpirituali mentis noſtræ lætitia accepimus, quod nonnulli Rhuteni in Ducatu Lithvuaniæ, & alij ritu Græco uiuentes, fidem tamen Chriſtianam aliàs profitentes, qui Vuilnenſem ac Chiovuiẽſem, Lutzeorienſem, et Mednicenſem

nicenſem ciuitates & diœceſes, ac alia loca eiuſdem ducatus inhabitant, ſancto ſpiritu cooperante illuſtrati, nonnullos errores quos hactenus, ritu & more Græcorum uiuentes, obſeruarunt, penitus ab eorum mentibus & cordibus abdicare, & unitatem fidei Catholicæ & Latinæ Romanæ Eccleſię amplecti, & ſecundum ritum eiuſdem Latinæ & Romanæ eccleſiæ uiuere deſiderant & proponunt. Sed quia more Græcorũ, ſcilicet in tertia perſona baptiſati fuerũt, et nonnulli aſſerunt eos de nouo baptizari debere, prædicti qui ritu Græco hactenus uixerunt, & adhuc uiuunt, tanquam antea rite baptiſati, renuunt & recuſant de nouo baptiſma ſuſcipere. Nos igitur, qui ex commiſſo nobis deſuper, licet inſufficientibus meritis, officio paſtorali, cupimus ſingulas oues nobis commiſſas ad uerum ouile Chriſti perducere, ut fiat ex illis unus paſtor, & unum ouile, & ne ſancta Catholica eccleſia diuerſa et deformia mẽbra à capite diſcrepãtia, ſed cõformia habeat, attendentes quod per fœlicis recordationis Eugenium Papam quartum, prædeceſſorem noſtrum, in cõcilio per eum Florentiæ celebrato, & in quo Græci atq; Armeni, unà cũ Romana eccleſia ſentiẽtes interfuerunt, definitum fuit, formã huius ſacramenti Baptiſmatis exiſtere, Ego te baptiſo in nomine patris et filĳ & ſpiritus ſancti, amẽ: ac etiã per illa uerba, Baptizetur talis ſeruus Ieſu Chriſti, in nomine patris & filĳ & ſpritusſancti: uel, Baptizatur manibus m eis talis, in nomine patris & filĳ & ſpiritus ſancti: uerum perfici baptiſma, quoniã eius principalis cauſa, ex qua baptiſma uirtutem habet, ſit ſancta trinitas: inſtrumẽtalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius ſacramentum, ſi exponitur actus qui per ipſum exercetur miniſterium, eius ſanctæ trinitatis inuocatione efficitur ſacramentum: & propterea huiuſmodi ſacramẽti, ſic in tertia perſona collati, reiterationem neceſſariam non exiſtere: habita etiam ſuper hoc cum fratribus noſtris deliberatione matura, auctoritate Apoſtolica, nobis & alĳs Romanis Pontificibus ab ipſo Ieſu Domino noſtro per beatum Petrum, cui & ſucceſſoribus eius Apoſtolatus, miniſterĳ diſpenſationem commiſit, tradita, tenore præſentium decernimus atq; declaramus, omnes & ſingulos ſic in tertia perſona baptizatos, uolentes à ritu Græco ad ritum & morem Latinæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ uenire, ſimpliciter & ſine alia contradictione, aut etiam obligatione, uel coactione, quòd iterum rebaptiſentur: etiam cum intentione quòd aliàs ritus per orientales eccleſias ſeruari ſolitos hæreticam prauitatem non concernẽ. obſeruari poſſint: facta prius tamen per eos omnium errorum, rituum Gręcorum, à Latina et Romana eccleſia, et illius ritu ac ſanctis inſtitutionibus deuiantium, abiuratione, admittendos fore. exhortañ. etiam per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, omnes et ſingulos qui prędicto modo baptiſati ſunt, & ritu Græco uiuunt, ut abnegata omnium errorum, quę ſecũdum morem et ritum Græcorum hactenus obſeruarunt, quicq; ab immaculata &

culata & ſancta Catholica Latina & Romana eccleſia, & illius ſan-
ctorum patrum inſtitutionibus approbatis deuient, uelint eidem Catholicæ eccleſiæ, illius'que ſalubribus documentis, pro animarum ſuarum ſalute & ueri Dei cognitione adhærere, & ne eorum ſanctum propoſitum à quouis retardari poſsit, modo uenerabili fratri noſtro Epiſcopo Vuilnenſi, in uirtute ſanctæ obedientiæ committimus & mandamus, quatenus omnes & ſingulos ſic baptiſatos, & ad unitatem præfatæ Latinæ eccleſiæ uenire, & errores prædictos abiurare uolentes, ad præfatæ Latinæ eccleſiæ unitatem, errorum huiuſmodi abiurationem per ſe uel per alium, ſeu etiam alios ſeculares Prelatos, eccleſiaſticos ſeu prędicatores, aut minorum ordinum regularis obſeruantiæ profeſſores, doctos & probos, ac alios idoneos, quibus id duxerit committendum, recipiat & admittat: ac tam ſibi quàm illi, aut illis, cui uel quibus, quoties expedierit, id duxerit committendum, ſingulos præfatos, ſic inuenientes ab exceſſibus, propter obſeruationem huiuſmodi errorum, ac hæretica prauitate inde proueniente, nec non excommunicationis ſententia, alijsq; cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, quos quomodolibet propter ea incurrent, dicta Apoſtolica auctoritate abſoluendi, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem iniungēdi, aliaq; in præmiſſis neceſſaria faciendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus, per præſentes. Verùm quia forſan difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus fuerit, referre: uolumus, & eadē authoritate Apoſtolica decernimus, quòd earundem literarū tranſſumptum, manu alicuius notarij publici ſubſcripto, & ſigillo præfati Vuilnenſ. ſeu alterius alicuius epiſcopi, uel prelati eccleſiaſtici munito, eadem fides prorſus adhibeatur in iudicio & extrà, & aliàs ubilibet, ubi fuerit exhibitum uel oſtēſum, ſicut ipſis literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę uel oſtenſę: non obſtātibus cōſtitutionib. & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; cōtrarijs quibuſcunq;. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, exhortationis, cōmiſſionis, mādati, cōceſſionis, uolūtatis et decreti infringere, uel ei auſu temerario cōtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorū eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum: Anno incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo primo, decimo kal. Septemb. Pontificatus noſtri anno nono.

CONFESSIO.

Confeſsionem quamuis ex conſtitutione habent, uulgus tamen eam Principum opus eſſe, & præcipuè ad nobiles dominos & præſtantiores uiros pertinere exiſtimat. Confitentur circa Paſchatis feſtum magna cordis contritione ac ueneratione. Stat confeſſor, unà

cum con-

cum confitente, in medio templo, uultu cõuerſo ad imaginem quandam ad hoc conſtitutam. Finita dein confeſsione, pœnitentiaq́ iuxta delicti qualitatem iniuncta, ante ipſam imaginem ſubinde ſeſe inclinant, ſignoq́ crucis frontem pectusq́ ſignant: magno deniq́ gemitu clamant, IESV CHRISTE fili Dei, miſerere noſtri. Nam hæc communis illorum eſt oratio. Quibuſdam pro pœnitentia ieiunia, nõnullis certæ quædam precationes (Dominicam etenim orationem perpauci ſciunt) iniunguntur: quoſdam, qui grauius aliquid commiſerint, aqua abluunt. Ex profluente etenim aquam in Epiphania Domini hauriunt, eamq́ cõſecratam per totum annum in tẽplo, pro mundandis & abluẽdis grauioribus peccatis ſeruant. Item peccatum die Sabbatho commiſſum, leuius iudicant, minusq́ pœnitentiæ pro eo iniungunt. Sunt complures & leuiſsimæ cauſę, propter quas in templũ non admittuntur: ſolent tamen excluſi plerunq́ portis & feneſtris templi aſtare, atq́ inde non minus uidere & audire ſacra, quàm ſi in templo fuiſſent.

Is qui concubuerit cum uxore ſua, & poſt conſtitutum tempus ſe non abluerit, ea die ingredi templum non audet.

COMMVNIO.

Communicant ſub utraq́ ſpecie, miſcentes panem uino, ſeu corpus ſanguine. Sumit ſacerdos coeleari ex calice portiunculam, porrigitq́ communicanti. Quotieſcunq́ aliquis in anno uoluerit, modò confeſſus fuerit, ſumere corpus Domini poteſt: alioqui tempus conſtitutum ad feſtum Paſchatis habent. Pueris ſeptem annorum porrigunt ſacramentum. Dicuntq́, tum hominem peccare. Si puer infirmus fuerit, aut fortè animam agere cœperit, ut de pane ſumere non poſsit, infunditur ei gutta ex calice. Sacramentum ad communicandum, non niſi dum ſacrum fit, conſecratur: pro infirmis autem conſecratur die Iouis, in maiori hebdomada, & conſeruatur per totum annum. Cæterùm cum fuerit neceſſe, accipit inde portiunculam, quam uino imponit, & bene humectatã porrigit ægroto, dein parum aquæ tepidæ addit.

Nullus monachorum, nec ſacerdotum, horas Canonicas, ut uocant, orat, niſi habeat imaginem præſentem: quam etiam nemo, niſi magna ueneratione, attingit. qui eam autem in publicum profert, manu eam in altum tollit: quam omnes prætereuntes, aperto capite, cruce ſe ſignantes, inclinando, plurimum uenerantur. Libros Euangeliј non niſi in locis honeſtis, tanquam rem ſacram reponunt: neq́ manibus tangunt, niſi prius cruce ſe munierint, & capite aperto inclinato'que honorem exhibuerint: pòſt ſumma cum ueneratione in manus ſumunt. Panem quoque, antequam uerbis conſuetis more noſtro conſecratus fuerit, circumlatum per eccleſiam, uenerantur & adorant.

FESTI DIES.

Feſtos dies uiri præſtantiores peractis ſacris epulis, ebrietate & ueſtitu eleganti uenerantur: uulgus, domeſtici ac ſerui, plerunq; laborant, dicentes, feriari ac à labore abſtinere domino um eſſe. Ciues & mechanici, diuinis interſunt: quibus peractis, redeunt ad laborem, ſanctius putantes labori incumbere, quàm bibendo, ludendo, & id genus rebus, ſubſtantiã & tempus inaniter perdere. Nam uulgo & plebi ceruiſiæ & medonis potus prohibitus eſt: quibuſdam tamen ſolennioribus diebus, utputa natalis Domini, ferijs Paſcæ, Pentecoſtes, & alijs quibuſdam, potare illis permiſſum eſt: quibus ſanè non propter diuinum cultum, ſed potum potius, a labore abſtinent.

Trinitatis feſtum celebrant die Lunæ, in ferijs Pentecoſtes. In octaua uerò Pentecoſtes, feſtum omnium Sanctorum. Diem autem Corporis Chriſti, more noſtro non uenerantur.

Iurando ac blaſphemando, rarò nomen Dei uſurpant. cum autem iurant, per oſculum crucis dicta uel promiſſa firmant. Blaſphemiæ eorum, Hungarorum more, communes ſunt, Canis matrem tuam ſubagitet, &c.

PVRGATORIVM.

Purgatorium nullum credunt, ſed dicunt, unicuique uita defuncto, ſecũdum meritum ſuum eſſe locum: pijs quidem lucidum, cum angelis placidis: impijs autem obſcurum, & cæca caligine obductum, cum angelis terribilibus deſtinatum eſſe, in quo extremum expectant iudicium. ex loco & angelis placidis cognoſcunt animæ gratiam Dei, ſemper petunt extremum iudicium: aliæ contrà. Neque animã à corpore ſeparatam, pœnis obnoxiam eſſe putant. nam cum anima in corpore ſe contaminauerit, cum corpore eſſe expiandam. Quod autem pro defunctis funebre ſacrum faciunt, credunt, eo poſſe tolerabiliorem animabus exorari ac impetrari locũ, in quo facilius expectare futurum iudicium queãt. Aqua benedicta nemo ſe aſpergit, niſi à Sacerdote aſpergatur. Cœmiteria pro ſepeliendis corporibus non conſecrant. aiunt enim, corporibus inũctis & conſecratis, terram ipſam, non corpora terra, conſecrari.

DIVORVM CVLTVS.

Nicolaum Barenſem inter ſanctos in primis uenerantur, deq; eius plurimis miraculis quottidiè prædicãt: quorum unicum, quod non ante multos annos contigit, adiungere placuit. Michael quidam Kyſaletzki, uir magnus & ſtrenuus, in quodam conflictu Tartarico, quendã Magni nominis Tartarum fugiẽtem eſt perſecutus: quem cum citato equi curſu aſſequi non poſſet, Nicolae (inquit) perduc me ad hunc canem. Tartarus hæc audiens, territus exclamat: Ni-

mat: Nicolae, si hic tuo auxilio me assequetur, nullum miraculum facies: si uerò me alienum à tua fide, ab illius persecutione incolumem seruaueris, tum magnum erit nomen tuum. aiunt Michaelis equum restitisse, Tartarumq́ elapsum. Tartarum quoq; deinceps Nicolao ob incolumitatem suam, in singulos uitæ suæ annos, certas mensuras mellis obtulisse: totidemq́ mensuras Michaeli pariter in memoriam liberationis suæ, adiuncta etiam honoraria ueste ex pellibus Madauricis, misisse.

IEIVNIVM.

Ieiunant in Quadragesima septem perpetuas septimanas. prima lactarijs utuntur, quam Syrna, quasi caseacea, appellant: sequentibus uerò septimanis omnes (extra peregrinantes) etiam piscibus abstinent. Sunt qui diebus Dominicis & Sabbato cibum sumunt, reliquis diebus ab omni cibo abstineant. Sunt item, qui diebus Solis, Martis, Iouis & Saturni, cibum sumũt, reliquis tribus quoq; abstineãt. Reperiuntur etiam plurimi, qui diebus Lunæ, Mercurij & Veneris, panis frusto cum aqua sumpto contenti sunt. Reliqua per annum ieiunia non ita stricte obseruant: ieiunant autem post octauam Pentecostes, quæ illis est dies omnium Sanctorum, usq; ad ferias Petri & Pauli, & dicitur ieiunium Petri. Deinde habent ieiunium diuæ Virginis, à prima Augusti usq; ad Assumptionem Mariæ. item ieiunium Philippi, sex septimanis in aduentu Domini, & dicitur Philippi: quòd initium eius ieiunij contingit festum Philippi, secundum eorum Calendarium. Si deniq; festum Petri & Pauli, item Assumptionis, inciderit in diẽ Mercurij, aut Veneris, tum nec ea die carnibus uescuntur. Nullius sancti uigiliam ieiunio uenerantur, præter decollationem S. Ioannis, quam XXIX. Augusti quotannis obseruant. Si deniq; in maiori ieiunio quadragesimæ aliquis solẽnis dies, ut Annũciationis Mariæ, inciderit, eo piscibus utũtur. Monachis aũt multo grauiora & molestiora ieiunia imposita sunt, quos Kvuas, hoc est potu acetoso, et aqua cum fermento mixta, contentos esse oportet. Sacerdotibus quoq; aqua mulsa & ceruisia eo tempore sunt prohibita: licet nunc omnes leges ac statuta diffluant, uitienturq́. Porrò extra tempus ieiunij, die Sabbato uescuntur carnibus, Mercurij uerò abstinent.

Doctores quos sequuntur, sunt: Basilius magnus, Gregorius, & Ioannes Chrysostomus, quem dicunt Slatausta, id est aureum os. Concionatoribus carent. Satis esse putãt, interfuisse Sacris, ac Euangelij, Epistolarum, aliorumq́ doctorum uerba, quæ uernacula lingua recitat Sacrificus, audiuisse: ad hoc, quòd uarias opiniones ac hæreses, quæ ex concionibus plerunq; oriuntur, sese effugere credunt, festos dies proximæ septimanæ die Dominico annunciant, publicam'que confessionem recitant. Principem porrò ipsum quic

quid credere aut opinari uident, id rectum, omnibusq; sequendum esse statuunt.

Accepimus Moscovuiæ, Patriarcham Cōstantinopolitanum ad petitionem ipsius Mosci, misisse quendam monachum Maximilianum nomine, ut omnes libros, Canones, & singula statuta ad fidem pertinentia, in ordinem recto iudicio redigeret. quod cum fecisset, multisq; & grauissimis erroribus animaduersis, corā Principe pronunciasset, eum plane esse Schismaticum, qui Romanum aut Græcum non sequatur ritum: hæc inquam ubi dixisset, non multo post (etsi eum summa prosequeretur Princeps beneuolētia) dicitur euanuisse, ac multorum opinione submersum esse. Agebatur tertius annus, dum nos Moscovuiæ essemus, quando Marcus Græcus mercator quidam ex Capha, hoc idem dixisse ferebatur: captumq; pariter (licet pro eo tum Turcarum orator improbis quodammodo precibus intercederet) sublatum è medio fuisse. Georgius Græcus cognomento Paruus, Thesaurarius, Cancellarius, supremusq; Consiliarius Principis, cum eandem causam quoq; foueret, defenderetq;, ab omnibus continuò officijs remotus, gratiaq; Principis deciderat. Sedenim eius opera carere Princeps cum haudquaquam posset, rursus in gratiā receptus, sed diuerso erat officio pręfectus. fuit enim uir singulari doctrina, & multarū rerum experientia præditus, qui cum matre Principis in Moscovuiam uenerat: quem tantopere Princeps uenerabatur, ut ægrotum semel cum ad se uocasset, primi nominis aliquot suis Consiliarijs demandauerat, ut illū in uehiculo sedentem, in suam habitationē usq; ferrent. Sed cum in aulam esset aduectus, ac tot tamq; altis gradibus portari se recusaret, depositusq; uehiculo paulatim ad Principem ascēderet, hunc Princeps cum forte uideret, stomachari grauiter cœpit, inq; lectica collocatum ad se deferri iussit. tandem communicatis cum eo consilijs, negotioq; confecto, in lectica uirum per gradus deferendum iubet, semperq; deinceps sursum ac deorsum portandum mandauit.

Religiosorum præcipua cura existit, ut quoslibet homines ad fidem suam perducant. Monachi heremitæ bonam iam olim idololatrarum partem, diu multumq; apud illos uerbum Dei seminātes, ad fidem Christi pertraxerunt. Proficiscuntur etiamnum ad uarias regiones Septentrionem uersus & orientem sitas, quò non nisi maximis laboribus, famæ ac uitæ periculo perueniunt, neq; inde aliquid commodi sperāt, nec petunt: quin hoc unicum spectant, ut rem gratam Deo facere, & animas multorum deuio errore abductas (morte aliquando doctrinam Christi confirmantes) in uiam rectam reuocare, ac eos Christo lucrifacere queant.

Est etiam in Moscovuia præcipuum monasterium S. Trinitatis, quod xij miliaribus Ger. Occidentem uersus à Moscovuia ciuitate distat, ubi S. Sergius sepultus, multa miracula edere dicitur, admirabiliq; gen-

bili'que gentium ac populorum concursu pietateq́ celebratur. Eò Princeps ipse sæpe, uulgus uerò quotannis certis diebus confluit, monasterij'que liberalitate alitur. Perhibetur olla cuprea ibi esse, in qua certi cibi, & utplurimũ olus coquitur. Fit aũt, ut siue pauci, siue multi eò uenerint, semper tamẽ cibi tantũ remaneat, quo eius Monasterij familia saturetur: adeò ut nihil unquã desit, neq; superfluat.

DE DECIMIS.



Volodimerus mysterijs uiuifici lauacri, Anno 6496. initiatus, decimas unà cum Leone Metropolita, de omnibus rebus dandas instituit, propter pauperes, pupillos, infirmos, senes, aduenas, captiuos atq; pauperes sepeliendos: iuuandos etiam eos qui numerosam haberent sobolem, quibus'ue bona igni absumpta essent, ac subleuandam deniq; miserorum omnium inopiam, Monasteriorum pauperumq́ Ecclesias, & in primis propter defunctorum et uiuorum refrigeriũ. Idem Vuolodimerus potestati & iurisdictioni Spiritualium subiecit, omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, & totũ statum clericorum: monachos, moniales, & eas quæ proscura ad Sacra conficiunt, quas Proscurnicas uocant: item uxores filiosq́ Sacerdotũ, medicos, uiduas, obstetrices, et eos qui miraculũ ab aliquo Sanctorum acceperint, qui'ue manumissi essent pro alicuius animæ salute: ministros deniq; singulos monasteriorũ & hospitalium, & qui monachorum uestes conficiunt. Quicquid itaq; inter prædictas personas simultatis seu discordiæ exoritur, Episcopus ipse tanquam competens iudex, decernere & constituere potest. Si uerò inter laicos & hos, aliquid controuersiarum oritur, iudicio communi decernitur.

Proscurnicę sunt mulieres iã effœtę, quæ amplius mẽses non patiuntur, & quę panẽ ad sacrificandũ, qui proscura dicitur, coquunt.

Episcopi etiam diuortia, tam inter Knesos quàm Boiarones, atq; omnes seculares qui concubinas fouent, constituere debent. Item ad Episcopalem iurisdictionem pertinet, si quando uxor marito non obsequatur, si quispiam in adulterio seu fornicatione deprehensus fuerit, si uxorem consanguineam duxerit, si coniunx coniugi quippiam mali machinetur. Item diuinationes, incantationes, uenena, contentiones propter hæresim uel fornicationem susceptas: aut si filius parentes, sorores'ue acerbius increpauerit, læserit'ue. Præterea Sodomitas, sacrilegos, mortuorum spoliatores, & qui ad incantandum de imaginibus Sanctorum aut statua Crucis quicquam auulserint: qui canem, auem, aut aliud aliquod animal immũdum in ædem sacram duxerint, aut comederint, punire: ad hæc, singulas rerũ mensuras ordinare, statuereq́ debent. Nemo autẽ miretur, si prædicta canonibus istis atq; traditionibus diuersa reperiantur. Sunt enim non tam uetustate ipsa, alia quidem in lo-

cis alijs mutata, quàm pecuniæ studio pleraq; deprauata, uitiataq́;.

Princeps si quando Metropolitam conuiuio accipit, solet ei primum in accubitu locum, absentibus fratribus suis, deferre. in funebri Sacro, cum Metropolitam atq; Episcopos inuitauerit, eis ipse ab initio prandij cibum potumq́; porrigit: dein fratrem suum, uel principem aliquem uirum, qui uices suas ad prandij usq; finem suppleat, constituit.

Cæremonias illorum, quibus solenni tempore in templis utuntur, ut uiderem, equidem impetraueram. Atq; ita utroq; legationis meæ tempore, in festo Assumptionis Mariæ, XV uidelicet die Augusti, cum maius templum in arce frondibus arborum stratum, ingressus fuissem, uidi Principem ad dextram portæ, qua ingressus erat, ad parietem aperto capite stantem, Posochq́; baculo (ut uocãt) innitentem, ante se quendam Colpaack dextra tenentem: Consiliarios uerò ad columnas templi, quo loci & nos deducti eramus, stantes. In medio templi, super tabulato, Metropolita solenniter uestitus, mitramq́; rotundam supernè imaginibus Sanctorum, infernè uerò hermellinis pellibus ornatam gestans, stabat, Posochq́; baculo (quemadmodum Princeps) innitebatur: atq; mox cantantibus alijs, ipse cum ministris suis orabat. dein chorum uersus procedens, in læuam contra nostrum morem conuersus, per minorem portam egreditur, præcedentibus Cãtoribus, Sacerdotibus atq; diaconis: ex quibus unus in patena, super capite, panem iam ad sacrificãdum præparatum, portabat: alter uerò, coopertum calicem: cæteri promiscuè, sancti Petri, Pauli, Nicolai, Archangeli, imagines magna populi circumstantis acclamatione ac ueneratione ferebant. Quidam porrò ex circumstantibus acclamabant, Domine miserere. alij fronte terram, more patrio, tangebant, flebantq́;. Varia deniq; ueneratione ac cultu circumlata signa uulgus prosequebatur. Post finito circuitu, per mediam chori portam ingressis, Sacrum, seu summum (ut uocant) officium cœptum est fieri. Cæterùm totum Sacrum, seu Missa, gentili ac uernacula lingua apud illos peragi solet. Epistola præterea, Euangelium pro tempore, quo magis à populo percipiantur, extra chorum, populo astanti clara uoce recitantur. In priore mea legatione, eodem festo die, ultra centum homines in fossa arcis laborantes uidi: quòd feriari non nisi Principes & Boiari, ut infrà dicemus, solent.

RATIO CONTRAHENDI *matrimonium.*


INhonestum ac turpe est adolescenti, ambire puellam, ut sibi in matrimonium locetur. Patris est, iuuenem alloqui, ut ducat filiam suam. In hęc autem uerba plerunque proloqui solẽt: Cum mihi sit filia, uellem equidem te mihi

te mihi generum. Ad quę iuuenis: Si me, inquit, expetis generum, & tibi ita uidetur, conueniam parentes meos, & de hac re ad eos referam. Dein si parentes & proximi assensi fuerint, conueniunt, & de his quæ pater filiæ dotis nomine dare uelit, tractant. Mox dote constituta, nuptijs dies præscribitur. Interea temporis sponsus ab ædibus sponsæ usq; adeò arcetur, ut si fortè petierit, eam saltem ut uideret, tum parentes respondere solent: Cognosce ex alijs qualis sit, qui eam norunt. Certè nisi sponsalia prius maximis pœnis firmata fuerint, ita ut sponsus non possit, etiam si uellet, sine graui pœna, eam repudiare, aliàs non datur illi accessus. Dotis nomine dantur plerunq; equi, uestes, framea, pecora, serui, & similia. Inuitati ad nuptias, pecuniam raro offerunt: munera tamē, seu donaria sponsæ mittunt, quæ singula sponsus diligenter notata reponit. Finitis nuptijs, deprompta rursus ordine conspicit: atq; ex ijs, si quæ placent, sibiq; usui futura uidētur, ea mittit ad forum, iubetq; singula ab his qui rebus precia imponunt, ęstimari: reliqua omnia & singula, singulis remittit, cum gratiarum actione. Ea quæ seruauit, in anni spacio iuxta æstimationē, pecunia, aut alia aliqua re æqualis ualoris cōpēsat. Porrò si aliquis donū suum pluris fecerit, tū sponsus ad iuratos ęstimatores cōtinuò recurrit, illumq; horū ęstimationi stādum esse cogit. Item si sponsus post elapsum annū nō satisfecerit, aut munus acceptū non restituerit, tū in duplo satisfacere tenetur. Deniq; si alicuius donū iuratis ęstimandū dare neglexerit, ex uoluntate atq; arbitrio eius qui dedit, reponere cogitur. Atq; hunc morē uulgus ipsum in omni liberalitate, seu donationis genere obseruare solet.

Matrimonium ita contrahunt, ut quartum gradum consanguinitatis aut affinitatis non contingant. Hæreticum putāt, germanos fratres, germanas ducere sorores. Item, nemo sui affinis sororem ducere in uxorem audet. Obseruant etiam seuerissimè, ne hi matrimonio implicentur, inter quos spiritualis cognatio baptismatis intercessit. Si quis alterā uxorem ducit, fitq; bigamus, concedunt id quidem, sed uix legitimum matrimoniū esse putant. Tertiam uxorem ducere, sine graui causa non permittunt. Quartam autem nec concedūt cuipiam, nec etiam Christianū esse iudicant. Diuortium admittunt, & dant libellum repudij: id tamen maximè celant, quòd contra religionem ac statuta esse sciunt. Principem ipsum Salomeam uxorem, propter sterilitatem repudiatam, in monasterium intrusisse, atque Helenam filiam Knes Basilij Lynski duxisse, paulo antè diximus. Ante aliquot annos etiam quidā Dux Basilius Bielski, ex Lithuania in Moscovuiam profugerat: eius uxorē iuuenem, & quam paulo antè duxerat, cum amici diutius apud se detinerent, (putabant enim illum amore ac desiderio adolescentulæ rursus rediturum) Bielski causam uxoris absentis in consilium Metropolitæ refert, communicatoq; consilio Metropolita inquit: Quando

non tua,

non tua, sed uxoris potius, atque adeò cognatorum culpa fit, ut cum ea esse tibi non liceat, equidem legis gratiam tibi faciam, teque ab ea absoluam. Qua re audita, mox aliam ex Principum Resanensium progenie natam duxit, ex qua etiam filios suscepit, quos nunc in magna apud Principem authoritate uidimus.

Adulterium non appellant, nisi quis alterius uxorem habuerit. Tepidus est ut plurimum cõiugatorum amor, præsertim nobilium & Principum uirorum: eo quòd puellas nunquam antè uisas ducunt, ac seruitijs Principis occupati, deserere eas coguntur, aliena interim turpique libidine sese contaminantes.

Mulierum conditio miserrima est. Nullam enim honestam credunt, nisi domi cõclusa uiuat, adeoque custodiatur, ut nusquam prodeat. Parum inquam pudicam existimant, si ab alienis externisue conspiciatur. Domi autem conclusæ, nent duntaxat, & fila trahunt: nihil prorsus iuris aut negotij in ædibus habent. Omnes labores domestici seruorum opera fiunt. Quicquid mulierum manibus suffocatur, siue gallina, siue aliud aliquod animalium, id abhorrent tanquam impurum. Qui uerò pauperiores sunt, eorum uxores domesticos labores obeunt, & coquunt. Cæterùm cùm uiris absentibus fortè, & seruis, gallinas iugulare uolunt, stant pro foribus, tenentes gallinam, aut aliud animal, & cultrum: prætereuntesque uiros, ut ipsi interficiant, plurimum rogant.

Rarissimè in templa, rarius etiam ad amicorum colloquia, nisi senes admodum sint, omnique suspicione careant, admittuntur. Certis tamen & festiuis diebus animi gratia concedunt uxorib. ac filiabus, ut in pratis amœnissimis cõueniant, ubi super quadam rota instar Fortunæ insidentes, alternatim sursum ac deorsum mouentur: aut alioqui funem appendunt, quo suspensæ ac incidentes, hinc inde impulsæ feruntur, mouenturque: aut denique quibusdam & certis cantilenis, manibus plaudentes sese oblectant, choreas prorsus nullas ducunt. Est Moscovuiæ quidam Alemanus faber ferrarius, cognomento Iordanus, qui duxerat uxorem Rhutenam. ea cum apud maritum aliquandiu esset, hunc ex occasione quadam amicè sic alloquitur: Cur me, coniunx charissime, non amas? Respondet maritus: Ego uerò te uehementer amo. Nondum, inquit, signa habeo amoris. Quærebat igitur maritus, qualia signa uellet? Cui uxor: Nunquam, ait, me uerberasti. Mihi sanè uerbera, inquit maritus, non uidebantur signa amoris: sed tamen nec hac parte deero. Atque ita non multo pòst, crudelissimè eam uerberauit: fassusque mihi est, longè maiore amore se à sua uxore posthac obseruatũ fuisse. quam rem sæpius exercuit: nobisque tum Moscovuiæ existentibus, ceruicem illi tandem & cura præcidit.

Omnes se Principis chlopos, id est seruos fatentur. Item præstantiores, ex maiore parte emptos aut captos seruos habent: quos au-

tem libe-

tem liberos in seruitio nutriunt, ijs non est liberum quolibet tempore discedere. Si aliquis citra uoluntatem domini abit, nemo eum assumit. Si dominus bonum ac commodum famulum non bene tractat, fit quodam modo infamis apud alios, neque posthac alios famulos assequi potest.

Gens illa magis seruitute, quàm libertate gaudet. nam morituri utplurimum certos seruos manumittunt: qui se tamen continuò alijs dominis, pecunia accepta, in seruitutem uendicant. Si pater filium, ut mos est, uendit, & is quocunque tandem modo liber factus, aut manumissus fuerit, pater hunc rursus atque iterum iure patrię potestatis uendere potest. Post quartam autem uenditionem, nil iuris amplius in filium habet. Vltimo supplicio solus Princeps seruos, & alios afficere potest.

Princeps altero, aut tertio quoque anno, per prouincias delectu habito, filios Boiaronum conscribit: ut numerum illorum, & quot quisque equos ac seruitores habeat, cognoscat. Dein singulis stipendia proponit, ut suprà dictum est. Qui uerò per facultates rei familiaris possunt, stipendio militant. Raro illis datur quies: nam aut bellũ infert Lithvuanis, aut Liuonẽsibus, aut Suetensibus, aut Tartaris Casanensibus. aut si nullum bellum gerit, pręsidia tamen in singulos annos in locis circa Tanaim & Occam, ad reprimendas Tartarorum Præcopensium eruptiones ac deprædationes, uiginti milia hominum imponere solet. Solet etiam quotannis ex suis prouincijs ordine quosdam uocare, qui Moscovuię sibi omnia ac quęlibet præstant officia. Belli autem tempore, non annuis ex ordine & alternis officijs inseruire, sed omnes & singuli, tam stipendiarij quàm gratiam Principis expectãtes, in bellum ire coguntur.

Habent equos paruos, castratos, soleis carentes, leuissima frena: tum ephippia in eum usum accõmodata, ut se in omnes partes nullo negotio uertere, arcumque intendere queant. Pedibus usqueadeò attractis insidentes equo, ut nullum hastæ aut teli paulo uehementiorem ictum sustinere queant. Calcaribus paucissimi, flagello plerique utũtur, quod semper minimo digito dextræ inhęret, ut id quoties opus sit, apprehendant & utantur: rursus si ad arma deuentum fuerit, proiectum è manu pendeat.

Communia arma sunt, arcus, telum, securis, & baculus, instar cœstus, qui Rhutenicè Kesteni, Polonicè Bassalick dicitur. Framea nobiliores & ditiores utuntur. Pugiones oblongos in modum cultellorum dependentes, in uaginis adeò reconditos habent, ut vix supremam capuli partem attingere, aut necessitate cogente apprehendere possis. Loro pariter freni longo, & in extremitate perforato utuntur, quod digito sinistro annectunt, ut arcum apprehendere, eòque retento uti possint. Porrò quanquam simul & eodem tempore manibus teneant frenum, arcum, frameam, telum & flagel-

lum,iſtis tamen ſcitè & ſine ullo impedimento norunt uti.

Nonnulli ex præſtantioribus, lorica, thorace affabre ceu ex quibuſdam ſquamis concinnato, & armillis: paucíſsimi autem criſta, inſtar pyramidis in ſummitate exornata, utuntur.

Sunt qui habēt ueſtem Bombycis lana ſuffertam, ad ſuſtinendos quoſcunq; ictus. Lanceis quoq; utuntur.

Peditatu uerò & tormentis in conflictu nunquam uſi ſunt. Etenim quicquid agunt, ſiue adoriuntur, ſiue inſequuntur, ſiue fugiunt hoſtem, id repentè & celeriter faciunt: atque ita illos nec peditatus, nec tormenta ſubſequi poſſunt.

Modernus tamen Princeps Baſilius, cum Rex Præcopenſis, nepotem ſuum in Caſanenſe regnum induxiſſet, & in reditu iuxta Moſcovuiam tredecim millibus paſſuum caſtrametatus eſſet, anno inſequenti circa Occam fluuiū caſtra poſuerat, atq; peditatu tum primum & tormentis uſus eſt, fortaſſe ut potentiam ſuam oſtentaret: aut maculam ſuſceptam priori anno, ex turpiſſima fuga, in qua dicebatur aliquot diebus ſub aceruo fœni delituiſſe, deleret: aut denique Regem, quem ditionem ſuam rurſus inuaſurum putabat, à finibus ſuis arceret. Certè nobis præſentibus habuit ex Lithvuanis, uariaq; hominum colluuie, mille & quingentos ferè pedites.

Hoſtem primo impetu audaciſſimè aggrediuntur, nec diu perſeuerant: ac ſi innuere uellent, Fugite, aut nos fugiemus.

Ciuitates raro ui, aut impreſſione acriore expugnare, ſed lōga magis obſidione, homines fame aut proditione ad deditionem adigere ſolent. Quanquā Baſilius Smolētzko ciuitatē admotis tormentis, quæ partim ex Moſcovuia ſecū adduxerat, partim ibi in obſidione fuderat, oppugnabat, quaſſabatq;: nihil tamen effecerat. Obſederat et Caſan magna militū ui, admotis pariter tormētis, quę ſecūdo fluuio eò portauerat: ſed tū quoq; uſq; adeò nihil effecerat, ut dū arx incēſa funditus cōflagraret, atq; ex integro rurſus ędificaretur, ne nudum quidē collem interim miles aſcēdere, occupare'ue auſus fuerit.

Habet Princeps nunc fuſores tormentarios Alemanos & Italos, qui præter pixides, tormēta bellica, item ferreos globulos, cuiuſmodi et noſtri Principes utūtur, fundūt: quibus tamen in cōflictu, quòd omnia in celeritate poſita habēt, neq; ſciunt neq; poſſunt uti.

Omitto etiam, quòd tormentorum diſcrimen, ſeu, ut uerius dicam, uſum ignorare uidentur. Neſciūt inquā quando uel maiorib. quibus muri demoliūtur: uel minorib. quibus acies impetuſq; hoſtiū diſrumpitur, uti debeant. Id quod cùm aliàs ſæpe, tum maximè eo tēpore accidit, quum Tartari Moſcovuiā iamiam oppugnaturi ferebātur. tum enim Locumtenens tanquam in re ſubita, maius tormentum ſub portā caſtri, ridente bōbardario Germanico, collocandum iuſſerat: cum id tamē uix tridui ſpacio eò deduci potuiſſet, ad hæc ſemel duntaxat exoneratum teſtudinem & portam diſſipaſſet.

Magna

Magna eſt hominum,ut in aliȷs negotiȷs,ita in bello gerendo, diuerſitas ac uarietas. Moſcus enim quamprimum fugam arripit:nullam ſalutem cogitat, præter eam quam fuga habere poteſt: aſſecutus,ſeu apprehenſus ab hoſte,nec ſe defendit,nec ueniam precatur.

Tartarus uerò deiectus ex equo, ſpoliatus omnibus armis, grauiſſimè etiã uulneratus,manibus,pedibus,dentibus,quoad & quacunq; poteſt ratione,ad extremum uſq; ſpiritum ſe defendere ſolet.

Thurcus,dum uidet ſe omni auxilio ac ſpe elabendi deſtitutum, ſupplex ueniam petit, armis abiectis, ac iunctas ad ligãdum manus uictori porrigit,ſperatq; captiuitate uitam ſe impetraturum.

Caſtris collocandis ampliſſimum locum eligunt,ubi præſtantiores tentoria erigunt: aliȷ uerò ex arbuſtis ueluti arcum in terram figunt,penuliſq; tegunt, quò ephippia,arcus, & id genus alia recondant, ſeq; ab imbre defendant. Equos ad paſcua pellunt, quorum cauſa tam latè diſiuncta tentoria habent: quæ nec curru, nec foſſa, nec alio quouis impedimento muniunt, niſi fortè locus natura ſit, aut ſyluis,aut fluminibus,paludibus'ue munitus.

Poſſet fortè cuipiam mirum uideri, quòd ſe & ſuos tam exiguo ſtipendio, & tam diu, ut ſuprà dixi, ſuſtineant: ideo illorum parſimoniam et frugalitatem paucis aperiam. Qui habet ſex,aut aliquando plures equos, ex ȷs uno tanquam baiulo,ſiue clitellario,qui uitæ neceſſaria portet, utitur. In primis habet milium contritum in ſacculo, lõgitudine duorum aut trium palmitum: deinde ſuillæ carnis ſalſę libras octo,aut decem. habet & ſal in ſacculo:& ſi diues eſt, mixtum pipere. Præterea unuſquiſque ſecum fert ſecurim, fomitem, lebetes, aut ollam cupream, ut ſi aliquò fortè deueniat,ubi nihil fructuũ,alliȷ,cæpæ,aut carnis ferinę reperiat,tum ignẽ accendit, ollamq; aqua replet,in quam coclear plenũ miliȷ,ſale addito, inȷcit, coquitq;: eo cibo dominus & ſerui contenti uiuunt. Porrò ſi dominus nimium famelicus fuerit,totum abſumit: itaq; ſerui aliquando ad totum biduum aut triduũ egregiè ieiunant. Ad hæc,ſi dominus uult lautius epulari,tum addit paruam portiunculam carnis ſuillæ. Hoc non loquor de præſtantioribus,ſed mediocris conditionis hominibus. Duces exercitus,& aliȷ militiæ præfecti,inuitant aliquando pauperiores illos: qui ſumpto bono prandio, interdum pòſt ad biduum,aut triduum cibo abſtinent.

Item cum habent fructus, aut allium, aut cæpas, tum facile aliȷs omnibus carere poſſunt. Ingreſſuri prælium, plus ſpei ponunt in multitudine, & quantis copȷs hoſtem adoriantur, quàm robore militum, ac inſtructo quàm probè exercitu: felicius'que eminus, quàm cominus pugnant. atque ideo hoſtem circumuenire,& à tergo adoriri,præcipuè ſtudent.

Tubicines multos habent. hi dum patrio more, omnes unà tubas inflant, intonantq;: mirum tum ac inuſitatum quendam con-

centum audires. Habent & aliud quoddam genus Musices, quod gentili lingua Szurna appellant. Eo si quando utuntur, tum una hora plus minus, sine ulla respiratione, seu aeris attractione quodammodo canunt. Buccas autem primùm aere implere solent: dein naribus spiritum identidem attrahere edocti, tuba uocem absque intermissione edere dicuntur.

Omnes uestitu seu corporis cultu simili utuntur. tunicas oblongas sine plicis, manicis strictioribus, Hungarorum ferè more, gestant: in quibus Christiani nodulos, quibus pectus constringitur in dextro: Tartari uerò haud dissimili uestitu utentes, sinistro latere habent. Ocreas ferè rubeas, easque breuiores, ut quæ genua non attingant, soleas'que ferreis clauiculis munitas gestant. Indusia omnes ferè uarijs coloribus circa collum exornata habent: eaque monilibus seu globulis argenteis, aut cupreis deauratis, additisque ornamenti causa unionibus, constringunt.

Ventrem nequaquam, sed femora cingunt: atque adeò pubetenus, quo magis promineat uenter, cingulum demittunt. Quin & nunc Itali & Hispani, imò & Germani ita assueuerunt.

Adolescentes & pueri pariter festiuis diebus, sed in ciuitate loco amplo & celebri, unde uideri & exaudiri à pluribus queant, conuenire solent. quibusdam autem sibilis ceu signo dato, conuocantur: conuocati illico concurrunt, manusque conserunt. certamen pugnis ineunt, mox pedibus promiscuè ac magno impetu faciem, guttur, pectus, uentrem, genitalia quatiunt: aut quacunque ratione possunt, alios alij inter se de uictoria concertantes prosternunt, adeò ut sæpe inde exanimati asportentur. Porrò quicunque plures uincit, diutius in arena durat, fortissime'que uerbera tolerat, is præ cæteris laudatur, uictor'que celebris habetur. Hoc certaminis genus institutum est, ut assuescant adolescentes uerbera ferre, ictusque quoscunque tolerare.

Iustitiam strenuè exercent in prædones: quibus comprehensis, calcanea primùm frangere, dein in biduum aut triduum usque, dum intumescant, quiescere: pòst, fracta iam ac intumefacta, rursus motare iubent. Non alio genere torquendi & flagitiosos, ad cōfitenda latrocinia, sociosque scelerum indicandos utuntur. Cæterùm si in quæstionem uocatus, supplicio dignus fuerit repertus, suspenditur. Alio genere pœnę sontes raro puniuntur, nisi quid immanius commiserint.

Furta raro capitali pœna, imò homicidia raro, nisi prædæ gratia facta fuerint, puniuntur. Qui uerò furem in furto deprehendit, & occidit, impunè id facere potest: ea tamen conditione, si occisum in aulam Principis detulerit, & rem ut acta est exposuerit.

Cum brutis congredientes, ne illi quidem ultimo afficiuntur supplicio.

Pauci

Pauci ex Præfectis habent authoritatem, ultimum ſupplicium ir rogandi. Ex ſubditis nemo aliquem torquere audet. Plerićp male-factorum Moſcovuiam, ſeu ad alias Principa'es ciuitates ducūtur. Hyemali autem tempore utplurimum in ſontes animaduertūt: ęſti uo enim bellicis negotĳs impediuntur.

SEQVVNTVR ORDINATIO-nes à Ioanne Baſilij Magno Duce, Anno mundi 7006. factæ.



QVum reus fuerit in unum rublum condemnatus, ſoluat Iudici altinos duos, Notario octo dengas. Si uerò partes redeunt in gratiam, priuſquam in locum duelli uenerint, non minus Iudici & Notario ſoluāt, ac ſi iudiciū factum fuiſſet. Si uenerint in locū duelli, quē Ocolnick et Nedelſnick dūtaxat decernere poſſunt, ibićp forte in gratiā redierint, ſoluāt Iudici ut ſuprà, Ocolniko L. dengas, Nedelſniko ſimiliter L. dēgas, & duos altinos: Scribę quatuor altinos, & unam dengā. Si uerò uenerint ad duellū, & alter uictus fuerit, tū iudici reus quantū ab eo poſtulatur, ſoluat, Ocolniko det poltinam & arma uicti, Scribę L. dengas Nedelſniko poltinam & quatuor altinos. Si uerò duellum cōmittitur propter aliquod incendiū, necem amici, rapinam uel furtū, tūc accuſator ſi uicerit, ab reo accipiat quod petĳt, Ocolniko detur poltina & arma uicti, Scribę L. dēgæ, Nedelſniko poltina, Veſtono (eſt autem Veſton, qui ambas partes præſcriptis conditionibus ad duellum cōmittit) quatuor altinos: & quicquid uictus reliqui habuerit, uendatur, iudicibus'que detur: corpore autem, iuxta delicti qualitatem puniatur.

Interfectores dominorum ſuorum, proditores caſtri, ſacrilegi, plagiarĳ, item qui res in alterius domum clanculum inferunt, eaſdem'cp furto ſibi ablatas dicunt, quos Podmetzchek uocant, præterea qui incendio homines affligunt, quićp manifeſti malefactores fuerint, ultimo ſupplicio afficiuntur.

Qui primùm furti conuictus fuerit, niſi fortè ſacrilegĳ aut plagĳ accuſetur, morte non eſt afficiendus, ſed publica pœna emendandus: hoc eſt, baculis cædendus, & pœna pecuniaria à iudice mulctandus.

Si iterum in furto deprehenſus fuerit, & non habuerit unde accuſatori aut iudici ſatisfaciat, morte plectatur.

Si alioqui fur conuictus non habeat, unde accuſatori ſatisfacere poſſet, cæſus baculis tradatur accuſatori.

Si quis furti accuſetur, & honeſtus aliquis uir iureiurando affirmet, illum antea quocp furti conuictum, aut furti cauſa cuipiam reconciliatum fuiſſe, neglecto & omiſſo iudicio, morte afficiatur: de bonis eius fiat, ut ſuprà.

Si aliquis uilis conditionis, aut suspectæ uitæ, furti insimuletur, uocetur in quæstionem. Si uerò furti conuinci non potest, datis fideiussoribus, dimittatur ad ulteriorem inquisitionem.

Pro scripto decreto, seu lata sententia, æstimatione unius rubli, soluantur Iudici nouem dengæ: Secretario, qui sigillum habet, altinum unum: Notario, dengæ tres.

Præfecti, qui non habent authoritatem, causa cognita, decernere ac sententiam ferre, hi alteram partium in aliquot rublis condemnent, dein decretum ad Iudices ordinarios mittant. quod si iustum ac æquitati consonum illis uidetur, tum de singulis rublis, singuli altini Iudici, Secretario uerò IIII dengæ soluantur.

Quicunq; alterum furti, spolij, seu homicidij accusare uult, Moscovuiam proficiscitur, petit'que ut talis in ius uocetur. Datur illi Nedelsnick, qui Reo diem dicit, eundem'que Moscovuiam perducit. Reus porrò in iudicio constitutus, plerunque crimen sibi obiectum negat. Si actor testes producit, tum ambæ partes interrogantur, an dictis stare uelint. Ad id communiter respondent: Audiantur testes secundum iustitiam & consuetudinem. Si contra reum attestantur, tum reus statim se opponit, & contra testimonia & personas excipit, dicens: Peto mihi decerni iuramentum, me'q; iustitiæ diuinæ permitto, peto'q; campum & duellum. Atq; illis ita, iuxta patriæ consuetudinem, duellum decernitur.

Vterque quemuis alium, suo loco ad duellum constituere, armis item uterque instruere se quibuslibet potest, pixide & arcu exceptis. Communiter autem loricas oblongas, aliquando duplices, thoracem, armillas, galeam, lanceam, securim, & ferrum quoddam in manu, instar pugionis, in utraque tamen extremitate acutum, habent: quo altera manu ita expeditè utuntur, ut in quolibet congressu non impediat, neque manu cadat. eo autem in pedestri certamine plerunq; utuntur.

Certamen primùm ineunt lancea, dein alijs utuntur armis, cum multis annis Mosci cum externis aut Germanis, aut Polonis, aut Lithvuanis certantes, plerunq; succubuissent. Nouissimè autem cum Lithvuanus quidam XXVI annos natus, cum quodam Mosco, qui plusquam XX duellis uictor euaserat, congressus, occisus esset: Princeps indignatus, illum ut uideret, continuò accersiri iubet. quo uiso, in terram expuit, & statuit, ne in posterū ulli externo duellum contra suos decerneretur. Mosci plurimis ac diuersis armis se onerant uerius, quàm armant: externi autē cōsilio magis, quàm armis tecti, congrediuntur. Cauent in primis, ne manus conferant: quòd Moscos plurimū brachijs lacertis'q; ualere sciūt, sola industria ac agilitate illos tandē lassos uincere solent. Vtraq; partiū habet multos amicos atq; fautores, certaminis sui spectatores: sed prorsus inermes, exceptis sudibus, quibus interdū utuntur. Etenim si alteri horū uidetur iniu-

detur iniuria aliqua fieri, tum ad propulſandam eius iniuriam fautores ipſius accurrunt, mox etiam alterius, atq; ita utrinq; certamen ſpectātibus exoritur iucundum. agitur enim res capillis, pugnis, fuſtibus, ſudibusq; præuſtis.

Vnius nobilis teſtimoniū plus ualet, quàm multorum uilis conditionis hominum. Procuratores rariſſimè admittuntur, quiſq; cauſam ſuam exponit. Princeps, quanquam ſeueriſſimus ſit, nihilominus tamen omnis iuſtitia, & palàm ferè, uenalis eſt. Audiui quendam Conſiliarium, qui iudicijs præerat, fuiſſe depræhenſum, quòd ab utraq; partium in quadam cauſa munera accepiſſet: & pro altero, qui plus dederat, iudicaſſet. quod factum, ad Principem delatus, non negabat: illum, pro quo iudicaſſet, hominem dicebat diuitem, honeſto loco, atque ideo magis huic quàm illi inopi et abiecto credendum. Tandem, quamuis Princeps ſentētiam reuocaſſet, ridens tamen, illum impunè dimiſit. Fortaſſe tantæ auaritiæ ac improbitatis cauſa eſt ipſa egeſtas, qua ſuos cum ſciat Princeps oppreſſos, ad illorum facinora atq; improbitatē, quaſi impunitate propoſita, conniuet. Pauperibus non patet aditus ad Principem, ſed ad ipſos Conſiliarios tantum, & quidem difficillimus.

Ocolnick perſonam Prętoris, ſeu Iudicis à Principe conſtituti ſuſtinet: aliàs ſupremus Conſiliarius, qui ſemper apud Principem uerſatur, eo nomine uocatur. Nedelſnick, eſt commune quoddam eorum officiū, qui homines in ius uocant, malefactores capiunt, carceribusq; coercent. atq; hi Nobilium numero continentur.

Coloni ſex dies in ſeptimana domino ſuo laborant, ſeptimus uerò dies priuato labori cōceditur. Habent aliquot priuatos, & à dominis ſuis attributos agros, & prata ex quibus uiuūt: reliqua omnia ſunt dominorum. Sunt præterea miſerrimæ cōditionis, quòd illorum bona, nobilium ac militū prædæ expoſita ſunt: à quibus etiam per ignominiam Chriſtiani, aut nigri homuntiones uocantur.

Nobilis, quantumuis pauper fuerit, turpe ſibi tamen ac ignominioſum eſſe putat, ſi manu laboraret. Hoc autem turpe non eſſe ducit, cortices, ſeu putamina fructuum, & præſertim melonum, allij, ac cæparum, à nobis & famulis noſtris abiecta, de terra leuare ac deuorare. Cæterùm ſicuti cibo parcè, ſic potu, ubicunq; ſe occaſio offert, immoderatè utūtur. Omnes ferè tardi ad iram, item ſuperbi in paupertate: cuius grauem comitem habent, ſeruitutem. Veſtes oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, qua penulas barbaricas confectas uidemus, ſolidosq; ex officina geſtant. Veſtibula ædium ſatis quidem ampla, et alta: fores uerò habitationū humiles habent, ita ut ingreſſurus quiſpiam demittere ſe & inclinare cogatur.

Manuario qui uiuunt labore, & operam ſuam uendunt, mercedem unius diei referunt dengam cum dimidia: artifex duas. neq; hi ſtrenuè laborant, niſi benè uerberati. Audiui ſeruitores aliquando cur-

do conqueſtos, quod à dominis non eſſent probè uerberati. Credunt ſe ſuis dominis diſplicere, ſignum'que eſſe indignationis, ſi non uerberentur.

DE INGRESSV IN ALTErius domum.



N ſingulis ædibus & habitationibus habent imagines Sanctorum, pictas, aut fuſas, loco honorificentiore. & cum alius alium accedit, ingreſſus habitaculum, continuò caput aperit, ac ubi imago ſit, circumſpicit: qua uiſa, ter ſe crucis ſigno munit, caput'que inclinās inquit: Domine miſerere. Dein ſalutat hoſpitem, his uerbis: Deus det ſanitatem. Mox porrectis manibus, deoſculantur ſe mutuò, capitaq́; inclinant. dein continuò alter alterum intuetur, uter nimirum ſe magis inclinaret, demitteretq́;: atq; ita ter quaterq́; alternatim caput inclinantes, honoremq́; mutuò exhibentes, quodammodo cōcertant. Poſt ſedent, negotioq́; ſuo confecto, hoſpes rectà in medium habitaculi procedit, facie ad imaginem conuerſa, rurſusq́; ter ſigno ſe crucis munit, prioraq́; uerba inclinato capite repetit. Poſtremò data accepta'que prioribus uerbis ſalute, abit. Si eſt alicuius authoritatis uir, illum tum hoſpes ſequitur ad gradus uſque: ſin præſtantior, longius comitatur, habita & obſeruata cuiuſq; dignitate. Mirabiles obſeruant cæremonias. nulli etenim tenuioris fortunæ homini licet intra portam domus alicuius præſtantioris equitare. Difficilis quoq; pauperioribus ac ignotis aditus eſt, etiā ad uulgares nobiles: qui uel hoc nomine rarius in publicum prodeunt, quo maiorem authoritatem ſuiq́; obſeruantiam retineant. Nullus etiam nobilis, qui paulo ditior eſt, ad quartam uel quintā domum pedes progreditur, niſi ſubſequatur equus. Hyemis tamen tempore, cum equis, ſoleis carentibus, propter glaciem, abſq; periculo uti non poſſunt: aut quando aulam Principis, aut Diuorum templa fortè ingrediuntur, tum equos domi relinquere ſolent.

Domini intra priuatos parietes ſemper ſedent, rarò aut nūquam inambulando quicquam tractant. Mirabātur plurimùm, dum nos deambulantes in diuerſorijs noſtris, atq; inter ambulandum negotia frequenter tractare uiderent.

Veredarios Princeps, ad omnes ditionis ſuæ partes, diuerſis in locis cum iuſto equorum numero habet: ut cum Curſor Regius aliquò miſſus fuerit, equum ſine mora in prōptu habeat. Eſt autem Curſori liberum, ut quemcumq; uoluerit, eligat equum. Mihi ex Novuogardia magna celeriter Moſcovuiam proficiſcenti, Magiſter poſtarum, qui illorum lingua Iamſchnik appellatur, aliquando triginta, nonnunquam quadraginta, quinquaginta'ue adduci mane primo curabat equos, cum ultra duodecim opus non haberem.

berem. Vnusquisque igitur nostrûm, equum qui sibi commodus uidebatur, sumebat: defessis dein illis, cum ad aliud in itinere diuersorium, quod Iama appellant, peruenimus, continuò ephippio & freno retẽtis, permutauimus. Licet cuilibet celerrimo uti equorum cursu: & si fortè aliquis concidat, aut durare non possit, tum ex proxima quaque domo alium rapere, aut alioqui abs quouis obuiam fortè occurrenti, Principis duntaxat Cursore excepto, sumere impunè quidem licet. Equum porrò in itinere uiribus exhaustum, relictumque Iamschnick requirere, item alterum ei cui ereptus erat, restituere, preciumque ratione itineris habita, persoluere solet. Plerunque de XX, uel XXV uerst, numerantur sex dengæ. Eiusmodi porrò Veredariorũ equis, seruitor meus ex Novuogardia Moscovuiam, interuallo 600. vuerst, hoc est CXX Ger. miliar. LXXII horis peruenit. quod quidem eo magis mirandũ est, cum equuli tam parui sint, & longè negligentius quàm apud nos curentur, tantos tamen labores perferant.

DE MONETA.

Monetam argenteam quadruplicem habent: Moscovuiticam, Novuogardensem, Tvuerensem, & Plescovuiensem. Moscovuiticus nummus non rotunda, sed oblonga & ouali quodammodo forma, Denga dictus, diuersas habet imagines. antiqua, in una rosæ: posterior hominis equo insidentis imaginem. in altera autem parte utraque scripturam habet. Illorum porrò centum, unum Hungaricalem aureum: Altinum sex dengæ, Grifnam uiginti, Poltinam centum, Rublum ducentæ faciunt. Noui nunc utrinque characteribus signati cuduntur, & quadringenti ualent Rublum.

Tvuerensis utrinque scripturam habet, & ualore Moscovuitico æquiparatur.

Novuogardensis in una parte Principis in solio sedentis, hominisque ex aduerso sese inclinantis imaginem, in altera scripturam habet, atque Moscovuiticum ualore in duplo superat. Grifna porrò Novuogardensis XIIII, Rublus autem ducentas uiginti duas dengas ualet.

Plescovuiensis, caput bouis coronatum, in altera uerò scripturam habet. Habent præterea cupream monetam, quæ Polani uocatur. horum sexaginta Dengam Moscovuiticam ualent.

Aureos non habent, nec cudunt ipsi, sed Hungaricalibus ferè, interdum etiam Renanis utuntur: precium'que eorum sæpe mutant, præsertim cum externus auro aliquid mercaturus sit, tum cõtinuò precium eius minuunt. si uerò aliquò profecturus, auro indigeat, eius tum rursus precium augent.

Rigenzibusque rublis utuntur propter uicinitatem, quorum unus ualet duos Moscovuiticos. Moneta Moscovuitica est ex puro

& bono argento: ea quamuis nunc quoque adulteratur. Non audiui tamen, ob hoc facinus in quempiam animaduersum esse. Omnes ferè aurifabri Moscovuiæ nūmos cudunt: et quicunque affert massas argenteas puras, nummosque cupit, tum nummos & argentum appendunt, atque æqua lance librant. Exiguum est, & constitutum precium, quod ultra æquale pondus soluendum est aurifabris, paruo alioqui laborem suum uendentibus. Scripserunt quidam, prouinciam hanc rarissimè abundare argento: Principem præterea, ne id exportaretur, prohibere. Prouincia sanè argentum nullum habet, nisi quod (ut dictum est) importatur: nec Princeps usqueadeò efferre prohibet, sed cauet uerius. atque ideo permutationem rerum facere, et alia, ut pelles, quibus abundāt, aut quid aliud eiusmodi, pro aliis rebus dare, recipereque suos iubet, quo argentum & aurum in prouincia retineat. Vix centū annis utuntur moneta argentea, præsertim apud illos cusa. Initiò cum argentum in prouinciam inferebatur, fundebantur portiunculæ oblongę argenteę, sine imagine & scriptura, ęstimatione unius rubli: quarū nulla nunc apparet. Cudebatur etiam moneta in Galitz principatu. ea autē cum æquabili ualore careret, euanuit. Porrò ante monetam, proboscide & auriculis aspreolorum, aliorumque animalium, quorum pelles ad nos afferuntur, utebantur: iisque uitæ necessaria, ceu pecunia, emebant.

Numerandi ratione ea utuntur, ut res quascunque per Sorogk, aut Devuenosto, hoc est, aut quadragesimo aut nonagesimo numero, quēadmodum nos centesimo, numerent, diuidantque. Numerantes itaque subinde repetūt, multiplicantque, bis Sorogk, ter Sorogk, quater Sorogk: id est, quadraginta. aut bis, ter, quater Devuenosto, hoc est nonaginta. Mille, gentili lingua Tissutzæ: item decem millia, una dictione, Tma: uiginti millia, Dvuetma: triginta millia, Tritma exprimunt.

Quisquis merces qualescunque Moscovuiam attulerit, eas continuò apud portitores, seu telonii præfectos, profiteri ac indicare cogitur: quas hi stata hora conspiciunt, æstimantque. æstimatas uerò, nemo nec uendere nec emere audet, nisi prius fuerint Principi indicatæ. Porrò Princeps si quicquam emere uoluerit, tum mercatori interim res suas nec indicare, nec cuiquam licitari eas integrum est. quo fit, ut mercatores interdum diutius detineantur.

Neque etiam cuiuis mercatori, præter Lithvuanos, Polonos, aut illorum imperio subiectos, Moscovuiam uenire liberum est. Nam Suetensibus, Livuoniēsibus, et Germanis ex maritimis ciuitatibus, Novuogardiæ duntaxat: Thurcis uerò & Tartaris Chloppigrod oppido, quò nundinarum tempore diuersi homines ex remotissimis locis confluunt, mercaturam exercere ac mercari cōcessum est. Quando uerò Legati ac Oratores Moscovuiam proficiscuntur, tum omnes undecunque mercatores in illorum fidem ac protectionem susce-

nem ſuſcepti, Moſcovuiam & liberè, & ſine portorijs ire poſſunt, ac etiam conſueuerunt.

Maior pars mercium ſunt maſſæ argenteæ, panni, ſericum, panni ſericei & aurei, uniones, gemmæ, aurum filatum. interdum uiles etiam quaſdam res ſuo tempore portant, ex quibus non parum lucri referunt. Sæpe etiam accidit, ut rei alicuius deſiderio omnes teneantur: quam qui primus attulerit, plus iuſto lucratur. Dein cum plures mercatores earundem rerum magnam copiam aduexerint, tanta nonnunquam uilitas conſequitur, ut is qui res ſuas quamplurimo uendiderat, eaſdem rurſus uileſcente precio emat, magnoq́ ſuo commodo in patriam reducat. Merces uerò quæ inde in Germaniam portantur, ſunt pelles, & cera: in Lithvuaniam & Thurciam, corium, pelles, et albi longi dentes animalium, quæ ipſi Mors appellant: quæq́ in mari ſeptentrionali degunt, ex quibus manubria pugionum Thurci affabrè conficere ſolent. noſtrates piſcium dentes eſſe putant, & nominant. In Tartariam uerò ſellæ, frena, ueſtes, corium. Arma autem & ferrum non niſi furtim, aut ex ſingulari Præfectorum permiſsione exportãtur ad alia loca, intra Orientem & Septentrionem. Panneas tamen & lineas ueſtes, cultellos, ſecures, acus, ſpecula, marſupia, aut quid aliud eiuſmodi ducunt. Mercantur fallaciſſimè ac doloſiſſimè, nec paucis uerbis, ut quidam ſcripſerunt. Quin dum precium afferunt, ac rem minoris dimidio precio in fraudem uenditoris licentur: mercatores nonnunquam non uno tãtum aut altero menſe ſuſpenſos ac incertos detinent, uerùm ad extremam deſperationem quoſdam perducere ſolent. Cæterùm qui mores illorum tenet, doloſa'que uerba, quibus precium rei imminuunt, tempus'que extrahunt, non curat, aut diſſimulat: is res ſuas ſine aliquo diſpendio uendit.

Ciuis quidam Cracouienſis, ducentos centenarios cupri aduexerat, quos Princeps emere uoluit, & mercatorem tam diu detinuit, ut is tandem faſtidio affectus, rurſus uerſus patriam cuprum reduceret. Porrò cum aliquot miliaribus ab urbe abeſſet, ſubordinati quidam illum ſequũtur, eiusq́ bona, ac ſi portorium non ſoluiſſet, inhibẽt, interdicuntq́. Mercator reuerſus Moſcovuiam, apud Cõſiliarios Principis de iniuria ſibi illata conqueritur. illi audita cauſa, mox ſe ultro conſtituunt medios, ac negocium ſeſe tranſacturos, ſi gratiam petat, pollicentur. Mercator callidus, qui ſciebat Principi ignominioſum fore, ſi eiuſmodi merces ex ditione ſua reducerẽtur, ac ſi non reperiretur quiſpiam qui tantas merces mercari & exoluere poſſet, non ullam gratiam petit, ſed iuſtitiam ſibi adminiſtrari poſtulat. Tandem cum uiderent adeò obſtinatũ, ut qui abduci à propoſito non poſſet, neque illorum dolo aut fraudi cedere uellet, cuprum Principis nomine emunt: ac perſoluto iuſto precio, hominem dimittunt.

Externis ſingulas res carius uendunt: ita ut quæ uno ducato alioqui emũt, ea quinq;, octo, decem, interdum uiginti ducatis indicent. Quanquam ipſi uiciſſim, aliquando rem raram ab externis decem, aut quindecim florenis mercentur, quæ uix unum aut alterum ualet florenum.

Porrò in contrahendis rebus, ſi quid fortè dixeris, aut imprudentius promiſeris, eorum diligẽter meminerunt, pręſtandaq; urgent: ipſi uerò, ſi quid uiciſſim promiſerint, minimè præſtant. Itẽ, quamprimum iurare incipiunt, aut obteſtari, ſcias illico dolum ſubeſſe. animo enim fallendi ac decipiendi iurant. Rogaueram quendam Conſiliarium Principis, ut me in emendis certis pellibus, ne deciperer, iuuaret: qui ut facilè operam mihi ſuam erat pollicitus, ita rurſum diutius me ſuſpenſum tenuit. Voluit proprias mihi obtrudere pelles. ad hęc alij ad illum concurrebant mercatores, præmia pollicentes, ſi eorũ merces bono mihi uenderet precio. Ea eſt enim mercatorum conſuetudo, ut in emptione ac uenditione medios ſe conſtituant, atq; utrique partium, acceptis ſeparatim muneribus, operam ſuam fidelem polliceantur.

Eſt ampla & murata domus non longè ab arce, Curia dominorum mercatorum dicta, in qua habitant mercatores, mercesq; ſuas reponunt: ubi ſanè piper, crocus, ſericij panni, & id genus alię merces, longè minoris quàm in Germania, uenduntur. Hoc autem tribuendum eſt rerum permutationi. Nam dum Moſci pelles, alioqui uili precio comparatas, plurimi æſtimant: externi uiciſſim, fortè illorum exemplo, merces ſuas paruo quoque emptas, opponunt, cariusque indicant. quo fit, ut utriq; æquali permutatione rerum facta, res præſertim pro pellibus acceptas, mediocri precio, & ſine lucro uendere poſsint.

Pellium magna eſt diuerſitas. Zebellinorum enim nigredo, longitudo & denſitas pilorum, maturitatem arguunt. Item ſi congruo tempore, quod in pellibus alijs pariter obſeruatur, capiantur, precium augent. Citra Vſtyug & Dvuinam prouinciam rariſſimè, circa Peczoram uerò ſæpius & præſtantiores reperiuntur.

Madauricę pelles ex diuerſis partibus, ex Sevuera bonæ, ex Heluetijs meliores, ex Svuetia uerò optimæ afferuntur. illic tamen maior eſt copia. Audiui, aliquando Moſcovuiæ repertas Zebellinorum pelles fuiſſe, quarum aliæ XXX, aliæ uerò XX aureis uenditæ ſunt. At eiuſmodi ego nullas potui uidere.

Hermelinorum pelliculæ ex pluribus pariter locis inuerſæ afferuntur, quibus tamen pleriſq; emptoribus imponitur. Habẽt ſigna quædam circa caput & caudam, ex quibus agnoſcuntur, an cõgruo tempore ſint captæ. Nam ſimul ubi hoc animal captum fuerit, excoriatur, pelliſq; inuertitur, ne attritis pilis deterior fiat. Si quod non ſuo tempore captum fuerit, pelliſq; ideo bono ac natiuo colore careat, tum

reat, tum ex capite (ut dictum est) & cauda, certos pilos tanquam signa, ne incongruo tempore captum agnoscatur, euellunt, extrahuntq;, atq; ita emptores decipiunt. singulę autem tribus ferè, quatuor'ue dengis uenduntur: paulo ampliores carent ea albedine, quę alioqui pura in minoribus apparet.

Vulpinæ, & præsertim nigræ, ex quibus plerunq; tegmina capitis facere solent, plurimi fiunt. decem enim nonnunquam x v aureis uenduntur. Aspreolorum pelliculæ ex diuersis quoq; partibus afferuntur, ampliores tamen ex Sibier prouincia: nobiliores uerò alijs quib. libet, ex Schvuuaij, nō longe à Cazan. Porrò ex Permia, Vuiatka, Vstyug, et Vuolochda, fasciculis semper x numero colligatæ afferūtur: quarū in singulis fasciculis duę sunt optimę, quas Litzschna appellāt: tres aliquāto deteriores, quas Crasna uocant: quatuor, quas Pocrasna: una, & ea quidē ultima, Moloischna dicta, omnium est uilissima. Harum singulæ una, aut duabus dengis emuntur. Ex his meliores & selectas, in Germaniam & alias prouincias, mercatores magno suo commodo portant.

Lyncium pelles, parui: luporū uerò, ab eo tempore quo in Germania ac Moscovuia in precio esse cœperunt, plurimi fiunt. Luporum præterea terga longè in minore, quàm apud nos, sunt precio.

Castorum pelles apud illos habentur in magno precio: omnes'que iuxtà ex his, quòd nigro, eo'q; natiuo sint colore, fimbrias uestium habent.

Pellibus domesticorum catorum, mulieres utuntur. Est quoddam animal, quod gentili lingua Pessetz uocant: huius pelle, quod plurimum caloris adferre corpori solet, in itinere, seu profectionibus utuntur.

Vectigal, seu portorium omnium mercium, quæ uel importantur, uel exportantur, in fiscum refertur. de qualibet re, æstimatione unius rubli, penduntur septem dengæ: extra ceram, de qua non solum iuxta æstimationem, sed pondus quoq; uectigal exigitur. De quolibet autem pondere, quod gentiliter Pud appellant, quatuor dengæ penduntur.

De mercatorum itineribus, quibus in importandis ac exportandis mercibus, ac per diuersas Moscovuiæ Regiones utuntur, infrà in Chorographia Moscovuiæ, copiosè explicabo.

Vsura communis est: quam licet magnum peccatum esse dicant, ab ea tamen nemo ferè abstinet. Est autem quodammodo intolerabilis, nimirum de quinq; semper unum: hoc est, de centum uiginti. Ecclesiæ mitius, ut dictum est, uidentur agere, quæ decem pro centum (ut uocant) accipiunt.

NVNC CHOROGRAPHIAM PRINcipatus & dominij Magni Ducis Moſcouiæ aggrediar, puncto in Moſcouia principali ciuitate conſtituto: ex qua progreſſus, circumiacentes atque celebriores duntaxat principatus deſcribam. Etenim in tanta uaſtitate, prouinciarũ omnium nomina exactè indagari nõ potui. Quare ciuitatum, fluminum, montium, quorundamq́ꝫ locorum celebrium nominibus contentus ſit Lector.



VRbs Moſcovuia itaqꝫ, Ruſsiæ caput & metropolis, ipſa'qꝫ prouincia, & qui hanc præterlabitur fluuius, unum idemqꝫ nomen habent, uernaculaqꝫ gentis lingua Moſquua appellantur. Quod'nam autem cęteris nomen præbuerit, incertum. Veriſimile tamen eſt, ea à fluuio nomen accepiſſe. Nam etſi urbs ipſa olim caput gentis non fuerit, Moſcorum tamen nomen ueteribus non ignotũ fuiſſe conſtat. Porro Moſquua fluuius in Tvuerenſi prouincia, LXX ferè ſupra Moſaisko vuerſt (eſt autẽ vuerſt, Italicum fermè miliare) haud procul à loco qui Oleſchno dicitur, fontes ſuos habet: indéqꝫ emenſo LXXXX vuerſt ſpacio, ad Moſcovuiam ciuitatẽ decurrit: receptiſqꝫ in ſe aliquot fluuijs, Orientem uerſus, Occam fluuium illabitur. Cæterùm ſex ſupra Moſaisko miliaribus, primùm nauigabilis eſſe incipit: quo loco materia ad fabricandas domos, alios' que uſus ratibus impoſita, Moſcovuiam defertur. Infra autẽ ciuitatem merces, aliaqꝫ quæ ab externis hominibus importãtur, nauibus aduehuntur. Tarda autem in fluuio, atqꝫ difficilis, propter gyros, ſeu mæãdros, quibus multis incuruatur, nauigatio eſt: præſertim inter Moſcovuiam, & Columnam ciuitatem, tribus ab eius oſtijs paſſuum millibus in littore ſitam: ubi CCLXX vuerſt ſpacio, flexionibus multis longiſqꝫ nauigantium curſum impedit atqꝫ remoratur. Fluuius nõ admodum piſcoſus, ut qui præter uiles & uulgares, nullos piſces habeat. Moſcovuia quoqꝫ prouincia, nec lata nimis, nec fertilis eſt: cuius fœcunditati, ager ubiqꝫ arenoſus, qui mediocri ſiccitatis aut humiditatis exceſſu ſegetes enecat, plurimum obeſt. Accedit ad hæc, immoderata aſperaqꝫ nimis aeris intemperies, qua hyemis rigore ſolis calorem ſuperante, ſata quandoqꝫ ad maturitatem non perueniunt. Etenim tam intenſa ibi nonnunquam ſunt frigora, ut quemadmodũ æſtatis tempore apud nos æſtu nimio, ſic ibi frigore immenſo terra in hiatum diſcedat: aqua etiam tum in aerem effuſa, ſputumqꝫ ex ore proiectum, anteaquam terram contingat, congelantur. Nos ipſi, cum anno 1526. eò perueniſſemus, ramos fructiferarum arborum, rigore hyemis anni præcedentis prorſus perijſſe uidimus: quę eo anno adeò dura fuit, ut cõplures ueredarij (quos ipſi Gonecz uocant) in uehiculis gelu concreti, reperti ſint. Fuere qui tum

qui tum pecora Moſcovuiam, funibus alligata, ex proximis pagis ducerent: uiq; frigoris oppreſſi, unà cum pecoribus perierũt. Praeterea multi circulatores, qui cum urſis, ad choreas edoctis, in illis regionibus uagari ſolent, tum mortui in uijs reperti ſunt. Quin & urſi ipſi, fame eos ſtimulante, relictis ſyluis, paſſim per uicinas uillas diſcurrebant, in'que domos irruebant: quorum conſpectum atque uim cum ruſtica turba fugeret, frigore foris miſerè peribat. Atq; tanto frigori, aeſtus quoq; nimius quandoq; reſpondet: ut anno Domini 1525, quo immoderato Solis ardore omnia ferè ſata exuſta fuerunt, tantaq; annonae caritas eam ſiccitatem conſecuta eſt, ut quod tribus antea dengis emebatur, id XX, aut XXX pòſt emeretur. plurimi pagi & ſyluae, frumentaq; nimio aeſtu incenſa conſpiciebantur. Quorum fumus ita regionem oppleuerat, ut prodeuntium hominum oculi grauiter fumo lęderentur: & abſq; fumo caligo quędam oboriebatur, quae multos obcaecauerat.

Totam porrò regionem non ita diu admodum ſyluoſam fuiſſe, ex magnarum arborum truncis, qui etiamnũ extant, apparet: quae quamuis agricolarum ſtudio ac opera ſatis culta ſit, ijs tamen quae in agris proueniunt exceptis, reliqua omnia ex circumiacentibus prouincijs eò afferuntur. nam frumento quidem, oleribusq; communibus abundat: ceraſa dulciora, nucesq; (auellanis tamen exceptis) in tota regione non reperiũtur. Aliarum arborum fructus habent quidem, uerùm inſuaues. Melones autem ſingulari cura ac induſtria ſeminãt. terram fimo permixtã in areolas quaſdam altiores componunt, inq; eas ſemen condunt: hac arte calori ac frigori immoderato aequè ſuccurritur. Nam ſi fortè aeſtus nimius fuerit, rimulas tanquam ſpiracula quaedam, ne ſemen calore nimio ſuffocetur, per fimum terrae mixtum faciunt: in frigore uerò nimio, laetaminis calor ſeminibus reconditis praeſtat auxilium.

Melle Moſcovuia, feriſq; (leporibus tamen exceptis) caret. Animalia noſtris longè minora ſunt, neq; tamen cornibus (ut quidam ſcripſit) carent. Vidi enim ibi boues, uaccas, capras, arietes, cornuta omnia. Iam uerò ciuitas Moſcovuia, inter alias ciuitates Septentrionales, Oriẽtem uerſus multum porrigitur: quod nobis in profectione noſtra, obſeruatu haud difficile fuit. Nam cum Vienna egreſſi, rectà Cracouiam, atq; inde centum ferè Ger. miliarium itinere, in Septentrionem progreſſi fuiſſemus, itinere tandem in Orientem reflexo, Moſcovuiam, ſi non in Aſia, tamẽ in extremis Europę, quà maximè Aſiam contingit, finibus ſitam peruenimus. De qua re infrà in Tanais deſcriptione plura dicam. Vrbs ipſa lignea eſt, ſatisq; ampla: quae procul etiam amplior, quàm re ipſa ſit, apparet. nam horti, areaeq; in qualibet domo ſpacioſae, magnam ciuitati acceſſionem faciunt: quam fabrorum, aliorumq; opificum igni utentium, in fine ciuitatis longo ordinę protenſae aedes, inter quas ſunt

prata &

prata & agri, etiam magis adaugent. Porrò non procul à ciuita-
te domunculæ quædam apparent, & trans fluuium uillæ, ubi non
multis retroactis annis, Baſilius Princeps ſatellitibus ſuis nouam
Nali ciuitatem (quod eorum lingua Infunde ſonat) exædificauit,
propterea quòd cùm alijs Ruthenis medonem & ceruiſiam bibere,
exceptis paucis diebus in anno, prohibitum ſit, ijs ſolis bibendi po-
teſtas à Principe ſit permiſſa: atqꝫ eam ob rem, ne cæteri illorũ con-
uictu corrumperentur, ab reliquorum conſuetudine ſunt ſeiuncti.
Haud procul ab urbe ſunt aliquot Monaſteria, quæ uel ſola procul
ſpectantibus una quædam ciuitas eſſe uidentur. Porrò uaſta ciuita
tis magnitudo facit, ut nullo certo termino contineatur, nec muro,
foſſa, propugnaculis'ue commodè ſit munita. Plateæ tamen qui-
buſdam in locis, trabibus per tranſuerſum ductis, obſtruuntur:
adhibitisqꝫ cuſtodibus ad primam noctis facem ita obfirmantur,
ut nemini noctu aditus poſt ſtatam horam illàc pateat: poſt quam
qui deprehenſi fortè fuerint à cuſtodibus, aut uerberantur, ſpolian-
turqꝫ, aut in carcerem conijciuntur, niſi fortè noti honeſtiqꝫ uiri fue
rint. Hi enim à cuſtodibus ad ſua deduci ſolent. Atqꝫ tales cuſtodię
quà liber in ciuitatẽ patet aditus, locari ſolent. Nam reliquã urbis
partẽ Moſqua alluit, in quẽ ſub ipſa urbe, Iauſa fluuius illabitur, qui
ob altas ripas rarò uadari poteſt. In hoc molẽdina complura, in pu
blicũ ciuitatis uſum cõſtructa ſunt. hiſqꝫ fluuijs ciuitas nõnihil mu
nita eſſe uidetur: quæ pręter paucas lapideas ædes, templa & mona
ſteria, prorſus lignea eſt. Aediũ in ea urbe numerũ uix credibilem
referunt. Aiebant enim, ſexto ante aduentum noſtrum in Moſco-
uiam anno, Principis iuſſu ædes conſcriptas fuiſſe, eorumqꝫ nume
rũ 41500 ſuperaſſe. Ciuitas hæc tam lata ac ſpacioſa, admodũ lutoſa
eſt. quamobrẽ in uicis ac plateis, alijsqꝫ celebrioribus locis, pontes
paſſim extructi ſunt. Eſt in ea caſtrũ, ex laterib. coctis conſtructũ,
quod ab una parte Moſquua, ab altera Neglima flu. alluitur. Negli
ma aũt ex paludibus quibuſdã manat, qui ante ciuitatem circa ſupe-
riorem caſtri partem ita obſtruitur, ut in ſtagni formam exeat: in-
deqꝫ decurrens, foſſas caſtri replet, in quibus ſunt molendina: tan-
demqꝫ ſub ipſo caſtro, ut dixi, Moſquuæ fluuio iungitur. Caſtrum
autem tãta magnitudine eſt, ut præter ampliſſimas ac magnificè ex-
tructas ex lapide Principis ædes, Metropolitanus Epiſcopus, item
Principis fratres, Proceres, alij'que quàm plurimi, ſpacioſas in eo æ-
des ligneas habeant. Eccleſiæ ad hæc in eo multæ, ut amplitudine
ſua ciuitatis propemodum formã referre uideantur. Hoc caſtrum
roboribus tantum initiò circundabatur: atqꝫ ad magni Ducis Ioan
nis, Danielis filij, tempora uſqꝫ, paruum ac ignobile erat. Is enim Pe
tri Metropolitæ ſuaſu, primus ſedem imperij eò tranſtulit. nam Pe
trus amore Alexij cuiuſdam, qui ibi ſepultus claruiſſe miraculis di-
citur, eò loci ſedem ſibi prius elegerat: eoqꝫ mortuo, atque ibidem
ſepulto,

ſepulto, cum ad eius tumulum miracula pariter fierent, locus ipſe religionis ac ſanctitatis quadam opinione adeò celebris factus eſt, ut poſteri Principes omnes, Ioannis ſucceſſores, ibi Imperij ſui ſedem habendam eſſe duxerint. Nam mortuo Ioanne, eiuſdem nominis filius, ſedē ibi retinuit: ac poſt eū Demetrius, poſt Demetrium Baſilius, is qui ducta Vuitoldi filia Baſilium Cæcū poſt ſe reliquit. Ex quo Ioannes, eius Principis pater, apud quem Oratorem egi (qui primus caſtrum muro cingere cœpit) natus eſt: cui operi, triceſimo fermè anno pòſt, ſupremam manum eius poſteri impoſuere. Eius caſtri propugnacula baſilicæ, cum Principis palatio, ex latere ab hominibus Italis, quos propoſitis magnis præmijs Princeps ex Italia euocauerat, Italico more extructa ſunt. Multæ autem, ut dixi, in hoc ſunt Eccleſiæ, ligneæ fermè omnes: duabus tamen inſignioribus, quæ ex lateribus extructæ ſunt, exceptis: quarum altera diuæ Virgini, altera diuo Michaeli eſt ſacra. In templo diuæ Virginis ſepulta ſunt duorum Archiepiſcoporum corpora, qui ut Principes eò ſuam Imperij ſedem transferrent, ibiq; Metropolim conſtituerent, autores fuere: eamq; maximè ob rem in diuorum numerum ſunt relati. In altero templo Principes uita defuncti humātur. Conſtruebantur, nobis præſentibus, plura etiam templa ex lapide. Regionis cœlum adeò ſalubre eſt, ut ibi ultra Tanais fontes, præſertim in Septentrionem, ac etiam magna ex parte Orientem uerſus, memoria hominum, nulla unquam peſtis ſæuierit. Habent tamen interdum inteſtinorum & capitis morbum quendam, peſti haud diſſimilē, quem ipſi Calorem appellant. eo qui corripiuntur, paucis diebus pereūt. Is morbus in Moſcovuia nobis exiſtentibus, graſſabatur, unumq; ex familiaribus noſtris abſumpſit. Atq; cum in tam ſalubri regione degant, ſi quando in Novuogardia, Smolentzko, & Pleſcovuia peſtis ſæuit, quoslibet illinc ad ſe uenientes, regione ſua metu contagij excludunt.

Gens Moſcovuiæ cæteris omnibus aſtutior & fallacior eſſe perhibetur, fluxa in primis in cōtractibus fide: cuius rei ipſi haud ignari, ſi quando cum externis commercia habent, quo maiorem fidem obtineant, non Moſcovuitas ſe, ſed aduenas eſſe ſimulant.

Longiſſimus in Moſcovia dies in ſolſtitio æſtiuali XVII horarum cū tribus quartalib. eſſe dicitur. Certā poli eleuationem tū ex nemine potui cognoſcere: quāuis quidam LVIII graduū ſe accepiſſe, incerto tamē autore diceret. Ipſe tandē facto per Aſtrolabium periculo, utcunq; ſolem nono die Iunij in meridie obſeruaui LVIII gradum. Ex qua obſeruatione, computatione hominum harum rerum peritorum, deprehenſum eſt, altitudinem poli L. graduum eſſe: longiſſimum autem diem, XVII horarum, & unius quartalis.

Moſcovuia loco principali deſcripta, ad reliquas Mag. Ducis Moſcovuiæ ſubiectas prouincias progrediar, ordine primùm Orientem uer-

tem uersus seruato: dein per Meridiem & Occidentem atque Septentrionem circũeuntes, rectà in Orientẽ ęquinoctialem deueniemus.

Vuolodimeria ciuitas magna primùm occurrit, quæ castrum ligneum sibi coniunctum habet. Hæc à tempore Vuolodimeri, qui postea Basilius dictus est, usque ad Ioannem Danielis filium, Russiæ Metropolis fuit. Est autem inter Vuolgam & Occam, magna duo flumina, triginta sex à Moscovuia in Orientem miliaribus Ger. sita, loco adeò fertili, ut ex uno tritici modio sæpe xx, nonnunquã xxx modij proueniant. Eam Clesma fluuius alluit, cætera syluæ magnæ uastæque cingũt. Clesma porrò quatuor à Moscovuia miliarib. Ger. oritur, multisque ibi molendinis celebris ac commodus est: qui infra Vuolodimeriam, usque ad Murom oppidum, in Occæ littore situm, spacio duodecim miliarib. nauigatur, Occæque fluuio iungitur. A' Vuolodimeria uiginti quatuor miliarium recta in Orientem, in uastis syluis Principatus olim fuit: cuius populi Muromani uocabantur, animalium pellibus, melle & piscibus abundantes.

Novuogardia inferior ciuitas, ampla & lignea, cũ castro, quod Basilius præsens Monarcha ad Vuolgæ & Occę fluuiorum confluxum ex lapide in scopulo exædificauit. Aiunt quadraginta miliaribus Ger. eam à Murom abesse, in Orientem. quod si ita est, centum miliarib. Novuogardia à Moscovuia distabit. Regio fertilitate, rerumque copia Vuolodimeriam æquat. Atque hic Christianæ religionis hac quidem parte terminus est. nam licet Princeps Moscovuiæ ultra Novuogardiam hanc, castrum, cui Sura nomen est, habeat: tamen interiectæ gentes, quæ Czeremissę appellantur, non Christianam, sed Machumeti sectã sequuntur. Porrò ibi & aliæ gentes sunt, Mordvua nomine, Czeremissis permixtæ, quę cis Vuolgam, ad Suram, bonã regionis partem occupant. Czeremissæ enim ultra Vuolgam in Septentrione degunt: ad quorum differentiam, qui circa Novuogardiam habitãt, Czeremissæ superiores, seu montani non à montibus quidem, qui ibi nulli sunt, sed à collibus potius, quos accolunt, nucupantur.

Sura fluuius Mosci & Casanẽsis Regis dominium diuidit, qui ex Meridie ueniens, uiginti octo miliarib. infra Novuogardiã, cursu in Orientẽ flexo, Vuolgam influit. in quorũ confluxu, ad alterum littus, ijs Basilius Princeps castrum erexit, idque à suo nomine Basilovugorod nominauit: quod postea multorũ malorum seminarium extitit. Haud procul inde est Moscha fluuius, qui & ipse ex Meridie profluens, Occã supra Murom illabitur, non longè ab oppido Cassimovugorod, quod Moscus Tartaris habitandũ concessit. Horum mulieres arte quadam ungues, decoris causa nigro colore inficiunt, ac aperto capite, passisque crinibus perpetuò incedunt. A' Moscha fluuio Orientem & Meridiem uersus, ingentes occurrunt syluæ, quas Mordvua populi, qui proprio idiomate utuntur, ac

Principi

Principi Moscovuiæ subiecti sunt, inhabitant. Eos quidam idololatras, alij Mahumetanos esse uolunt. Hi in pagis passim habitant, agros colunt, uictum ex ferina carne & melle habent, pellibus abundant preciosis: duri in primis homines. nam & Tartaros latrocinantes sæpe fortiter à se propulsarunt, pedites ferè omnes, arcubus oblongis conspicui, sagittandiq́ peritia præstantes.

Rezan prouincia inter Occam & Tanaim fluuium sita, ciuitatem ligneam non longe à ripa Occæ habet. Erat in ea castrum, quod Iaroslavu uocabatur: cuius nũc, præter uestigia, nihil extat. Haud procul ab ea ciuitate, Occa fluuius insulam facit, quæ Strub dicitur, magnus olim Ducatus, cuius Princeps nemini subiectus erat. Columna ex Moscouia inter Orientem & Meridiem, seu (ut alij uolunt) in Orientem hyemalem, ciuitas occurrit. Dein Rezan, quæ à Moscovuia triginta sex miliarib. Ger. distat. Hæc prouincia ceteris omnibus Moscovuiæ prouincijs fertilior est: in qua, ut aiunt, singula grana frumenti binas quandoq́, plures'ue spicas proferũt: quarum culmi tam dense accrescunt, ut nec equi facilè transire, nec coturnices inde euolare possint. Mellis, piscium, auium, ferarumq́ ibi magna copia, arborumq́ fructus longe Moscovuiæ fructibus nobiliores: gens audacissima, bellicosissimaq́.

Ex Moscovuia ad hoc usq́ castrum, ultraq́ spacio XXIIII ferè miliarium Ger. fluit Tanais, loco qui Donco dicitur: ubi mercatores in Asoph, Capham, & Constantinopolim euntes, naues suas onerant: quod plerunq́ fit in autumno, pluuiosa anni parte. nã Tanais ibi alijs anni temporibus non ita aquis abundat, ut oneratas naues benè ferre queat. Dominabatur Rezan quandoq́ Basilius magnus Dux, qui sororem Ioannis Basilij magni Ducis Moscovuiæ duxerat, ex eaq́ Ioannem & Theodorum susceperat. Mortuo Basilio, Ioannes filius succedit, qui ex uxore Knes Theodori Babitz filia, Basilium, Theodorum & Ioannem filios genuit. ex quibus, mortuo patre, maximi natu duo filij, dum quisq́ sibi imperium uendicare nititur, in campis Rezanensibus congressi, armis decertarunt: in qua pugna alter occubuit. nec multo pòst, qui uictor fuerat, in eisdem campis moritur: in cuius rei memoriã, signum crucis ex robore ibi erectum est. Minimus natu, qui ex tribus fratribus adhuc superer at, cognita fratrum suorũ morte, adiunctis sibi Tartaris, principatu, pro quo fratres decertauerant, quemq́ mater adhuc possidebat, ui potitur: quibus peractis, cum Duce Moscovuiæ agit, ut quemadmodum maiores sui nemini obstricti, cum Principatum liberè tenuissent, possedissentq́, ita se quoq́ imperare sineret. Dum hæc paciscer etur, ad magnum Principem delatus est, quòd Regis Tauricæ, quo cum Principi bellum erat, filiam uxorem expeteret. quam ob rem cum à Principe uocatus fuisset, metu aduentum tardat, protrahit'que. tandem à Simeone Crubin, uno ex Consiliarijs

ſuis perſuaſus, in Moſcovuiam proficiſcitur: ubi Principis iuſſu captus, liberis cuſtodijs mandatur. Subinde Princeps matre illius eiecta, et in monaſterium intruſa, caſtrum cum principatu occupat: et ne aliqua quandoq; ſeceſſio Rezanenſium fieret, bonam eorum partem per diuerſas diſtribuit colonias. quare totius principatus uires labefactatæ corruerunt. Porrò cum anno Domini 1521 Tartari prope Moſcovuiã caſtra poſuiſſent, Ioãnes per tumultum è cuſtodia elapſus, in Lithvuaniam profugit: ubi etiam tum exulabat.

Tulla oppidum quadraginta ferè miliaribus Ger. à Rezan diſtat, à Moſcovuia uerò in Meridiem triginta ſex: eſt'que ultimum oppidum ad campeſtria deſerta, in quo Baſilius Ioannis caſtrum ex lapide conſtruxit, quod fluuius eiuſdem nominis præterlabitur. Vppa uerò alius fluuius, ab Ortu caſtrum alluit: Tullæ'que fluuio iunctus, Occam ſupra Vuorointzki uiginti ferè miliaribus Ger. influit. à cuius oſtijs haud ita procul, Odoyovu caſtrum ſitum eſt. Porrò oppidum Tulla, etiam Baſilij tempore proprium Principem habebat.

Tanais flu. famoſiſſimus, qui Europam ab Aſia diſterminat, octo fermè à Tulla in Meridiẽ miliarib. nõnihil in Orientem deflectẽdo, oritur, nõ ex Ripheis montibus, ut quidã prodidere: ſed ex Ivuanovuoſero, hoc eſt, Ioãnis lacu ingenti, qui in lõgitudine et latitudine circiter 1500 vuerſt patet: inq; ſylua, quam quidã Okonitzkilies, alij Iepiphanovulies appellant, ortum habet. Ex hoc lacu Schat & Tanais, magna duo flumina, emergunt. Schat in Occidentem, Vppa fluuio in ſe recepto, Occam inter Occidentem & Septentrionem influit. Tanais autem primo curſu rectà in Orientem fluit, atq; inter Caſan & Aſtrachan regna ſex uel ſeptem miliarib. Ger. à Vuolga fluuio labitur: dein reflexo in Meridiẽ curſu paludes facit, quas Mẹotidis uocant. Ad eius porrò fontes proxima ciuitas eſt Tulla, ſupra oſtia uerò tribus ferè in littore miliaribus Aſoph ciuitas, quę prius Tanas uocabatur. ſupra hanc quatuor dierum itinere Achas oppidum eſt, ad eũdem fluuium ſitum, quem Rutheni Don appellant. Hũc ab optimorum piſcium copia ſingulari, item amœnitate, quod utraq; fluminis ripa diuerſis herbis, radicibusq; ſuauiſſimis, ad hæc arboribus fructiferis plurimis, uarijsq; in modũ horti quaſi induſtria quadam exculta atq; conſita ſit, ſatis laudare non poſſunt. Et quòd tanta ferarum, quæ paruo negotio ſagittis conficiũtur, ibi ſit copia: ut per ea loca iter facientes, ad uitam ſuſtentandam nulla alia re, igni tantum ſaleq; excepto, indigeant. In his partibus nõ miliaria, ſed dierum itinera obſeruantur. Ego quantum coniectura aſſequi potui, à fontibus Tanais ad eius oſtia uſq;, terreſtri itinere recta eũdo, ſunt octuaginta ferè miliaria Ger. A' Donco, quo loco Tanaim primùm nauigabilem eſſe dixi, uix uiginti diebus nauigando, peruenitur Aſoph, ciuitatem Turcis tributariam: quæ quinque, ut

aiunt,

aiunt, diætis ab Isthmo Tauricæ, quem aliàs Præcop uocāt, distat. In ea multarum ex diuersis orbis partibus gentium insigne est emporium: quò ut omnibus, cuiuscunque nationis sint, liber patet accessus, libera etiam uendendi emendi'que cuilibet datur copia: ita ciuitate egressis omnibus, quidlibet impunè facere licet. De aris autem Alexandri & Cæsaris, quas plerique scriptores in his locis fuisse commemorant, uel earum ruinis, nihil certi ex indigenis, alijs'que qui ea loca sæpissimè peragrarunt, cognoscere potui. Milites quoque, quos Princeps ad Tartarorum excursiones explorandas, & coercendas quotannis ibi in præsidijs habere solet, super hac re à me interrogati, nihil se unquam tale uel uidisse, uel audiuisse responderunt. Circa ostia tamen minoris Tanais, quatuor ab Asoph diætis, iuxta locum Velikiprevuos ad S. montes, statuas imaginesq́ꝫ quasdam marmoreas & lapideas uidisse se, non negabant. Minor porrò Tanais in Sevuerski principatu oritur, unde Donetz Sevuerski uocatur, tribusq́ꝫ diętis supra Asoph in Tanaim illabitur. Cæterū qui ex Moscovuia in Asoph terrestri itinere proficiscuntur, hi Tanai, circa Doncum, uetus & dirutū oppidum, traiecto, à meridie nonnihil in Orientem reflectuntur: quo loci, si recta ab Tanais ostijs linea ad eius fontes ducatur, Moscovuiam in Asia, non in Europa sitam reperies.

Msceneck palustris locus est, in quo olim castrum erat, cuius etiamnum uestigia extant. Circa hunc locum adhuc quidam in tuguriolis habitant, qui necessitate imminente, in paludes illas, ceu castrum refugiunt. Ex Moscovuia in Msceneck Meridiem uersus eundo, sexaginta ferè miliaria Ger. sunt: ex Tulla ferè triginta. A Msceneck decem & octo ferè miliaribus ad partem sinistram, Occæ fluuius oritur: qui primū in Orientem, dein in septentrionē, postremò in Orientē ęstiualē (ut ipsi uocāt) cursum suū dirigit. atq́ꝫ ita Occa, Msceneck, forma circuli propemodū dimidiati claudit: multaq́ꝫ subinde oppida, Vuorotin scilicet, Coluga, Cirpach, Corsira, Columna, Rezan, Casimovugorod, & Murom alluit: tandemq́ꝫ Vuolgam infra Novuogardiam inferiorem ingreditur, syluisq́ꝫ utrinque clauditur, quę melle, aspreolis, hermelis et martibus plurimū abundant. Campi omnes quos alluit, fertilissimi sunt: nobilissimus in primis piscium copia fluuius, cuius pisces cæteris Moscovuiæ fluminibus pręferūtur, maximè qui circa Murom capiuntur. Habet præterea pisces quosdam peculiares, quos ipsi sua lingua uocant Beluga, mirę magnitudinis, sine spinis, capite & ore amplo, Sterlet, Schevuriga, Osseter: postrema tria Sturionum genera: & Bielaribitza, hoc est, album pisciculum nobilissimi saporis. horum maximā partem ex Vuolga eò deuenire putant. Ex Occæ porrò fontibus duos alios fluuios oriri aiunt, Sem & Schosna: quorum Sem, Sevuera principatum perfluit; oppidum'que Potivulo prӕterlapsus, in

Desna fluuium, qui Czernigo oppidum interlabitur, atque infra Chiovuiam in Borysthenem fertur, influit: Schosna autem rectà in Tanaim defertur.

Corsira in ripa Occæ fluminis oppidum est, sex miliaribus supra Columnam. Habebat aliquando sui iuris dominũ, qui cum ad Principem Basiliũ, tanquam qui in necem eius conspirasset, delatus fuisset, eamq; ob rẽ sub uenationis prætextu à Principe uocatus fuisset, illeq; armatus (nam à quodam, ne inermis iret, admonitus fuerat) cum ad Principẽ in uenatione uenisset, neq; tum admissus esset, sed cum Michaele Georgij Principis Secretario ad uicinum oppidum Czirpach ire, ibiq; se operiri iussus esset: ubi à Principis Secretario ad bibendum inuitatus, idq; (ut solet) pro Principis sui incolumitate, cũ in eas insidias quas nullo modo euitare posset, se prolapsum esse sentiret: accersito Sacerdote, haustoq; poculo moritur. atq; ita nephario hoc facinore, Basilius Czirpach oppido, octo miliaribus à Corsira ad Occam fluuium sito, ubi etiam loco plano mineræ ferri effodiuntur, potitus est.

Coluga oppidum ad Occam fluuiũ triginta sex miliaribus à Moscovuia abest, quatuordecim à Czirpach. Fiunt ibi affabre cælata pocula lignea, aliæq; è ligno res ad cultum domesticum pertinẽtes: quæ inde in Moscovuiam, Lithvuaniam, aliasq; circumiacẽtes regiones passim deferuntur. Solet ibi Princeps quotannis præsidia sua contra incursiones Tartarorum habere.

Vuorotin principatus eiusdem nominis cum ciuitate & castro, tribus supra Colugã miliaribus, non procul à littore Occæ sito, nomen habet. Hunc principatum Ioannes Knes Vuorotinski cognomento possidebat, uir bellicosus, ac multarum rerum experientia excellens, quo duce Basilius Princeps præclaras sæpe ex hostibus uictorias reportauerat. Sed anno 1521, quo tempore Rex Tauricæ Occa traiecto, magno exercitu Moscovuiam, ut supra dictum est, inuaserat, ad eum que coercendum & reprimendum Demetrius Knes Bielski, homo iuuenis, cum exercitu à Principe missus fuisset, isq; Ioannis Vuorotinski, aliorumq; sanis cõsilijs neglectis, uiso hoste turpi se fugæ mandasset: Principeq; post Tartatarorum discessum, de fugæ autoribus diligenter inquirente, Andrea Principis fratre (qui reuera eius fugæ author fuerat) alijsq; absolutis, Ioannes Vuorotinski non solum in summã uenit Principis indignationem, sed captus etiam, atq; Principatu suo exutus est. Postremò dimissus quidem fuit ex custodia, ea tamen conditione, ne Moscovuia unquam egrederetur. Hunc nos quoq; inter primarios uiros Moscovuiæ, in aula Principis uidimus.

Sevuera magnus principatus est, cuius castrum Novuogrodek, haud ita diu Sevuerẽsium Principum, priusquam hi ab Basilio principatu exuerentur, sedes erat. eò ex Moscovuia dextrorsum in Meridiem,

ridiem, per Colugam, Vuorotin, Serensko & Branski, centum quinquaginta miliarib. Ger. peruenitur: cuius latitudo ad Borysthenem usque protenditur. Vastos desertosq́ passim campos habet, circa Branski autem syluam ingentem. Castra oppidaq́ in eo sunt cōplura: inter quę Starodub, Potivulo, Czernigovu, celebriora sunt. Ager quatenus colitur, fertilis est. Syluæ hermellis, aspreolis & martibus, melle'que plurimum abundant. Gens propter assidua cum Tartaris prælia, ualdè bellicosa. Cæterùm Basilius Ioannis, ut alios plerosque, ita hunc quoque principatum sibi subiecit, hoc modo. Erant duo Basilij ex fratribus nepotes: horum alter cognomento Semetzitz, castrum Novuogrodek: alter uerò Staradub ciuitatem tenebat. Potivulo autem Demetrius quidam Princeps possidebat. Porrò Basilium Semetzitz, cum strenuus in armis, eamq́ ob rem Tartaris terrori esset, tanta regnandi libido inuaserat, ut principatum solus expeteret. neque quieuit, donec Basilium Staradubski afflictissimū redderet: eoq́ depulso, prouinciam suam occuparet. quo eiecto, Demetrium alia uia aggressus est: quem apud Principem detulit, tanquā qui animum deficiēdi à Principe haberet. Qua re Princeps cōmotus, Basilio mandat, uti Demetrium, quacunq́ arte captū, ad se Moscovuiam mitteret. Huius itaq́ fraude Demetrius in uenatione circumuentus fuit. Præmiserat enim Basilius equites quosdā ad castri sui portas, qui eum fuga euadere conantem exciperent: à quibus tum captus, in Moscovuiā deductus, atq́ in uincula coniectus fuit. Hanc iniuriam filius, quem unicū habebat, Demetrius, adeò molestè tulit, ut ad Tartaros cōfestim confugeret. Vtq́ patri illatam iniuriā celerius grauiusq́ ulcisceretur, Christiana fide abnegata, in Machumeti ritum circumciditur. Interim dum apud Tartaros ageret, accidit, ut puellam quandam uenustissimam deperiret: qua cum aliàs potiri non posset, inuitis eam parentibus clàm abduxit. Eam rem serui, qui cum eo circumcisi fuerant, puellæ propinquis clam indicarunt: à quibus quadam nocte subitò oppressus, cum puella sagittis conficitur. Basilius Princeps audita filij ipsius Demetrij fuga ad Tartaros, senem arctioribus uinculis constringi iubet. qui non multo pòst morte filij apud Tartaros cognita, carcere mœroreq́ cōfectus, eodem anno qui à nato Christo MDXIX erat, obijt. Atq́ hæc omnia Basilio Semetzitz autore facta sunt: cuius impulsu antea quoq́ Princeps & Corsiræ dominum, & germanum suum fratrem, captos in carcere occidit. Cæterùm quemadmodū sæpe fieri solet, ut qui alijs insidias struunt, in easdem tandē ipsi incidant: ita & huic Semetzitz etiōgit. Nam ipse quoque apud Principem defectionis crimine insimulatus est. Eam ob rem cum Moscovuiam uocatus fuisset, illeq́, nisi publicæ fidei literæ Principis & Metropolitæ iuramento confirmatæ, sibi prius mitterētur, eò se uenturū pernegaret: missis acceptisq́ ex sententia

literis, XVIII Aprilis, MDXXIII anni Moſcoviam cum ueniſſet, honorificè muneribus etiam oblatis à Principe exceptus fuit: ſed paucos poſt dies captus, in carcerem conijcitur, ubi & tunc detinebatur. Cauſam captiuitatis ſuæ hāc fuiſſe aiunt, quòd literas ad Regem Poloniæ, quibus ſe ad eum deficere uelle ſcripſerat, Præfecto Chiovuienſi miſiſſet: qui reſignatis literis, cum iniquum eius erga Principem ſuum animum cognouiſſet, continuò eas Principi Moſcovuiæ miſit. Alij uerò rationem magis uerìſimilem afferunt. Solus enim Semetzitz in toto Moſci Imperio ſupererat, qui caſtra & principatus poſſidebat: quibus, ut facilius hunc eijceret, tutiusq́ imperaret, perfidiæ crimen, quo ille è medio tolleretur, in illum excogitatum eſt. Ad quod alludēs morio quidam, quo tempore Semetzitz Moſcovuiā ingrediebatur, ſcopas & palam circumferebat. qui cum interrogaretur, quid ſibi hoc apparatu uellet? Imperium Principis nondum prorſus purgatum eſſe, reſpondit: nunc uerò commodū tempus uerrendi adeſſe, quo feces omnes eijciēdæ forent. Hanc prouinciam Iohannes Baſilij, Alexandri magni Ducis Lithvuaniæ exercitu ad Vuedroſch fluuium profligato, primus imperio ſuo adiecit. Porrò Sevuerenſes Principes genus ſuum à Demetrio magno Duce Moſcovuiæ ducunt. Erāt Demetrio filij tres, Baſilius, Andreas, & Georgius. ex his Baſilius natu maximus, iuxta patrias leges, patri in Regno ſucceſſit. Ex alijs duobus, Andrea uidelicet & Georgio, Sevuerenſes Principes generis ſui originem traxerunt.

Czernigovu triginta miliaribus à Chiovuia, totidem uerò à Potivulo abeſt. Potivulo uerò diſtat à Moſcovuia centum quadraginta miliaribus Ger. à Chiovuia ſexaginta, à Brāski triginta octo. Hæc ultra ſyluam magnam, quæ uiginti quatuor miliaribus in latitudinem protenditur, ſita eſt.

Novuogrodeck decē octo miliarib. diſtat à Potivulo, à Staradub quatuordecim: Staradub à Potivulo triginta duobus miliaribus.

Euntibus ex Potivulo in Tauricam, per ſolitudinem fluuij Sna, Samara et Ariel occurrūt: ex quibus poſteriores duo latiores, profundioresq́ ſunt: in quibus traijciendis dū uiatores diutius nōnunquam detinētur, à Tartaris ſæpe circūueniuntur, capiunturq́. poſt hos Koinskavuoda & Moloſcha fluuij occurrūt, quos nouo quodam traiectionis genere ſuperant: reſectas arbuſculas in faſces colligant, quibus ſe ſuaq́ imponunt, atque ita remigantes ſecundo fluuio in alterum littus deferuntur. Alij huiuſmodi faſces equorū caudis alligant, qui flagris impulſi, natantes in ulterius littus, homines ſecum trahunt, transferuntq́.

Vgra fluuius profundus & lutoſus, non longè à Drogobuſch in ſylua quadam oritur, interq́ Colugam & Vuorotin in Occam exoneratur. Is fluuius olim Lithvuaniam à Moſcovuia diuidebat.

Demetrio

Demetriovuitz oppidũ et castrũ inter Meridiem et Occidentem, decẽ et octo miliarib. abest à Vuiesma, à Vuorotim circiter uiginti.

Smolentzko ciuitas Episcopalis, ad Borysthenem fluuium sita, castrum in ulteriore fluminis littore Orientem uersus habet, roboribus constructum, quod plurimas domos in ciuitatis formam complectitur. Hoc quà in collem porrigitur (nam parte alia Borysthene alluitur) fossis, ad hæc stipitibus acutis, quibus hostium incursus arcetur, munitũ: Basilius Ioannis sæpius grauissimè oppugnauit, nunquam tamẽ illud ui capere potuit. At postremò militum præfectíq; cuiusdã Bohemi, de quo suprà in historia Michaelis Linski dictum, proditione eo potitus est. Ciuitas in ualle sita, colles circumquaq; fertiles habet, syluisq; uastissimis cingitur, ex quibus pellium diuersarum magnus prouentus. Templum in castro diuæ Virgini sacrum, alia uerò ædificia lignea: in ciuitatis suburbio Monasteriorum è lapidibus constructorum ruinę complures uidentur. Ex Moscovuia porrò ad Smolentzkum, inter Meridiem & Occidentem euntibus, decem & octo miliarium itinere, Mosaisko primùm occurrit: inde uiginti sex, Vuiesma: pòst decem & octo, Drogobusch: atq; inde totidem, in Smolentzko peruenimus, totumq; hoc iter octuaginta miliaribus Ger. cõstat: quamuis Lithvuani & Moscovuitæ centũ computent. Ego tamẽ ter loca illa peragraui, nec plura obseruaui. Hunc principatum Basilio imperante, Vuiltoldus magnus Dux Lithvuaniæ Moscis anno 1413 ademerat. Eundem Basilius Ioannis anno 1514 die XXX Iulij, Sigismundo Regi Poloniæ eripuit.

Drogobusch & Vuiesma, castra & oppida lignea sunt, ad Borysthenem sita, quę olim sub dominio Principũ Lithvuaniæ erant. Est sub oppido Vuiesma eiusdem nominis fluuius, qui haud procul inde, duobus uidelicet vuerst, in Borysthenẽ fertur: solentq; oneratæ mercibus naues inde Borysthenem deuehi, atq; post uicissim aduerso Borysthene Vuiesmam usq; portari.

Mosaisko quoque castrum & oppidum ligneum, circa quod magna diuersicolorum copia leporum est: soletq; Princeps quotannis uenationes suas ibi habere, atq; nonnunquam diuersorũ Principum Oratores audire: sicuti nobis in Moscovuia existentibus, Lithvuanos Oratores audiuit: nosq; eò pariter ex Moscovuia accersitos, ubi mandatis Principum nostrorum confectis dimissi fuimus. Porrò imperium Principum Moscovuiæ, tempore Vuitoldi, quinq; aut sex miliaribus ultra Mosaisko protendebatur.

Biela principatus, cum castro & ciuitate eiusdem nominis, ad fluuium Opscha in uastis syluis sexaginta miliaribus Ger. magis in Occidentem à Moscovuia distat: à Smolentzko triginta sex, à Toropetz triginta. Huius olim Principes ex Gidemino oriundi erant: sed Casimiro Rege Poloniæ imperante, Iagellonis filij hũc principatum obtinebant, quo tempo re, Basilius Princeps Bielæ, qui alias Bielski

 appellatur,

appellatur, ad Ioannem patrem Basilij defecit, se suaq; illi subdidit: uxoreq; sua in eo motu in Lithvuania relicta, aliam, ut suprà dictum est, in Moscovuia duxit: ex qua tres suscepit filios, quos nos apud Principem uidimus, è quorum numero Demetrius propter patris sui authoritatem in magno precio honoreq; habebatur. Porrò hi tres fratres, quamuis ex Bielski paterna hereditate uiuebant, eiusq; annuis redditib. alebãtur, eò tamen ire nõ audebant. nã Moscovuię Princeps, Bielski principatũ illis ademit, titulumq; sibi usurpabat.

Rsovua Demetrij ciuitas, cum castro, rectà in Occidentem uiginti tribus miliaribus abest à Moscovuia: castrum, à quo Princeps titulum sibi usurpat, ad fluuiũ Vuolga situm est, habetq; latissimam ditionem. Est & alia Rsovua centum quadraginta miliarib. à Moscovuia, à Vuelikiluki uiginti, totidem à Plescovuia, quæ deserta appellatur. Vltra Rsovuã Demetrij, per certa miliaria progrediendo in Occidentẽ, est sylua Vuolkonzki dicta, ex qua quatuor fluuij oriũtur. In ea sylua est palus, quę Frono uocatur: ex qua fluuius non ita magnus duob. ferè miliaribus in lacum quendã Vuolgo influit, unde rursus aquarum multitudine adauctus emergit, Vuolgaque sumpto à lacu nomine uocatur: qui multis paludibus emensis, multis etiam fluminib. in se receptis, uiginti quinq;, uel (ut alij uolunt) septuaginta ostijs in mare Caspium, à Ruthenis Chvualinsko morie appellatum, & non in Pontum, ut quidam scripsit, exoneratur. Porrò Vuolga à Tartaris Edel, à Ptolemæo Rha uocatur: tantaq; inter hunc & Tanaim in campestribus est uicinitas, ut septem duntaxat miliaribus distare affirment. Quas autem ciuitates & oppida præterlabatur, suo loco referemus. In eadem sylua decem ferè à palude Fronovuo miliarib. est Dnyepersko pagus, circa quem oritur Borysthenes, qui ab incolis Dnieper uocatur, quem nunc Borysthenem dicimus. Haud procul ab eo loco est monasterium sanctę Trinitatis, ubi oritur alius fluuius priore maior, Niepretz per diminutionẽ dictus. Ambo autem hi fluuij inter fontes Borysthenis & paludem Fronovuo confluunt, quo loco Moscovuitarum & Chloppiensium merces nauibus impositæ, in Lithvuaniam deferũtur: solentq; mercatores ibi in monasterium ceu diuersorium diuerti. Porrò quòd Rha & Borysthenes non ex ijsdem fontibus, iuxta quorundam opinionem, oriantur, cùm ex alijs, tum ex complurium mercatorũ certa relatione, qui in illis partibus rem fecerunt, compertum habeo. Borysthenis autem cursus hic est, ut primum Vuiesmam Meridiem uersus alluat: mox reflexo in Oriẽtem cursu, oppida Drogobusch, Smolẽczko, Orscham, & Mogilef pręterlabatur: indeque rursus in meridiem tendens, Chiovuiam, Circassos & Otzakovu contingit, ubi deinceps in pontum exoneratur, uidetur eo loco mare formam lacus habere, & Otzakovu quasi in angulo est ad ostia Borysthenis. Nos enim ex Orschain Smolenczko uenimus,

nimus, ubi impedimenta nostra nauibus usq; Vuiesmam deduximus: et tantum inundabat, ut Monachus Comitem à Nugaroli, & me scapha piscatoria per syluas longè deuexerit: equi uerò natando pluries superarunt itinera.

Dvuina lacus à fontibus Borysthenis decem ferè miliaribus, et totidem à palude Fronovuo distat. Ex eo fluuius eiusdem nominis uersus Occidentem, qui à Vuilna uiginti miliarib. abest, ac dein in Septentrionem decurrit, & prope Rigam metropolim Livuoniæ mare Germanicum (quod Rutheni Vuareczkoie morie uocant) illabitur: alluit Vuitepsko, Polotzko, Dunenburg: & non perfluit Plescovuiam, ut quidam scripsit. Livuonienses hunc fluuium ex bona parte nauigabilem, Duna appellant.

Lovuat quartus fluuius, cęteris tribus minimè comparandus, oritur inter lacum Dvuina, & paludem Fronovuo, aut ex ipsa palude. non potui equidem eius fontes, etsi haud procul à Borysthenis fontibus distant, prorsus explorare. Est autē ille fluuius, ut eorum Annales habēt, in quem S. Andreas Apostolus ex Borysthene per siccum nauiculam traduxit, & qui emensis quadraginta ferè miliaribus, Vuelikiluki alluit, inq; Ilmen lacum influit.

Vuolock ciuitas & castrum in Occidentem æquinoctialem uiginti quatuor miliaribus distat à Moscovuia, à Mosaisko duodecim ferè, à Tvuer uiginti. Huius loci titulum Princeps sibi usurpat, solet'que quotannis ibi animum, falconibus lepores insectando, relaxare.

Vuelikiluki castrum & ciuitas in Occidentem à Moscovuia centum quadraginta miliaribus, à Novuogardia magna sexaginta ferè à Poloczko autem triginta sex miliarib. distat. hac etiam itur ex Moscovuia in Lithvuaniam.

Toropecz est castrū, cum ciuitate, inter Vuelikiluki et Smolenzko, ad confinia Lithvuanię, distat à Luki decē & octo ferè miliarib.

Tvuer, siue Otvuer, amplissima olim ditio, una ex magnis Russiæ principatibus ad Vuolgam fluuium sita, triginta sex miliaribus Occidentem æstiualem uersus, distat à Moscovuia: habet'que ciuitatem magnam, quam Vuolga interfluit. in altera autem ripa, qua Tvuer Moscovuiam spectat, castrum habet, ex cuius opposito Tvuertza fluuius Vuolgam influit: quò equidem in Otvuer nauigio perueni, & altero die Rha flu. nauigaui. Porrò ciuitas hæc Episcopalis sedes erat, uiuente Ioanne Basilij patre, quo tempore Tvuerensem Principatum magnus Dux Boris moderabatur. Cuius postea filiam Mariam, Princeps Moscovuiæ Ioannes Basilij uxorem duxerat, ex ea'que Ioannem primogenitū, ut suprà dictum, susceperat. Boris autem mortuo, Michael filius successit: qui postea à sororio suo magno Duce Moscovuiæ principatu depulsus, exul in Lithvuania moritur.

Tersack oppidum decem mil. à Tvuer: eius dimidia pars sub Novuogardiæ, altera Tvuerenzi dominio erat, duo' que ibi Locumtenentes imperabant. Oriuntur ibi quoque, ut suprà dixi, duo fluuij, Tvuertza & Sna: hic Novuogardiam in Occidentem, ille in Orientem decurrit.

Novuogardia magna, amplissimus totius Russiæ principatus est, patrio sermone Novuigorod, quasi Noua ciuitas, seu Nouũ castrum dicitur. Quicquid enim muro cinctum, roboribus munitum, aut alioqui septum est, Gorod appellant. Est autem ampla ciuitas, quam Vuolchovu fluuius nauigabilis interfluit, qui ex Ilmen lacu uix duobus vuerst supra ciuitatem emergens in lacum Neoa, quem nunc Ladoga, ab oppido quod ei adiacet, appellãt, illabitur. Novuogardia porrò in Occidentem æstiualem, à Moscovuia centum uiginti miliaribus abest. quanquam sunt qui centum duntaxat computãt: à Plescovuia triginta sex, à Vuelikiluki quadraginta, ab Ivuanovuogorod totidem. Cæterùm ciuitas hæc olim dum floreret, suíq; iuris esset, latissimam ditionem in quinq; partes distributam habebat: quorum quælibet pars non solum de publicis ac priuatis rebus cognoscendis, ad ordinarium ac competentem suæ partis magistratum referebat, uerùm in sua duntaxat ciuitatis regione contrahere res quascunq;, ac commodè cum alijs ciuibus suis conficere poterat: nec licebat cuiquam, ad aliquem alium eiusdem ciuitatis magistratum, quacunq; in re prouocare. Eoq; tempore totius Russiç maximum ibi erat emporium. ingens enim mercatorũ turba undiq; ex Lithvuania, Polonia, Svuetia, Dania, ipsáq; Germania eò confluebat, ciuesq; ex tam frequenti multarum gentium concursu, opes suas copiasq; augebant. Quin & nostra tempestate licet Germanis suos ibi habere quæstores, seu rationarios. Imperium eius magna ex parte in Orientem & Septentrionem extenditur. Livuoniam, Finlandiam, atq; Nordvuegiam ferè contingebat. Eius loci mercatores, cum uno eodemq; uehiculo Augusta Vindelicorum profectus eò peruenissem, me impensè rogarũt, ut uehiculum quo tam longum iter emensus fuissem, in æde ipsorum sacra perpetuæ memoriæ ergò relinquerem. Habuit etiam Novuogardia principatus ad Oriẽtem, Dvuinam & Vuolochdam: ad Meridiem uerò dimidiam partem Tersack oppidi, non longè à Tvueria. Et quamuis hæ prouinciç, quòd fluuijs & paludib. oppleantur, steriles sint, cõmodeq; habitari non possint: nihilominus ex ferarum pellibus, melle, cera, & piscium copia magnum quæstum faciunt. Principes porrò, qui ipsorum Reipub. præessent, suo arbitrio ac uoluntate constituebant, imperiumq; augebant, uicinas gentes quauis sibi ratione deuinciendo, ac stipendio tanquam autoramento quodam proposito in sui defensionem obstringentes. Ex eiusmodi gentium, quarum opera Novuogardenses in conseruanda Republica

sua ute-

ſua utebantur, ſocietate factum eſt, ut Moſci ſuos ſe ibi Præſides habere gloriarentur, Lithvuani'que uiciſſim eos ſibi tributarios aſſererent. Hunc principatum dum Archiepiſcopus ipſe conſilio ac autoritate ſua adminiſtraret, Ioannes Baſilij Moſcovuiæ Dux inuaſerat, ſeptem perpetuos annos graui eos bello premens. Tandem menſe Nouembri, anno Domini 1477. ad fluuium Scholona conflictu Novuogardenſes ſuperans, certis quibuſdam conditionibus ad deditionem eos compulit, præfectum'que ſuo nomine urbi impoſuit. Cum autem abſolutum in hoſce imperium nondum ſe habere putaret, necꝫ ſine armis id ſe aſſequi poſſe cerneret, ſub religionis prætextu, ac ſi à Ruthenico ritu deficere uolentes, in fide contineret, Novuogardiam uenit, eam'que hac ſimulatione occupauit, in'que ſeruitutem redegit: Archiepiſcopum, ciues, mercatores, externos, omnibus bonis ſpoliauit: trecentosꝗ currus inde auro, argento, gemmis'que onuſtos, ut quidam ſcripſere, Moſcovuiam abduxit. Equidem Moſcovuiæ diligenter de hac re percontabar, accepi'que longè plures currus præda onuſtos inde abductos fuiſſe. Neque mirum. Nam capta ciuitate Archiepiſcopum, ditiores et potentiores omnes, ſecum Moſcovuiam abduxerat, in'que horum poſſeſſiones, ſubditos ſuos quaſi nouas colonias remiſerat. Ex illorum itaque poſſeſſionibus, præter communes redditus, maximum quotannis uectigal in Fiſcum percipit. De Archiepiſcopatus quoque prouentibus, cuidam Epiſcopo tum à ſe conſtituto, paruam duntaxat reddituum portionem conceſſerat: quo mortuo, ſedes Epiſcopalis diu uacabat. Tandem ad maximam ciuium ac ſubditorum petitionem, ne perpetuò Epiſcopo carerent, rurſus quendam, nobis tum præſentibus, inſtituerat.

Novuogardenſes olim idolum quoddam, nomine Perun, eò loci quo nunc eſt monaſterium, quod ab eodem idolo Perunzki appellatur, collocatum, in primis colebant, uenerabanturꝗ. Dein baptiſmate aſſumpto, id loco motum, cum in flumen Vuolchovu deieciſſent, aduerſo dicitur fluuio nataſſe: & circa pontem auditam fuiſſe uocem, Hæc uobis Novuogardenſes in mei memoriam. ſimulꝗ cum dicto, fuſtem quendam mox in pontem proiectū fuiſſe. Solet etiamnū contingere, ut certis anni diebus hæc uox Perun audiatur: qua audita, ſubitò eius loci ciues cōcurrunt, ſeꝗ fuſtibus mutuò cædunt. tantusꝗ inde tumultus quoꝗ oboritur, ut uix magno Præfecti labore ſedari poſſit. Accidit præterea, ut Annales eorum referunt, dum Novuogardenſes Corſun Græciæ ciuitatem ad ſeptem perpetuos annos graui obſidione premerent, interim uxores eorum moræ pertæſæ, tum etiam de ſalute ac aduentu maritorum dubitantes, ſeruis nuberent. Expugnata tandem ciuitate, quum uictores mariti ex bello reuerſi, greas portas ſuperatæ urbis,

ac magnam quandam campanã, quam ipsi in cathedrali eorum Ecclesia uidimus, secum attulissent: seruiq; dominos, quorum uxores duxerant, ui repellere conarentur: domini indignitate rei commoti, depositis, cuiusdam consilio, armis, lora et fustes tanquam in mancipia arriperent: quibus serui territi, inq; fugam cõuersi, loco quodam qui etiamnum Chloppigrod, hoc est Seruorum castrum dicitur, se reciperent, defenderentque. Verùm uicti, meritis à dominis supplicijs affecti fuere. Habet Novuogardia in solstitio æstiuali longissimum diem XVIII horarum, & ultrà. Regio multo frigidior est, ipsa Moscovuia. Gentem quoq; humanissimam ac honestã habebat: sed quę nunc proculdubio peste Moscovuitica, quam eò commeantes Mosci secum inuexerunt, corruptissima est.

Ilmen lacus, qui in antiquis Ruthenorũ scriptis Ilmer uocatur, et quẽ alij Limidis lacum appellant, est supra Novuogardiã duobus vuerst. in longitudinẽ XII. in latitudinẽ uerò VIII miliarib. Germanicis patet: duosq; pręter alios celebriores fluuios excipit, Louat et Scholona. Is ex quodã lacu emergit. unũ uerò emittit Vuolchovu, qui Novuogardiam interlabitur: emensisq; triginta sex miliaribus, Ladoga lacum ingreditur. Is in latitudinẽ sexaginta, longitudinem centum ferè miliarib. insulis tamen quibusdam interiectis, patet: effunditq; magnũ fluuium Neoa, qui Occidẽtem uersus in Germanicum mare sex ferè mil. decurrit. ad cuius ostia, sub dominio Mosci, in medio flumine situm est castrum Oreschack, quod Germani Nutemburg appellant.

Ruſs, olim antiqua Russia dicta, antiquum oppidulum est, sub ditione Novuogardiæ, à qua duodecim, ab Ilmen uerò lacu tredecim miliaribus distat. Habet salsum fluuium, quem ampla fossa in modum lacus ciues coercent, indeq; aquam per canales pro se quisq; in ædes suas deriuant, salq; coquunt.

Ivuanovugorod castrũ Ioannes Basilij, à quo etiam nomẽ accepit, ad ripam Nervuę fluuij, lapide exędificauit. Est ibi quoq; ex aduerso in altera ripa Livuoniẽsium castrum, quod ab eodem fluuio Nervua appellatur. Hæc duo castra Narvua fluuius interlabitur, dominiumq; Novuogardensium ab Livuoniensi diuidit. Porro Narvua fluuius nauigabilis, ex eo lacu quẽ Rutheni Czutzko, seu Czudin, Latini Bicis, seu Pelas, Germani uerò Peijfues appellant, emergit: duobusq; in se receptis fluuijs, Plescovuia & Vuelikareca, qui uenit ex Meridie, Opotzka oppidum, Plescovuia à dexteris relicta, præterfluit. Facilis autem ex Plescovuia in mare Baltheum esset nauigatio, nisi scopuli quidam, non longè ab Ivuanovugorod & Narvua, impedimento essent.

Plescovuia ciuitas ad lacum sita est, ex quo eiusdem nominis fluuius emergit, ac per mediã ciuitatem decurrit sex mil. in lacũ, quem Rutheni Czutzko uocant, exoneratur. Sola autem Plescovuia, in

toto

toto Mosci dominio, muro cingitur: est'que in quatuor partes diuisa, quarum singulæ suis mœnibus continentur. Quæ res quibusdam occasionē erroris præbuit, ut eam quadruplici muro cinctā esse dicerēt. Huius ciuitatis ditio, seu principatus, gentiliter Pskovu, seu Obskovu uocatur. Olim amplissima, suiq; iuris erat: sed eā tandē Ioānes Basilij anno Domini MDIX. quorundā sacerdotum proditione occupauit, atque in seruitutem redegit. item campanam, ad cuius pulsum Senatus ad rempublicam constituendam cogebatur, abstulit: ipsis'que per colonias aliò deductis, introductis'que in eorum locum Moscis, libertatem eorum prorsus imminuit. Vnde factum, ut pro cultioribus, atque adeò humanioribus Plescovuiensium moribus, corruptiores in omnibus ferè rebus Moscovuiensium mores sint introducti. Tanta enim in contractibus Plescovuiensium erat integritas, candor, & simplicitas, ut omni uerbositate in fraudem emptoris omissa, uno tantum uerbo res ipsas indicarent. Plescovuienses autem, ut etiam hoc obiter adijciam, in hunc usq; diem cæsarie non Ruthenorum, sed Polonorum more, bifurcata utuntur. Distat autem Plescovuia in Occidentē triginta sex miliaribus à Novuogardia, ab Ivuanovugorod quadraginta, totidem à Vuelikiluki. Per hanc quoq; ciuitatem ex Moscovuia et Novuogardia itur Rigam, Livuoniæ metropolim, quæ sexaginta miliaribus à Plescovuia distat.

Vuotzka regio inter Occidentem et Septentrionem sita, uiginti sex, aut ad summū triginta miliarib. abest à Novuogardia, inq; sinistra castrū Ivuanovugorod relinquit. In hac regione hoc prodigij loco refertur: animalia, cuiuscunq; generis in eam inducta fuerint, colorem suum in albedinem mutare. Locus hic postulare uidetur, ut rationem locorum & fluuiorū circa mare, usq; ad fines Svuetiæ perstringam. Nervua fluuius, quemadmodum suprà dixi, Livuoniā a Mosci ditione diuidit: à quo si ab Ivuanovugorod secundū littus maris, Septentrionem uersus progrediare, Plussa fluuius occurrit, ad cuius ostia Iamma castrum situm est. Duodecim miliarib. ab Ivuanovugorod, à Iamma totidem, spacio quatuor miliariū, occurrit castrum & fluuius eiusdem nominis Coporoia: inde ad fluuium Neoa & castrum Oreschack sex miliaria numerantur: ab Oreschak uerò ad fluuium Corela, unde ciuitas nomen accepit, sunt septem miliaria. Atque inde tandem itinere duodecim miliarium peruenitur ad fluuium Polna, qui dominium Mosci à Finlandia, quam Rutheni Chainska Semla uocant, quæ sub ditione Regum Svuetiæ est, diuidit.

Est & alia Corela præter iam nominatam, prouincia, quæ suum territorium atque idioma habet, sexaginta ferè & amplius miliaribus à Novuogardia in Septentrionem sita. Ea quamuis à finitimis quibusdam gentibus tributum exigit, nihilominus & ipsa Regi

ipſa Regi Svuetiæ item, & Moſco, ratione dominij Novuogardenſis, tributaria eſt.

Solovuki inſula in Septentrionem, inter Dvuinam & Corelam prouinciam, à continenti octo miliaribus in mari ſita eſt: quæ quantum à Moſcovuia diſtet, propter crebras paludes, ſyluas, & uaſtas ſolitudines, certa interualli ratio non habetur. Quamuis ſint qui eam 300 miliarib. à Moſcovuia, à Bieloieſero autem 200 abeſſe dicant. Sal in ea inſula copioſus decoquitur. Eſtq́ue ibi monaſteriũ, in quod mulierem aut uirginem ingredi, grande piaculum eſt. Eſt etiam ibi piſcatio copioſa piſcium, quos indigenæ Selgi uocant, quos nos haleces eſſe putamus. Aiunt hic Solem æſtiuali ſolſtitio perpetuò, duabus tantum horis exceptis, ſplendere.

Dimitriovu ciuitas cum caſtro, à Moſcovuia, ab Occidẽte in Septentrionem parum deflectendo, duodecim miliaribus diſtat. Hanc Georgius magni Ducis frater, tunc poſſidebat. Eam Lachroma fluuius, qui Seſt fluuium influit, præterlabitur. Porrò Seſt Dubnã, qui in Vuolgam exoneratur, excipit. Vnde tanta fluuiorum commoditate, magnæ ibi mercatorum opes, qui merces ex Caſpio mari per Vuolgam, labore non ita magno, in diuerſas partes, atq́ue adeò Moſcovuiam uſq́ue inducunt.

Bieloieſero ciuitas cum caſtro, ad lacum eiuſdem nominis ſita eſt. Sonat autem Ruthenis Bieloieſero, albus lacus. Porrò ciuitas non eſt in ipſo lacu ſita, ut quidam retulerunt: paludibus tamen ita undequaq́ue cingitur, ut inexpugnabilis eſſe uideatur. Qua re ducti Principes Moſcouiæ, theſauros ibi ſuos recondere ſolent. Abeſt autem Bieloieſero in Septentrionem centum miliaribus à Moſcovuia, totidemq́ue à Novuogardia magna. Duæ uerò uię ſunt, per quas ex Moſcovuia itur Bieloieſero. altera propinquior per Vglitz, hyemali tẽpore, æſtate per Iaroslavu altera. Vtraq́ue autem uia, propter crebras paludes, & ſyluas fluuijs obſitas, haud cõmodè, niſi ſtratis pontibus, concretis glacie, conficitur. quo fit, ut ibi locorum difficultate miliaria ſint breuiora. Accedit ad hanc itineris difficultatem, ut propter crebras paludes, ſyluas, ac undiq́ue concurrentes fluuios, loca inculta ſint, nulliſq́ue ciuitatibus frequentata. Lacus ipſe duodecim miliarib. in longitudinem, totidemq́ue in latitudinem patet: in quem trecenti, ut fertur, & ſexaginta fluuij exonerantur. Vnus autem Schockſna tantum ex eo emergit, qui quindecim miliaribus ſupra Iaroslavu, & quatuor infra Mologam, oppida, Vuolgam influit. Piſces qui ex Vuolga in hunc fluuium ac lacum perueniunt, meliores fiunt: imò tanto nobiliores, quanto diutius in eo fuerint, redduntur. In quibus agnoſcendis ea eſt piſcatorum peritia, ut piſces in Vuolgam reuerſos, captoſq́ue, quanto tempore in eo fuerint, agnoſcant. Huius loci indigenę proprium habent idioma: quamuis nunc fermè omnes Ruthenicè loquantur. Longiſſimum hi diem in Solſtitio æſtiuali dicuntur ha-

tur habere, decem & nouem horarum. Retulit nobis quidam haud parui nominis uir, se primo uere, cùm arbores iam frondescerent, celeri cursu ex Moscovuia Bieloiesferum contendisse: superato'que Vuolga fluuio, reliquum itineris, quod omnia ibi niuibus glacieq́ue oppleta essent, uehiculis confecisse. Et quãquam longior ibi hyems sit, fruges tamen eo, quo in Moscovuia, tempore & maturescunt, & colliguntur. A' lacu Bieloiesero, intra teli iactum, est alius lacus sulphur proferens: quod fluuius quidam ex eo manans, ceu spumas supernatantes, affatim secum defert. Inscitia tamen populi, eius ibi nullus usus est.

Vglitz ciuitas cũ castro, ad littus Vuolgæ sita est: distatq́ue à Moscovuia uiginti quatuor, à Iaroslavu triginta, à Tvuer quadraginta miliarib. Cæterùm hæc prædicta castra sunt in Meridionali Vuolgæ ripa, ciuitas uerò ex utraq́ue parte.

Chloppigrod locus, in quem Novuogardensium seruos confugisse suprà dixi, duobus miliaribus distat ab Vglitz. Haud procul inde castrum nunc demolitum conspicitur, ad fluuiũ Mologa, qui ex Novuogardia magna octuaginta miliaribus fluens, Vuolgam ingreditur: in cuius ostijs est eiusdem nominis ciuitas & castrum, à quo duobus miliaribus in eiusdem fluminis ripa Chloppigrod ecclesia tantum sita est. Eo loci nundinæ in toto Mosci dominio, quarum etiã aliàs memini, sunt frequentissimæ. eò etenim, prẹter Svuetenses, Livuonienses, atq́ue Moscovuitas, Tartari, alięq́ue quàm plurimæ gentes, ex Orientalibus Septentrionalibusq́ue partibus confluunt, quæ rerum tantum permutatione utuntur. Rarus enim, ac ferme nullus apud has gentes est auri, argenti'ue usus. Vestes factas, acus, cultellos, coclearia, secures, aliaq́ue eiusmodi, utplurimum pellibus permutant.

Pereaslavu ciuitas & castrum, à Septentrione aliquantum uergens in Orientem, uigintiquatuor miliarib. abest à Moscovuia: sita autem est ad lacũ, in quo, ut in insula Solovuki, Selgi pisciculi, quorum suprà memini, capiuntur. Ager satis fertilis est, & copiosus, in quo perceptis frugibus, Princeps uenatione tempus fallere solet. Est in eodem agro lacus, ex quo sal decoquitur. Per hanc ciuitatem proficiscuntur, quibus Novuogardiam inferiorem, Castroma, Iaroslavu, & Vglitz eundum est. In his partibus uera itinerum ratio propter crebras paludes & syluas haberi non potest. Est etiam ibi Nerel fluuius, ex lacu quodam profluens, qui supra Vglitz Vuolgam influit.

Rostovu ciuitas & castrum, Archiepiscopalis sedes, cum Bieloiesero & Murom, inter præcipuos & antiquiores Russiæ principatus, post Novuogardiam magnam habetur. Eò ex Moscovuia, rectà per Pereaslavu itur, à qua decem miliaribus distat. Sita est ad lacum, ex quo Cotoroa fluuius, qui Iaroslavu prẹterlabitur, emergit,

Vuolgam'q; influit. Soli natura fertilis est, piscibus in primis ac sale abundans. Regio hæc olim secundogenitis magnorum Ducum Russiæ propria erat: quorum posteri nouissimè per Ioannem Basilij patrem ea depulsi, exutiq; sunt.

Iaroslavu ciuitas et castrum ad ripam Vuolgæ, distat à Rostovu duodecim mil. rectà itinere ex Moscovuia sumpto. Regio satis fertilis est, ea præsertim parte, qua uergit ad Vuolgam: quæ etiam, quemadmodũ Rostovu, secundogenitorum Principum erat: quas monarcha ipse ui oppressit. Et quanquam prouinciæ Duces, quos Knesos appellant, adhuc supersint: titulum tamen Princeps, Knesis, uelut subditis regione concessa, sibi usurpat. Tres autem Knesi secundogenitorum posteri, quos Rutheni Ioroslavuski appellant, eam regionem possident. Primus est Basilius, is qui nos ex hospitio ad Principem duxit, & reduxit. Alter est Simeon Fœderovuitz, à Kurba patrimonio suo Kurbski dictus, homo senex, sobrietate singulari, ac ipsa uitę rigiditate, qua ab ineunte ętate usus est, ualdè exhaustus. multis enim annis esu carnis abstinuit: piscibus quoq; Solis, Martis & Saturni tantum diebus uescebatur: Lunæ uerò, Mercurij & Veneris, ab eisdem ieiunij tempore abstinebat. hunc magnus Dux aliquando per Permiam, in Iuhariam, ad lõginquas gentes debellandas, cum exercitu supremum Imperatorem mittebat: qui bonam eius itineris partem, propter niuis magnitudinẽ, pedes confecit: quibus dissolutis, reliquum itineris nauigijs peregit. Vltimus est Ioannes cognomento Possetzen, qui Principis sui nomine Oratorẽ apud Carolum Cæsarem in Hispanijs agebat, et nobiscum reuersus est: qui adeò pauper erat, ut uestes, & Kolpackh (quod capitis tegumentum est) aliunde (quod certò scimus) pro conficiendo itinere cõmodatò sumeret. Quare multum errasse uidetur, qui scripsit, hunc Principi suo in quacunq; necessitate triginta milia equitum ex ditione, seu patrimonio suo mittere posse.

Vuolochda prouincia, ciuitas & castrũ, in qua Episcopi Permiæ sedem quidem suam, sed sine imperio habent, ab eiusdem nominis fluuio nomen accepere. sita est inter Orientem & Septentrionẽ, ad quã ex Moscovuia per Iaroslavu itur. Abest aũt à Iaroslavu quinquaginta miliarib. Ger. à Bieloiesero ferè quadraginta. Regio tota palustris & syluestris est. unde fit, ut exactã itineris rationẽ propter crebras paludes & fluuiorũ anfractus, hoc quoq; in loco uiatores obseruare non possint. Quo enim magis progrediare, hoc plures & inuiæ paludes, fluuij ac syluæ occurrunt. Porrò Vuolochda fluuius in septentrionẽ, ciuitatem præterlabitur: cui Suchana fluuius ex lacu cui Koinzki nomen est, emergẽs, octo mil. infra ciuitatẽ iungitur, nomen'q; Suchanæ retinet, atq; inter Septentrionẽ & Orientem labitur. Vuolochda prouincia olim sub ditione Novuogardię magnæ erat, quæ cum castrum natura loci firmum habeat, aiunt

Princi-

Principem partem thesauri sui illic reponere solere. Eo anno quo nos Moscovuiæ eramus, tãta illic erat annonæ caritas, ut unus quo ipsi utuntur frumenti modius, XIIII dengis uenderetur: qui alioqui in Moscovuia IIII, V, aut sex dengis emi solet.

Vuaga fluuius piscosus, inter Bieloiesero & Vuolochdam, in paludibus densissimisq; syluis oritur, ac Dvuinam fluuiũ influit. Fluuij accolę, quòd panis usu ferè careant, uenatione uiuunt. Capiuntur autem ibi uulpes nigræ, & coloris cinericei. Porrò compendiario itinere inde ad prouinciam & fluuium Dvuina peruenitur.

Vstyug prouincia, à ciuitate & castro, quæ ad fluuium Suchana sita sunt, nomen accepit. à Vuolochda abest centum miliarib. à Bieloiesero centum quadraginta. Hæc prius ad ostia fluuij Iug, qui ex Meridie in Septentrionem fluit, sita erat. Postea propter loci cõmoditatem, ad dimidium ferè miliare supra ostia posita est, uetusq; nomen adhuc retinet. Nam Ruthenis Vsteie ostiũ est: unde Vstyug, quasi ostium Iug dicitur. Hæc prouincia olim subiecta erat Novuogardiæ magnæ, in qua rarus & propemodum nullus panis usus: piscibus et feris pro cibo utũtur. Sal ex Dvuina habent. Idioma quoque proprium, quamuis Ruthenico magis utuntur. Zabellinorum ibi pelles nec multæ, nec admodum excellentes: aliarum tamen ferarum pellibus abundant, uulpinis præsertim nigris.

Dvuina prouincia & fluuius ab Iug & Suchana fluuiorũ confluxu Dvuinæ nomen accepit. nam Dvuina Ruthenis duo, uel bini sonat. Is fluuius emensis centum miliaribus Oceanum Septentrionalem, quà Svuetiam & Nordvuegiam alluit, atque à terra incognita Engranelãd diuidit, ingreditur. Hæc prouincia in ipso Septẽtrione sita, olim Novuogardensiũ ditionis erat. Numerantur aũt à Moscovuia ad Dvuinę ostia, trecẽta miliaria: quamuis ut antea dixi, in Regionib. quę trans Vuolgã sunt, propter crebras paludes, fluuios, ac uastas syluas, itineris ratio obseruari non potest: cõiectura tamẽ ducimur, ut uix ducẽta miliaria esse putemus. quandoquidẽ ex Moscovuia in Vuolochdã, ex Vuolochda in Vstyug, in Orientẽ aliquantulum: ex Vstyug postremò per Dvuinã fluuium rectà in Septentrionem peruenitur. Hæc prouincia, præter Colmogor castrum, et Dvuinam ciuitatem, quæ inter fontes & ostia in medio propemodum sita est, castrumq; Pienega in ipsis Dvuinæ ostijs situm, oppidis & castris caret. Pagos tamen complures habere dicitur, qui propter terræ sterilitatem longè late'que distant. Victum hi ex piscibus feris, ferarumq; pellibus quærunt, quibus omnis generis abundãt. In maritimis huius Regionis locis, ursos albos, & eos pro maiori parte in mari degentes reperiri aiunt: quorum pelles in Moscovuiam sæpius deferuntur. Ego binas mecum, prima mea in Moscovuiam legatione, reportaui. Regio hæc sale abundat.

ITINERARIVM AD PETzoram, Iugariam, & Obi usq; fluuium.



PRincipis Moscovuiæ ditio longè in Orientem, & aliquanto in Septentrionem, ad loca quæ sequuntur, protenditur: super qua re scriptum quoddam, quo eius itineris ratio continebatur, lingua Ruthenica mihi oblatum fuit, quod & trāsstuli, & hic certa ratione subiunxi. Quāquam qui ex Moscovuia eò proficiscuntur, ab Vstyug & Dvuina, per Permiam, usitato magis & compendiario itinere utantur. A' Moscovuia ad Vuolochdam quinquaginta vuerst numerātur, à Vuolochda ad Vstyug dextrorsum secundo fluuio, & Suchana, cui iungitur, descendendo, sunt quingenta vuerst, quibus sub Streltze oppido duobus vuerst, sub Vstyug coniungitur fluuio Iug, qui fluit ex Meridie: à cuius ostijs usque ad fontes, ultra quingenta vuerst computantur. Cæterùm Suchana & Iug postquam confluxerint, amissis prioribus nominibus, Dvuinæ nomen assumunt. Per Dvuinam deinceps quingenta vuerst, ad Colmogor peruenitur: à quo infrà itinere sex dierum, Dvuina sex ostijs Oceanum ingreditur. Atq; huius itineris maxima pars nauigatione cōstat. nam itinere terrestri à Vuolochda usque ad Colmogor, traiecto Vuaga sunt mille vuerst. Haud procul à Colmogor, Pienega fluuius, qui ab Oriente à dextris fluit: emensis'que septingentis vuerst, Dvuinam illabitur. Ex Dvuina ad locum qui dicitur Nicolai, per Pienegam fluuium ducenta vuerst, peruenitur, ubi itinere dimidij vuerst naues in fluuium Kuluio transferuntur. Kuluio uerò fluuius ex eiusdem nominis lacu in Septentrione oritur, à cuius fontibus iter sex dierum est, usque ad ostia ubi Oceanum ingreditur. Nauigatione secundum dexterum littus maris, sequentes possessiones præterleguntur: Stanuvuische, Calunczscho, & Apnu. Circumnauigata'que Chorogoski Nosz promontorio, & Stanuvuische, Camenckh & Tolstickh, tandem in fluuium Mezen, quò sex dierum itinere ad eiusdem nominis pagum in ostijs fluuij Piesza situm peruenitur. per quem rursus à sinistra Orientem æstiualem uersus ascendendo, trium hebdomadarum itinere Piescoya fluuius occurrit. Vnde translatis per quinque vuerst, in duos lacus nauibus, geminæ patent uiæ: quarum altera parte sinistra in fluuium Rubicho, per quem in fluuium Czircho peruenitur, ducit. Alij uia altera, & breuiore, ex lacu naues rectà in Czircho deferunt: à quo nisi tempestate detineantur, trium hebdomadarum spacio in fluuium ostia'que Czilme, magnum Petzora fluuium, qui eò loci duarum vuerst latitudine extenditur, influentem deueniunt: quò delapsi, sex dierum itinere ad oppidum & castrum Pustoosero, circa quod Petzora sex ostijs Oceanum ingreditur, perue-

peruenitur. Huius loci accolæ ſimplici ingenio homines, anno Domini M. D. XVIII. primùm baptiſmum ſuſceperunt. A' Czilmæ oſtijs, uſque ad oſtia fluuij Vſſà, per Petzoram eundo, eſt iter unius menſis. Vſſa autem fontes ſuos habet in monte Poyas Semnoi, qui ab ortu æſtiuali ad læuam eſt, fluit'que ex ingenti eiuſdem montis ſaxo, quod Camen Bolſchoi uocant. Ab Vſſæ fontibus, uſq; ad eius oſtia, ultra mille vuerſt numerãtur. Porrò Petzora à Meridionali hac hyemali parte fluit, à quo ex Vſſæ oſtijs aſcendendo, uſque ad oſtia Stzuchogora fluuij, eſt iter trium hebdomadarum. Qui hoc itinerarium conſcripſerant, dicebant, inter Stzuchogore & Potzſcheriema fluuiorum oſtia ſe quieuiſſe: atque ad uicinum caſtrum Strupili, quod ad littora Ruthenica in montibus ad dextram ſitum eſt, comeatum, quem ex Ruſsia ſecum portauerant, depoſuiſſe. Vltra Petzora & Stzuchogora fluuios, ad montem Camenipoias, item mare, inſulas uicinas, caſtrum'que Puſtooſero, uariæ & innumeræ gentes ſunt, quæ uno ac communi nomine Samoged (quaſi diceres ſeipſos comedentes) nuncupantur. Apud hos magnus prouentus auiũ, diuerſorumq; animalium, ut ſunt zabellini, martes, caſtores, hermelli, aſpreoli, & in Oceano Mors animal, de quo ſuprà, præterea ueſs. item albi urſi, lupi, lepores, equi vuoduani, cete, piſcis'que nomine Semſi, alij'que quàm plurimi. Hæ uerò gentes in Moſcovuiam non ueniunt: ſunt enim feræ, quæ aliorum hominum cœtum, uitæ'que ſocietatem refugiunt. Ab Stzuchogoræ oſtijs aduerſo flumine uſque ad Poiaſſa, Artavuiſche, Cameni, maiorem'que Poiaſſa, iter trium hebdomadarum. Porrò ad montem Camen trium dierum aſcenſus eſt, à quo deſcendendo ad fluuium Artavuiſcha, inde ad Sibut fluuium, à quo caſtrum Lepin, à Lepin ad Soſſam fluuium peruenitur. Huius fluuij accolæ Vuogolici nuncupantur. Soſſa autem à dexteris relicto ad fluuium Oby, qui oritur ex Kitaisko lacu, peruenitur: quem uix uno die & celeri curſu traiecerunt, adeò uaſta huius fluuij latitudo eſt, ut ad octoginta ferè vuerſt extendatur. Hunc quoque Vuogulici & Vgritzſchi gentes accolunt. Ab Obea caſtello ſecundum Oby fluuium aſcendendo, uſque ad Irtiſche fluuium, in quem Soſſa ingreditur, oſtia, eſt trium menſium iter. In his locis duo caſtra ſunt, Ierom & Tumen, quibus præſunt domini Kneſi Iuhorski, magno Duci Moſco (ut aiunt) uectigales. Multa ibi animalia, pelleſq; quàmplurimæ.

Ab Irtiſche fluuij oſtijs ad caſtrum Gruſtina, duorum menſium iter: à quo ad lacum Kitai, per Obi fluuiũ, quem fontes ſuos in hoc lacu habere dixi, eſt plus quàm trium mẽſium iter. Ab hoc lacu plurimi homines nigri, communis ſermonis expertes, ueniunt: merces uarias, in primis autem uniones, lapides precioſos, ſecum adferentes, quas populi Gruſtintzi & Serponovutzi mercantur. hi à

castro Serponovu Lucomoryæ ultra Obi fluuium in montibus sitæ nomen habent. Lucomoryæ autem hominibus mirabile quiddam ac incredibile, et fabulæ persimile aiunt accidere, quos in singulos annos, nempe XXVII. die Nouembris, quæ apud Ruthenos S. Georgio sacra est, mori aiunt: ac uere insequēti, maximè ad XXIIII Aprilis, ranarum instar, denuò reuiuiscere. Cum his quoqꝫ Grustintzi et Serponovutzi populi noua, et aliàs inconsueta habēt commercia. Cum enim statum tempus moriendi, seu dormiendi ipsis imminet, merces certo loco deponunt, quas Grustintzi & Serponovutzi, relictis suis interim æqua commutatione mercibus, auferunt: eas illi rediuiui, si iniquiore æstimatione abductas esse uiderint, rursus repetunt: unde lites plurimæ ac bella inter eos oriūtur. Ab Obi fluuio, parte sinistra descendendo, sunt Calami populi, qui ab Obiovua & Pogosa eò commigrarunt. Infra Obi ad auream Anum, ubi Obi Oceanum ingreditur, fluuij sunt, Sossa, Berezvua, & Danadim, qui omnes ex monte Camen, Bolschega, Poiassa, scopulis'que coniunctis oriuntur. Ab his fluminibus quæcunque ad auream Anum usque gentes habitant, uectigales dicuntur Principi Moscovuiæ.

Slata baba, id est Aurea Anus, idolum est, ad Obi ostia, in prouincia Obdora, in ulteriori Ripa situm. Secūdum Obi littora, uicinisqꝫ circum fluminib. multa passim castra sita sunt, quorum domini omnes Principi Moscovuiæ (ut ferunt) subijciuntur. Narrant, seu, ut uerius dicam, fabulātur, hoc idolū Auream Anum statuam esse, in formam cuiusdam anus, quę filium in gremio teneat: atqꝫ ibi iam denuò alterum cerni infantem, quem eius nepotem esse aiunt. Præterea instrumenta quædam ibi posuisse, quæ perpetuum sonum in modum tubarum edant. Quod si ita est, equidem uentorum uehementi & perpetuo in ea instrumenta flatu fieri puto.

Cossin fluuius ex montibus in Lucomoryæ delabitur. in huius ostijs Cossin castrum est, quod olim Knes vuentza, nunc uerò illius filij possident. Eò à Cossin magni fluuij fontibus, est iter duorum mensium. Porrò ex eiusdem fluuij fontibus alter fluuius Cassima oritur, emensa'que Lucomorya in magnum fluuium Tachnin influit: ultra quem prodigiosæ formæ homines habitare dicuntur, quorum alij ferarum more, toto corpore pilis horrent: alij caninis capitibus, alij prorsus sine collo pectus pro capite habent, longas'que sine pedibus manus. Est & in Tachnin fluuio piscis quidam, capite, oculis, naso, ore, manibus, pedibus, alijs'que humana prorsus forma, nulla tamen uoce: qui, ut alij pisces, suaue ex se præbet obsonium.

Hactenus, quæcunque retuli, ex oblato Itinerario Ruthenico, à me ad uerbum traducta sunt: in quibus etsi fabulosa quædam, uixqꝫ credibilia esse uideantur, ueluti de hominibus mutis, morientibus

& reui-

& reuiuiſcentibus, Aurea anu, monſtroſis hominum formis, piſceq́ humana effigie: de quibus etſi ipſe quoque diligenter inueſtigauerim, nihil tamē certi à quopiā, qui ea oculis ſuis uidiſſet (quamuis omnium fama rem ita ſe habere prædicarēt) cognoſcere potui: tamen ut alijs ampliorem harum rerum præberem inueſtigandi occaſionem, nolui quicquam obmittere. unde & locorum uocabulis ijſdem, quibus à Ruthenis nuncupantur, uſus ſum.

Noſs, Ruthenis naſus dicitur, quo nomine promontoria ad naſi ſimilitudinem in mare prominentia, uulgò appellant.

Montes circa Petzoram fluuium Semnoi poyas, id eſt Cingulus mundi uel terrę uocantur. Poyas enim Ruthenis cingulū ſignificat.

Lacus Kithai, à quo magnus Chan de Chathaia, quem Moſci Czar Kythaiski appellant, nomen habet. Chan autem Tartaris Regem ſonat.

Lucomorye, loca maritima ſyueſtria ſunt, quę ab accolis ſine ullis ędibus habitantur. Quamuis autem Itinerarij author plurimas Lucomorye gētes Principi Moſcovuiæ ſubiectas eſſe referebat, tamen cum in propinquo Regnum Tumen ſit, cuius Princeps Tartarus eſt, & uernacula eorum lingua Tumenski Czar, id eſt Rex in Tumen appellatur, magnaque damna haud ita pridem Principi Moſcovuiæ intulit: ueriſimile eſt, propter uiciniam has gentes ipſi potius ſubiectas eſſe.

Ad Petzoram fluuium, cuius in Itinerario mētio ſit, ciuitas & caſtrum Papin, ſeu Papinovugorod ſitum eſt: huius accolæ Papini, qui diuerſum à Ruthenico idioma habent, nūcupantur. Vltra hūc fluuium altiſſimi montes ad ripas uſq́ protenduntur, quorum uertices ob continuos uentorum flatus omni prorſus materia graminecq́ ferè carent. hi etſi uarijs in locis uaria habeant nomina, communiter tamen Cingulum mundi uocantur. In his montibus nidificant Gerofalcones, de quibus ſuprà, cum de Principis uenatione uerba facerem, abundè dictum eſt. Creſcunt etiam illic arbores cedri: circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur. Atq́ in Principis Moſcovuiæ ditione hi montes ſoli uiſuntur, qui ueteribus Rhiphæi fortè, uel Hyperborei montes uiſi ſunt: & quòd perpetuis niuibus ac glacie rigeant, tranſiriq́ facile non poſſint, Engroneland prouinciam incognitam faciunt. Baſilius Ioānis filius Moſcovuiæ Dux, aliquando ad exploranda ultra hos montes loca, gentesq́ debellandas, duos Præfectos ex ſuis per Permiam & Petzoram miſerat, Simeonem Pheodorovuitz Kurbski à patrimonio ſuo ita nuncupatum, ex Iaroslavuski genere oriundū: & Knes Petrum Vſchatoi. quorum Kurbski me in Moſcovuia exiſtente, adhuc in uiuis erat: mihiq́ de hac re percontanti, decē & ſeptem in aſcendēdo monte dies ſe conſumpſiſſe dicebat: neq́ tamen montis uerticem, qui patrio nomine Stolp, hoc eſt columna nuncupatur, ſuperare potuiſſe.

Extendi-

Extenditur mons ille in Oceanum, usque ad ostia Dvuinæ & Petzora fluuiorum. Et hæc de Itineratio satis.

AD PRINCIPATVS MOscouiæ redeo.


SVsdali principatus, cum eiusdem nominis castro & ciuitate, in qua sedes Episcopalis est, inter Rostovu & Vuolodimeriam sita est. Quo tempore Mosci imperij sedes Vuolodimeria erat, inter præcipuos hic principatus numerabatur, ac reliquarum adiacentium urbium Metropolis erat. Crescente pòst imperio eius, sede Moscovuiam translata, Principum secundogenitis est attributus: quorum tandem posteri, ex quibus Basilius Schuiski cũ nepote ex fratre (qui dum nos Moscovuiæ essemus, adhuc uiuebant) per Ioannem Basilij eo sunt exuti. Insigne in ea urbe Vestalium monasterium est, in quo Solomea à Basilio repudiata, erat inclusa. Inter omnes Principis Moscovuiæ principatus ac prouincias, ubertate soli, rerumque omnium copia, Resan primas sibi uindicat: secundum hanc sunt, Iaroslavu, Rostovu, Pereaslavu, Susdali, Vuolodimeria: quæ fertilitate terræ, proximè accedunt.

Castromovugorod ciuitas cum castro, in Vuolgæ littore ad orientem æstiualem uiginti ferè miliaribus abest ab Ioroslavu, Novuogardia inferiori circiter quadraginta. Fluuius, à quo ciuitas nomen habet, ibi Vuolgam influit.

Galitz alius principatus cum ciuitate & castro, ex Moscovuia in Orientem per Castromovugorod euntibus occurrit.

Vuiathka prouincia ultra Kamã fluuium, in Oriẽtem æstiualem centũ quinquaginta ferè miliarib. abest à Moscovuia: ad quã itinere breuiore quidem, sed difficiliore, per Castromovugorod & Galitz peruenitur. nã preter paludes ac nemora, quæ inter Galitz & Vuiathkã sunt, iterque impediũt, Czeremissæ populi passim ibi uagantes latrocinãtur. Quare fit, ut itinere per Vuolochdã et Vstyug longiore, sed faciliore tutioreque eò proficiscantur. Distat aũt Vuiathka ab Vstyug centũ uiginti miliarib. à Cazan sexaginta. Regioni eiusdem nominis fluuius nomẽ dedit, in cuius littore sunt Chlinovua, Orlo, & Slovuoda. Et Orlo quidem quatuor miliaribus est infra Chlinovuam. Dein sex miliaribus Occidentem uersus descendendo, Slovuoda. Cotelnitz autem octo à Chlinovua miliaribus, ad Rhecitzan fluuium, qui ex Oriente fluens inter Chlinovua & Orlo, in Vuiathkam exoneratur. Regio palustris & sterilis est, seruorum fugitiuorum uelut asylum quoddam: melle, feris, piscibus, aspreolisque abundans. Hæc olim Tartaricæ ditionis erat, adeò ut adhuc hodie ultra citraque Vuiathkam, maximè in ostijs quibus Kamam fluuium ingreditur, Tartari imperent. Itinera illic computantur per

Czunckhas. Czunckhas autem continet quinque vuerst. Kama fluuius exoneratur in Vuolgam duodecim miliaribus infra Cazan. huic fluuio adacet Sibier prouincia.

Permia magna & ampla prouincia, à Moscovuia ducentis quinquaginta (seu, ut quidam uolunt, trecentis) miliaribus rectà inter Orientem & Septentrionem distat. Ciuitatem eiusdem nominis ad Vischora fluuium habet, qui decem miliarib. infra Kamam influit. Eò propter crebras paludes & fluuios, terrestri itinere uix, nisi hyeme, peruenitur: æstate uerò per Vuolochdam, Vstyug, Vitzechdaq́ꝫ fluuium, qui duodecim ab Vstyug miliarib. Dvuinã influit, nauigijs iter hoc facilius cõficitur. Cęterùm qui ex Permia in Vstyug proficiscũtur, ijs aduerso Vischora nauigandum est, emensisq́ꝫ aliquot fluuijs, nauibusq́ꝫ terra quandoq́ꝫ in alios fluuios trãslatis, ad Vstyug tandẽ trecentis ab Permia miliarib. deueniunt. Rarissimus in ea prouincia panis usus: loco tributi equos & pelles quotannis Principi pendũt. Idioma proprium habent: characteres item proprios, quos Stephanus Episcopus, qui eos in fide Christi uacillãtes confirmarat (nam antea in fide adhuc infantes, Episcopũ quendam idem attentantem excoriauerant) primus adinuenit. Hic Stephanus postea Demetrio Ioannis filio imperante, apud Ruthenos in numerũ deorum relatus est. supersunt adhuc ex ijs in syluis passim plures idololatræ, quos Monachi & Heremitæ eò proficiscentes, nõ cessant ab errore uanoq́ꝫ cultu reuocare. Hyeme in Artach ferè, quemadmodum in plurimis Russiæ locis, iter faciunt. Sunt autem Artach, ligneę quædam & oblongæ soleę, sex fermè palmarũ longitudine, quibus in pedes inductis ferũtur, magnaq́ꝫ celeritate itinera cõficiunt. Canibus, quos in hunc usum magnos habent, pro iumentis utũtur, quibus sarcinas, quemadmodum infrà de ceruis dicetur, uehiculis circumuehunt. Aiunt eam prouinciam Orientem uersus, Tartarorum prouinciæ quæ Tumen dicitur, esse conterminam.

Iugariæ prouinciæ situs ex supradictis patet. Rutheni per aspirationem Iuhra proferunt, & populos Iuhrici uocãt. Hæc est Iuharia, ex qua olim Hungari progressi, Pannoniam occuparunt, Attilaq́ue duce multas Europæ prouincias debellarunt. Quo nomine Moscovuitę multum gloriãtur, quòd eorum subditi magnam Europæ partem olim sunt depopulati. Referebat Georgius Paruus dictus, natione Græcus, in priori mea legatione inter tractatus uolens ius Principis sui deducere ad magnum Ducatum Lithvuaniæ, Regnum Poloniæ, &c. Iuharos subditos magni Ducis Moscovuiæ extitisse, & ad paludes Mæotidis consedisse: deinde Pannoniam ad Danubium, & inde nomen Hungariæ accepisse: demum Moravuiam ex fluuio sic nominatam: & Poloniam à Polle, quod est planicies, occupasse: de fratris Attilæ nomine Budam nominasse. Relata saltem uolui referre. Aiunt Iuharos in hunc diem eodem

cum Hungaris idiomate uti. quod an uerum sit, nescio. Nam etsi diligenter inquisierim, neminem tamen eius regionis hominem habere potui, quo cum famulus meus linguæ Hungaricæ peritus colloqui potuisset. Hi quoque pelles pro tributo Principi pendunt. Quamuis uniones gemmęq; illinc in Moscovuiam afferantur, non tamen in eorum Oceano colliguntur, sed aliunde, præcipuè uerò à littoribus Oceani, ostijs Dvuinæ uicinis afferuntur.

Sibier prouincia Permiam & Vuiathkam cõtingit, quę an castra & ciuitates aliquas habeat, compertum non habeo. In hac oritur Iaick fluuius, qui in mare Caspium exoneratur. Regionem propter uiciniam Tartarorum desertam, aut si qua parte colitur, à Tartaro Schichmamai occupatam esse aiunt. Huius indigenæ proprio idiomate utuntur. quæstum faciunt maximè ex aspreolorum pellibus, quæ aliarum prouinciarum aspreolos magnitudine & pulchritudine excellunt: quarum tamen copiam in Moscovuia tum nullam habere potuimus.

Czeremissæ populi sub Novuogardia inferiore in syluis habitant. propriã hi linguam habent, Machumeticq; dogma sequuntur. Regi Cazanensi nunc parent, quamuis maxima eorum pars duci Moscovuiæ olim tributaria esset: unde subditis Moscovuię adhuc annumerantur. Adduxerat inde Moscovuiam Princeps illorum multos, defectionis crimine suspectos: quos ibi uidimus. Hi autem cum ad fines Lithvuaniã uersus missi fuissent, tandem in uarias partes dilapsi sunt. Hæc gens à Vuiathka & Vuolochda, ad fluuiũ Kamã usq;, longè lateq; sine ullis ędibus habitant. Omnes tã uiri quàm feminæ cursu sunt uelocissimi, sagittarij porrò peritissimi omnes, arcu nunquam è manibus deposito: quo adeò oblectantur, ut etiam filijs cibum non præbeant, nisi præfixum scopum sagitta feriant.

Duobus miliaribus à Novuogardia inferiore plurimæ erant domus ad ciuitatis oppidi'que similitudinem, ubi sal decoquebatur. Hæ paucos ante annos à Tartaris exustæ, Principis iussu restitutæ sunt.

Mordvua populi ad Vuolgam sunt, infra Novuogardiam inferiorem in littore Meridionali, Czeremissis, nisi quòd frequentiores domos habent, per omnia similes. Atq; hic nostræ digressionis, Moscicic; imperij terminus esto.

Nunc de uicinis ac cõterminis populis certa quædã subiungam, eodem quo ex Moscovuia egressus sum ordine in Orientem seruato. Hac autem parte Tartari Cazanenses primi occurrunt, de quibus, antequam ad peculiaria ipsorum perueniam, in genere quædam referenda sunt.

DE TARTARIS.

De Tartaris, eorumq; origine, præter ea quæ in Annalibus Polonorum,

lonorum,et duobus de Sarmatijs libellis continentur,multi paſſim multa ſcripſere: quæ hoc loco repetere,magis tædioſum quàm utile eſſet. Quæ autem ipſe in Ruthenorum annalibus,multorum'que hominũ relatione cognoui,paucis adſcribenda cenſui. Aiunt Moabitenos populos,qui poſtea Tartari dicti ſunt,homines lingua,moribus,habituq́; à reliquorũ hominum ritu conſuetudineq́; diſſidentes, ad fluuiũ Calka perueniſſe: qui unde ueniſſent, quo religionis dogmate uterentur,omnibus ignotum fuiſſe. Quanquã à quibuſdam Taurimeni,ab alijs Pitzenigi,alijs alio nomine appellarentur. Methodius Patanczki Epiſcopus, ex Ieutriskie deſertis inter Septentrionem & Orientem eos proceſſiſſe dicit,cauſam'q; migrationis talem refert. Gedeonem quendam,primi nominis uirum,terrorem ipſis de fine mundi,quem imminere dicebat,quãdo'q; inieciſſe: cuius oratione inducti, ne ampliſſimæ orbis opes cum mũdo ſimul interirent, innumera cũ multitudine ad ſpoliandas prouincias exiuiſſe: & quicquid ab Oriẽte ad Euphratem,ſinum'q; Perſicum continetur,crudeliter diripuiſſe. atq; ita prouincijs paſſim uaſtatis, Polovutzos gentes,quę adiunctis ſibi Ruthenorũ auxiliaribus copijs, ſolæ occurrere auſæ erant,ad fluuium Calka profligaſſe: anno mundi 6533. Quo loco authorem libelli de duabus Sarmatijs, de Polovutzis populis,quas uenatores interpretatur, erraſſe clarũ eſt. Polovutzi enim cãpeſtres dicuntur. nam Polle,campus eſt: Lovuatz, & Lovutzi,uenatores. adiũcta autem tzi,uel kſi ſyllaba,non mutat ſignificationem: neq; enim ab ultimis, ſed primis ſyllabis ſignificatio deducenda eſt. Et quòd eiuſmodi Ruthenorum dictionibus ſyllaba generalis ski adijci ſolet, ea res homini impoſuit: atque ita Polovutzi,campeſtres, & non uenatores interpretari oportet. Polovutzos Rutheni Gotthos fuiſſe perhibent: quorũ tamen ſententiæ non accedo. Qui Tartaros deſcribere uelit,multas nationes deſcribat neceſſe eſt. Nam ex ſola ſecta hoc nomen habent,& diuerſæ nationes ſunt,longè ab inuicẽ diſtantes. Atqui ad inſtitutũ redeo. Bathi Tartarorum Rex magna manu à Meridie in Septentrionẽ egreſſus,Bulgariam,quę ad Vuolgam infra Cazan eſt,occupauit. Anno dein ſequenti, qui erat 6745. ſequutus uictoriam, in Moſcovuiam uſq; peruenit,urbem Regiam aliquandiu obſeſſam per deditionem tandem accepit: ſed fide quam dederat,non ſeruata,omnibus cęſis, ultrà progreſſus, uicinas prouincias, Vuolodimeriam, Pereaslavu,Roſtovu,Suſdali,compluraq́; caſtra & oppida,cæſis,aut in ſeruitutem abductis inhabitatoribus,exuſſit: Georgiũ magnum Ducem inſtructo exercitu ſibi occurrentem profligauit,& occidit: Baſilium item Cõſtantini, captiuum ſecum abduxit,interemitq́;. quæ omnia, ut ſuprà dictum eſt, anno mundi 6745. geſta ſunt. Ab eo tempore omnes ferè Ruſſiæ Principes, à Tartaris inaugurabantur, illis'que parebant,uſque ad Vuitoldum magnum Lithvuaniæ

Ducem, qui prouincias suas, & quæ in Russia occupauerat, à Tartarorum armis fortiter defendit, uicinisq; omnibus terrori fuit. Magni autē duces Vuolodimeriæ & Moscovuiæ, usq; ad modernum Basilium Ducem, semper in præstita semel Tartarorum Principū fide & obedientia permanserunt. Hunc Bathi, annales referunt, ab Vulaslavu Hungarorum Rege, qui post baptismum Vuladislaus dictus, inq; diuorum numerum relatus est, occisum fuisse in Hungaria. nam cum Regis sororem, quam in Regni depopulatione fortè nactus fuerat, secum abduxisset, Rexq; & sororis pietate, & indignitate rei commotus, hunc insecutus fuisset, impetuq; in Bathi facto, cum soror arreptis armis, adultero contra fratrem auxilio esset, iratus Rex sororem unà cum Bathi adultero interfecit. Hęc gesta sunt anno mundi 6745.

Asbeck ipsi Bathi in imperio successit, moritur'que anno mundi 6834. cui filius Zanabeck suffectus est: qui fratribus suis, ut solus sine metu regnaret, occisis, moritur anno 6865. Hunc Berdebeck sequutus, qui fratribus duodecim pariter occisis obijt, 6867. Post quem Alculpa, à Narufs quodam Regulo, cum liberis statim ab inito imperio occisus, non ultra mensem imperauit. Ad hūc Regnum iam possidentem, omnes Principes Russiæ conuenerunt, imperandiq; in sua quisque prouincia potestate impetrata, abierunt. Occiditur anno 6868. Cui Chidir in Regno succedens, à filio Themerhoscha occisus est: qui Regno per scelus parto, uix septem diebus potitur. Etenim a Temnick Mamai eiectus, cum ultra Vuolgam fugisset, ab insequentibus militibus occisus est, anno 6869. Post hos Thachtamisch imperium adeptus, anno mundi 6890. cum exercitu XXVI. Augusti egressus, Moscovuiam ferro igniq; uastauit. Is à Themirkutlu profligatus, ad Vuitoldum magnū Lithvuaniæ Ducem profugit. Themirkutlu porrò regno Sarai anno mundi 6906. prępuit, moritur 6909. Cui Schatibeck filius in imperio successit. post quem Themirassack, cum exercitū maximum in Retzan, ad depopulandam Moscovuiam duxisset, tantum terrorem Principibus Moscovuiæ iniecit, ut desperata uictoria, abiectis armis, ad diuorum tantum auxilium cōfugerent. In Vuolodimeriam statim pro imagine quadam diuæ Marię uirginis, quæ multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt: quæ cum in Moscovuiam duceretur, Princeps omni cum multitudine honorificè illi obuiam procedit, eaq; primùm ut hostem auerteret humilimè implorata, maxima ueneratione ac reuerentia in ciuitatem deducit. quo cultu se impetrasse dicunt, quod Tartari ultra Retzan non fuerint progressi. In cuius rei perpetuā memoriam eò loci, ubi imago expectabatur, susceptaq; fuit, templum exædificatum est: dies'que is quem Rutheni Stretenne, id est obuiationis diem uocant, XXVI. Augusti quotannis solenniter celebratur. Acta sunt hæc an. 6903.

Narrant

Narrant Rutheni, hunc Themiraſſack obſcuro genere natum, ex latrocinijs ad tantum dignitatis gradum perueniſſe, furemq́ʒ in adoleſcentia egregium fuiſſe, indeq́ʒ nomen acquiſiuiſſe. Et quòd aliquando ouem furatus, deprehenſusq́ʒ à domino ouis, iactu lapidis uehementiore crus illi fractum fuiſſet: quod cum ferro quodam colligaſſet, à ferro & claudicatione nomen ſibi inditum fuiſſe. Themir enim ferrum, Aſſack claudum ſignificat. Is Conſtantinopolitanis à Turcis grauiter obſeſſis, filium ſuum cum auxiliaribus copijs miſit: qui profligatis Turcis, ſoluta obſidione, ad patrem uictor reuerſus eſt. Anno 6909.

Tartari in hordas diuiduntur, in quibus Savuolhenſis horda & celebritate & multitudine primas tenuit: nam reliquæ hordæ omnes ex ea originem traxiſſe dicuntur. horda autem illis conuentum, ſeu multitudinem ſignificat. Quamuis autem quælibet horda peculiare nomen habeat, ſcilicet Savuolhenſium, Præcopenſium, Nahaiſenſium, & aliæ multæ, quæ omnes Mahometani ſunt: Turcas tamen ſe uocari ægrè ferunt, probriq́ʒ loco ducunt. ſed Beſermani appellari uolunt, eo quoque nomine Turci ſe appellari uolunt. Vt autem uarias longè lateq́ʒ prouincias Tartari incolunt, ita etiam moribus, ipſoq́ʒ uitæ genere non in omnibus cõueniunt: homines ſtatura mediocri, lata facie, obeſa, oculis intortis & concauis, ſola barba horridi, cętera raſi. inſigniores tantũ uiri crines contortos, eosq́ʒ nigerrimos ſecundum aures habẽt, corpore ualido, animo audaci: in Venerem, eamq́ʒ præpoſteram, putres: equis, alijsq́ʒ animalibus quoquo modo interemptis ſuauiter ueſcuntur: dẽptis porcis, à quibus lege abſtinent. inediæ ſomniq́ʒ adeò patientes, ut toto nonnunquam quatriduo ea perferãt, laboribus neceſſarijs nihilominus intẽti. Rurſus aliquid fortè ad uorãdũ nacti, ſupra modum ſe ingurgitant, eaq́ʒ crapula priorem inediam quodammodo reſarciunt, nihil reliqui facientes: atque ita cibo laboribusq́ʒ obruti triduo, quatriduoúe perpetuo dormiunt. quos ſic altum dormientes, Lithvuani & Rutheni, in quorum regionem derepentè irruunt, prędasq́ʒ inde abigunt, inſequuti, omni amoto metu paſſim ſine excubijs, ordine, cibo, ſomnoq́ʒ ſepultos, opprimunt incautos. Equitantibus porrò ſi fames ſitisq́ʒ moleſta fuerit, quibus inſident equis, uenas ſolent incidere, hauſtoq́ʒ eorum ſanguine famem pellunt, atq́ʒ iumentis hoc prodeſſe putant. Et quoniam incertis omnes ferè uagãtur ſedibus, ſtellarũ, in primis uerò poli arctici, quem ipſi ſua lingua Seleſnikoll, hoc eſt ferreum clauum uocant, aſpectu curſum ſuum dirigere ſolent. Lacte equino in primis delectantur, quòd eo homines & fortes & pingues fieri credunt. Herbis quamplurimis, præſertim ijs quæ circa Tanaim creſcunt, ueſcuntur. Sale pauciſſimi utuntur. Horum reges ſi quando ſuis commeatum diſtribuant, quadraginta hominibus uaccam unam aut equum dare ſolent: quibus mactatis,

intestina præstantiores tantum sumunt, ac inter se diuidunt. quæ ad ignem eatenus calefacta, ut adhærentia stercora decuti possint, abstergiq́ue, uorant. Non solũ autem digitos pinguedine unctos, sed etiam cultrum lignum'ue, quo stercus detersum fuerat, suauiter lingunt, suguntq́ue. Capita equorũ, ut apud nos aprorum, in delicijs habẽtur, præstãtioribusq́ue tantum apponũtur. Equis ceruice depressa, pusillisq́ue, sed fortibus abundãt: qui æquè inediam laboremq́ue bene ferre possunt: ramisq́ue & corticibus arborum, herbarum'que radicibus, ungulis è terra excussis, euulsisq́ue alũtur. His ita ad laborem assuefactis, Tartari cõmodissimè utuntur: aiuntq́ue Mosci, perniciores hos sub Tartaris, quàm sub alijs esse. Hoc genus equorũ Pachmat uocãt. Sellas, stapedesq́ue ligneas habent, nisi si quas alias à uicinis Christianis rapuerint, aut emerint. Et ne equorũ dorsa atterantur, gramine, seu arborũ folijs eas suffulciunt. Flumina transnatant: qui si fortè fugientes insequentiũ hostium uim extimuerint, sellis, uestibus, alijsq́ue impedimentis omnib. abiectis, armis tantũ retentis, effusissimè fugiunt. Porrò arma illorũ sunt, arcus & sagitta: framea apud eos rara. Pugnam cum hostibus eminus audacissimè ineunt: in qua tamen nõ diu perseuerant, sed simulata fuga, hostibus insequentib. occasione data primùm in eos à tergo tela torquẽt: dein cõuersis derepentè equis, in dissipatos hostiũ ordines denuò impetum faciunt. Cum in patentibus campis pugnandum est, hostemq́ue intra teli iactum habent, non structa acie prælium ineunt, sed sinuoso agmine in gyrum, quo certior & liberior hostem iaculandi uia pateat, circumferuntur. Estq́ue euntium & redeuntiũ mirus quidam ordo. in quam quidem rem ductores, quos sequuntur, harum rerum peritos habent: qui si uel hostiũ telis icti succubuerint, aut fortè metu perculsi, in ducendo ordine aberrauerint, tanta totius exercitus fit cõfusione, ut nec amplius in ordinem reduci, nec tela in hostem torquere possint. Hoc genus certaminis ipsi à rei similitudine choream appellant. In angustijs autem si fortè decertandum est, nullus huius stratagematis est usus. atq́ue ideo fugæ se mandant: quoniam nec clypeo, nec lancea, nec galea muniti sunt, ut hostem in stataria pugna sustinere possint. In equitando hunc morem seruant, ut contractis in sellam sedeant pedibus, quo facilius in utrumque latus se possint conuertere: & si quid fortè delapsum, de terraq́ue tollendum fuerit, stapedibus innixi, nullo negotio tollunt. in quo adeò exercitati sunt, ut etiam currentibus celeriter equis id efficiant. Hastis impetiti, in alterum latus ad declinãdum ictum aduersarij subitò se demittunt, altera duntaxat manu pedeq́ue equo adhęrentes. Dum uicinorum prouincias infestãt, quisq́ue duos aut tres, pro opibus, equos secum ducit, ut uno scilicet defatigato, altero terno'ue uti possit: lassos interim manu ducunt. Frena leuissima habent, flagellis pro calcaribus utuntur. Castratos tantum equos habent, quòd tales arbitran-

arbitrantur plus laboris inediæque ferre posse. Vestimentis iisdem tam uiri quàm fœminæ utūtur; nec in cultu à uiris quicquam differunt, nisi quod caput uelo lineo tegūt, caligisque itidem lineis nautarum maritimorū instar utuntur. Eorum Reginæ dum procedunt in publicum, facies solent obtegere. Reliqua turba, quę in cāpis passim degit, uestes ex ouium pellibus confectas habēt: quas non mutant, nisi lōgo usu prorsus attritæ, laceręque fuerint. Vno in loco non diu cōmorantur: rati grauem esse infœlicitatem, diu in eodem loco hærere. Vnde irati quandoque liberis, graue malum imprecantes, solent dicere, Vt eodem in loco perpetuò tanquam Christianus hæreas, propriumque fœtorem haurias. Quare depastis uno in loco pascuis, cum armentis, uxoribus & liberis, quos in plaustris secum circumferunt, aliò migrant. quamuis hi qui in oppidis & urbibus degunt, aliam uiuendi rationem sequātur. Si bello aliquo grauiore implicantur, uxores, liberos, senesque in loca collocant tutiora. Iusticia apud illos nulla. nam ut quisque re aliqua indiguerit, eā ab altero impune rapere potest. Si quis apud iudicē de ui, illataque iniuria cōqueritur, reus non negat, sed ea re se carere nō potuisse dicit. tum iudex huiusmodi proferre solet sententiā: Si tu uicissim re aliqua indigueris, rape ab aliis. Sunt qui dicūt eos non furari. an uerò furentur, aliorum esto iudiciū: certè homines rapacissimi sunt, nēpe pauperrimi, ut qui alienis semper inhiant, aliorum pecora abigunt, homines spoliant, abducuntque, quos Turcis aliisque quibuscunque aut uēdunt, aut redimendos concedunt, puellis tantū seruatis. Ciuitates & castra raro oppugnāt: uillas, pagosque cōburunt: adeoque de illatis damnis sibi placent, ut quo plures prouincias desolauerint, hoc se regna sua ampliora reddidisse putēt. Et cū quietis impatiētissimi sint, mutuò tamen se nō interimunt, nisi Reges inter se diffideāt. Si in dissensione aliqua quispiā occidatur, autoresque sceleris capti fuerint, equis, armis, uestibus tātum ablatis, dimittuntur. Homicida porrò, accepto uili equo et arcu, his uerbis à Iudice dimittitur: I, et rem tuam cura. Auri, argenti'que apud illos usus, extra mercatores, ferè nullus: rerum tantum permutatione utuntur. Quod si quid pecuniæ ex rebus uenditis uicini corraserint, ea Moscovuię uestes aliaque uitæ necessaria emunt. Fines inter se (de campestribus Tartaris loquor) nullos habent. Erat aliquando à Moscis pinguis Tartarus quidam captus, cui cum Moscus dixisset, Vnde tibi, canis, tanta pinguedo, cum non habeas quod edas? Cui Tartarus: Cur non habeam quod edam, cum tam uastam ab Ortu usque in Occasum terram possideam: ex qua non'ne affatim nutriri possum? tibi potius, qui tam paruam orbis portionem tenes, et quotidie pro illa contendis, deesse puto quod edas.

Cazan regnum, ciuitas et castrū eiusdem nominis, ad Vuolgam, in ulteriore fluminis ripa, septuaginta ferè miliaribus Ger. infra Novuo-

Novuogardiam inferiorem sita sunt: secundum Vuolgam, in Orientem & Meridiem desertis campis terminatur: ad Orientem autem æstiualem Tartaros, quos Schibanski & Kosatzki uocant, con terminos habent. Huius prouinciæ Rex exercitum triginta milium habere potest, pedites præsertim, in quibus Czeremissæ & Czubaschi sagittarij peritissimi sunt. Czubaschi autem, nauigandi arte excellunt. Cazan urbs à Vuiathka principali castro sexaginta miliaribus Ger. abest. Porrò Cazan Tartaris ollam cupream bullientem sonat. Cultiores hi Tartari reliquis sunt, utpote qui et agros colant, in domibus degant, mercaturas'que uarias exerceant: quos Basilius Moscovuiæ Princeps eò adegit, ut se sibi subijcerent, atque eius arbitrio Reges acciperent: quod illis partim ob opportunitatē fluuiorum, qui ex Moscovuia in Vuolgā influunt, partim mutua commercia quibus illi carere non poterant, factu haud difficile fuit. Cazanensibus quondam Rex erat Chelealeck, qui cum relicta uxore Nursultan sine liberis decessisset, Abrahemin quidam ducta uidua regno potitur. Ex hac Abrahemin duos suscepit filios, Machmedemin & Abdelativu. Ex priore autem uxore, quæ Batmassa soltan uocabatur, Alegam filium habuit. Is patre defuncto, ut primogenitus in regnum successit: cum'que mandatis Mosci non ubique obtemperaret, à Mosci Consiliarijs, quos ibi ut Regis animum obseruarent, habebat, aliquando in conuiuio inebriatus, atque in uehiculum, ac si domum ueheretur, positus, ea nocte ductus est Moscovuiam uersus. quem aliquandiu detentum, Princeps tandem in Vuolochdam misit, ubi reliquū ætatis peregit. Eius autem matrē cum Abdelativu & Machmedemin fratribus, Bieloiesero relegauit. Codaiculu unus ex Alegæ fratribus baptisatus, nomen Petri accepit: cui pòst Basilius, modernus Princeps, sororem suam matrimonio iunxit. Meniktair autem alter ex Alegæ fratribus, in sua, quoad uixit, secta permansit: pluresque genuit liberos, qui post decessum patris cum matre omnes baptisati & mortui sunt: uno Theodoro, qui nobis in Moscovuia existētibus adhuc superstes erat, excepto. Alega porrò ita in Moscovuiā abducto, Abdelativu sufficitur: qui cum pari ratione, ut Alega, Regno amotus fuisset, Machmedemin ex Bieloiesero emissum, Princeps in eius locum substituit. Is Regno usque ad annum Domini 1518. præfuit. Nursultan, quam Chelealeck & Abrahemin Regum uxorem esse dixi, post Alegæ mortem Mēdligero Regi Præcopiensi nupsit. Hæc deinde cum ex Mendligero prolem non haberet, priorum'que filiorum desiderio teneretur, ad Abdelativu uenit in Moscovuiam. Inde progressa, ad Machmedemin alterum filium in Cazan regnantem profecta est, anno Domini 1504. Cazanenses à Principe Moscovuiæ defecerunt. Eam defectionem cum multa bella secuta sint, uarie'que à Principibus, qui se in societatem huius belli iunxerant, diu utrinque pugnatum, neque in

hunc

hunc usq; diem finis bello impositus sit, altius huius belli rationem repetere uisum est. Cum Cazanensium defectio Basilio Moscovuiæ Principi innotuisset, rei indignitate & ulciscendi libidine motus, ingentem exercitum adiunctis tormentis bellicis in eos misit. Cazanenses, quibus pro uita & libertate cum Moscis pugnandum erat, audito terribili Principis in se apparatu, cùm hostibus in pugna stataria se haud pares fore uiderent, astu eos circumueniendos censuere. Quare collocatis palàm contra hostem castris, optima copiarum suarum parte locis opportunis in insidias abdita, ipsi ueluti terrore perculsi, relictis derepentè castris, fugæ se mandarunt. Mosci, qui non ita procul aberant, cognita Tartarorum fuga, solutis ordinibus, citato cursu in hostium castra irruunt. in quibus diripiendis dum occupati, rerumq; suarū securi essent, Tartari cum Czeremissis sagittarijs, ex insidijs progressi, tantam in eos stragem ediderunt, ut Mosci relictis tormentis, machinis'que bellicis, aufugere cogerentur. In ea fuga machinarum magistri duo relictis tormentis, cum alijs euasere. quos Princeps in Moscovuiam reuersos beneuole accepit. Horum alterum Bartholomæum, natione Italum, qui assumpta pòst Ruthenorum fide, magna etiam tunc apud Principem erat autoritate et gratia, liberaliter donauit. Redierat ex ea clade tertius bombardarius, cum tormento sibi commisso: sé que magnam et solidam apud Principem gratiam initurum, seruato diligenter & reducto tormento, sperabat. quem Princeps iurgijs adortus: Tu, inquit, cum me & te tanto exposueris periculo, aut fugere uolebas, aut te cum tormento hostibus dedere, quorsum ista præpostera in seruando tormēto diligentia? cuius ego iacturam nihili facio, dummodo homines mihi supersint, qui ea fundere, ijsq; uti sciant. Cęterum Machmedemin Rege, sub quo Cazanenses defecerāt, mortuo, Scheale ducta eius uxore uidua, Principis Moscovuiæ & fratris uxoris auxilio, Cazan regnū obtinuit: cui quatuor tantum annis, magno subditorū & odio & inuidia præfuit. Augebant hæc turpis & mollis corporis cōstitutio. erat enim homo uentre prominēti, rara barba, facie penè muliebri: quæ eum bello haudquaquā idoneum esse ostenderent. Accedebat ad hæc, quòd contempta ac neglecta subditorum suorum beneuolentia, Principi Moscovuię plus ęquo faueret, ac externis plus quàm suis fideret. Quibus rebus Cazanenses ducti, Sapgirei, Mendligerei filio, uni ex Tauricæ Regibus, regnum deferunt. quo adueniente, Scheale regno cedere iussus, cum se uiribus inferiorem, infestosq; suorum in se animos cerneret, fortunæ cedere optimum ratus, cum uxoribus, concubinis, omniq; supellectili in Moscovuiam, unde uenerat, redijt. Hæc acta sunt anno Domini 1521. Scheale ita è Regno profugiente, Machmetgirei Rex Tauricæ, Sapgirei fratrem magno exercitu in Cazan introducit: firmatisq; Casanēsium erga fratrem animis, Tauricam rediens, traie-

cto Tanai, Moscovuiam uersus contendit. Eo tempore Basilius rerum suarum securior, nihilque tale metuens, audito Tartarorum aduentu, coacto pro tempore exercitu, cui Demetriũ Bielski Ducem præficit, ad Occam fluuium, ut Tartarorum transitum impediret, præmittit. Machmetgirei uiribus superior, Occa celeriter traiecto, ad piscinas quasdam tredecim vuerst ab ipsa Moscovuia castra metatus est. Inde eruptione facta, omnia rapinis incendijsque compleuit. Sub id temporis Sapgirei pariter cum exercitu ex Cazan profectus, Vuolodimeriã et Novuogardiam inferiorem depopulatus est. His peractis, fratres Reges ad Columnã ciuitatem conueniunt, uiresque cõiungunt. Basilius cum ad tantum hostem propulsandum imparem se esse uideret, Petro sororio suo, ex regibus Tartarorum oriundo, alijsque nonnullis proceribus in castro cum præsidio relicto, ex Moscovuia fugit: adeò timore perculsus, ut rerum suarũ desperatione, aliquandiu sub aceruo fœni, ut quidam referunt, latuerit. Vicesima nona Iulij, Tartari ultrà progressi, latè omnia incẽdijs compleuerant, tantumque terrorẽ Moscis incusserant, ut se in castro, & in ciuitate parum tutos putarẽt. In ea trepidatione à mulieribus, pueris, aliaque imbelli ætate, qui curribus, uehiculis ac sarcinis in castrum cõfugiebant, tantus in portis tumultus oboritur, ut nimia festinatione se inuicem & impedirent, & conculcarent. Ea multitudo tantum fœtorem in castro fecerat, ut si hostis triduò aut quatriduò sub urbe permansisset, etiam peste obsessis pereundum fuisset. nam in tãta hominum colluuie, ut quisque locum occuparat, ita naturæ satisfacere cogebatur. Erant tum temporis Moscovuiæ, Oratores Livuonienses: qui cum conscensis equis fugæ se mandassent, & circumquaque nihil præter ignes & fumum uiderent, seque à Tartaris circũdatos esse arbitrarentur, adeò properarunt, ut una die in Tvuer, quæ triginta sex miliaribus Ger. à Moscovuia abest, peruenirent. Magnam tum laudem meruerũt bombardarij Alemãni, præsertim Nicolaus, prope Rhenum, non longè à Spira Imperiali Germaniæ ciuitate, natus: cui à Præfecto, alijsque Consiliarijs, qui nimio timore iam ferè confecti erant, tuendæ urbis negotium blandissimis uerbis, committitur: orantibus ut tormentis maioribus, quibus mœnia deijci solent, sub portam castri deductis, Tartaros inde arceret. Horum autem tam uasta erat magnitudo, ut uix tridui spacio eò perduci potuissent. Sed neque pulueres bombardicos tam multos habebant paratos, quibus uel semel maius tormentum exonerari potuisset. Solent enim Mosci perpetuò hunc morem seruare, ut omnia in recondito habeant, nec quicquam tamen præparatum: uerùm urgente necessitate, omnia tum demum celeriter conficere student. Visum est ergo Nicolao, ut tormenta minora, quæ procul à castro erant recondita, humeris hominum celeriter in medium adducerentur. Iis dum detinerentur, clamor derepentè exoritur,

Tartaros

Tartaros adesse: quæ res tantum timorem oppidanis incusserat, ut proiectis per uicos bombardis, etiam mœnium defendendorum curam omitterent. Quòd si tum centum hostium equites impetum in ciuitatem fecissent, paruo negotio eam funditus igni consumpsissent. In ea trepidatione, Præfectus, qui'que cum eo in præsidio erant, optimum rati, ut Machmetgirei Regis animum, missis muneribus plurimis, in primis autem medone, placarent, & ab obsidione auerterent: acceptis muneribus, Machmetgirei se obsidionem soluere, & prouincia uelle decedere respondit, si datis literis Basilius sese obstringat, perpetuū se tributarium Regi fore, quemadmodū eius pater & maiores sui fuissent. Quibus literis pro uoluntate scriptis, acceptis'que, Machmetgirei exercitum ad Rezan reduxit. ubi data Moscis redimendi & permutandi captiuos copia, reliquam prædam sub auctione uendidit. Erat tum temporis in Tartarorum castris Eustachius, cognomēto Taskovuitz, qui Regis Poloniæ subditus, cum auxiliaribus copijs ad Machmetgirei uenerat. Nam inter Regem Poloniæ ac Moscovuiæ Ducem nullæ tum induciæ erant. Is spolia quædam ad castrum subinde deferebat uenalia, eo consilio, ut data occasione, unà cum ementibus Ruthenis in castri portas irrueret, id'que depulsis inde custodibus, occuparet. Huius conatum Rex simili astu adiuuare uoluit. Ad Præfectum arcis, quendam ex suis hominem sibi fidum, mittit, qui Præfecto tributarij sui seruo mandet, ut ea quæ petebat, sibi administret, atque ad se ueniat. Præfectus autem Ioannes Kovuar, rei bellicæ eiusmodi'que artium non ignarus, nulla conditione induci potuit, ut castro exiret: uerùm simpliciter respondit, se nondum edoctum esse, Principem suum Tartarorum tributarium & seruum esse. quod si edoceretur, scire se quid facto opus foret. Quare illico Principis sui literæ, quibus se Regi obstrinxerat, proferuntur, atque exhibentur. Interim dum ostensis literis præfecti animus ita sollicitatur, Eustachius suum agens negotium, castro magis ac magis appropinquabat: quo'ue magis fucus lateret, Knes Theodorus Lopata, homo primarius, alij'que complures Rutheni, qui in Moscovuiæ depopulatione in hostium manus deuenerant, certa pecunia redempti restituebantur. ad hæc, plerique ex captiuis negligentius seruati, ac de industria quodammodo dimissi, in castrum euaserant: ad quos repetendos cum Tartari magna multitudine castro appropinquassent, Rutheni metu perculsi, profugos denuó restituissent, Tartari'que nihilominus à castro adeò non recederent, ut pluribus subinde aduenientibus, eorum numerus adaugeretur: Rutheni propter imminens periculum, in magno terrore, summa'cꝫ rerum desperatione erant, neque quid facto opus esset satis uidebant. Tum Ioannes Iordan, natione Alemanus, ex ualle Oeni oriundus, machinarum magi-

ſter, periculi magnitudinem magis quàm Moſci perpendens, ex ſuo arbitrio collocatas ordine machinas in Tartaros & Lithvuanos exonerauit: eos'que ita terruit, ut relicto caſtro omnes diffugerent. Rex per Euſtachium, huius technæ artificem, de illata iniuria cum Præfecto expoſtulat: qui cum ſe inſcio ac inconſulto bombardarium machinas exonerasse dixiſſet, omnem'que huius facinoris culpam in illum tranſtuliſſet, mox bombardarium tradi ſibi Rex poſtulat. atque, ut plerunque in rebus deploratis fit, maxima pars, quo hoſtili terrore liberarentur, hunc dedendum cenſuere: ſolo Ioanne Kovuar Præfecto renuente. atque eius maximo beneficio tum Alemanus ille ſeruatus fuit. Nam Rex ſiue moræ impatiens, ſiue quòd milites præda onuſtos haberet, re ſua id exigente, ſubitò (literis etiam Moſcovuiæ Principis, quibus ſe tributarium perpetuò ſibi fore obſtrinxerat, in arce relictis) ſolutis caſtris, in Tauricam diſceſſit. Porrò tantam captiuorum multitudinem ex Moſcovuia ſecum duxerat, ut ea uix credibilis eſſe uideatur. Aiunt enim numerum octingẽtorum millium exceſſiſſe, quam in Capha partim Turcis uendiderat, partim interfecerat. nam ſenes & infirmi, qui uendi magno non poſſunt, ad'que laborem perferendum inutiles ſunt, apud Tartaros iuuenibus, non ſecus ac catulis lepores, quo primæ militiæ tyrocinia inde addiſcant, aut lapidandi, aut in mare præcipitandi, aut alio quouis mortis genere interficiendi obijciuntur. qui autem uenduntur, perpetuo ſexennio ſeruitutem ſeruire coguntur: quo exacto, liberi quidem fiunt, prouincia tamen decedere non audent. Sapgirei Rex Cazan, quoſcunq; ex Moſcovuia captiuos abduxerat, in Aſtrachan emporio, non longè ab oſtijs Vuolgæ ſito, Tartaris uendidit. Tartarorum regibus ita ex Moſcovuia profectis, Baſilius Princeps rurſus Moſcovuiã redijt: atq; cum in ingreſſu Nicolaum Alemanũ, cuius ſolertia & diligẽtia caſtrum ſeruatũ fuiſſe dixi, in ipſa caſtri porta, quò ad excipiendum Principem ingens multitudo confluxerat, ſtãtem uidiſſet, clara uoce: Tua, inquit, fides erga me & diligentia, quam in ſeruãdo caſtro præſtitiſti, nobis cognita ſunt, huiuſq; officij gratiam cumulatè tibi reponemus. Alteri quoq; Alemano, Ioanni, qui ab caſtro Rezã Tartaros exoneratis repentè machinis depulerat, aduenîẽti: Saluus'ne es? inquit. Deus nobis uitã dedit, hanc tu denuò nobis conſeruaſti: magna erit erga te gratia noſtra. Vterq; ſe liberaliter donatum iri à Principe ſperabat: nihil tamẽ illis datum eſt, quamuis Principẽ hac de re ſępe fatigaſſent, promiſſorumq; admonuiſſent. Qua Principis ingratitudine offenſi, dimiſſionem, ut patriam, à qua diu abfuiſſent, cognatos'que ſuos poſſent inuiſere, efflagitant. ea re effectum eſt, ut decem priori ſtipendio cuique floreni, iuſſu Principis, adijcerentur. Interea cum in aula Principis de Ruthenorum fuga ad Occam, quis eius autor extitiſſet, contentio fuiſſet orta: Seniores in Knes

Demetri-

Demetrium Bielski exercitus ducem, hominem iuuenẽ, à quo consilia sua spreta fuissent, omnem culpam trãsferebant, eiusq́ incuria Tartaros Occam transijsse: contrà ille depulsa à se culpa, Andream iuniorẽ fratrem Principis primum omnium fugã inijsse, cæterosq́ hunc sequutos fuisse dicebat. Basilius, ne seuerior in fratrẽ, quem autorem fugę fuisse cõstabat, esse uideretur, ex Præfectis unũ, qui unà cum fratre profugerat, iniectis cathenis, dignitate & principatu priuauit. Ineunte deinde ęstate, ut acceptã à Tartaris cladem ulcisceretur Basilius, ignominiamq́, quam fugiens & sub fœno latitãs susceperat, deleret, coacto ingenti exercitu, adiuncto etiã magno tormentorum et machinarũ apparatu, quibus antea in bellis Rutheni nunquam usi fuerant, profectus ex Moscòvuia cum omni exercitu, ad Occam fluuiũ, Columnamq́ ciuitatẽ consedit. inde missis ad Machmetgirei in Tauricam caduceatoribus, ad certamen eum prouocat. superiore enim anno, se, non indicto bello, ex insidijs, furum latronumq́ more oppressum fuisse. ad ea Rex respõdit: Sibi ad inuadendam Moscovuiã satis multas uias patêre: bella nõ magis armorum, quàm temporũ esse: proinde ea se suo magis quàm alieno arbitrio, gerere solere. Quibus uerbis irritatus Basilij animus, tum etiã quòd ulciscendi libidine arderet, motis castris, anno Domini 1523. in Nouuogardiam, inferiorem scilicet, ut inde Cazan regnum depopularetur, occuparetq́, contendit. Inde profectus ad fluuium Sura, in finibus Cazanensium, castrum quod à suo nomine appellauit, erexit: neq́ tum ultrà progressus, exercitum reduxit. Sequenti uerò anno Michaelem Georgij, unum ex pręcipuis Cõsiliarijs suis, maioribus quàm prius copijs, ad subigendum Cazan regnum misit. Eo apparatu adeò terribili, Sapgirei rex Cazani perculsus, accersito ad se ex fratre nepote, Rege Tauricę, iuuenem tredecim annorum, qui interim Regno præesset, ad Turcarum Imperatorem, eius auxilium opem'que imploraturus, confugit. Cum autem iuuenis auunculi monitis parens, iter aggressus, ad Gostinovuosero, id est insulam quæ mercatorum dicitur, intra Vuolgæ meatus, non longè à castro Cazan sitam peruenisset, liberaliter honorificeq́ à Regni principibus susceptus est. nam & Seid, supremus Tartarorũ Sacerdos (qui in tãta apud eos authoritate ac ueneratione est, ut etiam Reges aduenienti occurrant, stãtesq́ huic equo insidenti manum porrigant, capite'que inclinato, quod Solis concessum est Regibus, tangant: nam Duces non eius manum, sed genua: nobiles uerò pedes, plebei uestes tantũ, aut equum manu attingũt) in eo comitatu fuit. Is Seid, cum Basilij partes clàm foueret, sequeretur'que, iuuenem capere, & Moscovuiã uinctum mittere satagebat: sed deprehensus, captusq́, cultro in publico occiditur. Michael interea, Dux exercitus, coactis in inferiore Novuogardia ad machinas commeatumq́ deferẽdum nauibus, quarum tanta multitudo erat, ut fluuius alioqui amplus,

 nauigan-

nauigantium multitudine opertus undique esse uideretur: ad Cazanum cum exercitu properabat. cum'que ad mercatorum insulam Gostinovuosero peruenisset, locatis septima die Iulij castris, uiginti diebus, dum equitatum expectat, ibi commoratus est. Interea Cazan castrum, quod ex lignis extructum erat, per quosdam à Moscis subornatos incenditur, ac intuente Ruthenorum exercitu funditus exuritur. Tanta occupandi castri occasio, adeò formidine ac ignauia Ducis neglecta fuit, ut nec militem ad expugnandum castri collem eduxerit, nec Tartaros id denuò ædificantes impediuerit: uerùm uigesima octaua eiusdem mensis die traiecto in eam partem qua castrum situm est, Vuolga, ad Cazanca fluuium cum exercitu consedit, uiginti diebus bene gerendæ rei occasionem captans. Ibi moratus, nec longè ab eo Cazanensis quoque Regulus sua castra locat: emissis'que Czeremissis peditibus, Ruthenos sæpius, frustra tamen, infestat. quem Scheale Rex, qui quoque ad id bellum nauibus uenerat, scriptis literis admonet, ut Regno suo hæreditario cedat. Ad quæ ille paucis: Si Regnum hoc meum (respondit) habere cupis, age ferro decernamus utrique. id cui fortuna dederit, habeat. Dum Rutheni ita frustra moras trahūt, absumpto quem adduxerant commeatu, fame laborare incipiūt. nam Czeremissis omnia circumquaque uastantibus, hostiúmque itinera diligenter obseruantibus, nihil adferri poterat: adeò ut nec Princeps de exercitus sui, qua premebatur, necessitate, cognoscere, nec ipsi quicquam illi significare possent. Huic rei duos Basilius præfecerat: unum, Knes Ioānem Paliczki, qui ex Novuogardia instructis commeatu nauibus, secundo fluuio ad exercitum descenderet, relictóque ibi commeatu, statu etiam rerum præsenti considerato, ocyus ad se reuerteretur: alter eandem ob rem cum quingentis equitibus terrestri itinere missus fuerat, qui à Czeremissis, in quos inciderat, cum suis cęsus est, uix nouem per tumultum fuga elapsis. Præfectus grauiter saucius, tertio pòst die in manibus hostium obijt. Huius cladis fama cum ad exercitum peruenisset, tanta in castris consternatio, quam uanus de toto equitatu ad internicionem cæso subitò obortus rumor etiam adauxerat, coorta est, ut nil nisi de fuga cogitarent. in quam cum omnes consensissent, hæsitabant adhuc, aduerso'ne fluuio, quod difficilimum erat, redirent, an secundo tantisper descenderent, donec alios fluuios attingerent, ex quibus pòst terrestri itinere longo circuitu reuerterentur. In his dum fame supra modum eos urgente, essent consultationibus, nouem, quos ex quingentorum cæde elapsos fuisse dixi, fortè superueniunt, Ioannemque Palitzki cum commeatu aduenturum nunciant: qui & si cursum suum maturaret, sinistra tamen fortuna usus, maiore parte nauium amissa, cum paucis in castra peruenit.. Etenim cum diutino labore fatigatus, una nocte quietis causa in Vuolgæ littus se recepisset,

Czeremisse

Czeremiſſæ continuò magno accurentes clamore, quis'nam prætérnauigaret, ſciſcitantur? quos Palitzki ſeruitores, nautarum ſeruos eſſe rati, iurgiis increpantes, flagris ſe poſtero die cæſuros minantur, quòd domini ſui ſomnum ac quietem importunis uociferationibus interturbarent. Ad quæ Czeremiſſæ: Cras, inquiunt, aliud nobis uobiſcum negotium erit: nam uinctos uos omnes Cazan ducemus. Manè igitur ſole nondum apparente, cum denſiſſima nebula totum littus occupaſſet, Czeremiſſæ derepentè in naues impetu facto, tantum terrorem Ruthenis incuſſerant, ut Palitzki Præfectus claſſis, relictis in manu hoſtium nonaginta maioribus nauibus, in quibus ſingulis triginta uiri erant, ſoluta à littore naui, medium Vuolgæ teneret, nebula'que tectus ferè nudus ad exercitum perueniret. Atque inde pòſt, plurium nauium comitatu rediens, haud diſpari fortuna uſus, in Czeremiſſarum inſidias iterum prolapſus eſt. Nauibus enim, quibus deducebatur, amiſſis, ipſe uix cum paucis incolumis euaſit. Dum Rutheni ita fame hoſtiliq; ui undequaq; urgentur, à Baſilio miſſus equitatus, Vuiega fluuio, qui à Meridie Vuolgam influit, octo'que miliaribus à Cazan abeſt, traiecto, ad exercitum cõtenderet, à Tartaris & Czeremiſſis bis excipitur: cum quibus congreſſi, multis utrinq; deſideratis, Tartaris deinde cedentibus, ſe reliquo exercitui coniunxerunt. atq; ita exercitu equitatu firmato, Cazan caſtrũ quintadecima Auguſti obſideri cœptum eſt. Qua re cognita, Regulus ad alterum oppidi latus in conſpectu hoſtium, ſua quoq; caſtra locauit: emiſſoq; ſubinde equitatu hoſtiũ caſtra obequitare, eoſq; laceſſere iubet. atq; ita crebræ utrinq; uelitationes fiebant. Narratum eſt nobis ab hominibus fide dignis, qui eo bello interfuerunt, ſex aliquando Tartaros in planiciem ad Moſci exercitum proceſſiſſe: quos cum Rex Scheale cẽtum quinquaginta equitib. Tartaricis aggredi uellet, à Duce exercitus prohibitum fuiſſe: duobuſq; milibus equitum ante eum collocatis, occaſionẽ rei benè gerendæ præreptam ſibi fuiſſe. Hi cum Tartaros circumuenire, et quaſi concludere, ne fuga elaberentur, uellent: Tartari eorum conatum hoc aſtu eludere, inſequentibus Moſcis paulatim cedere, parumq; progreſſi ſubſiſtere. Idem Moſci cum facerent, eorum Tartari timiditatem animaduertentes, mox arreptis arcubus tela in eos torquebant: inq; fugã conuerſos perſequuti, complures ſauciabant. Moſcis denuò in ſe conuerſis, paululum cedere, iterumq; ſubſiſtere, atq; ita hoſtẽ ſimulata fuga ludificare. Hęc dum fiunt, duo Tartarorũ equi, tormenti ictu proſtrantur, illæſis tamen equitibus: quos reliqui quatuor ſaluos ac incolumes, duobus milibus Moſcorum ſpectantibus, ad ſuos reduxere. Dum equites ſe ita mutuò ludificant, magna ui interea admotis tormentis, caſtrum oppugnabatur: neque obſeſſi ſegnius, exoneratis pariter in hoſtem tormentis, ſe defendebant. In eo certamine bombardarius, quem

unicum

unicum in castro habebāt, ex Ruthenorum statione sphærula bombardica ictus, occubuit. Qua re comperta, mercenarij ex Germanis & Lithvuanis milites, magnam spem ad occupandum castrum concipiunt: quibus si Præfecti animus respondisset, haud dubiè eo die castro potiti fuissent. Verùm is cum suos inedia, quæ quotidie etiam magis adaugebatur, premi cerneret, priusquam per internuncios de ineundis inducijs clam cum Tartaris egisset, adeò militum conatum non probauit, ut eos etiam cum iracundia corriperet, uerberaq; minaretur, quòd se inscio & inconsulto castrum oppugnare auderent. Benè enim in tanta rerum angustia Principis sui rebus consultum fore putabat, si initis cum hoste quibuscunque inducijs, tormenta & exercitum saluum reportaret. Tartari quoq; cognita Præfecti uoluntate, in spem bonam adducti, conditiones quas Præfectus offerebat, scilicet ut missis in Moscovuiā legatis, pacem cum Principe transigerent, libenter susceperunt. quibus ita constitutis, Palitzki Præfectus soluta obsidione, cum exercitu in Moscovuiam reuersus est. Fama erat, Præfectum à Tartaris muneribus corruptum, obsidionem soluisse. quam quidam natione Sabaudiensis adauxerat: qui cum tormento sibi commisso, ad hostes deficere uoluisset, deprehensus in itinere, atq; seuerius examinatus, confessus est, se deficere uoluisse: atq; ut plures ad hanc defectionem solicitaret, argēteos se nummos & pocula Tartarica ab hostibus accepisse. in quem tamen in tam manifesto scelere deprehensum, Præfectus nihil durius statuit. Reducto ita exercitu, quem centum octoginta millium fuisse perhibent, Cazan Regis Oratores ad pacem firmandam ad Basilium ueniunt. qui etiam tum, dum nos Moscovuiæ essemus, aderant: neq; adhuc ulla tunc futuræ pacis spes inter eos erat. nam & nundinas, quæ circa Cazan in Mercatorum insula fieri consueuerant, in Cazanensium iniuriam Basilius Novuogardiam transtulit: graui indicta pœna, si qui in posterum ex suis ad mercatum in insulam proficiscerentur. eamq; nūdinarum translationem magno Cazanensibus incommodo futuram sperabat: atq; uel salis (cuius Tartari illis tantum nundinis copiam à Ruthenis habebant) emptione adempta, ad deditionē eos cogi posse. Verùm huiusmodi nundinarum translatione non minus incommodi sensit Moscovuia, quàm ipsi Cazanenses. Plurimarum enim rerum, quæ ex mari Caspio, Astrachan emporio, ad hęc Persia & Armenia per Vuolgam importabantur, consequuta est caritas ac penuria: maximè autem nobilissimorum piscium, ex quorum numero Beluga est, qui citra & ultra Cazan in Vuolga capiuntur.

Hactenus de bello Principis Moscovuiæ cum Tartaris Cazanensibus gesto. Nunc ad intermissam de Tartaris narrationem denuò redeo.

Post Tartaros Cazanenses, primi Tartari cognomento Nagai occurrunt,

occurrunt,qui ultra Vuolgam, circa mare Caſpium,ad fluuium Iaick ex prouincia Sibier decurrentē habitant. Hi Reges non habent, ſed Duces. Noſtra tempeſtate tres fratres,æquali diuiſione prouinciarum facta, ducatus illos obtinebant: quorum primus Schidack, ciuitatem Scharaitzick ultra fluuium Rha, Orientem uerſus, cum adiacente ad Iaick fluuium regione obtinebat: alter Coſſum, quicquid inter Kamā Iaick & Rha fluuios eſſet: Schichmamai tertius fratrum Sibier prouinciæ partē,& omnem circumiacentem regionem poſſidet. Schichmamai interpretatur Sanctus,uel potens. Atq; hæ quidem Regiones omnes ferè ſyluoſę ſunt: extra eam quæ ad Scharaitzik uergit,quæ campeſtris eſt.

Inter Vuolgam & Iaick fluuios,circa mare Caſpium, habitabant quondam Savuolhenſes Reges, de quibus poſtea. Apud hos Tartaros rem admirandam,& uix credibilem, Demetrius Danielis, uir (ut inter Barbaros) grauis ac fide ſingulari,nobis narrauit: patrem ſuum aliquando à Principe Moſcovuię ad Zavuolhenſem Regem miſſum fuiſſe,in qua dum eſſet legatione, ſemen quoddam in ea inſula,melonum ſemini paulo maius ac rotundius,alioqui haud diſſimile, uidiſſe: ex quo in terram condito, quiddam agno perſimile, quinq; palmarum altitudine ſuccreſceret; idq; eorum lingua Boranetz,quaſi agnellum dicas, uocaretur. nam & caput,oculos,aures, cæteraq; omnia in formam agni recens editi, pellem præterea ſubtiliſſimam habere, qua plurimi in eis regionibus ad ſubducenda capitis tegumenta uterentur. eiuſmodi pelles uidiſſe ſe, multi coram nobis teſtabantur. Aiebat inſuper,plantam illam,ſi tamen plantam uocari phas eſt, ſanguinem quidem habere, carnem tamen nullam: uerùm carnis loco, materiam quandam cancrorum carni perſimilem. ungulas porrò non ut agni corneas, ſed pilis quibuſdā ad cornu ſimilitudinem ueſtitas: radicem illi ad umbilicum, ſeu uentris medium eſſe. uiuere autem tam diu, donec depaſtis circum ſe herbis,radix ipſa inopia pabuli areſcat. Miram huius plantæ dulcedinem eſſe: propter quam à lupis, cæteris'que rapacibus animalibus multum appeteretur. Ego quamuis hoc de ſemine & planta totum fabuloſum eſſe exiſtimem, tamen eo quòd mihi à dignis uiris relata ſunt, modò referenda eſſe putaui.

A' Principe Schidack, progrediendo in Orientem uiginti diebus,occurrunt populi quos Moſci appellant Iurgenci, quibus Barack Soltan, magni Chan ſeu Regis de Cataia frater imperat. à domino Barack Soltan,decem diætis itur ad Bebeid Chan. Hic eſt ille magnus Chan de Cataia.

Aſtrachan urbs opulenta, magnum'q; Tartarorum emporium, à qua tota circumiacens regio nomen accepit, decem dierum itinere infra Cazan in citeriore Vuolgæ ripa, ad eius ferè oſtia ſita eſt. Quidam hanc non ad Vuolgæ oſtia, ſed aliquot dierum itinere in-

de distare aiunt. Equidem eo loco quo Vuolga fluuius in multos ramos, quos quidam septuaginta esse aiunt, scinditur, pluresq́ insulas facit, totidemq́ ferè ostijs Caspium mare tanta aquarum copia ingreditur, ut procul spectantibus mare esse uideatur, Astrachan sitam esse puto. Sunt alij, qui eam Citrahan appellant.

Vltra Vuiatkam et Cazan, ad Permiæ uiciniam Tartari habitãt, qui Tumenskij, Schibanskij, & Cosatzkij uocantur. ex quibus Tumenskij in syluis habitare, decem'que millium numerum aiunt non excedere. alij præterea Tartari trans Rha fluuium sunt, qui quòd soli capillos nutriant, Kalmuchi uocantur: & ad mare Caspiũ Schamachia, à qua etiam regio nomen accepit, ita appellati, homines in texendis sericeis uestibus excellentes, quorum ciuitas sex dierum itinere abest ab Astrachan, quam unà cum regione Rex Persarum haud ita diu (ut aiunt) occupauit.

Asoph ciuitas ad Tanaim, de qua suprà, septem dierum itinere distat ab Astrachã: ab Asoph autem, Taurica Chersonesus, pręcipuè autem Præcop ciuitas abest quinque dierum itinere. Inter Cazã autem & Astrachan, longo secundum Vuolgam tractu, ad Borysthenem usq́, campi deserti sunt, quos Tartari nullis certis sedibus inhabitant: præter Asoph & Achas ciuitatem, quæ est duodecim miliaribus supra Asoph ad Tanaim: & minori Tanai uicinos Tartaros, qui terram colunt, certasq́ sedes habent. Ab Asoph ad Schamachiam sunt duodecim diætæ.

Ab Oriente Meridiem uersus reflectendo, circa Mæotidis paludes & Pontum, ad fluuium Cupa, qui paludes influit, Aphgasi populi sunt. quò loci usq́ ad Merula fluuiũ, qui Pontum illabitur, montes occurrunt, quos Circassi, seu Ciki incolunt. Hi montium asperitate freti, nec Turcis, nec Tartaris parent. Eos tamẽ Christianos esse, suis legibus uiuere, in ritu et cæremonijs cum Gręcis conuenire, lingua Slavuonica (qua utuntur) sacra peragere, Rutheni testãtur. Audacissimi piratę sunt. nam fluuijs, qui ex eorum mõtibus fluunt, nauibus in mare delapsi, quoscunque possunt spoliant: eos præsertim, qui ex Capha Constantinopolim nauigant. Vltra Cupa fluuium est Mengarlia, quam Eraclea fluuius interlabitur: deinde Cotatis, quam quidam Colchim esse arbitrantur. Post quem Phasis occurrit, qui priusquam mare illabatur, haud procul ab ostijs Satabellum insulam facit: in qua fama est, Iasonis naues quondam stetisse. Vltra Phasim, Trapezus.

Tauricæ Chersonesi paludes, quæ ab ostijs Tanais in longitudinem trecenta miliaria Italica habere dicuntur, ad caput S. Ioannis, promontorium, quà in arctum coeunt, duo tanta miliaria Italica continent. In ea Krijm ciuitas, olim Regum Tauricæ sedes: à qua Krijmskij nominabantur. Postea toto Isthmo, spacio mille ducentorum passuum ad insulæ formam perfosso, Reges non Krijmskij,

sed Præ-

ſed Præcopskiј, ab illa nimirum perfoſſione ſumpto uocabulo, nomen accepere. Præcop enim, lingua Slavuonica perfoſſum ſonat. Vnde apparet, ſcriptorem quendam erraſſe, qui Procopium quendam ibi regnaſſe ſcripſit. Porrò tota Cherſoneſus, ſylua quadam per medium ſcinditur, ea'que pars quæ Pontum reſpicit, in qua Capha inſignis urbs, olim Theodoſia dicta, Genuãſium colonia, tota à Turca poſſidetur. Capham autem Mahumetes, qui expugnata Conſtantinopoli, Græcorum imperium deſtruxit, Genuenſibus ademit. Alteram peninſulæ partem Tartarus poſſidet. Omnes autem Tartari, Tauricæ Reges, originem ſuam ex Savuolhenſibus Regibus ducunt: & cum domeſtica ſeditione aliqui regno pulſi fuiſſent, nec uſquam in uicinia firmam ſedem habere poſſent, hanc Europæ partem occupauere: ueteris'que iniuriæ haud immemores, diu cum Savuolhenſibus dimicabant: donec patrum noſtrorum memoria, Alexandro magno Duce Lithvuaniæ in Polonia imperante, Scheachmet Rex Savuolhenſis in partes Lithvuaniæ uenit, ſcilicet ut inito cum Alexandro Rege fœdere, coniunctis uiribus Mahmetgirei Regem Tauricæ eiјcerent. In quam rem uterque quidem princeps conſenſit. Cum autem Lithvuani iuxta eorum conſuetudinem longius quàm par eſt, bellum differrent, uxor Savuolhenſis Regis, eiuſq; quem in campis habebat exercitus, moræ, tum etiam frigoris impatientes, eorum Regem in oppidis quibuſdam agentem ſollicitant, obmiſſo Poloniæ Rege, ut in tempore rebus ſuis prouideat. Quod cum illi perſuadere non poſſent, uxor relicto marito, cum parte exercitus ad Mahmetgirei Præcopenſem regem deficit: cuius impulſu, Præcopenſis exercitum ad profligandas reliquas Savuolhenſis copias mittit. quibus diſſipatis, Scheachmet Savuolhenſis Rex infœlicitatem ſuam uidens, ſexingentis ferè equitibus comitatus, Albam ad Thiјram fluuiũ ſitam, ſpe auxilij à Turca implorãdi confugit. In ea ciuitate cum ſtructas ſibi, ut caperetur, inſidias intellexiſſet, conuerſo itinere, uix media parte equitum aſſumpta, Chiovuiam peruenit. ubi à Lithvuanis circumuentus, captuſq;, cum Regis Poloniæ iuſſu Vuilnam deduceretur, obuiam ſibi Rex progreſſus, honorificè ſuſceptum, ad Polonorũ conuentum ſecum duxit: quo quidem conuentu bellũ aduerſus Mendligerei decernitur. Sed cum Poloni in cogẽdo exercitu tempus longius, quàm par erat, extraherent, Tartarus uehemẽter offenſus, denuò de fuga cogitare cœpit: in qua deprehẽſus, ad Trokiј caſtrum, quatuor à Vuilna miliarib. retractus eſt. quem ego ibi uidi, unaq; cum eo pranſus ſum. Atq; hic Savuolhenſium Regum imperiј finis fuit: cum quibus & Aſtrachan Reges, qui quoq; ex eiſdem Regibus originem traxerunt, unà perierunt. quibus ita oppreſſis & extinctis, Regum Tauricæ potentia maiorem in modum adaucta, uicinis gentibus terrori erat, adeò ut & Regem Poloniæ ad certum ſti-

pendium pendendum cogerent, ea conditione, ut eorum opera quauis urgente necessitate utatur. Quin & Moscovuiæ Princeps, missis subinde muneribus illum sibi deuincire solebat. quod ideo fit, quia cum mutuis assiduè bellis implicentur, uterque Tartarorum ope armis'que alterum se sperat opprimere posse. Cuius ille haud ignarus, acceptis muneribus utrunque uana spe lactabat. id quod uel eo tempore, dum ego Cæsaris Maximiliani nomine apud Moscovuiæ Principem de pace cum rege Poloniæ ineunda tractarem, apparuit. Nam cum Moscovuiæ Princeps ad æquas pacis conditiones induci non posset, Rex Poloniæ Præcopensem Regem pecunia conduxit, ut Moscovuiam cum exercitu ab una parte adoriretur, se quoque ex altera Opotzkam uersus impetum in Mosci ditionem facturum. qua arte Poloniæ Rex Moscum ad tolerabiles pacis conditiones cogi posse sperabat. Quod Moscus animaduertens, missis Oratoribus suum uicissim apud Tartarum egit negotium, ut scilicet in Lithvuaniam, quam tum omni metu uacuam ac præsidio destitutam esse dicebat, uires suas conuerteret. Cuius consilium Tartarus, sui commodi duntaxat ratione habita, secutus est. atque is eiusmodi Principum dissensionibus potentior factus, cum imperij augendi libidine teneretur, neque quiescere posset, ad maiora animum applicuit: Mamaique Nahaicensi Principe sibi adiuncto, Tauricã anno Domini 1524, mense Ianuario, cum exercitu egressus, Regem Astrachan adortus est. cuius urbem, cum ea relicta, metu profugisset, obsedit & occupauit, mansitque uictor in ciuitate sub tectis. Interim Agis Nahaicensium quoque Princeps, fratrẽ suum Mamai increpat, quòd tam potentem uicinum suis copijs iuuaret. Preterea eum monet, ut Machmetgirei Regis indies crescentem potentiam suspectã haberet. posse enim, ut insanabili ille animo esset, fieri, ut conuersis in se fratrem'que armis, utrumque Regno depulsum aut interimat, aut in seruitutem deducat. Quibus uerbis Mamai permotus, fratri nunciat, eum'que hortatur, ut quàm magnis posset copijs ad se properaret. posse enim nunc, cum Machmetgirei magno rerum successu elatus, securius ageret, utrosque eo metu leuari. Agis fratris monitis parens, ad prescriptũ tempus se cum exercitu, quem ad defendendas in tot bellis Regni sui fines iam prius coegerat, affuturum omnino promisit. Qua re intellecta, Mamai continuò Regem Machmetgirei monet, ne militem soluta disciplina sub tectis aleret, corrumperetque: sed urbe relicta, in campis potius, ut mos est, degeret. Cuius consilio acquiescens Rex, militem in castra educit. aduolat Agis cum exercitu, seque fratri iungit: atque hi non ita multo pòst Machmetgirei Regem nihil tale timentem, cum Bathir Soltan filio, uigintiquinque annos nato, prandentem, facto derepentè impetu obtruncant, eiusque maiorẽ exercitus partem fundũt, & reliquos in fugam uertunt: ac ultra Tanaim, Tauricam usque insequentes, cædunt, fu-

dunt,fugantq́;Præcop ciuitatem,quam in Cherſoneſi ingreſſu eſſe dixi,obſident:tentatisq́; omnibus,cum ea nec ui nec deditione potiri poſſe uiderent,ſoluta obſidione domū redeunt. Horum ergo opera Rex Aſtrachan regno ſuo iterū potitus eſt,uiresq́; Regni Tauricæ,cū Machmetgirei fortiſſimo & feliciſſimo Rege, qui potenter aliquādiu imperauit,cōciderunt. Machmetgirei occiſo,frater eius Sadachgirei,Turcarū imperatoris (cui tum ſeruiebat) auxilio Pręcopenſe regnum occupauit:qui cum Turcarum moribus imbutus, rarius præter Tartarorū morē in publico uerſaretur, neq; ſubditis ſuis ſe conſpiciendum exhiberet, à Tartaris,qui hanc inſolitam rem in Principe ferre non poterant,eijcitur,inq́; eius locum ex fratre nepos ſubſtituitur.à quo cum Sadachgirei captus fuiſſet,nepotem,ne cæde in ſe ſæuiat, ſed à ſuo ſanguine abſtineat, ſenectutis ſuæ miſereatur,deniq; ut priuatus reliquum uitæ in caſtro aliquo deducere, nomen'que duntaxat Regium, tota Regni adminiſtratione nepoti permiſſa,retinere poſſit,ſupplex orat,& impetrat.

Nomina dignitatum apud Tartaros hæc ferè ſunt. Chan, ut ſuprà dixi,Rex eſt:Soltan,filius Regis: Bij,Dux: Murſa,filius Ducis: Olboud, nobilis, uel cōſiliarius: Olboadulu,alicuius nobilis filius: Seid,ſupremus Sacerdos:homo uerò priuatus,Kſi. Officiorū uerò, Vlan, ſecunda à Rege dignitas: nam Reges Tartarorum quatuor uiros,quorum conſilio in rebus grauibus potiſſimum utuntur, habent. ex his primus,Schirni uocatur: ſecundus Barni, tertius Gargni, quartus Tziptzan. Hactenus de Tartaris, nunc de Lithvuania,Moſcovuiæ uicina,dicendum eſt.

DE LITHVVANIA.

Lithvuania Moſcovuiæ proxima eſt. non autem de ſola prouincia,ſed regionibus illi adiacētibus,quę ſub Lithvuanię nomine comprehenduntur,nunc loquor. Hęc longo tractu ab oppido Circaſs, quod ad Boryſthenem ſitum eſt,in Livuoniam uſque protenditur. Porrò Circaſsi, Boryſthenis accolæ, Rutheni ſunt,alij ab his quos ſuprà ad Pontum in montibus habitare dixi. His noſtra tempeſtate præficiebatur Euſtachius Taſcovuitz, (quem cum Machmetgirei Rege in Moſcovuiam unà profectum fuiſſe, ſuprà dixi) uir belli peritiſſimus, aſtutia ſingulari: qui cum crebra cum Tartaris commercia haberet, ſæpius tamen eos fudit. quin & ipſum Moſcum, cuius aliquando captiuus fuerat, in magna ſæpe pericula adduxit. Eo anno, quo nos Moſcovuiæ eramus, miro aſtu Moſcos profligauit: digna'que mihi res uiſa eſt, quæ hoc loco aſcriberetur. Tartaros quoſdam habitu Lithvuanico in Moſcovuiam deduxit, in quos, ceu Lithvuanos, nullo metu Moſcos irruituros ſciebat. ipſe diſpoſitis loco opportuno inſidijs, Moſcos ulciſcentes præſtolatur. Tartari depopulata parte Sevueræ prouinciæ, Lithvuaniam

uersus iter arripiunt: indeq; mutato itinere, cum Lithvuaniam te nuisse cognouissent, Mosci Lithvuanos esse rati, mox uin dictę cupiditate magno impetu in Lithvuaniam irruũt: qua uastata, cum prędа onusti redirent, ab Eustachio ex insidijs circumuenti, ad unum omnes cæduntur. Qua re cognita, Moscus Oratores ad Poloniæ Regem, qui de illata sibi iniuria conquererentur, misit. quibus Rex: Suos non intulisse, sed iniuriam ultos esse, respondit. Ita Moscus utrinq; delusus, damnum cum ignominia ferre coactus est.

Infra Circassos nullæ habitationes Christianorum sunt. Ad Borysthenis ostia, Otzakhovu castrum & ciuitas quadraginta miliaribus à Circass, quam Tauricę Rex non ita diu Polonię Regi ademptam possidebat. Hanc nunc Turcus tenet. Ab Otzakhovu ad Albam, circa ostia Thiræ, quę ueteri nomine dicitur Moncastro, quatuordecim miliar. ab Otzakhovu in Præcop quatuordecim miliar. A' Cercass circa Borysthenem ad Præcop quadraginta mil. Supra Circassos septem mil. per Borysthenem ascendendo, Cańnovu oppidum occurrit, à quo decem & octo miliarib. est Chiovuia, uetus Russiæ metropolis: quam magnificã & planè Regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, monumentaq;, quę in ruderibus uisuntur, declarant. Apparet adhuc hodie in uicinis montibus Ecclesiarum, monasteriorumq; desolatorũ uestigia, præterea cauernæ multæ, in quibus uetustiss. sepulchra, corporaq; in his nondum absumpta uisuntur. Ab hominibus fide dignis accepi, puellas ibi ultra septimum annum rarò castitatem seruare. rationes uarias audiui, quarum nulla mihi satisfacit: quibus, mercatoribus abuti quidem, sed abducere minimè licet. Nam si quis abducta puella deprehensus fuerit, et uita & bonis, nisi Principis clementia seruatus fuerit, priuatur. Lex etiam ibidem est, qua externorum mercatorum (si qui ibi fortè decesserint) bona aut Regi cedunt, aut eius Præfecto: id quod apud Tartaros & Turcas, in Chiovuiensibus apud se mortuis obseruatur. Ad Chiovuiam monticulus quidam est, per quem mercatoribus uia aliquanto difficiliore transeundum est: in cuius ascensu, si fortè currus aliqua pars frangatur, res quæ in curru portabantur, Fisco uindicantur. Hæc omnia D. Albertus Gastol Palatinus, Vuilnensis Regis in Lithvuania uicegerens, mihi retulit. Porrò à Chiovuia ascendendo per Borystenem triginta miliaribus, Mosier ad fluuium Prepetz, qui duodecim mil. super Chiovu Borysthenem influit, occurrit. Thur fluuius piscosus influit Prepetz. à Mosier autem ad Bobranzko, triginta. Inde ascendendo uigintiquinque miliaribus, peruenitur in Mogilevu, à qua Orsa sex mil. abest, Hæc iam enumerata secundum Borysthenem oppida, quæ omnia in Occidentali littore sita sunt, Regi Poloniæ: Orientali uerò, Moscovuiæ Principi subijciuntur: præter Dobrovunã, & Mstislavu, quæ Lithvuaniæ ditionis sunt.

Borisovuo oppidum uiginti duobus ab Orsa in Occidentem miliaribus abest, quod Beresina fluuius, qui infra Bobrantzko Borysthenem influit, præterlabitur. Est autem Beresina, ut oculis conspexi, amplior aliquanto Borysthene, ad Smolentzko. Planè puto hunc Beresinam, id quod etiam uocabuli sonus indicare uidetur, ab antiquis Borysthenem habitum fuisse. nam si Ptolemæi descriptionem conspexerimus, Beresina fontibus magis quàm Borysthenis, quem Nieper appellant, conueniet.

Lithvuania porrò quos Principes habuerit, quando Christianismo initiata fuerit, ab initio satis dictũ est. Huius gentis res ad Vuitoldi usq; tempora, semper florebant. Si bellum aliunde ipsis immineat, suaq; aduersus hostium uim defendere debeãt, uocati quidem ad ostentationẽ magis quàm ad bellum instructi, magno apparatu ueniunt: uerùm delectu habito, citò dilabuntur. Quod si qui remanserint, hi equis uestibusq; melioribus, quibus instructi nomina dederunt, domum remissis, cum paucis quasi coacti, ducem sequũtur. Cæterùm magnates, qui certum militum numerum suis sumptibus in bellum mittere coguntur, data Duci pecunia, se redimẽtes, domi remanent: eaq; res adeò dedecori non est, ut militiæ Præfecti, ducesq;, publicè in conuentibus castrisq; proclamari faciant, si qui uelint, numerata pecunia exautoratos domum redire posse. Tanta autem inter hos quidlibet agendi est licẽtia, ut immodica libertate nõ uti, sed abuti uideãtur, Principumq; bona impignorata possideant: adeò, ut Principes in Lithvuaniam ueniẽtes, suis, ni prouincialium ope subleuentur, uectigalibus ibi uiuere non potuerint. Gentis habitus oblõgus, arcumq; Tartarorum, hastam uerò & scutum Hungarico more gerunt. equis bonis, ijsdemque castratis, sine soleis ferreis, quos mollibus coercent lupatis, utuntur.

Vuilna est caput gentis: ciuitas ampla, intra colles sita, ad confluxum fluuiorum Vueliæ & Vuilnæ. Vuelia autem fluuius aliquot infra Vuilnam miliaribus, Crononem influit. Cronon autem oppidum, Grodno, nomine haud ita dissimili, prꝫterlabitur, Prutenosq; populos quondam ordini Theutonicorũ subiectos (quibus nunc Albertus Marchio Bradenburgensis, posteaquam se Regi Poloniꝫ subdidit, cruceq; & ordine deposito, hꝫreditarius prꝫest) à Samogitis, eo loci quo Germanicũ mare illabitur, dirimit: ubi est oppidum Mumel. nam Germani Crononem Mumel, patrio uerò uocabulo Nemen appellant. Vuilna porrò nunc est muro cincta. multa templa ædesq; lapideæ in ea exꝫdificantur, in qua Episcopalis sedes est, quam tunc Ioannes Regis Sigismundi filius naturalis, uir singulari humanitate præditus tenebat, nosq; in reditu nostro humaniter excepit. Præterea Parochialis Ecclesia, & aliquot monasteria, & præcipuum Frãciscanorum de obseruantia cœnobium, maximis sumptibus extructum, excellit. Multo plura tamen sunt Ruthenorum

templa

templa in ea, quàm Romanæ obedientiæ. In Lithvuaniæ principatu sunt tres Romanæ obedientiæ Episcopatus: Vuilnensis scilicet, Samogithiæ, et Chiovuiensis. Rutheni uerò Episcopatus in Regno Poloniæ & Lithvuania, aut suis incorporatis principatibus, sunt, Archiepiscopus Vuilnæ nunc degens, Polocensis, Vuolodimeriensis, Lucensis, Pinski, Chomensis, Premissiensis. Lithvuani melle, cera, cinere, quibus potissimũ abundant, quæstum faciunt: quæ magna ab eis copia Gedanũ, deinde in Holandiã deferuntur. Picem quoq; & asseres ad fabricandas naues, frumentũ quoq; Lithvuania abũdè præbet. Sale caret, quod uenale ex Britannia habet. Quo tempore Christiernus Daniæ regno eiectus, mareq; piratis infestum esset, sal nõ ex Britãnia, sed ex Russia portabatur: quo etiamnũ utũtur apud Lithvuanos. Nostra tẽpestate apud Lithvuanos duo potissimũ uiri bellica laude clari fauere: Constãtinus Knes Ostroski, ob multas uictorias à Vualacho, Moscoq; et Tartaris partas, felicissimus habitus est: præterea Knes Michael Linski, qui cum adolescens adhuc in Germaniam uenisset, et apud Albertum Saxoniæ Ducem eo tempore in Frisia bellum gerentem strenuè se gessisset, ac per omnes militiæ gradus magnum sibi nomen peperisset, Germanorumq; apud quos adoleuerat moribus imbutus, in patriam rediisset, apud Alexandrum Regem magna authoritate ac summo loco fuit: adeò ut Rex arduas quasque res ex eius iudicio ac arbitrio cõstitueret. Accidit autem, ut cum Ioanne Savuersinski Palatino Trocensi, Regis causa in dissensionem ueniret, ubi compositis tandem rebus, in uita Regis omnia quieta inter illos manebant: at mortuo Rege, manebat Ioanni alta mente repositum odium. nam ex eo priuatus erat Palatinatu. Tum ipse & complices, atq; amici, apud Sigismundum Regem, qui Alexãdro successerat, crimine affectati imperii, ab æmulis quibusdam delatus est, & proditor patriæ nominatus. Cuius iniuriæ Knes Michael impatiens, cum sæpe Regem appellasset, rogassetq; ut communi iudicio, quo tantum crimen à se depellere posse dicebat, causam inter se & Savuersinski actorẽ discerneret: cumq; Rex illius petitioni locum non daret, in Hungariam ad Vuladislaum Regis fratrem proficiscitur: à quo literis & Oratoribus, quibus ad cognoscendam suam causam Rex admonebatur, impetratis, tentatisq; omnibus, cum causæ suæ cognitionẽ à Rege impetrare non posset, indignitate rei permotus Michael, tale facinus se aggressurum, Regi dixit, quod ipsi sibiq; aliquando foret mœrori. Ac cum domum iratus se recepisset, quendam ex suis hominem sibi fidum, cum literis mandatisque ad Moscovuiæ principem mittit. Scripserat autem, si Princeps securam liberamq; ad se ueniendi copiam, datis in hanc rem literis, atq; addito iuramẽto, sibi promitteret, eaq; res honori emolumentiq; sibi apud Principem foret, se castris quæ in Lithvuania possideret, aliisq; ui aut deditione occupatis, ad

tis,ad ſe deficere uelle. Eo nuncio Moſcus, qui uiri fortitudinem & dexteritatem cognitam haberet, mirificè exhilaratus, omnia quæ à ſe Michael peteret, datis ut uolebat literis, iuramentoq́ꝫ addito, ſe facturum recepit. Rebus ita apud Moſcum ex ſententia confectis, Michael ulciſcendi libidine flagrans in Ioannem Savuerſinski, qui tum in uilla ſua circa Grodno erat (in qua ego poſtea ſemel pernoctaui) toto impetu fertur, eumq́ꝫ ne elabi poſſet, diſpoſitis circum ædes militum ſtationibus, immiſſo percuſſore quodam Mahumetano, in lectulo dormientem opprimit, obtruncatq́ꝫ: qua re peracta, ad caſtrum Miensko cum exercitu progreſſus, ui illud, aut deditione occupare nitebatur: ſed Miensko occupatione fruſtratus, alia ſubinde caſtra oppidaq́ꝫ aggreſſus eſt. Interea cum Regis in ſe copias aduenire, ſeq́ꝫ illi longè imparem eſſe intelligeret, obmiſſa caſtrorum oppugnatione, in Moſcovuiam ſe contulit: ubi à Principe honorificè exceptus eſt. nam Lithvuaniam illi parem non habere ſciebat. Vnde magnam de eo ſpem concœperat, ſe eius conſilio, opera, induſtria, uniuerſam Lithvuaniam poſſe occupare. qua ſpe haud prorſus fruſtratus eſt. Nam communicatis cum eo conſilijs, Smolenzko inſignem Lithvuaniæ principatum denuò obſedit, & eam uiri huius induſtria magis quàm uiribus cœpit. Vnus enim Michael, militibus qui in præſidio erant, omnem urbis defendendę ſpem, ſua pręſentia ademit: eosq́ꝫ & metu et pollicitationibus, ut caſtrum proderent, permouit. Quod eo audacius maioreq́ꝫ ſtudio faciebat, quoniam Baſilius, ſi Michael Smolenzko quacunq́ꝫ arte potiri poſſet, ſe caſtrum cum prouincia adiacente perpetuò ſibi conceſſurum promiſerat. Quibus tamē promiſſis adeò ille poſtea non ſtetit, ut Michaelem de pactione ſe appellantem, uana tantum ſpe lactaret, atque illuderet. Qua re uehementer Michael offenſus, nondum abolita è pectore Sigiſmundi Regis memoria, cuius gratiam, opera amicorum quos in eius aula tum haberet, ſe facile conſequi poſſe ſperabat, ex ſuis quendam ſibi fidum ad Regem mittit, ſeq́ꝫ, ſi quæ grauius in ſe commiſiſſet, condonaret, rediturum pollicetur. Grata hæc legatio Regi fuit, nuncioq́ꝫ continuò publicæ fidei, quas petebat, literas dari mandauit. Verùm cum Michael literis Regijs non prorſus fideret, quo tutius redire poſſet, à Georgio Piſbeck & Ioanne de Rechenberg, equitibus Germanis, quos ea authoritate apud Regem, eius'que Conſiliarios eſſe ſciebat, ut Regem uel inuitum poſſent ad ſeruandam fidem cogere, ſimiles literas efflagitauit, impetrauitq́ꝫ. Sed cum eius rei nuncius in Moſci cuſtodias incidiſſet, captusq́ꝫ eſſet, re patefacta, Principiq́ꝫ celeriter ſignificata, Michael Principis iuſſu capitur. Eodem tempore nobilis quidam ex Trepkonum familia, adoleſcens Polonus, à Sigiſmundo Rege ad Michaelem Moſcovuiam miſſus erat, qui ut mandata Regis commodius exequi poſſet, perfugam ſe ſimulabat. Is quoq́ꝫ haud me-

liore fortuna usus, à Moscis capitur: & cum perfugam se diceret, neque sibi fides adhiberetur, adeò arcani continens fuit, ut etiam grauiter tortus, id non reuelaret. Porrò cum Michael captus, in conspectum Principis in Smolenzko adductus fuisset: Perfide, inquit, digna te pro meritis pœna afficiã. ad quæ ille: Perfidiæ crimen, quod mihi impingis, non agnosco. nam si tu mihi fidem promissa'que seruasses, fidelissimum me in omnibus seruitorem habuisses. sed cum te eam floccifacere, meq; à te insuper eludi uiderem, graue mihi in primis est, ea quę animo in te cõcœperam, me exequi non potuisse. mortem ego semper contempsi, quam uel ea causa libenter subibo, ne uultum tuum Tyranne amplius conspiciam. Deinde Principis iussu in magnam populi frequentiam in Vuiesma abductus, ubi supremus belli Præfectus proiectis in medium grauibus, quibus uinciendus erat, cathenis: Princeps te, inquit, Michael maxima (ut scis) dum fideliter seruires, gratia prosequebatur. Postquã autem proditione fortis esse uoluisti, hoc te secundum merita tua munere donat. simul'q; cum dicto cathenas illi inijci iubet. qui dum ita spectãte multitudine cathenis constringeretur, ad populum conuersus: Ne captiuitatis, inquit, meæ falsa apud uos fama spargatur, quid fecerim, cur'q; captus sim, paucis aperiam: ut uel meo exemplo, qualem Principem habeatis, quid'q; quisq; uestrûm de eo sperare debeat, aut possit, intelligatis. Ita orsus, totius sui in Moscovuiam itineris rationem, quę'q; Princeps scriptis literis, addito iuramento, sibi promisisset, neq; ulla ex parte promissis stetisset, referebat. Cum'q; sua de Principe expectatione falsus esset, uoluisse denuò in patriã redire: ideo se captum esse. qua iniuria cum præter meritum afficeretur, mortem se non magnopere refugere, præsertim cum sciret, communi lege naturæ omnibus æquè moriendum esse. Et cum corpore ualido, ingenio'q; ad omnia uersatili esset, multum etiam ualebat consilio, serijs iocosis'q; rebus æquè idoneus, plane'q; (ut aiunt) omnium horarum uir: qua animi dexteritate multum sibi gratiæ authoritatis'q; apud omnes, Germanos præsertim, ubi educatus fuerat, conciliauerat. Tartaros, Alexandro Rege imperante, insigni clade profligauerat: neq; à Vuitoldi morte, Lithvuani tam præclaram à Tartaris uictoriã unquam reportarunt. Hunc Germani uoce Bohemica, Pan Michael uocabant: qui cum, ut homo Ruthenus Gręcorum in fide ritum ab initio, eo'q; pòst obmisso, Romanum sequutus fuisset, quo Principis in se irã indignationem'q; leniret, mitigaret'q;, in uinculis denuò Ruthenicũ assumpsit. De eius liberatione, nobis in Moscovuia existẽtibus, multi præclari uiri, in primis autem Principis coniunx, quæ sibi ex fratre neptis erat, apud Principem laborabat. intercedebat pro eo etiam Cæsar Maximilianus, literas'q; speciales in priore mea legatione ad Principem nomine suo dederat: quibus tamẽ usque adeò nihil effectum est, ut mihi tum nec aditus

ad se pa-

ad se pateret: imò ne uidendi sui copia dabatur. In altera uerò legatione, cum fortè de liberatione eius tractaretur, sæpius à Moscis interrogabar, an hominem nouissem? quibus equidē, quod in rem suam fore putabam, nomen me duntaxat eius aliquando audiuisse, respōdi. Atq; Michael tū liberatus ac dimissus fuit: cuius neptim Princeps, uiuente adhuc priore uxore cum duxisset, tantam spem in eo ponebat, ut filios suos illius uirtute à fratribus in Regno tutos fore crederet: tutorem deniq; filiorum suorum testamento instituerat. Mortuo dein Principe, uiduam lasciuientem cum identidem increparet, proditionis crimine ab ea insimulatus, captusq; infœlix moritur. Qua re patrata, non longè pòst, ipsam quoq; ita sæuientem, ueneno sublatam: adulterum uerò Ovutzina dictum, in partes laniatum ac dissectum aiunt.

Vuolinia inter Lithvuaniæ principatus gentē bellicosiorē habet.

Lithvuania admodum syluosa est. paludes ingentes, & multos fluuios habet: quorū alij, ut Bog, Prepetz, Thur & Beresina, Orientem uersus Borysthenem illabuntur. alij uerò, ut Boh, Cronon, & Narevu, Septentrionē uersus decurrunt. Cœlum inclemēs, animalia omnis generis parua habet, frumento quidem abūdat, sed seges rarò ad maturitatem peruenit. Gens misera, & graui seruitute oppressa. Nam ut quisq; famulorum caterua stipatus, domum coloni alicuius ingreditur, impunè quiduis facere, res ad uitæ usum necessarias rapere, absumere, crudeliter etiam colonum uerberare licet. Colonis quauis de causa ad dominos suos absq; muneribus aditus non patet. quod si etiam admittantur, ad Officiales & Præfectos relegantur: qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, constituunt'ue. Neq; uerò hæc solum tenuium ratio est, sed etiam nobilium, si à proceribus impetrare quippiam uolunt. Audiui à quodam primario Officiale apud Regem iuniorem, qui dixit, Vnumquodq; uerbum in Lithvuania aurum esse. Regi quotannis imperatam pecuniam pro defendendis regni finibus pendunt. Dominis præter censum, hebdomadatim sex dies laborare: Parocho denique ducta, uel mortua uxore, liberis similiter natis, aut uita defunctis, eo quo confitentur tempore, certam numerare pecuniam coguntur. Tam dura porrò seruitute à Vuitoldi tempore in hunc usq; diem detinentur, ut si quis fortè capite damnatus fuerit, de se ipso, iubente domino, supplicium sumere, suisq; manibus se suspendere cogatur. quòd si fortè facere recusauerit, tum crudeliter cæsus, atq; immaniter excarnificatus, nihilominus suspenditur. Hac seueritate effectum est, ut si Iudex aut Præfectus in re præsenti constitutus, reo moram fortè nectenti, minatus fuerit, aut solummodo dixerit, Festina, dominus irascitur: tum miser grauissima uerbera extimescens, laqueo uitam finit.

Feræ in Lithvuania, præter easque etiam in Germania, reperiuntur, bi-

tur, bisontes, onagri, & feri equi. Bisons est, qui patrio nomine Suber uocatur, Germanicè Aurox. Onagrum animal Poloni uocant, quòd Germanis Ellend est: illi patria lingua Losʃs uocant: altius ceruo, auribus prominentibus, & naribus & cornibus nonnihil à ceruo diuersis. Quod si nominis etymologia ductus, onagrū, asinum syluestrem dicere uelis, forma per omnia non respondebit. onagri enim ungulas sectas habent. Quanquam nostro tempore, quod apprimè rarum est, reperti sunt solidis ungulis onagri: quas quidam tanquam amuletum contra morbum caducum gestare solent. cornibus latis, cursu uelocissimo, quę non eo modo quo cætera animalia, sed gradarij equi instar, ueloci gressu cursum suū perficiunt. Vri pariter, quos indigenę Thur, Germani Bisontes uocant, in sola Mazouia reperiuntur. Vrus autem est forma bouis nigri, habet longiora cornua quàm Bisons. Nec te moueat dictio Germanica, quæ urum, Bisontem uocat, & Bisontem, aurox. Nam ex commentarijs Cæsaris habes, Germanos urorum cornibus pro insignioribus poculis quondam usos fuisse: quem usum etiam hodie Samogithæ obseruant. Vrorum porrò cornua, quæ etiam nostro tempore in quibusdam templis auro & argento exornata, ueluti rara quædam monimenta reperiuntur, & longitudine & colore à Bisontis cornibus aliquanto breuioribus, poculis'que minimè aptis, facilè discernuntur.

Samogithia proxima Lithvuaniæ est prouincia, in Septentrionem ad mare Baltheum, quæ Prussiam quatuor miliariū Ger. spacio à Livuonia diuidit: nullo oppido, aut castro munito insignis. huic ex Lithvuania à Principe Pręfectus, quem sua lingua Starosta, quasi seniorem appellant, præficitur. necꝫ temerè is, nisi grauissimas ob causas, officio mouetur: sed quoad uiuit, perpetuò manet. Episcopū habet Romano Pontifici subiectum. In Samogithia hoc in primis admirandum occurrit, quòd cum eius Regionis homines procera ut plurimū statura sint, filios tamen alios corporis magnitudine excellentes, alios perpusillos, ac planè nanos, ueluti uicissitudine quadã, procreare solent. Samogithæ uestitu uili, eoq́ꝫ ut plurimū cinericeo utūtur. In humilibus casis, ijsq́ꝫ oblongioribus uitam ducunt, in quibus ignis in medio conseruatur: ad quē cum paterfamilias sedet, iumenta, totamq́ꝫ domus suæ supellectilē cernit. Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant, tecto, sine ullo interstitio pecora habere. Maiores urorum cornibus pro poculis etiam utuntur. Audaces sunt homines, & ad bellum prompti: loricis, alijsq́ꝫ plurimis armis, præcipuè aūt cuspide, & eo breuiore, uenatorū more, in bello utuntur. Equos adeò paruos habent, ut uix credibile sit, ad tantos labores eos sufficere posse: quibus foris in bello, domiq́ꝫ in colendis agris utuntur. Terram non ferro, sed ligno proscindunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorū tenax, et non arenosa sit, quáꝫ

pinus nunquam crescit. Araturi ligna complura quibus terram subigunt, locoq; uomeris utuntur, secũ portare solent: scilicet, ut uno fracto, aliud atq; aliud, ne quid in mora sit, in prõptu habeant. Quidam ex prouinciç prçfectis, quo prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos uomeres adferri fecerat. Cum autem eo, sequentibusq; aliquot annis, segetes aliqua cœli intemperie expectationi agricolarum non responderent, uulgusq; agrorum suorum sterilitatem ferreo uomeri adscriberet, nec aliud quicquã in causa esse putaret, Præfectus ueritus seditionẽ, amoto ferro, suo eos more agros colere permisit. Prouincia hæc nemoribus, syluisq; abundat, in quibus horrendæ quandoq; uisiones fieri solent. Sunt etiamnũ illic ido lolatræ complures, qui serpentes quosdam quatuor breuibus, lacer tarum instar, pedibus, nigro obœsoq; corpore, trium palmarũ longitudinem non excedentes, Givuoites dictos, tãquam penates domi suæ nutriunt, eosq; lustrata domo statis diebus ad appositum ci bum prorepentes, cum tota familia, quoad saturati in locum suũ reuertantur, timore quodã uenerantur. Quod si aduersi quid illis accideret, serpentem Deum domesticum male acceptũ ac saturatum esse credũt. Cum priori ex Moscovuia itinere rediens, in Troki uenissem, referebat hospes meus, ad quem fortè diuerteram, se eodem quo ibi erã anno, ab eiusmodi quodã serpentis cultore aliquot alue aria apum emisse: quem cum oratione sua ad uerum Christi cultum adduxisset, utq; serpentem quem colebat occideret, persuasisset, aliquãto pòst cum ad uisendas apes suas eò reuersus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modũ diducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respõdit, se, quòd serpen ti deo suo manus nepharias iniecisset, ad piaculum expiandũ, luendamq; pœnã, hac calamitate puniri: multaq; grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Hæc quamuis non in Samogithia, sed in Lithvuania sunt acta, pro exemplo tamen adduxi. Mel nusquam melius, nobilius'ue, quod'que minus ceræ habeat, albumq; sit, quàm in Samogithia, reperiri aiunt.

Mare quod Samogithiã alluit, quod'q; Baltheum, quidã Germanicum, alij Prutenicum, nonnulli Veneticũ: Germani uerò alluden tes Baltheo, Pelts appellant: Sinus propriè dicitur. interluit namque Cimbricam Chersonesum, quam hodie Yuchtland, & Sunder Yuchtland Germani: Latini uerò, nomine inde pariter sumpto, Luciã uocant. Alluit et Germaniã, quam Bassam dicunt, incipiendo ab Holsatia, quç Cimbricã contingit: dein Lubicensem terrã, item Vismariã, et Rostok, Magnopolẽsium Ducũ ciuitates, totũq; Pomeraniç tractũ. id quod nomen eius loci indicat. Pomorijç enim Slavuonica lingua idẽ est, ac si diceres, Iuxta mare, seu maritimũ. Inde Prussiam, cuius metropolis est Gdanum, quod & Gedanum & Dantiscum appellatur, alluit. Porrò Ducis Prussiæ sedes est, quã Germani Regi-

n. Regium montem appellant. Eò loci certo anni tempore, succinum mari innatans, magno hominū periculo, propter subitum maris accessum et recessurum aliquando, piscatur. Samogithiā uix IIII. miliarib. cōtingit: atq; longo tandem tractu Livuoniā, & eam partem quam uulgò Khurland, Curetos absq; dubio uocant, & regiones quæ Mosco subsunt: Vuinlandiam deniq;, quæ Svuetensium ditionis est, unde etiam Venedicum nomen originem duxisse arbitrantur, circumluit. Ab altera autem parte Svuetiam contingit. Totum autem Daniæ regnum, quod insulis maximè constat, in hoc sinu continetur: exceptis Lucia & Scandia, quæ continenti adhærent. Gotlandia quoque insula Regno Daniæ subiecta, in hoc sinu est: ex qua pleriq; Gotthos prodijsse putabant, cum tamen longe angustior sit, quàm quæ tātam hominū multitudinem capere potuisset. Præterea si Gotthi ex Scandia progressi fuissent, ex Gotlandia in Svuetiam, et iterum reflexo per Scandiā itinere (quod rationi minimè consentaneū est) oportuisset eos reuerti. In Gothia insula adhuc Vuijsby ciuitatis ruinæ extant, in qua omnium illac prænauigantium lites ac controuersiæ cognoscebantur ac cōstituebantur: eò etiam ex longinquis illis maritimis locis causę ac negotia deferebantur, prouocabantur'que.

Livuonia prouincia in longitudine secūdum mare protenditur. Huius metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister præest. In ea, præter Rigensem Archiepiscopum, Riualiensis & Ossiliensis Episcopi sunt. Oppida habet complura, præcipuè autem ciuitatem Rigam ad fluuium Dvuina non longè ab ostijs, item Revualiā & Derbteñ ciuitates. Revualiam Rutheni Rolivuan: Derbt uero Iuryovugorod appellant. Riga nomē suum utraq; lingua retinet. Fluuios nauigabiles, Rubonem & Nervuam habet. Huius prouinciæ Princeps, fratres ordinis, quorum primi Cōmendatores uocantur, item proceres & ciues, Germani ferè omnes sunt. Plebs ut tribus ferè linguis utitur, ita in tres ordines seu tribus est diuisa. In Livuoniam ex Germaniæ Principatibus, Iuliacensi, Geldrensi, & Monasteriensi, quotannis noui & seruitores et milites deducuntur: quorum pars in demortuorum, alij in eorum locum qui defuncti annuo officio, quasi manumissi in patriam redeunt, succedunt. Insigni equorum copia adeò abundant, firmi'que sunt, ut hactenus tam Regis Poloniæ, quàm magni Ducis Moscovuiæ hostiles & frequentes in agros eorum incursiones fortiter sustinuerint, se'que strenuè defenderint.

Anno Domini 1502. mense Septembri, Alexander Poloniæ Rex, magnusq; Lithvuaniæ Dux, Magistrum Livuoniensem Vualtherum à Pleterberg, pactionibus quibusdam induxit, ut ipse instructo exercitu Moscovuiæ Ducis prouincias aggrederetur: pollicitus, ubi is hostilem terram attigisset, cum magno se exercitu affuturum.

Sedenim

Sed enim Rex cum ad constitutum tempus, sicuti receperat, non uenisset, Moscique cognito hostium aduentu, ingenti multitudine magistro occurrissent, isque cum se desertũ uideret, neque sine summa turpitudine periculo'que retrocedere posset, suos primùm pro tempore paucis adhortatus, mox exoneratis tormentis, strenuè hostem aggreditur: primoque impetu Ruthenos dissipat, atque in fugam cõuertit. Cum autem pro numero hostium pauciores essent uictores, grauioreque armatura præpediti, hostem longius persequi non possent: Mosci re cognita, recuperatis animis, denuò in ordines redeunt, atque Pletenbergij peditatum, qui circiter mille quingenti instructa phalange hosti se opposuerunt, aggressi strenuè cædunt. In ea pugna Præfectus Matthęus Pernauer, cum fratre Henrico, & uexillifero Conrado Schvuartz, periere. Huius uexilliferi egregium facinus memoratur. nam cum hostium telis obrutus, confectusque diutius stare non posset, priusquam occumberet, alta uoce uirum aliquẽ fortem, qui uexillum a se reciperet, inclamabat. ad cuius uocẽ Lucas Hamerfteter, qui se ex Braunsuicensibus ducibus, illegitimo tamẽ thoro oriundum gloriaretur, illicò accurrens, uexillum ex moribundi manibus capere nitebatur. quem Conradus, siue quòd suspectam haberet illius fidem, siue quòd tanto honore indignum esse arbitraretur, tradere recusauit. Cuius iniuriæ Lucas impatiens, educto gladio manum Conradi cum uexillo amputat. Conradus nihilominus uexillum altera manu & dẽtibus mordicus apprehendens, tenet, laceratque. Lucas uexilli fragmentis arreptis, proditisque peditum copijs, ad Ruthenos deficit. Huius defectione factum est, ut quadringenti ferè pedites ab hostibus miserè trucidarentur: reliqua turba cum equitatu, seruatis ordinibus, ad suos incolumes rediere. Huius cladis autor Lucas, postea à Moscis captus, atque in Moscovuiam missus, in Aula Principis aliquandiu honesto loco fuit. Verùm is acceptæ à Moscis iniuriæ impatiens, ex Moscovuia clàm ad Christiernum Daniæ Regem postea profugit, à quo tormentis præficitur. Cum autem pedites aliqui, qui ex ea clade euaserant, in Daniam elapsi, illius proditionem Regi indicassent, nec cum eo unà militare uellent, Rex Christiernus eum in Stockholm misit: mutatoque pòst Regni statu, Iostericus, aliàs Gustaus Svuetiæ Rex, recuperata Stockholm, Lucam ibi inuentum, numero familiarium suorum ascribit, & Vuiburg oppido præficit: ubi cum nescio cuius criminis se insimulari cerneret, ueritus grauiora, denuò in Moscovuiam se recepit: ubi ego illum honorificè uestitum, inter Principis stipendiarios uidi.

Svuetia imperio Mosci contermina, Nortvuegiæ & Scandiæ non secus coniuncta est, atque Italia Neopolitano Regno & Pedemonti: marique Baltheo, dein Oceano, & eo quod nunc Glaciale appellamus, circumquaque ferè alluitur. Svuetia, cuius Regia Holmia,

quam

quam incolæ Stockolm, Rutheni Stecolna appellant, amplissimum Regnum, multas & uarias nationes complectitur: inter quas uirtute bellica celebres Gotthi, qui in Ostrogothos, id est orientales: & Vestrogothos, id est occidentales Gotthos, pro regionum quas incolunt situ, diuisi: indeq́ progressi, toti orbi, ut pleriq́ scriptores memoriæ prodiderunt, terrori fuere.

Nortvuegia, quam quidam Nortvuagiam appellant, longo tractu Svvetiæ adiacet, mariq́ alluitur. Atq́ ut hæc à Sud, id est Meridie: ita illa à Nort, id est Septentrione, ad quem sita est, nomen accepit. Germani enim quatuor orbis plagis uernacula nomina indidere, prouinciasque his adiacentes inde denominauere. Ost enim, Orientem significat: unde Austria, quam Germani propriè exprimunt, Osterreich. Vuest, Occidentem: à quo Vuestualia. ita à Sud & Nort, ut dictum est, Svvetia & Nortvuegia.

Scandia uerò non est insula, sed continens, Svvetiæ regni pars, quæ longo tractu Gotthos contingit, & cuius nunc bonam partem Rex Daniæ possidet. Cęterùm cum eam, harum rerum Scriptores, maiorē ipsa Svvetia fecerint, ex eaq́ Gotthos & Lōgobardos progressos fuisse retulerint: uidentur, mea quidem sententia, hæc tria Regna ueluti integrum quoddam corpus, Scandiæ duntaxat nomine comprehendisse: quia tum illa terræ pars inter mare Baltheum, quod Finlandiam alluit, & glaciale mare, incognita fuit: quæq́ adhuc propter tot paludes, innumeros fluuios & intemperiem cœli inculta, atq́ parum cognita est. Quæ res fecit, ut plerique hanc immensæ magnitudinis insulam, uno Scandiæ nomine appellarent.

De Corela suprà dictum est, eam & Regi Svvetię et Principi Moscovuię, quòd ditioni utriusq́ Principis interposita est, tributariam esse: eaq́ re uterq́ suā esse gloriatur: cuius fines ad mare glaciale usq́ protenduntur. Cæterùm cum de glaciali mari uaria multaq́ à plerisq́ scriptoribus tradantur, haud abs re fore uisum est, si illius maris nauigationem paucis subiungam.

NAVIGATIO PER MAre Glaciale.

QVo tempore Serenissimi Principis mei Oratorem apud magnum Ducem Moscovuiæ agebam, aderat fortè Gregorius Istoma, Principis illius interpres, homo industrius, qui apud Ioannem Daniæ Regem, linguam Latinam didicerat. is anno Domini 1496. à suo Principe cum magistro Dauid natione Scoto, Regis Danię tunc Oratore, quem ego quoq́ priori legatione illic cognoui, ad Regem Daniæ missus, totius itineris sui rationem nobis compendiò retulit: quòd cum nobis in tanta locorum difficultate arduū & nimis laboriosum uideretur, paucis, sicuti ab eo accepi, describere uolui. Principiò dicebat, se cum Da-

cum Dauid iã dicto Oratore à Principe suo dimissos, Novuogardiã magnã peruenisse. Cum aũt eo tempore Regnũ Svuetiæ à Rege Daniç defecisset, ad hęc Moscus cũ Svuetensib. dissideret, atq; adeò cõmune & consuetũ iter illi propter tumultus bellicos tenere non possent, aliud iter lõgius quidẽ, ac tutius ingressos fuisse: ac primùm quidem ex Novuogardia ad ostia Dvuinæ ac Potivulo, difficili admodum itinere peruenisse. Dicebat autem iter hoc, quod ob molestias et labores nunquam satis detestari poterat, esse spacio trecentorum mil. Conscensis deniq; in Dvuinæ ostijs quatuor nauiculis, littus Oceani dextrum se nauigando tenuisse, ibi'que montes altos et asperos uidisse: tandem confectis XVI. mil. sinuq; quodam traiecto, littus sinistrum adnauigasse. atq; mari amplo à dextris relicto, quod à Petzora fluuio, quemadmodum & adiacentes montes, nomen habet, ad Finlappiæ populos peruenisse: qui etsi humilibus in casis passim secundum mare habitant, ferinam' que propemodum uitam ducant, feris tamen Lappis sunt mansuetiores. Eos Mosco uectigales esse dicebat. Relicta postea Lapporum terra, ac octuaginta mil. nauigatione confecta, Nortpoden regionẽ Regi Svuetiæ subiectam, attigisse. Hanc Rutheni Kaienska Semla, populos uerò Kayeni appellãt. Inde emenso ac superato littore flexuoso, quod in dextrum protẽdebatur, ad promontorium quoddam, quod Sanctum Nasum appellant, se peruenisse dicebat. Est autem Sanctus Nasus, saxum ingens, ad nasi similitudinem in mare prominens: sub quo antrum uorticosum cõspicitur, quod singulis sex horis mare absorbet, ac alternatim magno sonitu reddit euomitq; eiusmodi uoraginem. Alij umbilicum maris, alij charybdim dixere. Tantam autem huius gurgitis uim esse, ut naues aliasq; in propinquo res attraheret, inuolueret atq; absorberet: neque se unquam in maiori periculo fuisse aiebat. Nam gurgite subitò ac uiolenter nauem, qua uehebãtur, ad se attrahente, uix magno labore renitentibus remis sese euasisse. Superato S. Naso, ad quendam montem saxosum, quem circumire oportebat, peruenisse: ubi cum uentis reflantibus aliquot diebus detinerentur, nauta, Saxum (inquit) hoc quod cernitis, Semes appellant: quod nisi munere aliquo à nobis placatum fuerit, haud facile præteribimus. quem Isthoma, ob uanã superstitionem se increpasse aiebat. increpatus nauta subticuit, totoq; illic quatriduo ui tempestatis retentos, uentis postea quiescentibus, soluisse. Cum'q; secundo iam flatu ueherẽtur, nauclerũ dixisse: Vos admonitionem meam de placando Semes saxo, tanquam uanam superstitionẽ irridebatis: at nisi ego noctu clàm ascenso scopulo, Semes placassem, nequaquam transitus nobis concessus fuisset. Interrogatus, quid Semi obtulisset? auenæ farinam butyro permixtam, super lapidem quem prominere uidimus, se fudisse dicebat. Postea cum ita nauigarent, aliud ingens promontorium, Motka nomine, ad penin

sulæ speciem ipsis occurrisse: in cuius extremitate Barthus castrum, quod præsidialem domum significat, esset. habent enim ibi Reges Nordvuegię, ad defendendos fines, militare pręsidium. Tantam autem eius promontorij longitudinē in mare esse dicebat, ut uix octo diebus circumiri posset. qua mora ne impedirentur, et nauiculas & sarcinas per Isthmum dimidij miliaris interuallo, magno labore humeris traduxerunt. Dein in Dikilopporum, qui feri Loppi sunt, regionē, ad locum Dront nomine, qui ducentis à Dvuina in Septentrionem miliaribus abest, nauigasse. atq; eò usq; Moscovuię Principem, ut ipsi narrāt, tributa exigere solere. Relictis porrò ibi scaphis, reliquum itineris terra trahis cōfecisse. Referebat pręterea, ceruorum ibi greges, ut apud nos boum esse, qui Nordvuegorum lingua Rhen uocantur, nostratibusq; ceruis aliquanto maiores sunt: quibus Loppi uice iumentorū utantur hoc modo. Vehiculo in scaphę piscatoriæ formam facto, ceruos iungunt: in quo homo, ne citato ceruorum cursu excidat, pedibus alligatur. Lorum quo ceruorum cursum moderatur, sinistra: dextra uerò manu baculū tenet, quo uehiculi, si fortè in aliquā partem plus ęquo uergeret, casum sustineat. atque eo uehendi genere uiginti miliaria se uno die confecisse, ceruumq; tandem dimisisse: quem ad dominum suum, stabulaq; consueta sponte redijsse, dicebat. Eo tandem itinere confecto, ad Berges ciuitatem Nordvuegiæ rectà in Septentrionem inter montes positam, indeq; equitatione in Daniam peruenisse. Cæterùm apud Dront & Berges in solstitio æstiuali, dies uigintiduarum horarum esse dicitur. Blasius alter principis interpres, qui paucos ante annos à Principe suo ad Cæsarem in Hispaniam missus fuerat, diuersam, magisq; cōpediariam itineris sui rationem nobis exposuit. Dicebat enim, cum ad Ioānem Regem Daniæ missus fuisset ex Moscovuia, Rostovu usq; pedes uenisse: cōscensisq; nauibus Pereaslavu, à Pereaslavu per Vuolgam in Castromovu: indeq; septem vuerst terrestri itinere ad fluuiolum quēdam se peruenisse, per quem cum in Vuolochdā primùm, Suchanam deinde, et Dvuinam ad Berges usq; Norvuegiæ urbem nauigasset, omniaque pericula & labores quos Isthoma suprà retulit, nauigando superasset, rectà tādem Hafniam Daniæ metropolim, quæ Germanis Koppenhagen dicitur, peruenisse. In reditu uterq; se per Livuoniā in Moscovuiam reuersos fuisse, illudq; iter annuo spacio confecisse dicebat. quāuis alter, Gregorius Isthoma, se media huius temporis parte tempestatibus in plerisque locis detentum & remoratum fuisse aiebat. Vterque tamen constanter affirmabat, se mille & septingenta vuerst, hoc est 340 miliaria hoc itinere peragrasse. Demetrius item ille qui nouissimè apud summum Pontificem Romæ Oratorem egit, ex cuius etiam relatione Paulus Iouius Moscovuiam suam descripsit, perq; hoc ipsum iter in Nordvuegiam & Daniam missus uenerat, omnia

suprà

ſuprà dicta ita ſe habere confirmauit. Cæterùm hi omnes, de cõgela to ſeu glaciali mari à me interrogati, nihil aliud reſponderunt, quàm ſe in maritimis locis plurimos & maximos fluuios, quorũ uehementi & copioſo in fluxu maria longis ſpacijs ab ipſis littoribus propelluntur, uidiſſe, eosq; ab ipſis littoribus per certa ſpacia unà cũ mari congelari: uti fit in Livuonia, alijsq; Svuetiæ partibus. quãuis enim concurrentium uentorum impetu glacies in mari frãgatur, in fluminibus tamen rarò, uel nunquam, niſi inundatio aliqua ſuperueniat, glacies tum congeſta eleuatur, aut frangitur. nam glacierum fruſta, fluuiorum ui in mare delata, per totum ferè annum ſupernatant, adeò que frigoris uehementia denuò concreſcunt, ut aliquando plurium annorum glaciem in unum concretam, ibi cernere liceat. id quod ex fruſtis, quæ à uentis in littus propelluntur, facilè cognoſcitur. Equidem & Baltheum mare in plurimis locis & ſæpius congelari, à fide dignis audiui. Dicebant, etiam in ea regione, quæ à feris Loppis habitatur, Solem æſtiuali ſolſtitio quadraginta diebus non occidere: tribus tamen noctis horis corpus ſolis caligine quadam obductum, ut radij illius non appareant, uideri: tantum que luminis nihilominus præbere, ut nemo à labore ſuo tenebris excludatur. Moſci iactant ſe ex illis feris Loppis habere uectigal. quod etſi uerisimile non ſit, mirum tamen non eſt, cum alios uicinos ab ipſis uectigal exigentes non habeant. Tributi autem loco pelles & piſces, cum aliud non habeant, pendunt. Perſoluto autem annuo tributo, nemini ſe quicquam debere, ſui que ſe iuris eſſe gloriantur. Loppi quamuis pane, ſale, alijs que gulæ irritamentis careant, ſolis que piſcibus & feris utantur, multum tamen proni in libidinem eſſe perhibentur. Sagittarij porrò peritiſſimi omnes, adeò ut ſi quas nobiliores in uenatione feras nanſciſcantur, eas quò pelle integra & immaculata potiantur, miſſa in proboſcidem ſagitta interficiunt. Mercatores, alios que hoſpites peregrinos domi cum uxore, uenatum euntes relinquunt. reuerſi, ſi uxorem hoſpitis conſuetudine lætam ac ſolito hilariorem reperiant, munere aliquo hunc donant: ſin minus, turpiter expellunt. Iam conſuetudine hominũ externorum, qui quæſtus gratia eò commeant, innatam feritatem deponere ac mãſuetiores fieri incipiunt. Mercatores libenter admittunt, à quibus ex craſſo panno ueſtes, item ſecures, acus, coclearia, cultri, pocula, farina, ollæ, idq; genus alia ipſis afferuntur: ita ut coctis iam cibis ueſcantur, humanioresq; mores induerint. Veſtibus, quas ipſi ex diuerſis ferarum pellibus conſuunt, utuntur, eoq; habitu in Moſcovuiam aliquãdo ueniunt: pauciſſimi tamen caligis ac pileis, ex pelle ceruina cõfectis, utuntur. Nullus illis aureæ & argenteæ monetæ uſus, ſola rerum permutatione contentis: & cum aliorum idiomata non calleant, apud exteros muti propemodum eſſe uidentur. Tuguriola ſua corticibus ar-

borum tegunt: & nusquam certas sedes habent, sed absumptis uno loco feris ac piscibus, alió migrant. Narrabant etiam prædicti Moscovuiæ Principis Oratores, se in eisdē partibus altissimos montes, ad Ætnę similitudinē flammas semper eructantes, uidisse: & in ipsa Nortvuegia multos mōtes perpetua cōflagratione corruisse. Qua re adducti quidam, purgatorium ignem ibi esse fabulantur. de quibus montibus, dum legatione apud Christiernū Danorum Regem fungerer, eadem ferè ab Nordvuegiæ Præfectis, qui tum forte aderant, accepi. Circa ostia Petzoræ fluuij, quæ sunt dextrorsum ab ostijs Dvuinæ, uaria magnaq; in Oceano dicūtur esse animalia. Inter alia autem animal quoddā magnitudine bouis, quod accolæ Mors appellant. Breues huic instar castorum, sunt pedes: pectore pro reliqui corporis sui proportione aliquanto altiore, latiore'que, dentibus superioribus duobus in lōgum prominentibus. Hoc animal sobolis ac quietis causa, cum sui generis animalibus, Oceano relicto, gregatim montes petit: ubi antequam somno, quo natura profundiore opprimitur, se dederit, uigilem, gruum instar, ex suo numero cōstituit: qui si obdormiscat, aut forte à uenatore occidatur, reliqua tum facilè capi possunt: sin mugitu, ut solet, signum dederit, mox reliquus grex excitatus, posterioribus pedibus dentibus admotis, summa celeritate tanquam uehiculo per montem delapsi, in Oceanum se præcipitant: ubi in supernatantibus glacierum frustis pro tempore etiam quiescere solent. Ea animalia uenatores, solos propter dentes insectantur: ex quibus Mosci, Tartari, & in primis Turci, gladiorum & pugionum manubria affabrè faciunt: his'que pro ornamento magis, quàm ut grauiores ictus (ut quidam fabulatus est) incutiant, utuntur. Porrò apud Turcos, Moscos, & Tartaros, hi dentes pondere ueneunt, pisciumq; dentes uocantur.

Mare Glaciale ultra Dvuinam, ad Petschora, & Obi ostia usque longè lateq; protenditur. ultra quæ Engronelandt regionem esse aiunt. Eam cùm ob altos montes, qui perpetuis niuibus obsiti rigent, tum perpetuam glaciem mari innatantem (quæ nauigationem impediat, periculosam'que faciat) à conuersatione seu commercio nostrorum hominum seiunctam, atque ideo incognitam esse audio.

DE MODO EXCIPIENDI *& tractandi Oratores.*



Rator in Moscovuiam proficiscens, eius'que limitibus appropinquans, nuncium ad proximam ciuitatem mittit, qui eius ciuitatis Prefecto indicet, se Oratorem talis Domini, limites Principis ingressurū. Mox Præfectus nō solum à quo Principe mittatur, sed cuius etiā conditionis, dignitatis'ue sit ipse Orator, itē quotus ueniat, diligēter inquirit: quibus cognitis,

cognitis, aliquem cum comitatu, habita tam Principis à quo mittatur, dignitate, quàm Oratoris ratione, ad excipiendum & deducendum Oratorē mittit. Interim etiam magno Duci, unde & à quo ueniat, cōtinuò significat. Missus ex itinere pariter aliquē ex suis præmittit, qui Oratori significet, magnum hominem aduenire, qui eum certo loco (locum designans) excepturus sit. Porrò magni hominis titulo propterea utuntur, quòd illud prædicatum Magnus, tribuitur omnibus excellentioribus personis. neq; enim quenquā strenuum, aut nobilem, aut Baronem, illustrem aut magnificum uocant, aut alio deniq; id genus titulo ornant. Cæterùm in congressu, missus ille adeò non cedit loco, ut niuem hyberno tempore, ubi subsistit, uerrere, seu terere ita iubeat, quò Orator præterire queat: ipse interim uia trita, seu publica non cedit. Præterea in congressu & hoc obseruare solent. mittunt nuncium ad Oratorem, qui eum admoneat, ut ex equo aut uehiculo descendat: si autem aliquis aut lassitudinem, aut ægritudinem causatus fuerit, tum respondent, quod nec proferre, nec audire uerba Domini, nisi stādo liceat. Imò missus diligenter cauet, ne prior ex equo aut uehiculo descendat, ne uideatur hac re derogare Domino suo, quin ubi Oratorem ex equo descendere animaduertit, tum primùm & ipse descendit.

In priore mea legatione nunciabam occurrenti extra Moscovuiam, me fessum esse de uia, & ut in equis expediremus expedienda. At sibi id faciundū (repetita priore causa) nequaquā uidebatur. Interpretes & alij iam descenderāt, monentes me, ut & ego descenderem. Quibus respondebam, quamprimum Moscus descendet, me quoq; descensurum. Equidem cum uiderem ipsos eam rem tanti facere, deesse ipse quoq; Domino meo, eiusq; minuere authoritatem, pariter nolui. Sed enim prior descendere quum renueret, illaq; superbia aliquantisper protraheretur, finem facere uolens, moui pedem ex subijce ephippiario, tanquam descensurus. qua re animaduersa, missus continuò ex equo descendit: ego uerò lentè me ex equo detuli, ita ut illum à me illusum esse pœnituerit.

Sub hæc accedens, aperto capite inquit: Magni Domini Basilij, Dei gratia Regis & domini totius Russiæ, & magni Ducis, &c. (recitando potiores principatus) Locūtenens & Capitaneus. N. prouinciæ, &c. iussit tibi significare. Postquam intellexit te Oratorem tanti Domini, ad magnum Dominum nostrum uenire, misit nos tibi obuiam, ut te ad se deduceremus. (repetendo titulū Principis, et Locumtenētis.) Præterea nobis demandatū est, ut inquireremus, quàm sanè equitaueris. (is enim modus est in excipiendo, Quàm sanè equitasti?) Dein Oratori dextram missus porrigit: neque rursus honorem prior exhibet, nisi uideat Oratorem caput suum aperire. Sub hæc, humanitatis fortè officio adductus, ultrò Oratorem compellat, quærens, quàm sanè equitasset. Postremò dat signum

manu innuens, Aſcende & uade. Conſcenſis tandem equis, aut uehiculis, ſubſtitit loco unà cum ſuis: necꝙ uia cedit Oratori, ſed poſtremus à longe ſequitur, curatꝙ diligenter ne quiſquam retrocedat, aut ſubſequatur: procedente Oratore, mox ſciſcitantur primum nomen Oratoris, & ſingulorum ſeruitorum: item nomina parentum, & ex qua quiſꝙ prouincia oriundus ſit, qualem quiſꝙ calleat linguam, et cuius ſit conditionis, an Principis alicuius Seruitor, an Oratoris conſanguineus, aut affinis ſit: & an prius quoꝙ in eorum prouincia fuerit, quæ ſingula ad magnum Ducem per literas continuò referunt. Porrò cum paululum progreſſus eſt Orator, occurrit homo, mandatum dicens ſe à Locumtenente habere, ut ſibi de omnibus neceſſarijs prouideat.

Dobrovuna igitur, oppidulo Lithvuanię, ad Boryſthenē ſit, egreſſi, octoꝙ eodē die miliarib. confectis, cū limites Moſcovuiæ attigiſſemus, ſub diuo pernoctauimus: fluuiolū aquis redundantem, ponte ſtrauimus, ut poſt mediā noctem inde progredi, et Smolētzko peruenire poſſemus. Nam ab ingreſſu, ſeu limite, in principatum Moſcovuię, Smolētzko ciuitas duodecim miliaribus tātum Germanicis diſtat. Manè cum ad unū ferè miliare Ger. progreſſi eſſemus, honorificè ſuſcipimur: atꝙ inde uix ad dimidium miliare progreſſi, loco ſub diuo nobis conſtituto patienter pernoctauimus: poſtero die rurſus ad duo miliaria progreſſis, locus pernoctandi conſtitutus fuit, ubi à deductore noſtro prolixè & lautè accepti ſumus. Cęterùm ſequenti die (quæ erat dies Palmarum) quamuis ſeruitoribus noſtris mandaueramus, ut nullibi ſubſiſterent, quin cum ſarcinis rectà Smolentzko contenderent: eos tamen, uix ad duo miliaria Ger. progreſſi, in loco ad pernoctandum conſtituto detentos inuenimus. Nos autem cum ulterius pergentes uiderent, obſecrabant, ut ſaltem ibi prandium ſumeremus. quibus parendum erat. Ea etenim die deductor noſter, Oratores ſui Domini ex Hiſpania à Cæſare nobiſcum reuertentes, Knes Ioannem Poſetzen Iaroslavuski, & Simeonem Trophimovu Secretarium inuitauerat. Ego, qui ſciebam cauſam, cur nos tam diu in his ſolitudinibus detinerent (miſerant etenim ex Smolentzko ad magnum Ducem, nunciando aduentum noſtrum, expectantes reſponſum, an liceret nos ducere in caſtrum, nec'ne) uolui experiri animum illorum, ingrediorꝙ uiam Smolentzko uerſus. Id alij procuratores cum animaduertunt, è ueſtigio ad deductorem currunt, diceſſum noſtrum nunciant: mox reuerſi, orant, miſcentes etiam precibus minas, ut maneremus. Sed illis interea huc atꝙ illuc curſitantibus, cū ad tertium ferè pernoctandi locum perueniſſemus, meus procurator inquit: Sigiſmunde quid agis? cur pro arbitrio tuo in alienis dominijs contra ordinationē Domini progrederis? Cui reſpōdi: Equidem non ſum aſſuetus in ſyluis, more ferarum, ſed ſub tectis & inter homines

uiuere.

uiuere. Oratores Domini ueſtri tranſierunt per Regnum Domini mei pro arbitrio ſuo,& deducti ſunt per ciuitates, oppida & uillas. Hoc idem & mihi liceat. Neq; eſt mandatum Domini ueſtri, neq; cauſam neceſſitatem'ue tantæ moræ uideo. Poſtea aiunt ſeſe parum deflexuros, cauſantes noctē iam imminere: præterea ſerò caſtrum ingredi haudquaquam conuenire. Horum autem nos cauſas, quas prætendebant,contemnentes, rectà Smolentzko cōtendimus: ubi tam anguſtis tuguriolis, procul à caſtro accepti fuimus, ut equos niſi prius effractis ianuis, inducere non potuerimus. Sequenti die rurſus per Boryſthenem traducti, ex oppoſito ferè caſtri ad Boryſthenem pernoctauimus. Tandem Locumtenens per ſuos nos excipit, atque quintuplici ferè potu honorat: Maluatico ſcilicet, & Græco uino, cætera erant medones uarij, item pane & certis ferculis. Manſimus in Smolentzko decem dies, expectantes reſponſum Magni Ducis. Venerant autem duo nobiles à Magno Duce, ut noſtri curam haberent, noſq; Moſcovuiam deducerent. Ædes uerò utriuſq; noſtrûm ingreſſi, ornati commodis ueſtibus, nequaquam caput aperientes, putabant id nos priores facere oportere: quod tamen neglexímus. Poſtremò cum mandatum Principis utrinque referendum & audiendum eſſet, prolato Principis nomine, honorem exhibuimus. Cæterùm quemadmodum uarijs in locis detenti, tardius Smolentzko ueneramus: ita ibi quoq; diutius quàm par fuit,detinebamur. Ne autem lōgiore mora grauius offen deremur, aut ipſi deſiderio quodammodo noſtro deeſſe uiderentur,ſemel atq; iterum nos acceſſerant,dicentes, Cras manè diſcedemus. Nos itaq; manè equos celeriter adornauimus,accinctiq; tota die expectauimus. Tandem ueſperi cum quadam pompa ueniunt, ſeq; eo die haudquaquam expedire potuiſſe,reſpōdent. Cras manè tamē rurſus,ut antea,iter ſeſe ingreſſuros pollicentur: quod pariter diſtulerunt. nam uix tertia die pòſt, circa meridiem diſceſſeramus, eaq; tota die ieiunauimus. Sequenti quoq; die lōgius iter conſtitue rant, quàm quò currus noſtri peruenire poſſent. Interea temporis omnes fluuij hybernis niuibus diſſolutis, aquarum multitudine redundabant.Riuuli quoque nullis coerciti ripis,ingentem aquarum uim uoluebant: adeò ut tutò, citraq; maximos labores tranſiri non poſſent. Pontes enim ante horam,duas aut tres facti,exundantibus aquis natabant. Parum igitur abfuit, quin Comes Leonhardus de Nugarolis, Cæſaris Orator, altera die poſt diſceſſum à Smolētzko, ſubmerſus fuiſſet. Equidem dum in ponte iamiam natante ſtarem, curarem'que ut impedimenta tranſportarentur, equus ſub eo conciderat,eum'que in cæca ripa reliquerat.Procuratores duo illi proximi tum Comiti,ne pedem quidem auxilij ferēdi gratia mouiſſent: adeò, ut niſi alij à longe accurriſſent, eum'q; iuuiſſent, actum de eo fuiſſet. Veneramus eo die ad quendam pontem,quem Comes cum ſuis ma-

ſuis maximo periculo tranſierat. Ego, qui currus ſciebam haud ſubſequuturos, citra pontem manſi, et uillici cuiuſdam domum ſum ingreſſus. Et cum procuratorem negligentius cibum curare uiderem, propterea quòd ſeſe commeatum præmiſiſſe reſponderet: ipſe à matrefamilias cibum, quem libenter & iuſto precio dabat, comparabam. Hoc ille ubi reſciuit, matronæ illico inhibuit, ne quicquam mihi uenderet. Quod cum animaduerti, nuncium illius acceſi, mandaui'que ut procuratori diceret, ut aut cibum tempeſtiuè ipſe curet, aut emendi copiã permittat. quod niſi faciat, caput ſim illi diminuturus. Noui, inquam, morem ueſtrum: multa conquiritis ex mãdato Domini, & hoc noſtro nomine, quę tamẽ nobis non porrigitis. ad hoc nõ permittitis, ut noſtris ſumptibus uiuamus. minatus ſum, hæc me Principi dicturũ. His uerbis minui illius authoritatẽ, ita ut deinceps me non ſolum obſeruaret, ſed quodammodo uenerarertur. Pòſt uenimus ad confluxum Voppi & Boryſthenis fluuiorum, ibiq; onerauimus Boryſthenem ſarcinulis noſtris, quę Mo ſaisko uſq; aduerſo flumine portabantur: nos uerò Boryſthene ſuperato, in quodam monaſterio pernoctauimus. Sequenti die equi noſtri in ſpacio dimidij miliaris Ger. tres fluuios, alios'q; plurimos riuulos redundantes, non ſine periculo natare cogebantur. Nos illos per Boryſthenem ſcalmis piſcatorijs à Monacho quodam uecti circumiuimus, atque tandem XXVI. Aprilis Moſcovuiam attigimus. A' qua cum dimidio mil. Ger. abeſſemus, occurit nobis feſtinabundus, ſudoreq; diffluens, ſenex ille Secretarius, qui in Hiſpanijs Legatus erat, nuncians Dominum ſuum nobis obuiam mittere magnos homines: nominans ęos, qui nos præſtolarentur, excepturi'que eſſent. Ad hæc ait, decere ut in congreſſu ex equis deſcendamus, & ſtantes uerba Domini audiamus. Poſtea manu porrecta, confabulabamur. Equidem inter alia cauſam tanti ſudoris cum quæſiuiſſem, mox alta uoce reſpondit: Sigiſmunde, eſt alius mos ſeruiendi apud Dominum noſtrum, quàm tuum. Porrò dum ita progredimur, uidemus longo ordine, ueluti exercitum quendam, ſtantes: atque mox, nobis appropinquantibus, ex equis deſcendentes: quod & ipſi uiciſſim fecimus. Cæterùm in ipſo concõgreſſu, quidã initiò ita orſus eſt: Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia Rex & Dominus totius Ruſſiæ, &c. (totum titulũ recitans) intellexit, uos Oratores fratris ſui Caroli electi Ro. Imp. & ſupremi Regis, ac eius fratris Ferdinandi, aduenisſe: miſit nos ſuos Conſiliarios, nobis'que iniunxit, ut à uobis inquireremus, quàm ſanus eſſet frater ſuus Carolus Ro. Imp. & ſupremus Rex. Sub hæc, ſimiliter de Ferdinando. Secundus ad Comitem: Leonharde Comes, inquit, Magnus Dominus (totum titulum recenſens) iniunxit mihi, ut tibi obuiam irem, te'que in hoſpitium uſq; deducerem, tibiq; de omnibus neceſſarijs prouiderem. Tertius hoc idem ad me dixit.

Hæc

Hæc aperto capite, utrinq; cum dicta & audita essent, primus rursus inquit: Magnus Dominus (recitando titulum) iussit, ut ex te, Leonharde Comes, inquirerem, quàm sanè equitasses. Hoc idem ad me. Quibus iuxta eorum consuetudinem respondimus: Deus det sanitatem magno Principi. Clementia autem Dei & gratia Magni Ducis sanè equitauimus. Idem hoc rursus: Magnus Dux, &c. (subinde titulum repetens) misit tibi Leonharde gradarium cum ephippio, & alium quoque equum ex suo stabulo. Hæc eadem ad me. Ad quæ cum gratias egissemus, porrigunt nobis manus, & uterq; utrumque nostrûm ordine interrogant, quàm sanè equitassemus. Tandem dicebant, decere ut Dominum eorum honoremus, equosq; donatos conscendamus: quod quidem fecimus. atq; fluuio Moscua traiecto, præmissisq; alijs omnibus, subsequimur. In ripa porrò est monasterium, inde per planiciem, perq; medias hominum turbas, quæ undiq; accurrebant, in ciuitatem, atq; adeò diuersoria ex opposito sita deducti sumus. Erant autem ædes uacuæ & habitatoribus, & omni supellectile. Vterq; uerò procurator indicabat suo Oratori, se unà cum illis procuratoribus qui nobiscum ex Smolentzko uenerant, habere à Domino mandatum, nobis ut de omnibus necessarijs prouideant. statuebant etiam coram nobis scribam, dicentes illum constitutum esse, ut quotidie cibum & alia necessaria afferat. hortantur denique, ut si quid usquam nobis deesset, illis id significaremus. Deinceps singulis ferè diebus nos inuisebant, semper de defectu inquirentes. Habent autem constitutam sustinendi rationem, aliam pro Germanis, aliam pro Lithvuanis, aliam pro aliorum Oratoribus. Habent inquàm certum numerum, & eum quidem præscriptum, constituti Procuratores, quantum uidelicet dent, panis, potus, carnis, auenæ, fœni, et aliarum omnium rerum, iuxta numerum singularum personarum. Sciunt quantum lignorum ad culinam, item quantũ ad uaporaria calefacienda, quantum salis, piperis, olei, cæpe, aliarumq; minimarum rerum in singulos dies dare debeant. Eandem rationem quoque obseruãt Procuratores, qui Oratores deducunt & reducunt ex Moscovuia. Cæterùm quamuis satis superq; tam cibi quàm potus suppeditare solebant, tamen omnia ferè quæ petieramus, prioribus commutata dabant. Quintuplicem potum semper afferebant, triplicem medonem, duplicem ceruisiam. Aliquando pro certis rebus mea pecunia ad forum miseram, præcipuè uerò pro uiuis piscibus. id grauiter ferebant, dicentes, Domino eorum inde magnã fieri iniuriam. Indicabam etiam Procuratori, me nobilibus, quorum quinq; numero mecum habui, lectulos curare uelle. At ille mox respondebat, Non esse consuetudinem, lectulis cuiquam prouidere. Cui respondi, Me non petere, sed uelle emere: atque ideo secum communicare, ne posthac, ut antea, irasceretur. Sequenti itaq; die reuersus inquit:

Retuli ad Cõſiliarios Domini mei, de quibus heri colloquebamur. Iniunxerunt mihi, ut tibi dicerem, ne nummos pro lectulis exponeres. nam quemadmodum noſtros homines in partibus ueſtris tractaſtis, eadem ratione ſeſe & uos tractaturos pollicentur. Cum autem per biduum quieuiſſemus in hoſpitio, quæſiuimus à Procuratoribus noſtris, qua die Princeps nos accerſurus, auditurusq́ eſſet: Quandocunq uolueritis, reſpondent, referemus ad Conſiliarios Domini. Mox petiuimus. Erat nobis conſtitutus terminus, ſed in alium diem reiectus. Pridie autem eius diei, uenerat ipſe Procurator, dicens: Conſiliarij Domini noſtri mandarunt mihi, ut tibi nunciarem, te cras ad Principem noſtrum iturum. Porrò quotieſcunq nos uocarunt, ſemper interpretes ſecum habuerunt. Eodem ueſperi reuertitur interpres, & dicit: Præpara te, quia uocaberis ad conſpectum Domini. Item mane reuertitur, rurſus cõmonens: Hodie eris in conſpectu Domini. Dein uix quartali unius horæ elapſo, ſimiliter utriuſque noſtrûm uenit Procurator dicens: Iamiam magni homines pro uobis uenient, atq ideo decet uos in eaſdem conuenire ædes. Cum itaque Cæſareum Oratorem acceſsiſſem, continuò interpres aduolat, & Magnos homines, eos'que præcipuos apud Principem uiros, qui nos in Aulam eſſent deducturi, nunc adeſſe ait. Erat autem quidam Knes Baſilius Iaroslavuski, Magno Duci ſanguine iunctus: alter, unus ex ijs qui nos nomine Principis exceperat. quos comitabantur plurimi nobiles. Interim Procuratores noſtri monebant nos, ut illis magnis hominibus honorem exhiberemus, & obuiam iremus. quibus reſpondimus, Scire nos debitum officium noſtrum, atq etiam facturos. Cæterùm cum iam illi ex equis deſcendiſſent, atque hoſpitale diuerſorium Comitis ingrederentur, Procuratores ſubindè nos urgebant, ut illis obuiam procederemus, eorum'que Principem in deferendo honore, noſtris Dominis quodammodo præponereremus. Nos uerò interim dum illi aſcenderent, nunc hoc, nunc aliud impedimentum ſimulantes, occurſum tardamus, atque rectà in medijs gradibus in illos incidimus: eos'que ut aliquantiſper reſpirarent, in habitationem ducere uoluimus. ſed id facere renuebant. Ipſe'que Knes inquit, Magnus Dominus (recitando integrum titulum) iuſſit uos ad ſe uenire. Mox conſcenſis equis, magna comitante caterua progreſſi, in tantas hominum turbas iuxta arcem incidimus, ut per eas uix magno ſatellitum labore ac opera penetrauerimus. Eſt enim ea apud illos conſuetudo, ut quotieſcunque inſignes externorum Principum ac Regum Oratores in Aulam deducendi ſunt, tum uulgus nobilium ſtipendiarij ac milites ex circumiacentibus ac uicinis regionibus, iuſſu Principis conuocentur, urbis tabernæ omnes ac officinæ ſub id tempus occludantur, uendentes ac ementes foro pellantur, ciues denique undiquaq conueniant.

Hoc au-

Hoc autem eò fit, ut ex tam immenſa hominum multitudine, ſubditorumq́ turba, Principis apud alienigenas potentia: ex tantis autem externorum Principum legationibus, Maieſtas apud omnes appareat. Porrò arcem ingredientes, diuerſis in locis ceu regionibus, diuerſi ordinis homines collocatos uidimus. Iuxta portam ſtabant ciues: milites uerò & ſtipendiarij aream tenebant, qui pedes nos comitabantur, antecedebant, & ſtando impediebant, ne ad gradus uſque perueniremus, ibi'que ex equis deſcenderemus. Etenim prope gradus ex equo deſcẽdere, præter Principem, nemini licet. Quod ideo quoque fit, ut maior Principi honor exhibitus uideatur. Primùm autem, ut ad medios gradus uenimus, occurrunt nobis certi Principis Conſiliarij, porrigentes manum & oſculum, nos'que ulterius deducunt. Mox ſuperatis gradibus, occurrunt & alij, maioris authoritatis Conſiliarij: cedentibus'que prioribus (eſt enim mos, ut priores ſequentibus, ac proximis quibuſque ex ordine cedant, ac loco ſuo tanquam regione attributa ſubſiſtant) ſalutando dextras porrigunt. Dein ingredientibus palatium, in quo uulgus nobilium circumſtabat, primarij ſimiliter Conſiliarij occurrunt, nos'que ordine ac ratione prædicta conſalutant. Tandem in aliud atrium, quòd Kneſis, alijs'que Generoſioribus, ex quorum ordine ac numero Conſiliarij leguntur, ſeptum erat: atque inde ad Principis uſque conclaue, ante quod ſtabant ingenui, qui quotidiana officia Principi præſtant, ita deducti ſumus, ut interim nemo prorſus ex circumſtantibus, uel minimũ honorem nobis exhibuiſſet. quin ſi aliquem nobis familiariter notum prætereũtes, fortè ſalutaremus, aut alloqueremur, adeò ille non reſpondebat quicquã, ut perinde ſe exhiberet, ac ſi nunquã quenquam noſtrûm nouiſſet, aut ſalutatus à nobis non eſſet. Ad Principem tandem cũ ingrederemur, aſſurgebant nobis (fratres Principis, ſi fortè adſunt, non aſſurgunt, aperto tamen capite ſedent) Conſiliarij. atq́ unus ex primarijs ad Principẽ conuerſus, ex more ſuo, non rogatus noſtro nomine, in hæc uerba loquebatur: Magne Domine, Leonhardus Comes frontem percutit, & rurſus, Magne Domine, Leonhardus Comes frontẽ percutit: de tua magna Gratia. itidem de Sigiſmundo. Primum ſignificat, quaſi, inclinat ſe, aut honorẽ exhibet: ſecundum, gratias agit, de gratia accepta. Nam frontẽ percutere accipiunt pro ſalutatione, gratiarum actione, & alijs id genus rebus. Etenim quoties aliquis quicquam petit, uel gratias agit, tum caput inclinare ſolet: ſi enixius id facere ſtudet, tum ita ſe demittit, ut terram manu contingat. Si Magno Duci pro re aliqua maxima gratias agere, aut petere ab eodem quicquam uolunt, tum uſq́ adeò ſe inclinant, demittunt'que, ut fronte terram contingant. Princeps in loco eminentiore ac illuſtri, pariete imagine Diui cuiuſdam ſplendente, aperto capite ſedebat, habebat'que à dextra in ſcamno

pileum Kolpack, ſiniſtra uerò baculum cum cruce Poſoch, atq; peluim cum duobus gutturnijs, adiuncto impoſitoq; mantili. Aiunt Principem, cùm Oratori Romanæ fidei manum porrigat, credere homini ſe immundo & impuro porrigere: atque ideo, eo dimiſſo, continuò manus lauare. Erat ibi quoq; ex aduerſo Principis, loco inferiore, ſcamnum pro Oratoribus adornatum. Eò Princeps ipſe, exhibito ſibi prius (ut iam dictum eſt) honore, nos nutu & uerbo accerſit, manu ſcamnum demonſtrans. Quò loci cum ordine ſalutaremus Principem, aderat interpres, qui uerbum uerbo reddebat. Audito autem inter cætera Caroli & Ferdinandi nomine, ſurrexerat, de'que ſcabello deſcenderat. audita' que ad finem uſque ſalutati one: Frater (inquit) noſter Carolus electus Rom. Imp. & ſupremus Rex, ſanus'ne eſt? Dum Comes reſpondit, Sanus eſt: interim ſcabellum aſcendit, & ſedit. Hæc eadem, finita mea ſalutatione, ex me de Ferdinando quærebat. Dein utrumque noſtrûm ordine ad ſe uocabat, dicebat'que: Porrige mihi manum. qua data, ſubiungit, Sanus'ne equitaſti? ad quæ uterque noſtrûm, iuxta illorum morem reſpondit: Deus det, ut tu ſanus ſis ad multos annos. Equidem clementia Dei, & tua gratia, ſanus. Sub hæc iuſſerat, ut ſederemus. Nos uerò, priuſquàm id fecimus, iuxta illorum conſuetudinem, Principi in primis, dein Conſiliarijs & Kneſis, qui pro honore noſtro ſtabant, gratias, caput ad utramq; partem inclinantes, egimus. Solent alioqui aliorum Principum Oratores, præſertim qui ex Lithvuania, Liuonia, Svuetia, &c. mittuntur, in conſpectum Principis admiſſi, unà cum comitatu ac ſeruitoribus, ſinguli ſingula munera offerre.

Porrò conſuetudo offerendi munera eſt eiuſmodi. Audita et expoſita legatione, mox Conſiliarius is qui Oratores ad Principem introduxit, ſurgens, clara & aperta uoce omnibus audientibus ita dicit: Magne Domine, N. Orator frontem percutit, N. tali munere. hoc idem de ſecundo & tertio repetit. Dein ſingulorum nobilium ac ſeruitorum, eodem modo, & nomina & munera exprimit. Conſtituitur denique illi in latere Secretarius, qui pariter & Oratorum, & ſingulorum ex ordine offerentium nomina, & munera nominatim ſignat. Eiuſmodi autem munera ipſi Pominki, quaſi Mnemoſynon quoddam appellant. Noſtros uerò admonebant de muneribus: quibus reſpondimus, Non eſſe moris noſtri. Sed redeo ad propoſitum.

Salutatione expoſita cum pauliſper ſediſſemus, inuitauerat ordine utrumq; noſtrûm Princeps hiſce uerbis: Prandebis mecum. In priore mea legatione, ut hoc quoq; adijciam, iuxta illorum conſuetudinem me hoc modo inuitauerat: Sigiſmunde, comedes ſal & panem noſtrum nobiſcum. Mox dein uocatis ad ſe Procuratoribus noſtris, neſcio quid illis demiſſa uoce dixerat. à quibus uiciſſim admoniti

moniti interpretes: Surgite, inquiunt, eamus in aliam habitatio-nem. in qua dum reliquum legationis ac mandatorum quibusdam Consiliariјs ac Secretariјs à Principe constitutis exponimus, ador-nabantur mensæ. Constituto porrò prandiј apparatu, Principe fra tribus ac Consiliariјs iam discumbentibus, in cęnaculum ipsi cum es semus deducti, cõtinuò Consiliariј cæteriq́ꝫ omnes ordine nobis as surrexerunt: quibus uicissim, morem eorum edocti, priusquàm con sederãt, gratias, caput ad omnes partes inclinãdo, egimus: locumq́ꝫ in accubitu, quem nobis ipse Princeps manu designabat, cæpimus. Cæterùm tabulæ in cœnaculo circumcirca adornatæ erant. In me-dio stabat abacus, grauis diuersis aureis & argenteis poculis. In ta-bula, ad quam Princeps sedebat, utrinq; tantum interualli relictum erat, quantum ipse manibus expansis spaciј pertingere posset: infra quod fratres, si fortè adsunt, à dextris senior, iunior à sinistris, sedẽt. A' fratre rursus paulo ampliore spacio interiecto, Seniores Knesi, Consiliariј, ordine ac gratia quam quisq; apud Principem obtinet obseruata, sedebant. Ex opposito Principis in alia tabula nos sede-bamus: atq; paruo interuallo interposito, familiares ac seruitores nostri. quibus ex aduerso, in altero latere, ordine sedebant hi, qui nos ex hospitio in aulam deducebant. in posterioribus utrinq; op-positis tabulis, sedebant hi quos Princeps ex singulari gratia inui-tauerat: quibus stipendiariј nonnunquam adhibentur. In tabulis posita erant uascula, quorum alia aceto, alia pipere, alia sale repleta erant: singula autem per lõgitudinem tabulæ ita collocata & distri-buta erant, ut semper quatuor numero conuiuæ, singula hæc tria haberent. Sub hæc Dapiferi, splendidis uestibus ornati, ingressi, a-bacum circumeuntes, ex aduerso Principis, neglecto omni honore, subsistunt: dum omnes uocati conuiuę accumberent, dumq́ꝫ cibum afferre iuberentur. Interim omnibus discũbentibus, Princeps quen dam ex suis ministris uocarat, ac duo sibi oblonga panis frusta dede rat, inquiens: Da Leonhardo Comiti, et Sigismundo, hunc panem. Minister assumpto secum interprete, ordine utriq; nostrûm ita ob-tulit: Leonharde Comes, Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Rex & Dominus totius Russiæ, & Magnus Dux, facit tibi gratiam suam, & mittit tibi panem de sua tabula. Hæc uerba interpres clara uoce reddebat. Nos stantes, Principis gratiam audiebamus. Assur rexerant & aliј, extra Principis fratres, pro honore nostro. Pro eius modi autem gratia ac honore, alia responsione opus non est, quàm ut panem oblatum accipias, super tabulam ponas, gratias'que ipsi Principi capitis inclinatione, dein Consiliariјs, item aliјs, ad o-mnes partes caput circumferendo & inclinando agas. Porrò pa-ne ipso Princeps suam erga aliquem gratiam, sale uerò amorem o-stendit. Neque uerò maiorem honorem potest alicui exhibere in suo conuiuio, quàm si alicui sal de sua tabula mittit. Panes præterea

formam helcij equini habentes, mea opinione, omnibus ijs uescentibus, durum iugum & perpetuam seruitutem designant. Tandem pro cibo Dapiferi, nullo rursus honore Principi exhibito, egressi, aquam uitæ, quam ab initio prandij semper bibunt: dein cygnos assos, quos ferè pro primo ferculo, quoties carne uescuntur, hospitibus apponere solent, attulerant. Ex quibus tres sibi appositos Princeps cultello pungens, quí nam melior, alijs' que esset præferendus, explorabat, eos' que continuò auferre iusserat. Egressi mox omnes, eo quo intrauerant ordine, cygnos discerptos, ac in partes diuisos, in minores patinas, eas' que singulas singula quatuor frusta posuerant. Ingressi quinque patinas Principi apposuerant: reliquas Fratribus, Consiliarijs, Oratoribus, alijs' que ordine distribuerant. Astat quidam, qui Principi poculum porrigit: is scilicet, per quem panem & alia fercula singulis mittit. Solet autem Princeps portiunculam Dapifero ad prægustandum dare, dein à diuersis partibus decerpere, gustareq́: pòst Fratri, aut Consiliario alicui, aut Oratoribus, unam patinam, ex qua ipse gustauit, mittere. Semper autem maiori solennitate Oratoribus huiusmodi obsonia, ut de pane dictũ est, offeruntur: in quibus accipiendis, non solum ei cui mittuntur, sed alijs singulis assurgendum: adeò ut toties exhibita Principis gratia, assurgendo, stando, gratias agendo, caputq́ subinde in omnes partes inclinando, non mediocriter quispiam defatigetur. In priore legatione, cum Cęsaris Maximiliani Oratorem agerem, & conuiuio acceptus fuissem, aliquoties pro honore Fratrum Principis surrexeram: sed illos cum mihi uicissim neq́ gratias agere, neq́ uices ullas reponere uiderem, deinceps quoties gratiam à Principe accepturos animaduertebã, cœpi tum continuò cum aliquo loqui, dissimulans omnia: & quamuis quidam ex opposito mihi innuebant, me' que stantibus Principis Fratribus appellabant, ego tamen usqueadeò dissimulabam omnia, ut uix pòst tertiam admonitionem ex eis, quid' nam sibi uellent, quærerem. Cæterùm, cum Fratres Principis stare respondissent: ego priusquam respicerem, assurgerem' que, ceremoniæ quodammodo finiebantur. Dein cum aliquoties tardius assurrexissem, iterum' que statim sedissem, idq́ qui ex opposito sedebant, riderent: itidem quam ob rem risissent, tanquã aliud agens, interrogabam. Sed cum nemo causam aperire uellet, tandem quasi intellecta causa, uultu in grauitatẽ composito dicebam: Ego nunc non adsum, ut priuata persona. certè qui Dominũ meum negligit, hunc & ego negligam. Præterea cum Princeps alicui ex iunioribus obsoniũ mitteret, equidẽ etiam admonitus cur non assurgerem, respondi: Qui Dominũ meum honorat, hunc et ego honorabo. Porrò cum assos cygnos cœperamus edere, apponebant acetum, addito sale et pipere: ijs enim loco embammatis, seu iusculi utuntur. Lac præterea acidum in eundem usum appositum,

ſitum, item cucumeres ſalſi, ad hæc pruna eadem ratione condita, prandij tempore è menſa non remouentur. Eadem ratio in alijs inferendis ferculis ſeruatur: niſi quòd rurſus, ut aſſatura, non efferãtur. Apponuntur uarij potus, maluaticum, Grecum uinum, uarij etiam medones. Princeps cõmuniter ſemel aut bis porrigi ſibi poculũ ſuum iubet: ex quo cum bibit, Oratores ad ſe ordine uocat, Leonharde, Sigiſmunde (dicens) ueniſti à Magno Domino, ad Magnũ Dominum: feciſti magnũ iter, uidiſti gratiam noſtrã, & ſerenos oculos noſtros, bibe & ebibe, & benè ede uſq; ad ſaturitatem: deinde quieſces, ut tandẽ ad Dominum tuũ redire poſſis. Omnia & ſingula uaſa, in quibus cibus, potus, acetũ, piper, ſal, & alia appoſita uidimus, dicunt eſſe ex puro auro: id quod ex pondere uerũ apparebat. Sunt quatuor perſonæ, quæ ſingulæ ex utraq; parte abaci ſtantes, ſingula pocula tenent: ex quibus Princeps plerunq; bibit, et ſæpius Oratores alloquitur, monetq; eos ut edant. Aliquãdo etiam ſciſcitatur aliquid ab eis, ſeq; ualde urbanũ & humanũ exhibet. Interrogabat me inter alia, an raſiſſem barbam? quod unica dictione fit, ſcilicet Brill. cum faterer, dicit, Et hoc iuxta noſtrũ: quaſi diceret, Et nos raſimus. Cum autem alterã uxorem duxiſſet, totam barbam abraſerat: quod nunquã ab aliquo Principe factum perhibebant. Antea miniſtri tabulæ, inſtar Leuitarum ſacris inſeruientium, Dalmaticis induti erant, cincti tamen: nunc uerò habent ueſtes diuerſas, quas Terlick uocant, gemmis & unionibus graues. Prandet aliquando tres aut quatuor horas. In prima mea legatione, etiam ad unam uſq; noctis horam prandebamus. Quemadmodum enim de rebus dubijs conſultantes, ſæpe totum diem conſumunt, neque digrediuntur, niſi re prius maturè deliberata, conſtituta'que: ita conuiuijs pariter ſeu comeſſationibus integrum abſumunt nonnunquã diem, intendentibus'que tandem tenebris, ſecedunt. Conuiuas ſæpe & ferculis & potu honorat. A' prandio, in negotijs grauioribus nihil agit: quin finito prandio dicere ſolet Oratoribus, Ite nunc, dimiſſos, illi ipſi qui eos in Aulam deduxerant, rurſus in diuerſoria reducunt: ſeq; mandatum habere dicunt, ibi ut maneant, illos'que exhilarent. Afferuntur argentea pocula, & certa uaſcula multa, cum certo potu: omneſq; in hoc ſtudent, quo temulentos eos faciant. Sciunt autem pulchrè homines inuitare ad bibendũ. & cum nullam aliam habent occaſionem propinandi, incipiunt tandem bibere pro ſanitate Cæſaris, fratris eius, Principis, aliorum deniq; incolumitate, quos uidelicet in aliqua dignitate & honore conſtitutos credunt. Illorum nomine quenquã recuſare poculum, non debere, nec etiam poſſe exiſtimant. Ita autem bibitur. Qui incipit, ſumit poculũ, ac in medium habitationis procedit, ſtanſq; aperto capite, feſtiuo ſermone exponit, pro cuius ſalute bibat, quid'que illi precetur: mox euacuato ac obuerſo poculo, uerticem tangit, quo omnes uideant ſe ebibiſſe,

& ſanita-

& sanitatem illius Domini, cuius nomine bibitur, exoptare. Postea ad locũ supremum se cõfert, plura pocula implere iubet, mox suum cuiq; porrigit, nomenq; pro cuius salute bibendum sit, addit. singuli itaq; ad medium habitationis ire, ac euacuatis poculis in suum redire locum coguntur. Qui uerò longiorem compotationem effugere uelit, fingat se necesse est, temulentum, aut somno oppressum esse: aut, ut illos inebriet, aut saltem post multa exiccata pocula se amplius nequaquam bibere posse, affirmet. Etenim non credunt conuiuas benè acceptos, ac lautè tractatos, nisi temulenti reddantur. Hunc morem communiter Nobiles, & quibus permissum est medonem ac ceruisiam bibere, obseruant. In priore legatione negotijs confectis, cum me dimitteret, finito prãdio ad quod eram uocatus (solent enim Legatos tam discedentes, quàm aduenientes, conuiuio accipere) surrexerat Princeps, subsistens'que ad tabulam, poculum sibi dari iusserat, dicens: Sigismunde, ego uolo pro amore, quem habeo erga fratrem nostrum Maximilianum, Romanorum electum Imperatorem, & supremum Regem, pro'que sanitate sua, poculum hoc ebibere: quod & tu ebibes, & alij omnes ordine, ut uideas amorem nostrum erga fratrem nostrum Maximilianum, &c. ei'que referas, quæ uideris. Dein porrigit mihi poculum, & dicit: Ebibe pro sanitate fratris nostri Maximiliani Elect. Rom. Imp. & supremi Regis. Porrigebat & alijs omnibus qui prandio intererant, aut alioqui astabant, & ad singulos ijsdem uerbis utebatur. Acceptis igitur poculis, parum retrocessimus, caputq; erga Principem inclinantes, bibimus. Quibus finitis, me ad se uocat, manum porrigit, ac inquit: I nunc. Solet præterea communiter Princeps, negotijs Oratorum ex aliqua parte pertractatis atq; constitutis, eos ad uenationẽ & solatium inuitare. Est iuxta Moscovuiam locus arbustis consitus, leporibus percommodus, in quo quasi quodam leporario fouetur maximus numerus leporum: quos proposita maxima pœna capere, præterea arbusta ibi secare, nemo audet. Nutrit etiam quàm plurimos in uiuarijs ferarum, atq; alijs locis. Et quotiescunque uult eiusmodi uti solatio, tum ex diuersis locis lepores comportare iubet. nam quo plures lepores cæperit, hoc maiore solatio & honore negotium se confecisse putat. Item cum in campum uenerit, tum certos suos Cõsiliarios, adiunctis certis etiam Aulicis, seu Equitibus, pro Oratoribus mittit, eos'que ad se deduci iubet. Deducti itaq;, Principiq; appropinquantes, de equis, Consiliariorum admonitione, descendere, et ad Principem ire aliquot passibus coguntur. Nos eadem ratione in uenatione ad se deductos, in equo exornato sedens, ueste splendida indutus, chirothecis depositis, tecto tamen capite, humaniter exceperat, nudamq; porrexerat manum, perq; interpretem dicebat: Exiuimus ad solatium nostrum, uocauimus uos ut interessetis solatio nostro, atque inde aliquam

uolupta-

uoluptatem caperetis: proin equos conſcendite, nosq́ʒ ſequimini. Habuit tegmen quod Kolpakh appellant, quodq́ʒ utrinqʒ à tergo & à fronte monilia habebat, ex quibus laminæ aureæ in modum pennarum in altum tendebant, incuruantesq́ʒ ſurſum deorſum'que ferebantur. Veſtis erat inſtar Terlick, aureis filis contexta. ex cingulo pendebant duo oblongi patrio more cultelli, & pugio pariter oblõgus. à tergo habebat ſub cingulo genus quoddã armorum ueluti cæſtum, quo communiter in bello utuntur. Eſt etenim baculus cubito aliquantulum longior, cui corium duarum palmarum longitudine eſt affixum: in cuius extremitate claua aut ænea, aut ferrea, ceu fruſtum quoddam exiſtit. hoc tamen auro undiqʒ exornatum erat. Claudebat eius dextrum latus, expulſus Caſani Rex, nomine Scheale, Tartarus: ſiniſtrum uerò, duo iuuenes Kneſi. quorum alter ſecurim ex ebore, quam ipſi Topor uocant, ea fere forma qualis in Hungaricalibus aureis expreſſa cernitur, dextra ferebat: alter uerò clauam pariter Hũgaricæ ſimilem, quã ipſi Scheſtop ero, id eſt ſexpennatã appellant. Rex Scheale accinctus erat duplici pharetra: in una ſagittas recõditas, altera uerò arcũ incluſum quodãmo do habebat. Aderãt in cãpo pluſquàm trecenti equites. Porrò dum ita per campum incedimus, Princeps nos aliquoties, nunc hoc, iam alio loco ſubſiſtere, aliquando ad ſe propius uenire iuſſerat. Dein ad locum uenationis perductos, alloquebatur, conſuetudinem eſſe dicens, ut quoties in uenatione ac ſuo ſolatio eſſet, tum ipſe & alij boni uiri ſuis manibus canes uenaticos ducerent: itidemq́ʒ nos ut faceremus, hortabatur. Cõſtituerat deniqʒ unicuiqʒ noſtrûm duos homines, quorum uterqʒ canem ducebat, quibus ipſi pro ſolatio noſtro uteremur. Ad ea reſpondebamus, Nos hanc ſuam gratiam grato accipere animo, eundem'que morem apud noſtrates eſſe. illa autem excuſatione ideo utebatur, quòd apud eos canis immundum animal habetur: & turpe eſt, canẽ nuda manu attingere. Cæterùm ſtabant longo ordine centum ferè homines, quorum dimidia pars nigro, altera flauo colore erat ueſtita. Non longè ab ijs ſubſtiterant omnes alij equites, prohibentes ne illàc tranſcurrerent ac elaberentur lepores. Porrò nemini ab initio dimittere canem uenaticum permiſſum erat, quàm Regi Scheale, & nobis. Princeps primus inclamabat uenatorem, ordiri iubens: qui continuò concitatiſſimo equi curſu ad cæteros uenatores, quorum magnus erat numerus, aduolat: mox uno ore omnes exclamant, canes Moloſſos & odoriferos immittunt. ubi ſanè periucundum erat audire tot, tamq́ʒ uarios canum latratus. Habet autem quàm plurimos, & eos quidem optimos, canes. Quoſdam autem ad inſequendum lepores tantum, Kurtzos dictos, perpulchros piloſis caudis & auribus, communiter audaces, tamen ad longius currendi ac perſequendi ſpacium haud commodos. Cum lepus ſeſe offert, dimittuntur tres, quatuor,

S quinqʒ

quinqꝫ,aut plures canes,eum undiqꝫ adorientes : quo apprehenso, magno plausu acclamant, ac si magnam feram cæpissent. Porrò lepores si tardius aliquando excurrunt,solet tum Princeps continuò aliquem,quemcunqꝫ inter arbusta leporem in sacco habentem conspexerit, nominare, ac Hui hui inclamare: qua uoce leporem emittendum significat. Egrediuntur itaqꝫ lepores nonnunquã quasi somnolenti, saltantes inter canes, ueluti capreoli aut agnelli inter greges. Cuiuscunqꝫ canis plures capit, is eo die optimum stratagema præstitisse putatur. Princeps ipse pariter Oratori,cuius canis plures cæperit, applaudere uidetur. Porrò uenatione tandem finita,omnes conuenerãt,leporesqꝫ cõpartauerant : quos tum numerabãt. numerati uerò sunt circiter CCC. Aderant ibi tum Principis equi, non ita multi,nec satis pulchri. etenim in priore legatione simili solatio cum interfuissem, uidi longè plures ac pulchriores, præsertim eius generis quos nos Turcicos, illi uerò Argamak uocãt. Aderant quoqꝫ complures Falcones, alij albi, alij phænicei coloris,magnitudine excellentes:quos nos Girofalcones, hos illi Kretzet appellant: quibus uenari cygnos, grues, & alias id genus aues capere solent. Sunt autem Kretzet,aues audacissimæ quidem,at non tam atroces, impetuqꝫ horrendo, ut aliæ aues quantumuis rapaces, illarum uolatu,seu conspectu (quemadmodum quidam de duabus Sarmatijs fabulatus est) decidant, extinguanturqꝫ. Illud quidem experientia ipsa constat,si quis uenatur accipitre,aut niso,aut alijs falconibus,& interim Kretzet (quam à longè uolantem continuò sentiunt) aduolauerit, quòd prædam ulterius nequaquam insequuntur, sed pauidæ subsistunt. Retulerunt nobis fide digni ac insignes uiri,Kretzet, quando ex illis partibus ubi nidificant, afferuntur, tum aliquando IIII. V. aut VI. in quodam uehiculo ad hoc præparato, simul includuntur : atqꝫ escam quæ illis porrigitur, obseruato certo quodam senij ordine,capere solẽt. Id autem ratione, an natura illis indita, an quo alio modo fiat, incertum est. Præterea quemadmodum in alias aues aduerso impetu feruntur, rapacesqꝫ existunt : ita inter se ipsas sunt mansuetiores, mutuis sese morsibus minimè dilaniantes. Nunquã aqua se, ut cæteræ aues, lauant : sed sola arena, qua pediculos excutiunt,utũtur. Frigiditate adeò gaudent,ut perpetuò aut super glacie,aut lapide stare soleant. Sed redeo ad institutum. Princeps ex uenatione ligneam quandam turrim uersus,quę abest à Moscovuia quinqꝫ millibus passuum,progressus est,ubi aliquot tẽtoria erant collocata. primum, magnum & amplum, instar domus, pro se : aliud pro Rege Scheale : tertium pro nobis : dein alia pro alijs personis,& rebus. in quæ cum ordine deducti essemus,Princeps in suum pariter ingressus, uesteque commutata, nos continuò ad se accerserat, nobisque ingredientibus, sedebat in sede eburnea : latus eius dextrum claudebat Rex Scheale, nos ex aduerso loco,alias

Oratori-

Oratoribus, dum uel audiuntur, uel de negotijs tractāt, destinato. Infra Regem sedebant certi Knesi & Consiliarij. in sinistro latere, Knesi iuniores, quos fauore singulari ac gratia sua prosequitur Princeps. Discumbentibus itaque omnibus, apponebantur primùm confectiones (ut uocant) coriandri, anisi, & amygdalorum: dein nuces, amygdala, atq; saccari integra pyramis: quæ ministri genibus flexis Principi, Regi, & nobis, tenentes porrigebant. Potus similiter de more dabatur: Princeps'que gratiam suam (ut in prandijs assolet) exhibebat. In priore mea legatione eò loci etiam prandium sumpsimus. Et cum inter prandendum, panis, quem ipsi Beatæ Virginis uocant, quem'que quodammodo consecratum uenerari, atque etiam edere, quem denique communiter in habitationibus loco eminentiore honorificè seruare solent, cum fortè tentorio commoto in terram decidisset: tum Princeps, atque omnes alij eo casu grauissimè obstupefacti, trepidantes stabant. Tum mox accersitus Sacerdos, hunc ex gramine, summo studio ac ueneratione colligebat. Pòst finita collatiuncula, potu'que quem nobis porrexerat Princeps, sumpto, nos dimiserat, dicens: Ite nunc. Dimissi, honorificè usque in hospitia nostra deducti fuimus. Habet & aliud genus solatij, quo pro alijs Oratoribus (ut accepi) solet uti. Aluntur ursi, capti in quadam amplissima, & ad hoc constituta domo: in qua Princeps, assumptis Oratoribus, ludos exhibere solet. Habet quosdam infimæ conditionis homines, qui iubente spectante'que Principe, ligneis furcis occursant ursis, eosq; ad pugnam lacessunt. Congressi tandem, si fortè à prouocatis ac in rabiem conuersis ursis laniati fuerint, ad Principem currunt clamantes: Domine, ecce uulnerati sumus. quibus Princeps: Abite, inquit, faciam uobis gratiam. Dein illos curare, uestes præterea & certos modios frumenti illis largiri iubet.

Cæterùm cum iam absoluendi dimittendi'q; eramus, honorificè, ut antea, ad prandium inuitati, ac in Aulam deducti fuimus. Vtriq; præterea honoraria uestis, Zebellinis pellib. subducta, oblata fuit. qua indutis, inq; Principis cōclaue ingressis, Marschalcus continuò utriusq; nostrûm nomine, ordine dicebat: Magne Domine, Leonhardus & Sigismundus, de magna tua gratia, frontem percutit. hoc est, ob acceptum munus gratias agit. Vesti honorariæ adiunxerat Zebellinorum quadragenas duas, Hermelinorum uerò 300. atque aspreolorum pelles 1500. In priore legatione addiderat mihi uehiculum, seu traham, cum præstanti equo, & alba ursina pelle, alio'q; tegumento commodo. Dederat denique multa piscium, Belugæ, Osetri, & Sterled, in aere durata, sed insalsa frusta: meq; perhumaniter dimiserat. Porrò reliquas cæremonias, quibus in dimittendis Oratoribus utitur Princeps, item quando limites suæ ditionis ingressi Oratores, excipiuntur, rursusq; dimissi, ad eosdem usq; redu-

cti tractantur, sustentanturq́, suprà in Lithvuanorum Oratorum dimissione copiose explicaui.

Cæterùm, quia de pace perpetua tractanda, aut saltem inducijs inter Moscovuiæ Principem ac Poloniæ Regem ineundis, à Cæsare CAROLO & fratre eius FERDINANDO Austriæ Archiduce, missi fuimus, cæremonias, quibus Moscovuiæ Princeps tum in firmandis inducijs utebatur, subiungere uisum est. Conclusis itaq;, ac in certam formam redactis cum Sigismundo Rege Poloniæ inducijs, in aulam Principis uocati, cum in habitationem quandam deducti essemus, aderãt Lithvuani Oratores: ueniunt etiã eò Principis consiliarij, qui easdem nobiscum concluserant. atque in hanc sententiam sermone ad Lithvuanos conuerso uerba faciunt: Voluit quidem Princeps noster, in singularem gratiam ac petitionem Magnorum Principum, pacem perpetuam cum Sigismundo Rege uestro inire. Ea autem cum nullis conditionibus fieri nunc possit, se inducias ad eorundem Principum adhortationem inire uoluisse. Quibus constituendis, ac legittimè firmandis, uos Princeps accersi iussit, ac præsentes esse uoluit. Tenebant porrò literas, quas Princeps Regi Poloniæ daturus erat, confectas, sigillo appenso, & eo quidem paruo ac rubro communitas: in cuius sigilli parte priore imago erat, homo nudus equo sine sella insidens, hasta'que draconem transuerberans: à tergo uerò aquila biceps, utroq; capite coronato, cernebatur. Habebant præterea induciales literas, certa formula cõpositas: quarum similes ac eodem exẽplo, nominibus ac titulis duntaxat mutandis, Rex ipse uicissim Principi erat missurus: in quibus nihil prorsus immutatũ erat, excepta hac clausula, quę ad finem literarũ addita erat: Nos Petrus Giska Palatinus Polocẽsis, & Capitaneus Drohitzineñ. & Michael Bohusch Bohutinovuitz Thesaurarius magni Ducatus Lithvuaniæ, & Stouineñ. ac Kamenaceñ. Capitaneus, Oratores Regis Poloniæ & Magni Ducis Lithvuaniæ, fatemur, eo'q; etiam nomine crucis signum deosculati fumus, nos'q; obstrinximus, Regem uidelicet nostrum easdem pariter osculo crucis confirmaturum: in cuius rei meliorem fidem hasce literas nostris signetis communiuimus. His itaq; auditis ac uisis, omnes unà ad Principem uocamur. ad quem cum ingressi essemus, mox certo loco nos sedere iusserat, ac in hæc uerba loquebatur: Ioannes Francisce, Comes Leonharde, Sigismunde, efflagitastis à nobis Clementis Papæ septimi, ac fratris nostri Caroli, eius'que fratris Ferdinandi nomine, ut pacem cum Sigismundo Poloniæ Rege perpetuam iniremus. Eam commodis utrinque conditionibus facere cum haudquaquam potuimus, rogastis, ut saltem inducias imponeremus. quas quidem amore nostro in Principes uestros, nunc facimus, acceptamusq́: super quibus dum Regi iustitiam nostram facimus, eas'q; confirmamus, uos præsentes esse uolumus, quo Do-

minis

minis ueſtris referatis, uos factis ac iam legittime firmatis inducijs interfuiſſe, uidiſſe, nosq́ꝫ illorum amore hæc omnia feciſſe. Qua oratione finita, Michaelem Georgij Conſiliariũ uocat, ac crucem deauratam ex oppoſito de pariete fune ſerico pendentẽ, ſumere iubet. Mox Cõſiliarius, ſumpto mũdo lintheolo, quod ſuper fuſorio cantaro, in pelui collocato iacebat, crucem magna cum ueneratione apprehendit, dextraq́ꝫ tenet. Secretarius pariter literas induciales iunctas utraq́ꝫ manu tenebat, ita tamen, ut Lithvuanorum literę alteris ſubiectæ, eatenus prominerẽt, quatenus clauſula, qua ſe Lithvuani obſtrinxerãt, appareret: ſuper quas ſimul, ubi Michael dextrã, quã crucem tenebat, poſuiſſet, Princeps ſurgens, ſermone ad Lithvuanorum Oratores conuerſo, longa oratione narrabat, ſe quidem pacem ad ſingularem petitionem ac cohortationem tantorum Principum, quorum legatos eo nomine ad ſe miſſos uiderent, non refugiſſe, ſi ea ullis ſibi commodis conditionibus fieri potuiſſet: et cum pacem perpetuam inire cum Rege illorum non poſſet, in horum gratiam quinquennales ſe inducias, uigore literarum (literas digito demonſtrans) iniuiſſe: quas quidem, quoad Deus uolet, ſeruabimus, inquit, noſtram'que iuſtitiam fratri noſtro Sigiſmundo Regi faciemus: ea tamen conditione, ut ſimiles per omnia literas, eodem'que exemplo ſcriptas, Rex nobis det, eas'que præſentibus Oratoribus noſtris confirmet, iuſtitiam ſuam nobis faciat, ac illas ad nos tandem per Oratores noſtros transferendas curet. Interim etiam iuramento uos obſtringetis, ea omnia & ſingula Regem ueſtrum facturum, obſeruaturumq́ꝫ. Dein crucem reſpicit, ſe'que ter ſigno crucis, capite toties inclinato, ac manu ad terrã ferè dimiſſa munit: propius'què accedens, labia, ac ſi oraret, mouens, os lintheolo tergens, inq́ꝫ terram expuens, crucem tandem deoſculatus, fronte eam primũ, dein utroq́ꝫ oculo attingit. rettocedens, rurſus cruce, capite inclinato, ſe munit. Poſtea Lithvuanos, ut accederent, idemq́ꝫ ipſi facerent, monet. Oratores antequã id facerẽt, inſcriptionem, qua ſe obſtrinxerant, pluribus quidem uerbis congeſtam ac compoſitam, nihil tamen aut parum admodum ultra ſupradictam ſententiam continentem, Boguſius nomine, Ruthenus recitabat: cuius uerba ſingula Petrus, fide Romanus, collega repetebat. eadem nobis pariter interpres Principis ad uerbum reddebat. Poſt recitata ac interpretata inſcriptione, Petrus ac Boguſius ordine ipſam crucẽ, aſtante Principe, deoſculantur. Quibus finitis, Princeps ſedens, in hæc uerba loquebatur: Vidiſtis nos fratri noſtro Sigiſmũdo Polonię Regi, iuſtitiam noſtram ob ſingularem petitionẽ Clementis, Caroli, & Ferdinandi feciſſe. Dicite ergo Dominis ueſtris, tu Ioannes Franciſce Papæ, tu Comes Leonharde Carolo, & tu Sigiſmunde Ferdinando, nos ea illorum amore, & ne Chriſtianus mutuis bellis fundatur ſanguis, feciſſe. Hæc cum longa oratione, additis conſuetis titu-

 lis, per-

lis, perorasset: nos illi uicissim ob singularem eius erga Principes nostros obseruantiam, gratias egimus, nos'que mandata illius diligenter executuros promisimus. Dein duos ex suis præcipuis Consiliarijs & Secretarijs, ad se uocat, eos'que legatos iam ad Poloniæ Regem institutos, Lithvuanis innuit. Postremò multa pocula suo iussu allata nobis, Lithvuanis, atq; adeò omnibus et singulis, tam nostris, quàm Lithvuanorũ nobilibus manu sua porrigebat. Lithvuaniæ deniq; Oratores nominatim appellans, dicebat: Quæ nunc egimus, et quę alioqui ex Consiliarijs nostris intellexistis, ea fratri nostro Sigismundo Regi exponetis. Hæc cum dixisset, surgit, et rursus inquit: Petre, & tu Bogusi, fratri nostro Sigismundo Poloniæ Regi, & magno Duci Lithvuaniæ, uos nostro nomine (caput interim parum mouens) inclinabitis. mox'q; sedens, utrumq; accersit: dextram illis, atq; etiam ipsorum nobilibus ordine porrigit, dicit'q;, Ite nunc, atq; sic illos dimiserat.

ITINERA IN MOscouiam.



ANno M. D. XV. uenerant Viennam ad Cæsarem Maximilianum, Vuladislaus, & eius filius Ludouicus, Hungariæ & Bohemiæ, ac Sigismundus Poloniæ, Reges: ubi contractis ac cõclusis matrimonijs filiorum & nepotum, cõfirmataq; mutua amicitia, inter cætera Cæsar pollicitus erat, se Oratores suos ad Basilium Moscorũ Ducem missurum, qui inter hunc & Polonię Regem pacem facerent. Ad hanc legationem Cæsar destinauerat Christophorũ Episcopum Labacensem, & Petrũ Mraxi. Sed dum Episcopus protraheret negotium, & interim Regis Sigismundi Secretarius Ioannes Dantiscus, postea Episcopus Vuarmiensis, morę impatiens, profectionẽ sedulò urgeret, hoc legationis munus mihi non ita pridem ex Dania reuerso, fuit impositum. Mandatis itaque continuò à Cæsare Haganoæ Alsatiæ oppido acceptis, discedens.

Traiecto primùm Rheno, per Marchionum Badensium ditionem & oppida, Rastat, Erlingen, Pfortzach, in Ducatum Vuirtenbergensem, Constat: oppidum denique Imperij Eslingen ad Necarum, quem & Nicrum appellant, situm, inde'que Gopingen & Geislingen ueni.

Vlmæ mox Danubio superato, per Gunspurg ac oppidum Purgavu, à quo Marchionatus Burgouiæ nomẽ habet, Augustam Vindelicorum ad Licum fluuium perrexi: ubi me præstolabantur Gregorius Sagrevuski Moscus nuncius, & Chrysostomus Columnus Secretarius Elizabethæ uiduæ Ioannis Sfortiæ Mediolani & Bhãrij, qui itineris erant comites.

Relicta Augusta sub initium anni M. D. XVI. ultra Licum, per

Bauariæ

Bauariæ ciuitates & oppida, Fridberg, Inderſtorff, Freyſingen: id eſt, Friſingenſem Epiſcopatum ad fluuium Ambor, Landshuet ad Iſeram flu. Gengkhofn, Pfarkhirchen, Scharding ad Oenum tranſiuimus. Oenocꝫ ſuperato, ripaſcꝫ Danubij legentes, Auſtriam ſupra Onaſum attigimus. Lincium oppidum in ripa Danubij ſitum, caput eius prouinciæ ingreſſi, pontemcꝫ illic Danubio impoſitum tranſeuntes, per oppida Galneukirchen, Pregartn, Pierpach, Kunigsvuiſn, Arbaſpach, Rapolſtain, in Archiducatum Auſtriæ, atcꝫ adeò oppida Claram uallem, uulgo Tzvuetl dictam, Raſtnfeld, Horn, & Retz peruenimus.

Morauiæ rectà dein, ultra fluuium Teya, qui pro maiori parte Auſtriam à Morauia dirimit, oppidum Snoimam appulimus: ubi Petrum Mraxi collegam meum uita defunctum eſſe intellexi. & ita ſolus hoc munus, quod Cæſari gratum erat, obiui.

Ex Snoima, Vuolfernitz, Brunam, dein Olmutium ſedem Epiſcopalem ad flu. Moravua ſitam, tres illæ ciuitates Snoima, Bruna & Olmutium ſunt primæ in Marchionatu, indecꝫ Lipnik.

Hranitza, Ger. Vueiſſenkirchn.

Itzin, Ger. Tiſchein.

Oſtraua, Ger. Oſtra oppidum: ubi Oſtravuitza fluuium, qui oppidum alluit, & Sileſiam ab ipſa Morauia dirimit, tranſiuimus.

Sileſiæ pòſt Ducum Theſchinenſium oppidum Freiſtat, ad Elſa flu. ſitum.

Strumen, Ger. Schvuartzvuaſſer.

Ptzin, Ger. Ples principatum: à quo progrediendo duorum miliarium ſpacio, eſt pons trans Iſtulam, limes Bohemicæ ditionis.

A' põte Iſtulæ Polonica eſt ditio, & uſcꝫ Oſchvuentzin principatum, quo loco fluuius Sola Iſtulã ingreditur, eſt iter unius miliaris.

Extra Oſchvuentzin, per pontem ſuperamus Iſtulam: & confectis octo miliaribus,

Poloniæ regni caput Craccouiam peruenimus, curruſcꝫ noſtros trahis impoſuimus. A' Craccouia progreſſi,

Proſtovuitza, 4 miliar.

Vuislitza, 6 mil.

Schidlovu, 5 mil.

Oppatovu, 6 mil.

Savuichoſt, quatuor mil. ubi rurſus traiecto, & ad ſiniſtram relicto Iſtula fluuio,

Vrſendovu, quincꝫ miliar.

Lublin, ſeptem mil. Palatinatum, quo loci certo ac ſtato anni tempore inſignes habentur nundinæ, ad quas ex uarijs orbis partibus homines, Moſcovuitæ, Lithvuani, Tartari, Liuonienſes, Prutheni, Rutheni, Germani, Hũgari, Armeni, Vualachi atcꝫ Ebrei cõfluunt.

Cotzko, octo miliar. Antequam huc peruentum eſt, labitur fluuius

fluuius Vuiepers, ſeptentrionem uerſus.

Meſeritz octo mil. paulo lõgius progrediẽdo, eſt limes Polonię. Lithvuaniæ oppidum Melnik, ſex mil. ad Buh fluuium.

Bielſco, octo mil.

Narevu, quatuor mil. ubi eiuſdem nominis fluuius ex quodam lacu & paludibus, quemadmodum Buh, effuſus, & in Septentrionem decurrit.

Ex Narevu, tranſeundo ſyluam octo miliaribus: extra quam eſt oppidum Grinki, in quo regij homines, qui & commeatum ſuppeditabant (Priſtavuos appellant) & Vuilnam uſq; deducebant, me præſtolabantur. tum in

Grodno, ſex milia. Eſt ibi ſatis commodus pro eius regionis natura principatus. Caſtrum cum ciuitate ad fluuium Nemen, qui Ger. Mumel appellatur, quiq; ipſam Pruſſiam alluit, quæ olim à ſupremo Theutonici ordinis magiſtro gubernabatur. Sed eam nunc Albertus Marchio Brandenburgenſis hæreditarij ducatus nomine tenet. Crononem hunc fluuium puto, alludens nomini oppidi. ibi Ioannes Savuorſinski, à Michaele Linski in ea domo, aut (ut aiunt) Curia, in qua hoſpitatus eram, oppreſſus eſt. Porrò hic reliqui Moſcorum nuncium, quem Rex Vuilnam ingredi prohibuit. Inde progreſſus,

Prelai, duo miliaria.

Vuolconik, quinq; miliaria.

Rudniki, quatuor miliaria.

Vuilnam, quatuor miliaria quoq;.

Ante Vuilnam autem uiri inſignes præſtolabantur, qui me Regis nomine cum honorificè excepiſſent, atq; in traham, ſeu amplum uehiculum puluinaribus ſtratum, & ſtragulis auro & ſerico contextis collocatum, Regijs miniſtris latus utrumq; claudentibus, officiumq; perinde ac ſi ipſe Rex ueheretur præſtantibus, in hoſpitium uſque deduxiſſent: mox aderat Petrus Tomitzki, tunc Epiſcopus Premislienſis, Regni Poloniæ Vicecancelarius, uir omnium teſtimonio uirtute ſingulari ac uitæ integritate præditus, meq; Regis pariter nomine humaniſſimè conſalutauit, excepitq;. Ad ipſum denique Regem, magna Aulicorum caterua ſequente, paulo pòſt deduxit: à quo, multis primarijs uiris, proceribusque magni Ducatus Lithvuaniæ præſentibus, honeſtiſſimè exceptus fueram.

Vuilnæ porrò eo tempore inter cætera, matrimoniũ inter ipſum Regem, & Bonam Ioãnis Galeacij Sfortiæ Ducis Mediolani filiam, Cæſare promouente, me nuncio, contractum atq; concluſum fuit.

Erãt ibi in arctis cuſtodijs tres Moſcovuitici duces, quib. ſumma rerũ, atq; adeò Moſcovuiticus exercitus, anno M. D. XIIII. ad Orſſam cõmiſſus fuerat: inter quos erat Ioãnes Czeladin primus. Quos equidem Regis permiſſu ſalutatos, eo quo potui ſtudio cõſolabar.

Vuilna

Vuilna caput magni Ducatus Lithvuaniæ, eo loci sita est, quo confluunt Vuelia & Vuilna fluuij: incp Nemen, seu Crononen illabuntur. In ea relicto Chrysostomo Columno, non diu detinebar.

Vuilnam die XIIII. Martij egressus, non publica atcp usitata uia, quarum una per Smolētzko, altera uerò per Livuoniam itur in Moscovuiam: sed media inter has usus, rectà Nementschin quatuor miliaribus, indecp Svuintravua octo miliaribus superato Schamena fluuio, perueni.

Sequenti die Disla, sex miliaribus, ubi eiusdem nominis lacus est, atcp Drisvuet, quatuor mil. ubi nuncius Mosci, quem Grodno reliqueram, ad me redijt.

Braslavu, quatuor mil. ad lacum Navuer, qui in longitudinem uno miliari patet.

Dedina, quincp mil. atcp Dvuina flu. quem Livuonienses (quorum ditionem percurrit) Duna appellant (sunt qui Turantum esse uolunt) attigimus.

Drissam dein septem mil. properantes, rursus sub Betha oppido ad Dvuina fluuium uenimus: per quem glacie concretum, uehiculis, eius gentis more, 16. miliaribus sursumuersus dum ueheremur, duæ nobis tritæ uię occurrerunt. Cum itacp utram ingrederemur, dubitaremus: mox seruitorem in domum rustici in ripa sitam sciscitatum misi. quia uerò sub meridiem glacies magnopere liquescebat, nūcius iuxta ripam liquefacta ac fracta glacie demersus, uix tandem extractus fuit. Accidit etiam, ut quodam loco fluuius utrincp liquefacta prorsus & absumpta glacie, ea duntaxat glaciei parte, quam continua uectio indurauerat, imò non nisi quatenus uehiculorum orbitæ complectebantur, nobis tanquam pons quidam, non sine graui horrore ac periculo transitum daret. Augebat metum fama communis: quia non diu antè, aliquot centum Moscouiticos prædones, per eundem fluuium glacie concretum transeuntes, ad unum omnes fuisse submersos, ferebatur.

A' Drissa Doporoski sex miliaribus, indecp

Polotzco principatum, quem Vuaivuodatum appellant, ad Dvuinam fluuium, quem alij Rubonem appellant, uenimus: ubi honorificè, in maxima hominum occurrentium frequentia excepti, magnificè ac lautè tractati, ad proximam denicp mansionem usque deducti fuimus.

Inter Vuilnam & Polotzco plurimi lacus, crebrę paludes, atque immensæ longitudinis syluæ sunt, ut quę ad quinquaginta miliaria Ger. protenduntur.

Vlterius progreßi iter, in limitibus regni minimè tutum, ob crebras utriusque partis excursiones, hospitia deserta, aut nulla habuimus: percp magnas paludes ac syluas, tandem Harbsle & Milenki, pastorum casas, uenimus: in quo itinere Lithvuanus deductor me

deſeruerat. Accedebat ad hoſpitiorum incommoditatem, itineris ſumma difficultas. ſiquidem inter lacus & paludes niue & glacie labeſcente nobis eundum erat, dum Niſcham oppidum, ad quendam eiuſdem nominis lacum ſitum, indeq; Quadaſſen quatuor miliarib. quò loci cum magno pauore & periculo lacum quendam, aqua ſupra glaciem extante tranſiuimus, atq; ad tuguriolum ruſtici cuiuſdam perueneramus, quò ex ditione Moſci, Gregorij comitis mei cura commeatus allatus erat. Eò loci equidem limites utriuſq; Principis obſeruare ac diſcernere non potui.

Moſcovuiæ ſine contradictione ditio Corſula: ubi, duobus fluuijs Vuelicarecka et Dſternicza traiectis, inde'que duobus miliaribus confectis, uenimus ad

Opotzka ciuitatem, cum caſtro, ad Vuelicarecka ſitam. quò loci natans pons eſt, quem equi plerunq; genutenus in aqua tranſeunt. Hanc arcem Rex Poloniæ, dum ego Moſcovuiæ de pace tractarem, obſederat. In illis porrò locis, quanquam propter crebras paludes, ſyluas, & innumeros fluuios, exercitus aliquò commodè duci non poſſe uideatur: nihilominus tamen quòcunq; uolunt, rectà contendunt. Colonorum nimirum multitudine præmiſſa, qui quælibet impedimenta arbores'que incidendo ſubmouere, paludes ac fluuios pontibus ſternere coguntur.

Vuoronecz dein octo miliaribus oppidum ſitum ad Sſoret fluuium, qui recepto in ſe Vuoronetz fluuio, non longè infra oppidum Vuelicarecka illabitur.

Fiburg quinq; miliar.

Vuolodimeretz oppidum cum propugnaculo, 3. ferè miliar.

Brod coloni cuiuſdam domum, pariter 3. miliar. inde'que 5. miliaribus emenſis, ſtrato'que ponte per Vſſa fluuium, qui Scholonam influit.

Parcho ciuitatem, cum caſtrò, ad Scholona fluuium ſitam: Opoca uillam quandam, ſub quo Vuidocha fluuius Suchanam ingreditur, quinq; miliaribus. inde ſeptem ſuperatis fluuijs,

Reiſch uillam, quinq; pariter miliar.

Dvuerenbutig uillam, quinque mil. infra quam dimidio miliari Pſchega, Strupin fluuio in ſe recepto, influit Scholonam: in quem alij quatuor fluuij, quos eo die tranſiuimus, illabuntur.

Sotoki homuncionis domum 5. miliar. à qua 4. miliar. Novuogardiam tandem magnam quarta Aprilis attigimus. Cæterùm à Polotzko Novuogardiam uſque, tot paludes ac fluuios ſuperauimus, ut eorum nomina ac numerum ne incolæ quidem teneant: tantum abeſt, ut illos quiſpiam commemorare ac deſcribere poſſet.

Novuogardiæ paululum reſpirans, ac ſeptem diebus quieſcens, ab ipſo Locumtenente in die Palmarum conuiuio acceptus fui: atq; ab eodem amanter admonitus, ut ſeruitoribus equiſq; illic relictis,

per

per dispositos, seu postarum (ut uulgo loquuntur) equos Moscovuiam irem. Cui morem gerens, egressus primum Beodnitz quatuor miliaria, indeq; totius diei iter iuxta Msta fluuium, qui nauigabilis est, & ex Samstin lacu oritur, confeci. Eo porro die cum per pratum, liquescente iam niue, citato equorū cursu proficisceremur, pueri mei natione Lithvuani equulus ceciderat, ita ut cum puero prorsus præcipitaretur, seq; denuò in modum rotæ conuoluens, in posteriores pedes daret, consisteretq; : & interea nec terram latere attingeret, nec puerum sub se prostratum ac iacentem læderet.

Post rectà Seitskovu ultra fluuium Nischa, sex miliar.

Harosczi ultra fluuium Calacha, septem miliar.

Oreat Rechelvuitza ad fluuium Palamit septem miliar. Eo die transiuimus 8. fluuios, & unum lacum, congelatū quidem, sed aqua supra glaciem completum.

Tandem sexta feria ante Paschatis festum, in domum postarum peruenimus, tresq; lacus superauimus: primum Vuoldai, qui uno miliari in latitudinem, duobus uerò in longitudinem patebat: secundum Lutinitsch, non admodum magnum: tertium Ihedra, cui eiusdem nominis uilla ab Oreat octo miliar. adiacet. quo sanè die per hosce lacus, congelatos adhuc, sed aquarum multitudine niue liquescente inundantes, tritam uiam secuti, difficillimum ac periculosissimum iter habuimus: nec deflectere de uia publica cùm ob niuis altitudinem, tum quod nullum uestigium alicuius semitæ apparebat, audebamus. Confecto itaque tam difficili atque periculoso itinere, uenimus

Choitilovua septem miliar. infra quam duobus Schlingvua & Snai fluuijs, eo loco quo confluunt, inq; Msta fluuium illabuntur, superatis, Vuoloschak attigimus, ibiq; in die paschatis quieuimus. Post septem miliaribus confectis, traiecto'que Tvuerza fluuio,

Vuedrapusta oppidū in ripa situm: indeq; 7. miliar. descēdentes,

Dvuerschak ciuitatem, infra quam 2. miliarib. Schegima fluuio nauicula piscatoria transmisso, in

Ossoga oppido, uno die quieuimus. sequenti die per Tvuerza fluuium septem miliaribus nauigantes,

Medina appulimus. sumptoq; prandio, rursus nauiculam ingressi, 7. miliarib. Vuolgam, celeberrimum fluuium, atq; adeò

Tvuer principatum attigimus. ubi sumpta maiore naui, per Vuolgam nauigantes, non ita longè pòst ad congelatum, ac glacierum frustis refertum ipsum fluuium uenimus: in'que quodam loco, maximo labore ac sudore appulimus, altum'que congesta in aceruum glacie ripam uix tandem superauimus: indeq; pedestri itinere in coloni cuiusdam domum uenientes, paruosq; ibi repertos equos conscendentes, ad monasterium diui Heliæ uenimus. ubi commutatis equis,

Gerodin oppidum ad Vuolgam ſitum, tribus inde miliaribus, recta'que poſt

Schoſsa 3. miliaribus,

Dſchorno domum poſtarum, 3. miliar.

Clin oppidum, ad fluuium Ianuga ſitum, 6. miliar.

Pieſlack domum poſtarum, 3. miliar.

Schorna, ad fluuium eiuſdem nominis ſitum. 6. miliar.

Moſcovuiam, 3. miliar. tandē decimaoctaua Aprilis peruenimus: ubi quomodo cōſalutatus atq; exceptus fuerim, abundè ſatis in hoc libro expoſui, cū de exceptione ac tractatione Oratorum egiſſem.

REDITVS.


DIxi ab initio, me in Moſcovuiam ad componendos Poloniæ & Moſcovuiæ Principes, à Diuo Maximiliano Imperatore miſſum fuiſſe, ſed re infecta inde rediſſe. nam dum Moſcovuiæ, præſentibus etiā Regis Poloniæ Oratoribus, de pace ac concordia tractarem, interim Rex inſtructo exercitu Opotzka caſtrū, nequicquam tamē, oppugnabat. quare Princeps inducias cum Rege facere pernegabat: meq; intercepto quidem negotio, honorificè tamen dimiſerat. Relicta itaq; Moſcovuia, rectà

Moſeisko, 18. miliar.

Vuieſma, 26. miliar.

Drogobuſch, 18. miliar.

Smolensko dein, 18. miliar. perueni. abinde duabus noctibus ibi ſub dio in magnis niuibus quieuimus: ubi ab deductoribus meis lautè ac honorificè tractabar, & ſtrato in longum aliquanto altius fœno, corticibus arborum ſuperimpoſitis, ſtratis'que linteis, attractis more Turcarum ſeu Tartarorū pedibus menſæ accumbentes, cibum capiebamus, bibendo'q; aliquanto largius, cœnam producebamus. Altera nocte ueneramus ad quēdam fluuium, minimè tum quidem congelatum: ſed poſt medium noctis, ob infeſtum frigus uſq; adeò concretum, ut per glaciem pluſquā decem onuſta etiam uehicula traducta ſint. equi uerò alio loco, quo celerius maiore'que impetu decurrebat fluuius, compulſi, fracta glacie tranſibāt. Eò loci duodecim à Smolensko miliar. relictis deductoribus, in Lithvuaniam profectus ſum, à limite octo miliar. ad

Dobrovunam ueni, ubi rerum neceſſariarum iuſtam quidem copiam, ſed hoſpitium Lithvuanicum habui.

Orſam quatuor miliar. quouſq; à Vuieſma à dextris Boryſthenem habuimus, quem tū haud longo interuallo ſupra infra'q; Smolensko traijcere cogebamur. eo'q; circa Orſam relicto, rectà

Druzek, 8. miliar.

Grodno, 11. miliar.

Boriſovu

Borisovu,6.miliar.ad fluuium Beresina,cuius fontes Ptolomęus Borysthenì adscribit.

Lohoschakh. 8. miliar.

Radochostye,7. ferè miliar.

Crasno Sello, 2. miliar.

Modolesch, 2. miliar.

Crevua oppidum cum castro deserto, 6 miliar.

Mednik pariter oppidum cum castro deserto, 7. miliar. indeq́;

Vuilnam tandem peruenimus: ibiq́; post Regis in Poloniam discessum,paucis diebus, dum seruitores cū equis meis ex Novuogardia per Livuoniam reuerterētur, cōmoratus sum. quibus receptis, mox inde quatuor miliaribus de uia in Troki deflexi, ut ibi in quodam horto cōclusos ac conseptos Bisontes,quos alij Vros,Ger.uerò Auroxn appellant, uiderem. Palatinus porrò, etsi meo inexpectato ac improuiso aduētu quodammodo offendebatur, me nihilominus tamen ad prandium inuitauit: cui intererat Scheachmet Rex Savuolensis Tartarus,qui eò loci in duobus muratis & inter lacus extructis castris, ueluti liberis custodijs honestè seruabatur. Is inter prandendum uarijs de rebus per interpretem mecum colloquebatur:Cæsarem præterea fratrem suum appellabat,omnes'que Principes ac Reges inter se esse fratres dicebat.

Sūpto prandio, accepto'q́; à Palatino iuxta Lithvuanorū consuetudinē munere,primū Moroschei oppidū,dein Grodno,15.miliar.

Grinki, 6. miliar. Sylua pòst superata,

Narevu, 8.miliar.atq́;

Bielsko oppidum uenimus, ubi Nicolaum Radovuil Palatinum Vilnensem offendi, cui iam antea Cæsaris literas reddideram: qui etsi antea me equo gradario, duobus'que alijs pro uehiculo donauerat, castratum tamen & bonum iam denuò equum dono dedit: obtrusitq́; præterea aureos aliquot Hungaricales, adhortando ut ex his annulum mihi fieri curarem, quo induto, quotidieq́; inspecto,sui facilius,& præsertim apud Cęsarem recordarer.Ex Bielsko in Briesti castrum,cum oppido ligneo, ad fluuium Buh, in quem Muchavuetz illabitur,

Lamas oppidum: ubi Lithvuania relicta,

Polonię primum oppidum Partzovu ingressus,supra quod non ita longo interuallo Iasonica fluuiolus labitur, Lithvuaniam'que à Polonia dirimit. pòst

Lublin, 9.miliar.

Rubin,

Vrsendoff,

Savuichost,ad traiectum Istulæ.

Sandomir ciuitatem cum castro,ad Istulam sitam, distantemq́; à Lublin 18. miliar.

Poloniza,ad fluuium Czerna: in quo nobilissimi pisces, quos uulgo Lachs appellant, capiuntur.

Ciuitatem nouã Cortzin appellatã, oppidum cũ castro murato.

Prostvuitza, ubi optima ceruisia coquitur. indeq;

Cracouiam, caput regni, sedem Regalem, ad Istulam sitam, 18. miliar. à Sandomir distantem, urbem inquam clericorum, studiosorum atq; mercatorum frequentia celebrem, peruenimus: ex qua, à Rege ipso, cui opera mea grata erat, munere accepto, honestissimè fui dimissus. rectáq;

Lipovuetz sub castrum, Sacerdotum aliquid grauius delinquentium carcerem:

Inde'que 3. miliar. Osvuentzin, Silesiæ quidem oppidum, Polonicæ tamẽ ditionis, ad Istulã situm: quo loco Sola fluuius ex montibus, qui Silesiam ab Hungaria diuidunt, decurrens, Istulam ingreditur. Non longè sub eodem oppido Preyssa fluuius ex alia parte Istulæ, Silesiam à Polonica & Bohemica ditione dirimit, Istulam quoque influit.

Peczina, Ger. Ples, principatũ in Silesia Bohemicę ditionis, 3. mil.

Strumen, Ger. Schvuartzvuasser, 2. miliar.

Freystaetl, Ducum Teschinensium oppidum, quod Elsa fluuius præterlabitur, qui in Oderam exoneratur.

Morauiæ dein Ostravua oppidum, quod Ostravuitza fluuius alluit, Silesiamq; à Morauia diuidit.

Itschin, Ger. Titzein oppidum, quatuor miliar.

Hranitza, Ger. Vueissenkirchen oppidum, quod Betvuna fluuius præterlabitur, 1. miliar.

Lipnik, 1. miliar. unde cum Vuistriciam 2. miliar. rectà contendẽtes, fortè ex quodam colle Nicolaus Czaplitz, eius prouincię nobilis, sibi nos obuios conspexisset, mox pixide arrepta, ad cõflictum se quodammodo cum duobus comitibus præparabat. Qua re equidem non temeritatem hominis, sed ebrietatem potius animaduerteram: ac continuò seruitoribus mandaueram, ut ei nobis occurrenti media uia cederent. Sed ille hoc humanitatis officio neglecto, in altam niuem se coniecerat, nosq; prætereuntes toruè intuebatur: seruosq; à tergo cum uehiculis sequentes, ad hoc ipsum genus officij, quod illi præstare haudquaquam poterant, cogebat: strictoq; gladio minabatur. Ea re exorto utrinq; clamore, factoq; seruorum qui pòst erant concursu, ipse mox telo balistæ læsus, equus pariter uulneratus sub eo conciderat. Postea cum Moscis Oratoribus iter institutũ prosecutus, ueni Olmutzium, quò ille quoq; saucius peruenerat: statimq; ueluti eius regionis incola notus, turba hominũ (qui in fodendis aggerendisq; piscinis operam locant) collecta, ulcisci sese uolebat. Cuius ego tamen conatus maturo consilio repressi, ac intercepi. Ex Olmutzio,

Bischovu

Bischovu oppidulum, 4. miliar.

Niklspurg, 4. miliar. arcem splendidam, cum oppido. quod etsi uno miliari ultra Teyam fluuium, qui multis in locis Austriam à Morauia dirimit, situm est, Morauiæ tamen adiacet, eius'que ditioni subiecta est.

Austriæ inde oppidulum Mistlbach, 3. miliar.

Vlrichskirchen, 3. miliar.

Viennam, ad Danubium sitam urbem, à multis scriptoribus celebratam, tribus pariter miliaribus confectis peruenimus: quò equidem duo integra uehicula ex Moscovuia usq; deduxi.

Ex Vienna, Nouam ciuitatem, 8. miliar. inde'que ultra montem Semring, interq; Styriæ montes Salisburgum usq; ueni. Pòst Oeniponti, in Comitatu Tirolensi oppido, Cæsarem assecutus: cuius Maiestati non solum ea quæ ex mandatis gesserã, grata erant: sed etiam relatio de cæremonijs & consuetudine Moscouitarum, auditu ualde iucunda. Quare etiam Mattheus Cardinalis Salisburgensis, Cæsari admodum charus, Princeps industrius, & in rebus agendis uersatissimus, iocose coram Cæsare protestatus est, ne Cæsar, se absente, reliquum cæremoniarum ex me audiret, cognosceret'ue.

Expedito mox ac dimisso à Cæsare Moscorũ Oratore, equidem in Hungariam ad Regem Ludouicum, cum sub id tempus institutus Orator fuissem, eundẽ per Oenum ac Danubium Viennã deduxi: eoq; ibi relicto, ipse continuò Pannoniũ currum conscendi, quo trijugis equabus curru uolitante celerrimè ferebar, paucisq; horis Budam triginta duobus miliar. perueni. Tantæ autẽ celeritatis causa est, tam commoda per iusta interualla respiratio equorũ, & permutatio. Quarum prima utũtur in Prukh, oppidulo ad Leytham fluuium, qui Austriã ab Hungaria diuidit, distatq; à Vienna 6. miliar. Secunda in Ovuar castro, cum oppidulo, Ger. Altenburg, 5. miliar. Tertia in Iaurino oppido, sedeq; Episcopali. Hunc locum Hungari Iurr, Germani uerò ab Raba fluuio, qui oppidum alluit, Danubiumq; ingreditur, Rab appellant. Hoc quidem in loco, qui ab Ovuar 5. miliaribus distat, equos permutant. Quarta, sex infra Iaurinũ miliarib. in pago Cotzi, à quo & uectores currus nomẽ acceperũt: Cotziq; adhuc promiscuè appellãtur. Vltima in Vuark pago, quinq; à Cotzi miliaribus: quò loci equorũ soleas, num qui claui uacillent, aut desint, inspiciunt, currus loraq; farciũt: quibus omnibus refectis, Budam, sedem Regalem, 5. inde miliar. inuehuntur.

Bude sede Regia exposita, ac cõfecta legatione, finitisq; Comitijs quæ haud procul ab urbe, ab eo loco quo celebrãtur, Rakhusch uulgo appellãtur, à Rege honestissimè dimissus, ad Cæsarem redij: qui proximo Ianuario pòst, anno scilicet Domini 1519. mortem obijt. Hancq; in Hungariam profectionem, quod Moscouiticæ coniuncta, unoq; propè & continuo itinere confecta fuit, adijcere uolui.

Iter

ITER SECVNDAE Legationis.



Ortuo Cæſare Maximiliano, Styrienſium Orator ad Carolum Hiſpaniarum Regem, Archiducem Auſtriæ, tum electum Rom. Imperatorem, ad cuius Maieſtatē poſtea & Moſcus ſuos miſerat Oratores, qui confœderationes cum Max. Imp. initas iam denuò confirmarent, miſſus ſum. Vt autem uiciſſim Imperator Moſco gratificaretur, dederat negotium fratri D. Ferdinando, Archiduci, ut Ludouicum Hungariæ Regem admoneret, quo is apud ſuum patruum Sigiſmundum Poloniæ Regem tantum efficeret, ut ad æquas pacis ſeu induciarum conditiones cum Moſco conſentiret. Viennæ itaq; Auſtriæ Leonhardus Comes Nugarolæ, nomine Caroli Rom. Imp. & ego fratris ſuæ Maieſtatis Ferdinandi, Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, &c. conſcenſis curribus Pannonicis, ad Ludouicū Regem Hungariæ properantes, Budam uenimus: ibiq; expoſitis mandatis, negotijsq; ex ſententia cōfectis, dimiſſi, Viennam'que redeuntes, mox cum Moſci Oratoribus, qui tum ex Hiſpanijs à Cæſare redierant, egreſſi per oppida,

Miſtlbach, 6. miliar.
Vuiſternitz, 4. miliar.
Vuiſcha, 5. miliar.
Olmutium, 4. miliar.
Sternberg, 2. miliar.
Parn ferrifodinas, 2 miliar. inde'que duobus miliaribus pontem Moraua fluuio impoſitum tranſeuntes: ibiq; Morauia relicta,
Sileſiæ oppidum & principatum ingreſſi,
Iagerndorff tribus miliaribus, tum per
Lubſchiz, 2. miliar.
Glogouia parua, 2. miliar.
Crepiza. 2. miliar. Et pòſt trans Oderam flu.
Opolia ciuitatem cum caſtro, ad Oderam fluuium ſitam, ubi ultimus Opolienſium Dux ſuam ſedem habebat, 3. miliar.
Oleſchno, Ger. Roſenberg, trans fluuium Malpont, qui tum aquarum multitudine mirum in modum redundabat, 7. miliar.
Polonię oppidū Crepitza uetus, 2. ferè miliar. peruenimus. quo in loco cum Poloniæ Regem, Pietercouiæ oppido (in quo Regnicolæ habere comitia ac celebrare ſolent) eſſe intelleximus, illicò eò ſeruitorem præmiſimus. Reuerſus, cum inde Regem iam rectà Cracouiam profecturum renunciaſſet, iter noſtrum ex Crepitza eò nos pariter direximus. atq; primum
Clobutzko, 2. miliar.

Czeſto-

Czeſtochovu monaſterium,in quo imago diuę Virginis magno concurſu populi,præcipuè uerò Ruthenici colitur, 3. miliar.

Scharki, 5. miliar.

Cromolovu, 3.miliar.

Ilkuſch inſignes plumbifodinas, 4.miliar.

Cracouiam inde pòſt 5. miliar. confectis, ſecunda Februarij die peruenimus: ubi nihil tum nobis honoris fuit exhibitum, necq; nobis quiſquā obuiam proceſſit,necq; hoſpitia deſignata, ſeu conſtituta erant,necq; humanitatis officio quiſquam aulicorum nos conſalutauit,excepit ue,perinde ac ſi de aduentu noſtro nihil prorſus intellexiſſent. Impetrato pòſt ad Regem aditu,cauſam legationis noſtrę eleuabat, officiumq; Principum noſtrorum tāquam intēpeſtiuum reprehendebat: maximè uerò, cum Oratores Moſci, à Cæſare ex Hiſpanijs uſq; redeuntes, nobiſcum uideret: Moſcum ideo moliri aliquid ſuſpicabatur. Quæ'nam tandem, inquit, uicinitas, aut ſanguinis cōiunctio Principibus ueſtris cum Moſco intercedit? quòd ultrò ſe medios conſtituerent: præſertim cum Rex ipſe à Principibus noſtris nihil tale peteret, hoſtem'q; ſuum facile ad æquas pacis conditiones cogere poſſet. Nos uerò cōſilia pia & Chriſtiana, mentem'q; ſynceram Principum noſtrorū teſtabamur, illos'q; nihil magis quàm pacem, ac mutuā inter Chriſtianos Principes amicitiam ac concordiam ex animo optare uelle, atq; omni ſtudio procurare. Dicebamus etiam: Si Regi non uidetur, ut noſtra mandata proſequamur,tum aut re infecta redibimus, aut Dominis noſtris ea nunciabimus, & reſponſum ſuper ea re expectabimus. Qua re audita, humanius aliquanto ac liberalius etiam in hoſpitijs tractabamur. Eo tempore data erat mihi occaſio petendi mille florenos,quos mihi mater Reginæ Bonæ, quòd iampridem ex Cæſaris Maximiliani mandato hoc ipſum matrimoniū filiæ tractaſſem, inſcriptione data, promiſerat: quam Rex tum benignè à me acceperat, eam'q; ad reditum meum ſeruarat,mihi'q; poſtea reuerſo ſatisfieri curauerat.

Die Februarij quartadecima,Cracouia relicta, trahis ſeu uehiculis ſatis commodo itinere per Poloniæ oppida,

Nouam ciuitatem, Cortzin,

Poloniza,

Oſsek,

Procovuiza,

Sandomeria,

Savuichoſt,

Vrſendoff,

Lublin,

Parczovu,

Lithvuaniæ tum oppidum tribus miliaribus Polovuiza attigimus,ubi plurima itinera,propter crebras paludes, pontibus ſtrata

V tranſi-

transiuimus. inde'que

Rostovusche, 2. miliar.

Pesiczatez, 3. miliar.

Briesti, 4. miliar. magnum oppidum cum castro, ad Buh fluuium, in quem Muchavuetz illabitur.

Camenetz oppidũ, cum lapidea turri in arce lignea, 5. mil. indeq́ duobus fluuijs Oschna & Beschna traiectis, cõfectisq́ 5. miliaribus,

Schereschovua recens ædificatum oppidum in magna sylua, ad fluuium Lisna, qui & Camenecz præterlabitur, situm, uenimus.

Novuidvuor, 5. miliar.

Porossovua, 2. miliar.

Vuolkovuitza, 4. miliar. quo loco commodius hospitium in tota profectione non habuimus.

Pieski oppidum ad fluuium Selvua, qui ex ipsius Russiæ Vuolinia prouincia procurrit, Nemen'que influit.

Mostu uno miliari ad fluuium Nemen situm oppidum, quod à ponte Nemen imposito, nomen accepit: Most enim pons est.

Czutzma, 3. miliar.

Basiliski, 3. miliar.

Radomi, 5. miliar.

Hestlitschkami, 2. miliar.

Rudniki, 5. miliar.

Vilnam, 4. miliar. Porrò per hęc loca à Vuolkhovuitza usq́ enumerata, hoc tempore non perueneramus Vilnam, sed cursum nostrum in dextram Orientem uersus flectentes, per

Solvua,

Slonin,

Moschad,

Czernig,

Oberno,

Ottmut,

Cadayenovu,

Miensko oppidum, à Vuolcovuitza 35. miliar. distans. inde prę terea omnes fluuij in Borysthenem feruntur, cum alij relicti in Nemen decurrant.

Borissovu oppidum ad fluuium Beresina situm, 18. miliar. de quo suprà.

Reschak 40. miliar. In illis porrò locis, propter maximas solitudines, non compendiosa, sed communi uia usi, Mogilevu oppido, ad dextram interuallo 4. miliar. relicto, per

Schklovu, 6. miliar.

Orsa, 6. miliar.

Dobrovuna, 4. miliar. alia'que loca in priore itinerario exposita, Moscovuiam tandem uenimus: ubi diu tractantes, nec tamen

aliud

aliud extorquere potuimus, quàm ista: Si Rex Poloniæ uult nobiscum pacem, mittat ad nos, ut consuetum est, Oratores suos, & nos uolumus cum illo pacem nobis competentem. Misimus tandem nostros ad Regem Poloniæ (qui tum in ciuitate Gdanēsi fuit) destinauit'que ad hortationem nostram suos Oratores, Petrum Gysca Palatinum Plocensem, & Michaelem Bohusch Lithvuanicum thesaurarium.

Porrò Princeps cum Oratores Lithvuanos haud procul à Moscovuia esse cognouisset, subitò se uenationis prætextu ac recreandi animi gratia, tempore minimè tamen ad uenandum congruo, Mosaisko, quo loco maximam habet leporum copiam, contulerat: nos'que ad sese, ne fortasse Lithvuani urbem ingrederentur, uocauerat. ubi impetratis confirmatis'que inducijs, undecima Nouembris dimissi, sciscitabatur Princeps, qua uia nos redituri essemus, quia Turcam Budæ fuisse intellexerat: quid autem effecisset, se ignorare aiebat. Eadem qua ueneramus uia, Dobrovunam usq; reuersi, impedimenta nostra, quæ ex Vuiesma per Borysthenem miseramus, ibi recepimus, Pristauum'q; Lithvuanum, qui nos eò loci expectabat, reperimus: à quo, Ludouicum Hungariæ regem perijsse, tum primùm intelleximus.

A' Dobrovuna 4. miliar. uenimus Orsam: unde eodem itinere quo ego in priore reditu usus eram, Vilnam peruenimus: ibiq; ab Regis naturali filio, Ioanne Episcopo Vilnensi, humaniter accepti, lauteq; tractati fuimus. tum

Rudnik, post 4. miliar.

Vuolkonik, 3. miliar.

Meretsch oppidum, quod ab eiusdem nominis illic fluuio nomen habet, septem miliar.

Olse, 6. miliar.

Grodno principatum ad Nemen fluuium situm, septem miliar.

Grinki, 6. miliar. quò cum prima Ianuarij proficisceremur, tam durum frigus obortum fuit, impetus'q; uentorum niues in modum turbinis uoluens, dispergens'q;, adeò ut hoc tanto tam'q; infesto frigore equorum testiculi, & aliqua ex parte caniculæ ubera congelata, corrupta'que exciderint. Equidem nasum, nisi tempestiuius à Pristauo admonitus fuissem, ferè amisissem. Ingressus enim hospitium uix tandem, niue, monitu Pristaui, nasum macerando ac fricando, non citra dolorem sentire cœperam, scabie'que quodammodo oborta, ac dein paulatim arescente conualueram. gallum'que Moscouiticum, more Germanorum super currum sedentem, frigoreq; iamiam morientem, seruitor crista, quæ gelu cōcreta erat, subitò abscissa, non solum hoc modo seruauit, uerumetiam ut erecto statim collo cantaret, nobis admirantibus, effecit.

A' Grinki, per magnam syluam, in

Narevu, 8. miliar.
Bielſco, 4. miliar.
Milenecz, 4. miliar.
Mielnik, 3. miliar.
Loſchitzi, 7. miliar. poſt 8. miliar.

Poloniꝫ oppidum tandem Lucovu, ad Occi fluuium ſitum. Huius loci Præfectus Staroſta, quaſi dicas ſenior, appellatur: ſub cuius ditione tria milia nobilium eſſe feruntur. Sunt ibi aliquot uillæ atque pagi, in quibus tantus nobilium creuit numerus, ut nullus ſit colonus.

Oxi oppidum ad fluuium eiuſdem nominis ſitum, 5. miliar.

Steſchicza oppidum, ſub quo Vuiepers fluuius Iſtulam ingreditur, 5. miliar.

Svuolena oppidũ, 5. miliar. quo loco Vuiepers fluuio trãſmiſſo,
Senna, 5. miliar.
Polki, 6. miliar.
Schidlovu oppidum muro cinctum, 6. miliar.
Vuislicza oppidum muratum in lacu quodam ſitum, 5. miliar.
Proſtvuicza 6. miliar. indeq́ꝫ 4. miliar.

Cracouiam tãdem reuerſi ſumus, ubi multa quidem præter mandata, ſed quæ tamen Domino meo Bohemorum Regi recens electo non ingrata & profutura ſciebam, tractaui.

Ex Cracouia iter noſtrum Pragam uerſus dirigentes, per
Cobilagora, 5. miliar.
Ilkuſch plumbiſodinas, 2. miliar.

Benſin oppidum, 5. miliar. infra quod haud longo interuallo Pieltza fluuius Poloniam à Sileſia dirimit,

Sileſiæ oppidum Pielſcovuicza, 5. miliar.

Coſſe oppidum muratum, ad Oderam fluuium, quem Viagrum appellant, ſitum, quatuor miliar.

Biela, 5. miliar.

Niſſam, 6. miliar. ciuitatẽ, Vratislauienſium Epiſcoporũ ſedẽ, in qua ab Iacobo Epiſcopo perhumaniter accepti ac tractati fuimus.

Otmachavu caſtrum Epiſcopi, 1. miliar.
Baart, 3. miliar.
Bohemiæ oppidum Glacz, comitatus 2. miliar.
Ranericz, 5. miliar.
Ieromiers pariter 5. ferè miliar.
Bretſchavu, 4. miliar.
Limburg, 4. miliar. ciuitatem ad Albim fluuium ſitam.

Pragam tandem, caput regni Bohemiæ, 6. miliar. ad Moltauam fluuium ſitam, perueni, meumq́ꝫ Principem iam Bohemorum Regem electum, eoq́ꝫ ad coronationem uocatum reperi: cui equidem coronationi uiceſima quarta Feb. interfui. Porrò Oratores Moſci,

qui me

qui me ſequebantur, & quibus officij atque honoris gratia obuiam proceſſeram, dum arcis & urbis magnitudinem intuerentur, non eſſe caſtrum, aut ciuitatem, ſed regnum potius dicebant, quod ſine ſanguine acquiri permagnum eſſet.

Cæterùm Rex clemens & pius, audita ac cognita relatione mea, conſultationéque de rebus tum imminentibus finita, grata habuit quæ geſſeram, de diligenti mandatorum ſuorum expeditione, déque his quæ præter mandata profutura tum effeceram: & quod me ægrotum quidem, ad omnes labores obeundos obtuleram, gratiam ſuo ore pollicebatur. Quæ omnia cum Regi gratae eſſent, mihi iucundiſsima fuere.

FINIS.

PAVLVS IOVIVS NOVOcomensis Ioanni Rufo Archiepiscopo Consentino S.



Fflagitasti amplissime antistes Rufe, ut ea quæ de Moschouitarum moribus à Demetrio eius gentis legato, qui ad CLEMENTEM VII. Pontificem nuper uenit, quotidianis prope sermonibus didicissem, Latinarum literarum memoriæ commendarem: quum pro uetere tua pietate atque uirtute, ad amplificandam Romani Pontificis dignitatem, pertinere arbitrareris, si homines intelligerent, non fabulosi, aut omnino obscuri nominis Regem, sed qui numerosissimis extremi aquilonis populis imperet, in causa religionis, omnibus nobiscum sensibus coniungi, fœdereque perpetuo colligari, opportunissimo tempore cupiuisse: quando nuper aliquæ Germaniæ gentes, quæ pietate cæteris omnibus præstare uideri uolebant, insana atque scelesta defectione non modo à nobis, sed ab ipsis etiam superis exitiabili errore desciuerint. Cæterùm id munus impositum, quod certè grauioribus studijs occupatus iure optimo poteram recusare, egregia uoluntate, celeritateque perfeci, ne nimia mora uel accuratiori castigatione gratiam nouitatis exueret: qua uel una re, meæ erga te ueteris obseruantiæ studium, præstandique officij uoluntas manifestè declaratur: quum honoris iacturam facere, si quis ex hac ingenij tenuitate sperandus est, quàm desideriũ tuum longè honestissimum diutius frustrari maluerim. Vale.

HIERONYMI DELII ALEX.

Moschouijs quando lucem das gentibus, omnes
Paule tibi debent lumina Moschouij.
Sed quum Moschouiam per te quoque noscitet orbis,
Quid tibi quod, ni orbem debeat, orbis habet?

IANI VITALIS.

Vix olim ulla fides referentibus horrida regna
Moschorum, & Ponti res glacialis, erat.
Nunc Iouio autore, illa oculis lustramus, & urbes,
Et nemora, & montes cernimus, & fluuios.
Hæc tibi Rufe dicat Iouius, quo nomine maior
Fama sit & Moschi, fama sit & Iouij.
Felicem ô gentem, auspicijs quæ talibus exis
In lucem, ô geminis inclyta numinibus.
Non poteras alio melius sub sidere nasci,
Quàm sub sceptriferæ Palladis, atque Iouis.

P. CVRSII.

Moschouiam, monumenta Ioui tua culta reuoluens,
Cœpi alios mundos credere Democriti.

Pauli

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, DE LEGATIONE

ne Basilij magni Principis Moscouiæ, ad Clementem VII. Pontificem Max. Liber: in quo situs regionis antiquis incognitus, religio gentis, mores, & causæ legationis fidelissime referuntur. Cæterum ostenditur error Strabonis, Ptolemæi, aliorumq; Geographiæ scriptorum, ubi de Ryphæis montibus meminere: quos hac ætate nusquam esse, plane compertum est.



Egionis primo situs, quem Plinio, Straboniq; & Ptolemæo parum notum fuisse perspicimus, pressa breuitate describetur, & in tabula typis excusa figurabitur: inde gentis mores, opes, religionem, militiæq; instituta, Tacitum imitati, qui à perpetuis historijs libellum de Germanorum moribus seiunxit, perstrictiore stilo narrabimus, eadem fere sermonis simplicitate utentes, qua nobis ab ipso Demetrio, curiosa ac leni uestigatione lacessito, per otiũ exposita fuêre. Demetrius enim haud inepte latina utitur lingua, utpote qui in Liuonia à teneris annis in ludo prima literarum rudimenta didicerit, & insigni uariarum legationum munere functus, plures prouincias Christianorum adierit. Nam quum antea ob spectatam fidem ac industriam, apud Suetiæ Daciæq; reges, & magnum Prussiæ magistrum, Oratorem egisset, nouissime apud Maximilianum Cæsarem, dum in eius aula omnis generis hominum refertissima uersaretur, si quid barbarum quieto docilig; ingenio inerat, elegantium morum obseruatione detersit. Causam uero huiusce suscipiendæ legationis præbuit Paulus Centurio Genuensis, qui cum acceptis à Leone x. Pontifice commendaticijs literis, mercaturæ causa in Moscouiam peruenisset, cum Basilij Principis familiaribus ultro de consociandis utriusque Ecclesiæ ritibus agitauit. Quærebat enim Paulus insano, uasto'que animo, nouum & incredibile iter petendis ab India aromatibus. Fama nanque cognouerat, quum in Syria, Ægyptoq; & Ponto negotiaretur, aromata ex ulteriore India aduerso amne Indo subuehi posse, atque inde modico terrestri itinere superatis Paropanisidis montium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem: qui ijsdem fere montibus, quibus Indus oritur, aduerso fonte in Hyrcanum mare raptis secum multis amnibus ad Strauam portum effunditur. Porrò ab ipsa Straua tutam facilemq; nauigationem uideri, usq; ad emporium Citracham, ostium'que Volgæ amnis: inde uero aduersis semper amnibus, Volga scilicet, & Occha, & Moscho, in urbem Moscham: ab Moscha autem, terrestri itinere Rigam, & in ipsum

mare Sarmaticum, omnesq́ occiduas regiones facilè peruenìri posse, contendebat. Vehementer enim & supra æquum, Lusitanorum iniurijs erat accensus; qui India magna ex parte armis domita, occupatisq́ omnibus emporijs, cuncta aromata coemerent, & in Hispaniam auerterent, atque ea grauiore quàm antea precio ac impotenti quæstu omnibus Europæ populis uenditare consueuissent: quin & diligenti adeò cura Indici maris litora perpetuis classibus custodirent, ut eæ negotiationes penitus intermissæ atq; desertę uideãtur, quibus per sinum Persicũ, ac aduersum Euphratem, et per Arabici maris angustias, secundó que demum Nilo per mare nostrum Asia omnis atque Europa abunde, & uiliore quidem precio complebantur: deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimæ nauigationis incommodo, sentinæq́ uitijs aromata corrumpi, eorum que uis & sapor, odoratusq́ ille spiritus, multa demum mora in Olysipponensibus conditorijs promercalibus euanescere atq; expirare uideatur, cum asseruatis semper recẽtioribus, uetera tantum, et multo quidem situ mucida uenundari quereretur. Cæterùm Paulus, quanquam de ijs rebus acerbissimè apud omnes disserendo, & Lusitanis ingentem conflando inuidiam, multo auctiora fore uectigalia regia, si id iter aperiretur, & aromata ab ipsis Moschouitis, qui tãtam eorum uim omnibus ferculis absumerent, uilius emi posse perdoceret: nihil tamen quod ad eam negotiationem pertineret, impetrare potuit. quoniã Basilius homini externo ac ignoto, eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præberent, minimè aperiendas esse existimabat. Itaque Paulus omnibus exclusus uotis, ex mercatore legatus factus, Basilij literas Leone iam uita functo, ad Hadrianum Pontificẽ retulit, quibus illę cum multo uerborum honore egregiam uoluntatem erga Romanum Pontificem ostẽdebat. Paucis enim antè annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conuentus haberetur, per Ioannem Daciæ regem, huius Christierni, qui nuper regno expulsus est, patrem postularat, ut iter tutum legatis Moschouitis ad urbem Romam præberetur. Verùm quum eodem fortè die, & Ioannes Rex & Iulius Pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consilium mittendæ legationis omisit. Exarsit subinde bellũ inter ipsum & Sigismundum Polonię regem: quod quum insigni ad Borysthenem parta uictoria à Polono feliciter confectum esset, Romæ supplicationes sunt decretę, ueluti deuictis cæsisq́ Christiani nominis hostibus: quæ res & regem ipsum Basilium, & uniuersam gentem ab Romano Pontifice haud mediocriter alienauit. At cum Hadrianus Sextus fato extinctus, Paulum iam secundò itineri accinctũ destituisset, suffectus ei Clemens VII. illum etiam tum Orientis iter insano animo uolutãtem, cum literis in Moschouiam transmisit, quibus Basilium propensissimis adhortationibus inuitabat, ad

bat, ad agnoſcendam Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, feriendumq́ꝫ communibus in religione ſenſibus perpetuum fœdus, quod illi maximè ſalutare atqꝫ honorificum fore teſtabatur: ita ut Pontifex polliceri uideretur, ſe ex ſacro ſancta autoritate Pontificia eum Regem collatis regalibus ornamentis appellaturum, ſi reiectis Græcorum dogmatibus, ad autoritatem Romanæ Eccleſiæ ſe conferret. Cupiebat enim Baſilius Regij nominis titulum cōceſſione Pontificia promereri: quum id dare ſacroſancti iuris eſſe & Pontificiæ maieſtatis iudicaret, quando & ipſos quoqꝫ Cæſares à Pontificibus Maximis diadema aureum & ſceptrum Romani imperij inſignia accipere inueterata conſuetudine cognouiſſet, quanquam & id pluribus à Cęſare Maximiliano legationibus poſtulaſſe ferebatur. Igitur Paulus, qui feliciore aliquanto curſu, quàm multo cum quæſtu percurrere terrarum orbem ab ineunte ætate didicerat, quanquam ſenex et antiqua ſtranguria tentatus, proſpero celeriq́ꝫ itinere Moſchā peruenit, ubi à Baſilio humaniter eſt ſuſceptus. Fuit interea in eius aula menſes duos, diffiſusq́ꝫ uiribus, & eius immenſi itineris difficultate deterritus, quum Indicæ negotiationis ſpes omnes ac inexplicabiles cogitationes penitus abieciſſet, cū Demetrio legato priuſquam eum in Moſchouiā perueniſſe putaremus, Romam redijt. At Pontifex magnificentiſſima Vaticanarum ædium parte, ubi laquearia aurata, lecti ſerici, aulæaq́ꝫ eximij operis uiſebantur, Demetrium ſuſcipi, & togis ſericis ueſtiri iuſsit: attribuitq́ꝫ ei comitem, ac rerum diuinarum pariter & urbanarum monſtratorem, Franciſcum Cheregatum Epiſcopum Aprutinum, longinquis ſæpe ac digniſſimis legationibus functum, qui ipſi Demetrio uel in Moſchouia, Pauli ſermonibus erat notiſſimus. Porrò Demetrius ubi aliquot dierū quiete recreatus eſt, deterſis elotisq́ꝫ ſordibus, quas longo ac laborioſo itinere contraxerat, aſſumptoq́ꝫ inſigni patrio habitu, ad Pontificē deductus, eum de more ſupplex adorauit, munusq́ꝫ Zebellinarum pellium ſuo, Regioq́ꝫ nomine obtulit: tum uerò Baſilij literæ datæ, quas ipſi antea, & demùm Illyricus interpres Nicolaus Siccenſis in hanc ſententiam latinis uerbis tranſtulerunt. Clementi Papæ, paſtori ac doctori Romanæ Eccleſiæ, Magnus dominus Baſilius Dei gratia Imperator ac dominator totius Ruſſiæ, nec nō magnus Dux Volodemariæ, Moſchouiæ, Nouogrodiæ, Pleſchouiæ, Smoleniæ, Iſſerię, Iugoriæ, Permnię, Vetchæ, Bolgarię, &c. Dominator & magnus Princeps Nouogrodiæ inferioris terræ, Cernigouiæ, Razaniæ, Volotchiæ, Rezeuiæ, Belchiæ, Roſtouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæq́ꝫ, &c. Miſiſtis ad nos Paulum Centurionem, ciuem Genuēſem, cum literis, quibus nos adhortati eſtis, ut uobiſcum, cæterisq́ꝫ Chriſtianorum Principibus cōſilio ac uiribus coniuncti eſſe uellemus, aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, ac noſtris ueſtrisq́ꝫ legatis ultrò citroq́ꝫ commeandi tutum ac

expeditum iter pateret, ut mutuo amicitiæ officio, de amborum ſalute, & ſtatu rerum cognoſci poſſit. Nos autem Deo bene atq; feliciter adiuuante, ſicuti hactenus, aduerſus impios Chriſtianæ religionis hoſtes impigrè conſtanter'q; ſtetimus, ita & in poſterum ſtare decreuimus. Itemq; cum cæteris Chriſtianis Principibus conſentire, & pacata itinera præſtare, parati ſumus. Quas ob res mittimus ad uos Demetrium Eraſmium, noſtrum hominem, cum hac noſtra epiſtola, Paulum'q; Centurionem remittimus. Demetrium autem celeriter remittetis, eum'q; incolumem et inuiolatum uſque ad fines noſtros eſſe iubebitis. Idem nos quoq; præſtabimus, ſi cum Demetrio legatum ueſtrum mittetis, ut ſermone ac literis certiores de rebus adminiſtrandis reddamur, ſic ut perſpectis Chriſtianorum omnium uoluntatibus, nos etiam optima conſilia capere ualeamus. Datũ in Domino noſtro, in ciuitate noſtra Moſchouia, anno ab initio mundi ſeptimo Milleſimo triceſimo, tertio Aprilis. Cæterùm Demetrius, uti eſt humanarum rerum, & ſacrarum præſertim literarum ualde peritus, occultiora de magnis negotijs mandata habere uidetur, quę mox eum priuatis congreſſibus expoſiturum ſperamus: nam à febre, in quam ex cœli mutatione inciderat, priſtinas uires & natiuum uultus ruborem recuperauit, ita ut pontificijs ſacris, quæ in honorem diuorum Coſmæ & Damiani, ſolenni apparatu, muſicis'q; concentibus confecta ſunt, ſexagenarius ſenex, & cum uoluptate quidem aſtiterit, & in ſenatum uenerit, quum Campegius Cardinalis à Pannonica legatione tum primum rediens, à Pontifice omnibusq; aulæ ordinibus exciperetur: quin & ſacroſancta Vrbis templa & Romanæ magnitudinis ruinas, priſcorum'q; operum deploranda cadauera mirabundus inuiſerit, ita ut credamus eum propediẽ explicatis mandatis, cum legato pontificio, Epiſcopo Scarenſe, dignis'q; acceptis à Pontifice muneribus, in Moſchouiam eſſe rediturum. Moſchouitarum nomẽ recens eſt, quãquam de Moſchis Sarmatarum affinibus Lucanus meminerit, & Plinius Moſchos ad Phaſidis fontes ſupra Euxinum ad orientem conſtituat. Eorum regio latiſſimos habet fines, & ab Aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealem'q; Oceanum, ſub ipſis ferè Septentrionibus extenditur: campeſtris magna ex parte, & pabuli quidem ferax, ſed æſtate pluribus in locis admodum paluſtris: nã ea omnis terra magnis frequẽtibusq; amnibus irrigatur, qui ubi niuibus hybernis multo ſolis uapore colliquatis, & reſoluta ubiq; glacie contumeſcũt, campi paſſim in paludes abeunt, cunctaq; itinera continentibus aquis & cœnoſa illuuie defœdantur, donec nouæ hyemis beneficio reſtagnantia flumina, ipſæ'q; paludes iterum cogantur, & uias ſolidiſſimo conſtratas gelu, uel tranſituris curribus præbeant. Hercynia ſylua quotam Moſchouiæ partem occupat, ipſaq; paſſim poſitis ubiq; ædificijs incolitur, iamq; lõgo labore
hominum

hominum rarior facta, non eam, ſicuti plerique exiſtimant, horridam denſiſſimorum nemorum impenetrabiliumq́ꝫ ſaltuum faciem oſtēdit. Cęterùm ea immanibus feris pleniſſima, per Moſchouiam perpetuo tractu inter ortum Solis, & Boream, ad Scythicum Oceanum excurrere traditur: ita ut ſpes hominū eius finem curioſè ſcrutantium, infinita magnitudine ſua ſemper eluſerit. Ea in parte quæ uergit ad Pruſſiam, uri ingētes, & ferociſſimi taurorum ſpecie reperiuntur, quos Biſontes uocant, item'que Alces ceruina effigie, & cum carnea proboſcide, altisq́ꝫ cruribus, et nullo ſuffraginum flexu, Lozzi à Moſchouitis, à Germanis uerò Helenes appellati, quæ animalia C. Cæſari nota fuiſſe uidemus. Prǫterea urſi inuſitatæ magnitudinis, & prægrandes lupi, atro colore formidabiles. Ab ortu Moſchouia finitimos habet Scythas, qui Tartari hodie nuncupantur, gentem uagam, & bello omnibus ſeculis illuſtrem. Tartaris pro domibus ſunt carri, centonibus coriisq́ꝫ contecti: ab quo uitæ genere Hamaxouios antiquitas eos appellauit. Pro urbibus uerò, ac oppidis, immenſa caſtra, non foſſis, aut materiæ clauſtris, ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine uallata. Diuiduntur Tartari per Hordas: ea eſt, eorum lingua, conſentientis in unum populi congregatio, ad effigiē ciuitatis. Hordis ſinguli prǫſunt Imperatores, quos genus, aut bellica uirtus dedit. ſǫpe enim cum finitimis bella gerūt, ac ambitioſè admodum & atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitum propè numerum eſſe conſtat: quippe Tartari ad Cathayum uſq́ꝫ, celeberrimam in extremo ad Orientem oceano ciuitatem, latiſſimas ſolitudines tenent. Porrò qui proximi ſunt Moſchouitis, mercaturǫ commercio & frequentibus eorum irruptionibus ſunt noti. In Europa ad Dromon Achillis Taurica in Cherſoneſo ſunt Præcopitæ, quorum Principis filiam Selymus Turcarum Imperator uxorē duxit. Ii Polonis maximè ſunt infeſti, lateq́ꝫ inter Boryſthenem & Tanaim cuncta populantur: & cum Turcis ſicuti religione, ita & cæteris in rebus mirificè conſentiunt: qui in eadem Taurica Caffam Ligurum coloniam obtinent, Theodoſiam antiquitus appellatā. Ii uerò Tartari, qui inter Tanaim et Volgam amnem in Aſia latos campos inhabitant, Baſilio Moſchouitarum regi parent, & Imperatorem aliquando eius iudicio deligunt. Inter eos Cremii, inteſtinis ſeditionibus laborantes, quum antea opibus & belli gloria maximè ualuiſſent, paucis antè annis uires ſimul ac omnem dignitatem amiſerūt. Trans Volgam, Caſanii Moſcouitarum amicitiam religioſè colunt, ac eorum ſe clientes eſſe profitentur. Vltra Caſanios ad Boream ſunt Sciabani, multitudine armentorum ac hominum potentes. Poſt eos ſunt Nogai, qui ſummam hodie opum & bellicæ laudis obtinent autoritatem. Eorum Horda quàm ampliſſima nullum habet Imperatorem, ſed Reipublicæ Venetæ more, multa ſeniorū prudentia, ſtrenuorumq́ꝫ uirtute gubernatur.

Vltra Nogaios, haud magno ad meridiem deflexu, uersus Hyrcanum mare, Zagathai Tartarorū nobilissimi, oppida lapide cōstructa incolunt, regiamq; habent Samarcādam urbem, eximiæ magnitudinis & claritatis: quam Iaxartes, maximus Sogdianę amnis interfluit, atque inde ad centum miliaria in mare Caspium effunditur. Cum ijs populis ætate nostra Hismael Sophus, Rex Persarum, dubio sæpe euentu bella gessit: timoreq; eorum adductus, dum uires omnes imminentibus opponuntur, Selymo una acie uictori Armeniam, Taurisiumq; regni caput prædæ reliquit. Samarcanda urbe ortus est Tamburlanes, siue ut Demetrius dicendum monet, Themircuthlu, qui Baiazetem Ottomanum, huius Solimani tritauum, apud Ancyram Galatiæ urbem ingenti prælio superatum cępit, & per omnē Asiam ab se terribili, maximi exercitus impetu deuictam, ferrea inclusum cauea, in triumphi pompa circūduxit. Ab hac regione ad Moschouitas plurima uestis serica adducitur. Cęterùm mediterrani Tartari nihil præter equorum pernicium greges, & nobiles nulla filorum textura, sed coactis ex lanis, cādidos cētones prębent: è quibus Feltriæ uestes penulæ, ad perferendum omnem imbrium iniuriam idoneæ, atq; pulcherrimæ conficiuntur. A' Moschouitis autem laneas tunicas & argenteam monetam petunt, quum ab ijs omnis corporis cultus, superfluæq; supellectilis apparatus contemnatur: solo etenim centone ad irati cœli contumeliam fortiter sustinendam contenti sunt, & solis confisi sagittis hostem arcent: quanquam dum in Europam excurrendum esse decreuissent, Principes eorum ferreas galeas & loricas, gladiosq; falcatos, à Persis nostra tempestate coemerint. A' meridie Moschouitarum fines ijsdem ab Tartaris claudūtur, qui supra Męotim paludem in Asia, & circa fluuios Borysthenem & Tanaim in parte Europæ, planitiem ad Hercyniam uergentem tenent. Roxolani, Getæ & Bastarnę, antiquitus eam plagam incoluere, unde Russiæ nomen effluxisse crediderim. nam Lithuaniæ partem, Russiam appellant inferiorem: quum ipsa Moschouia, Russia alba nuncupetur. Lithuania itaque ab Cori uenti flatibus Moschouiam spectat: ab occasu uerò, mediterranea Prussiæ atq; Liuoniæ ipsis Moschouiæ finibus inseruntur, ubi mare Sarmaticum ab Cymbricæ Chersonesi angustijs irrumpens, lunato sinu ad Aquilonem inflectitur. In extremo uerò eius Oceani littore, ubi Norbegia atq; Suetia, amplissima regna, Isthmo ueluti quodam continenti adhærent, Lapones existunt, gens supraquàm credibile sit, agrestis, suspiciosa, & ad omne externi hominis uestigium, nauigijq; conspectum, maximè fugax. Ea neq; fruges, neq; poma, neque ullam omnino uel terræ, uel cœli benignitatem nouit. sola sagittandi peritia cibum parat, uarijs'que ferarum tergoribus uestitur. Gentis cubilia, cauernulæ siccatis repletæ folijs, caui'que arborum stipites, quos uel intromissa flamma, uel ipsa uetustas, inducta carie

fabrica-

fabricarit. Aliqui ad mare, ubi ingẽs eſt captura piſcium, ineptis, ſed felicibus artificijs piſcantur, duratosq́ꝫ fumo piſces, tanquam ſuas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum ſtatura, luridi con tuſiq́ꝫ uultus, pedes uerò uelociſſimi. Ingenia eorum ne ipſi quidem proximi Moſchouitæ nouerũt, quum eos parua manu aggredi, exi tialis inſaniæ eſſe dicant: magnis uerò copijs inopẽ rerum omnium uitã ducentes laceſſiſſe, necꝫ utile, necꝫ omnino glorioſum unquam exiſtimarint. Ii cãdidiſſimas pelles, quas Armelinas uocamus, cum uarij generis mercimonijs permutant: ſic tamen, ut omne mercato- rum colloquiũ conſpectumq́ꝫ defugiant, adeò ut mutua rerum ue- nalium collatione facta, et relictis medio in loco pellibus, cũ abſen- tibus & ignotis, ſynceriſſima fide permutationes tranſigãtur. Vltra Lapones in regione inter Corum & Aquilonẽ, perpetua oppreſſa caligine, Pygmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei teſtes retulerũt: qui poſtquam ad ſummũ adoleuerint, noſtratis pueri denûm annorum menſuram uix excedant: meticuloſum genus hominũ, & garritu ſer monem exprimens, adeò ut tam ſimiæ propinqui, quàm ſtatura ac ſenſibus ab iuſtæ proceritatis homine remoti uideantur. Ab Aqui- lone uerò innumerabiles populi Moſchouitarũ imperio parẽt, qui ad Oceanũ Scythicum, itinere trium ferè menſiũ extenduntur. Pro- xima Moſchouiæ regio eſt Colmogora, frugibus abundans, quam interluit Diuidna, fluuiorum totius Septentrionis longè ampliſſi- mus, qui alteri fluuio minori in mare Baltheum erumpenti, nomen dedit. Is ſtatis & Niloticis ſimilibus incrementis, nec incertis anni temporibus circuniectos inundat campos, pinguiq́ꝫ alluuie, algen- tis cœli iniurijs, ſçuisq́ꝫ Aquilonis flatibus mirificè reſiſtit: quum ni uibus imbribusq́ꝫ auctus inflatur, adeò lato alueo in Oceanum per incognitas gentes in ſpeciem ingentis pelagi defertur, ut expedito nauigio unius diei remigatione trãſire nequeat. ubi uerò aquę mox reſederunt, uaſtæ paſſim inſulæ fertilitate nobiles relinquũtur. Fru mentum nancꝫ terræ traditũ, nullo aratri beneficio prouenit, admi rabiliq́ꝫ celeritate naturę feſtinantis, ac nouam ſuperbi amnis iniuri am timẽtis, oritur ſimul, & adoleſcit, atque in ariſtas educitur. In Di uidnã influit Iuga amnis, in ipſoq́ꝫ confluentium angulo celebre eſt emporiũ, nomine Vſtiuga, à Moſcha regia urbe ſexcẽtis miliarib. di ſtãs. In Vſtiugã à Permijs, Percerris, Inugris, Vgulicis, Pinnagisq́ꝫ ulterioribus populis, precioſę pelles Martarum, Zebellinorumq́ꝫ, luporum, ceruariorum, et nigrarum albarumq́ꝫ uulpium compor- tantur, & ab ijs uario mercimonij genere permutantur. Zebellinos uerò leuium pilorum tenui canicie probatiſſimos, quibus nũc Prin cipum ueſtis fulcitur, & delicata matronarum colla, expreſſa uiuæ animantis effigie, cõteguntur, Permij & Pecerri præbent: ſed quos ipſi ab remotioribus etiam gentibus, quæ ad Oceanum pertinent, per manus traditos accipiant. Permij & Pecerri paulò ante ætatem
 noſtram

noſtram more gẽtilium idolis ſacrificabant: nunc uerò Deum Chriſtum colunt. Ad Inugros, Vgolicosq́ꝫ, per aſperos montes peruenitur, qui fortaſſe Hyperborei antiquitus fuerunt. In eorum iugis nobiliſſimi falcones capiuntur. ex ijs genus unum eſt cãdidum, guttatis pennis, quod Herodium dicunt. ſunt et hierofalchi, ardearum hoſtes, & ſacri, & peregrini, quos antiquorum Principum luxus in aucupijs non agnouit. Vltra eos, quos modò nominaui, populos, Moſchouitis regibus tributa pendentes, aliæ ſunt nationes extremæ hominum, nulla certa Moſchouitarum peregrinatione cognitæ: quando nemo ad Oceanũ peruenerit: ſed fama tantum, ac ipſis plerunq́ꝫ fabuloſis mercatorum narrationibus auditæ. ſatis tamen conſtat, Diuidnam innumerabiles trahentem amnes, ingenti curſu ad Aquilonem deferri, mareq́ꝫ ibi eſſe longè uaſtiſſimum, ita ut illinc ad Cathayum legẽdo oram dextri litoris, niſi terra interſit, nauibus perueneri poſſe, certiſſima coniectura credendum ſit. Pertinent enim Cathayni ad extremam Oriẽtis plagam, ad Thracię ferme parallelum, Luſitanis in India cogniti, quũ proximè ad coemenda aromata per regionem Sinarum, Melachã uſq́ꝫ ad auream Cherſoneſum nauigarint, ueſtesq́ꝫ ex Zebellinis pellibus attulerint: quo uel uno argumento non longè ab Scythicis litoribus Cathayum urbem abeſſe putamus. Cæterùm quum à Demetrio quæreremus, an apud ipſos ulla de Gotthis populis uel fama per manus à maioribus tradita, uel ex ipſis literarum monumentis memoria ſupereſſet, qui ante mille annos & Cæſarum imperium, & urbem Romam omnibus iniurijs deformatum euertiſſent: reſpondebat, & Gotthicæ gentis, & Totilę regis nomen clarum eſſe atque illuſtre, in eam'que expeditionem coiuiſſe plures populos, & ante alios, Moſchouitas: creuiſſeq́ꝫ eum exercitum ex colluuie Liuoniorum & Circumuolganorum Tartarorum: ſed propterea omnes Gotthos fuiſſe appellatos, quoniam Gotthi, qui inſulam Islandiam ſiue Scandauiã incolerent, autores eius expeditionis extitiſſent. Iis maximè finibus Moſchouitæ ex omni parte clauduntur, quos Modocas Ptolemæo fuiſſe credimus: hodie aũt à Moſcho amne haud dubiè ſic dicti, qui & regiæ urbi quam interfluit, ſuũ quoq́ꝫ nomẽ indiderit. Ea eſt omnium Moſchouię urbium longè clariſſima, tum ſitu ipſo, qui regionis medius eſſe exiſtimatur, tum inſigni fluminũ opportunitate, domorumq́ꝫ frequentia, & munitiſſimæ arcis celebritate. Oblõgo etenim ædificiorũ tractu, ſecundum Moſchi fluminis ripam ad ſpaciũ quinque miliarium extenditur. domus in uniuerſum ſunt ligneæ, diſtinctæ in triclinia, coquinas, & cubilia, capacitate amplæ, nec ſtructuris enormes, aut nimium depreſſæ: trabes enim ingentis magnitudinis ab Hercynia ſylua ſupportantur, quibus ad rubricæ lineam delibratis, & contrario ordine inter ſe ad rectos angulos coniunctis & confibulatis, exteriora domorũ ſepta ſingulari firmitate, nec multa impenſa,

impensa,& summa celeritate constituuntur. Domus fermè omnes, & ad usum olerum, & ad uoluptatem priuatos habent hortos, unde raræ urbis circuitus longè maximus apparet. Singulæ regiones singula habent sacella: sed conspicuo in loco templum est deiparæ Virgini dicatum, celebri structura atque amplitudine, quod Aristoteles Bononiẽsis mirabilium rerum artifex, & machinator insignis, ante sexaginta annos extruxit. ad ipsum urbis caput, Neglina fluuiolus, qui frumentarias agit molas, Moschum amnem ingreditur, peninsulamque efficit: in cuius extremitate arx ipsa cum turribus ac propugnaculis, admirabili pulchritudine Italorum architectorum ingenio constructa est. In subiectis urbi campis capreolorum & leporũ incredibilis multitudo reperitur: quos nemini plagis & canibus sectari licet, nisi Princeps id ad uoluptatẽ intimis familiaribus, uel peregrinis legatis indulserit. Tres fermè urbis partes duobus alluuntur fluminibus: reliqua uerò, latissima fossa, atque ea multa aqua ex ipsis amnibus corriuata pręcingitur. Vrbs etiã ab aduerso latere alio flumine quod Iausa dicitur, munita est: id pariter in Moschum paulo infra urbem euoluitur. Porrò Moschus ad meridiem excurrens, in Ocham amnem multo maiorẽ, apud oppidum Columnam sese effundit: nec magno inde itineris spatio Ocha ipse, & suis & alienis undis magnus & tumẽs, exoneratur in Volgam, ubi ad cõfluentes situm est oppidum Nouogrodia minor, de nomine maioris urbis, ex qua deducta est ea colonia, nuncupatum. Oritur Volga, qui antiquitus Rha fuit, è magnis uastis' que paludibus, qui Cãdidi lacus appellantur. Sunt eæ supra Moscham inter Aquilonem & Corum, emittuntque cunctos fermè amnes qui diuersas in regiones diffunduntur, uti de Alpibus uidemus: è quorũ iugis ac fontibus Rhenum, Padum ac Rhodanum, innumerabilesque minores fluuios manare compertum est. Siquidem eæ paludes pro montibus perenni scaturigine, humorem affatim præbent, quum nulli omnino montes ea in regione multa etiam hominum peregrinatione reperiãtur, ita ut Ryphęos montes & Hyperboręos toties ab antiquis celebratos, plerique Cosmographię ueteris studiosi penitus fabulosos esse arbitrẽtur. Ex ijs itaque paludibus, Diuidna, Ocha, Moschus, Volga, Tanais, atque Borysthenes oriũtur. Volgam Tartari Edilũ, Tanaim uerò Don appellant, ipse Borysthenes Neper hodie nuncupatur. hic paulò infra Tauricam in pontum Euxinum decurrit. Tanais autem à Mæoti palude, ubi Azoum est nobile emporium, excipitur. Volga uerò ad meridiẽ Moscham urbem relinquens, uasto circuitu ingentibusque męandris primò ad Orientem, mox in Occasum, ac demum ad austrum magna aquarum mole præcipitatus, in Hyrcanum mare deuoluitur. Supra eius ostium urbs est Tartarorum, nomine Cytrachan, ubi à Medis, Armenijsque & Persis mercatoribus nundinæ celebrantur. In ulteriore Volgæ ripa Tartarorum oppidum est

dum est Casanum, à quo Casaniorum Horda nomen ducit: distat à Volgæ ostio, Caspio'que mari quingentis millibus passuum. Supra Casanum autem centesimo et quinquagesimo miliari ad ingressum amnis Suræ, Basilius qui nunc regnat, Surcicum oppidum condidit, ut in ea solitudine mercatoribus ac uiatoribus, qui de rebus Tartaricis ac eius inquietę gentis motibus proximos finium Præfectos certiores reddunt, certa & tuta mansio cum tabernis hospitalibus statueretur. Moschouitarum Imperatores uarijs temporibus, uti ex usu præsentium rerum fuit, uel libido, noua ac obscura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diuersas urbes Imperij atque aulæ sedem habuere. Siquidem Nouogrodia, quæ Caurum & Solem ferè occidentem spectat, uersus Liuonium mare non multis ante annis totius Moschouiæ caput fuit, summam'que semper obtinuit dignitatem, propter incredibilem ædificiorum numerum, latissimi'que & piscosi lacus opportunitatem, & uetustissimi ac uenerabilis templi famam: quod ante quadringentos annos Byzantiorum Cæsarum æmulatione, sanctæ Sophiæ Dei filio Christo dicatum fuit. Nouogrodia perpetua quasi hyeme et tenebris longissimarum noctium premitur. nam polum Arcticum ab Orizonte sexagintaquatuor gradus eleuatum uidet: sex ferè gradibus ipsa Moscha ab æquatore remotior, qua cœli ratione solstitij tempore propter exiguas noctes continuatis ferè solis ardoribus æstuare perhibetur. Vrbs quoque Volodemaria Regiæ nomen adepta est, quæ ad ortum solis ducentis amplius miliaribus à Moscha distat, eo'que sedem Imperij ab strenuis Imperatoribus necessaria ratione translatam ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora præsidia aduersus Scytharũ irruptiones opponerent. est enim citra Volgam in ripis Clesmæ amnis sita, qui in Volgam euoluitur. Cæterum Moscha, uel ob eas, quas diximus, dotes, Regiæ nomine dignissima iudicatur: quoniam medio quodam totius frequentioris regionis ac Imperij loco sapientissimè constituta, munita'que arce & fluminibus, consensu omnium, præcellentiæ meritam laudem, honorem'que nulla ætate defuturum sibi uendicasse cæterarum urbium collatione uideatur. Distat Moscha ab urbe Nouogrodia quingẽtis millibus passuum, medio'que fermè itinere Ottoferia Volgæ amni imposita occurrit. Is amnis, uti fonti proximus, nondũ receptis tot amnibus exiguus lenis'que permeat. inde per nemora & campestres solitudines Nouogrodiam peruenitur. Porrò à Nouogrodia ad Rigam proximum Sarmatici litoris portum, paulominus quingẽtorum miliarium iter est. Is'que tractus superiore commodior putatur, quum frequentes habeat uicos, urbem'que Pleschouiam uiæ impositam, quam duo amnes complectuntur. Ab Riga autem, quę magni magistri militię Liuoniorum ditionis est, ad Lubeccam Germanię portum in sinu Cymbricæ Chersonesi mi-

nesi miliaria paulo plus mille periculosæ nauigationis numerantur. Ab urbe Roma uerò Moscham duobus millibus et sexcentis miliaribus distare compertum est, breuissimo scilicet itinere euntibus per Rhauennam, Taruisium, Carnicas alpes, Villacum'que Noricum, & Viennam Pannonicam. atque inde superato Danubio, per Olmutium Morauorum usque ad Cracouiam Poloniæ regiam, mille & centum miliaria existunt. Ab ipsa uerò Cracouia ad Vilnam Lithuaniæ caput, quingenta: & totidem ab ea urbe ad Smolenchum ultra Borysthenē situm, et à Smolencho ad Moscham sexcenta computantur. uerùm id iter quod est à Vilna per Smolenchum ad Moscham, hyeme per niues longo concretas gelu, lubricam'que, sed multo attritu solidatam glaciem expeditis in curribus incredibili celeritate conficitur. æstate uerò nisi difficili laboriosoque itinere campestria superare nequeūt. nam ubi niues perpetuis solibus dissolui eliquarique cœperint, in paludes cœnosasque uoragines abeunt, uiris pariter & equis inextricabiles, nisi ligneis pontibus infinito propè labore consternantur. Terra Moschouia in uniuersum neque uitem, neque oleam, neque paulo suauioris pomi frugiferam arborem, prę̨ter melopepones & cerasa producit: quum teneriora quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. campi tamen tritici, siliginis, milij, panicique, & omnis generis leguminum segetes ferunt. sed certissima messis in cera & melle consistit. Regio enim tota fœcundissimis apibus plena est, quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiunt. Hinc per syluas, & opacissimos saltus, frequentia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia uidere est, quæ nullo æris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arboribus conditæ, ueteraque mella deserta ab apibus, quum singulas arbores, in uastis nemoribus rari agrestes minimè perscrutentur: ita ut in admirandæ crassitudinis arborum stipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Retulit & cum multo omnium risu Demetrius legatus, ut est ingenio comi et faceto, proximis annis uiciniæ suæ agricolam, quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem supernè desilijsse, eumque profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo uitam solo melle sustinuisse, quum uox opem implorantis in ea syluarum solitudine, ad uiatorum aures penetrare nequiuisset: ad extremū uerò desperata salute, mirabili casu, ingentis ursæ beneficio inde extractū euasisse, quum forte eius beluæ ad edenda mella more humano se demittentis, auersos renes manibus comprehendisset, & eā subito timore exterritam ad exiliendum tum tractatu ipso, tum multo clamore concitasset. Nobile quoque linum, & cannabum in restes, multaque item boum tergora, & massas ceræ ingentes, Moschouitæ in omnem Europæ partem mittun. Nulla auri argenti'ue, uel ignobilioris metalli, fer-

ro excepto, apud eos uena, ſectura'ue reperitur: nullumq; eſt tota regione, uel gemmarum uel precioſi lapilli ueſtigium. ea omnia ab externis populis petunt. naturæ tamen iniuria, quæ tot bona prorſus inuiderit, uno pellium nobiliſſimarum mercimonio reſarcitur, quarum precium incredibili hominum cupiditate & luxu adeò creuit, ut in ſingulas ueſtes ſuffulturæ, millenis aureis nummis ueneant. Fuit autem tempus, quo hæc uilius emebantur: quum remotiſſimæ Septentrionis nationes politioris cultus, noſtræq; adeò anhelantis luxuriæ penitus ignaræ, ſumma ſimplicitate, eas uilibus ac ridiculis ſępe rebus permutarēt: ita ut uulgo Permij, atq; Pecerri, tantum pellium Zebellinarum pro ferrea ſecuri repēderent, quantum earum ſimul connexarum ipſo ſecuris foramine, quo manubrium induitur, Moſchouitæ mercatores extrahere poterant. Ante quingentos annos Moſchouitæ gentilium deos coluêre, Iouem ſcilicet, Martem & Saturnum, & pleroſq; alios, quos ſibi inſano errore hominibus ex induſtrijs, aut regibus antiquitas finxit. Tunc uerò primū Chriſtianis ſacris initiati, quū Gręci antiſtes haud ſatis conſtantibus ingenijs à Latinorum Eccleſia diſſentire cœperunt: factumq; eſt, ut Moſcouitę eos religionis ritus quos à Gręcis doctoribus acceperant, ijſdē ſenſibus, et ſynceriſſima quidē fide ſequerentur. Spiritum enim ſanctū tertiam in diuina Trinitate perſonam, à patre Deo ſolum produci perſuaſum habent: quum rectiſſima ueritate à patre ſimul Chriſtoq; filio proficiſci credendum ſit. uerùm ea controuerſia apud Conuentum Florentinū, præſidente Eugenio quarto Pontifice, magna partium cōtentione agitata, eum exitū habuit, ut pertinacia Græcorum in ſermone potius quàm in ſenſu caſtiganda uideretur: quum Græci antiſtites euidentiſſimis conuicti rationibus, ſpiritum ſanctū à patre per filium produci faterētur. Sacramentum quoq; non ex azymo, uti iure debemus, ſed ex fermentato pane conficiūt: idq; ſub utraq; ſpecie, ſicuti ſoli apud nos ſacerdotes, panis ſcilicet diuiniq; ſanguinis, ab eorū presbyteris uniuerſo populo communicatur: quo maximè errore imbuti Bohemi, paulo ante patrum noſtrorum memoriam à Latinorum Eccleſia deſciuerunt. Cæterum quod ualde alienum à Chriſtiana religione eſſe uidemus, nullis ſacerdotum ſuffragijs, nulla'que propinquorum, aut amicorum pietate iuuari mortuorum manes arbitrātur: fabuloſumq; eſſe purgatorij locum putant, è quo tandem piorum animæ, cùm diuturna ignis pœna, tum multis parentationibus, indulgētiaq; ſummorum Pontificum expiatæ, immortaliū felicitatem beata in cœli ſede conſequantur. Cæteris in rebus eaſdem ferè ceremonias tenent, quæ à Græcis uſurpatæ ſunt, Romanamq; Eccleſiam cęterarum omnium Principatum obtinere, ſuperbè et peruicaciter negant. ſed ante alia, Iudæorum genus, uel memoria quidem horrent, nec eos intra fines admittunt, ueluti peſsimos atq; maleficos homines: qui etiam nouiſsimè

uiſsimè Turcas æneа tormenta conflare docuerint. Chriſti uitæ miraculorumq́ omnium hiſtoria ab Euangeliſtis quatuor conſcripta, itemq́ Pauli epiſtolæ, dum ſacra fiunt, è ſuggeſtu clariore uoce recitantur, probatæq́ uitæ ſacerdotes homelias Eccleſiæ doctorum publicè legunt, etiã ijs horis quibus ſacra minimè cõficiuntur. non enim Oratores cucullatos, qui aduocato populo cõcionari, & ambitioſe nimis atq́ ſubtiliter de diuinis diſſerere ſoliti ſunt, admittere fas putant: quoniam rudes imperitorũ animos ſimplici potius doctrina, quàm altiſſimis arcanorum interpretationibus ad ſanctiorem morũ frugem euadere, uiri ſolidæ religionis arbitrantur. Hos, quos modò diximus, ſacros libros, item que noui ac ueteris inſtrumẽti enarratores, preterea Ambroſium, Auguſtinũ, Hieronymum atq́ Gregorium, in linguam Illyricam traductos habẽt, religioſeq́ cuſtodiunt. Antiſtites, Principesq́ minorum ſacerdotum ſingulis urbibus pagisq́ præfecti ſacra curant, controuerſias dirimunt, & moribus deprauatos ſumma quadã uindicãdi poteſtate perſequuntur. Regem ſacrorum, quem ipſi Metropolitam uocant, à Cõſtantinopolitano Patriarcha petunt: Archimandritæ autem & Epiſcopi, coniectis in urnam meliorum nominibus, ſorte ducuntur. Eorum uerò hominum qui humanis cupiditatibus ultro renunciarunt, diuinarumq́ rerum contemplationi & ſacrorum miniſterio ſeſe dedicarunt, duplex eſt genus, utrunq́ cœnobia incolit: ſed alterum eſt uagum, & paulo ſolutioris uitæ, ſicuti apud nos diuorum Franciſci atq́ Dominici ſectam profitentes: alterum conſtat ex ſanctioribus monachis, quorum ordinem diuus Baſilius inſtituit. ijs ne limine quidem uel in ſuprema uitæ neceſsitate, pedem efferre fas eſt. Procul enim ab oculis profanorum ſingulari duritie uitam in occultioribus adytis degunt, ſummamq́ ſubactæ carnis & confirmati in religione animi opinionẽ præbent. Vniuerſus populus quater in anno, & pluribus ſemper diebus ieiunare cõſueuit, abſtinetq́ ab eſu carniũ, ouorum, & lactis. In uere primùm, more Latino, poſt diem Cinerum: mox adulta æſtate, in honorem diuorum Petri & Pauli: & initio autumni demum, quum aſſumptæ in cœlum Mariæ uirginis memoriã celebramus: poſtremò ſub ipſam hyemẽ, quum aduentus Domini pronunciatur. Per hebdomadã uerò, diem Mercurij ſine carnibus, diem autem Veneris ſine ouis lacteq́ traducunt: ſed Saturni dies menſa omnibus obſonijs opiparè referta, hilariter excolitur. Cæterùm ſecus ac nos ſolemus, nullas feſtorũ dierum uigilias obſeruãt. Religioſiſſimè tẽpla uenerantur, adeò ut ea neq́ uiros neque fœminas uenereis pollutos cõplexibus intrare fas ſit, niſi prius priuatis balneis abluãtur. Sæpeq́ accidit, ut complures utriuſq́ ſexus ſacra audientes, extra limen cõſiſtant, & propterea à petulcis iuuenibus recentis incontinentiæ notati, facetis aliquando nutibus ſalutentur. In ipſo natali die Ioannis Baptiſtæ, & in Paſchate, trium

 Magorum,

Magorum, presbyteri sacratos panes paruos, toti populo largiuntur, quorum esu febribus conflictatos alleuari existimant. Alia quoque sacra, certo anni tempore apud flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituunt, & aduocata nobilitate hymnos numeroso concentu pronunciant, sacraeque lymphae multa aspergine profluentem purificant, & solenni ceremonia stratum & consecratum circumcisa et reuulsa glacie protinus aperiūt. Iis rebus ritè confectis, si qui adsunt languentes uel morbosi, in flumen desiliunt, & sacris aquis abluuntur, quum ob id elui morborum sordes persuasum habeant. Defuncti, uti apud nos, mediocri funeris pompa comitantibus presbyteris efferuntur, capite mappa uelato: caeterum non in templis, uti apud nos, impia propè, uel abominabili certe corruptela usurpatum est, sed in septis ac exterioribus templorum uestibulis sepulturae tradūtur, ijsque more nostro quadragenis diebus parentant: quod certe mirum uidetur, quum in purgatorio loco expiari animas, & criminum poenam ullis amicorū supplicijs, ulloque pietatis officio mitigari penitus negent. In caeteris, eadem quae à nobis de religione sentiuntur, constantissimè credunt. Moschouitae Illyrica lingua, Illyricis'que literis utuntur, sicuti & Sclaui, Dalmatae, Bohemi, Poloni, & Lithuani. Ea lingua omnium longè latissima esse perhibetur. nam Constantinopoli Ottomanorum in aula familiaris est, & nuper in Aegypto apud Memphiticū Sulthanum & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo sacrorum librorum industria maximè diui Hieronymi & Cyrilli, translata est. Praeter quoque patrios annales, Alexandri etiam Magni, Romanorumque Caesarum, item'que M. Antonij & Cleopatrae memoriā ijsdem literis commendatam tenent. Philosophiam uerò & sideralem scientiam, caeterasque disciplinas & rationalem medicinam nunquam attigêre. ijque pro medicis se gerunt, qui alicuius paulo ignotioris herbae uires, se pluries obseruasse profitētur. Anni apud eos nō à natali Christi, sed ab ipso mundi initio numerantur, qui non à mense Ianuario, sed à Septembri incipiunt. Leges toto regno habent simplices, summa Principum & iustissimorū hominum aequitate cōditas. & propterea populis ualde salutares, quoniam eas ullis Causidicorum cauillationibus interpretari, atque peruertere nō licet. De furibus, sicarijs & latronibus suppliciū sumunt. Quum de maleficijs quęstionē habēt, reos multa gelida aqua supernè demissa perfundūt, quod intolerandū tormenti genus esse perhibēt. Nōnunque obduratis et cōtumacibus, ut cōfessio criminis exprimatur, ligneis cuneolis digitorū ungues cōuellūtur. Iuuētus omnis uarijs ludis, sed militię proximis sese exercet: in stadio cursu cōtendit, in palęstra colluctatur, pernicitati equorū studet, omnibusque praemia & pręsertim sagittariorū peritiss. proponūtur. In uniuersum Moschouitę statura sunt mediocri,
sed

ſed quadrata, et ualde toroſa: cæſij omnib. oculi, prolixę barbę, cru ra breuia, et uētres extenti. equitāt contractis admodū cruribus, et peritiſſimè uel auerſi et fugiētes, ſagittas emittūt. Domi opiparè po tius quàm lautè uiuūt. nanq; omniū fermè cibariorū quę uel à luxu-rioſiſſimis deſiderari poſſunt, menſę eorū, et paruo quidē precio paſ ſim inſtruūtur. Gallinæ ſiquidem, & anates, ſingulis ſæpe argēteolis tenuibus nummis ueneunt. maioris minoriſq; pecoris incredibilis eſt copia: & occiſæ media hyeme iuuencæ, concretis gelu carnibus duorū ferè menſiū ſpacio non putreſcūt. Venatione & aucupio, uti apud nos, nobiliora obſonia parātur. nam uenaticis canibus, & pla gis omnis generis feras capiunt: & aſturibus, atq; falconibus, quos mirificos regio Pecerra præbet, non modo phaſianos, & anates, ſed cycnos & grues conſectātur. Aſtures ex genere infimo aquilarum, uel miluorum, falcones uerò accipitrum nobile genus antiquis fuiſ ſe putamus. Capitur quoq; auis ſubnigra, puniceis ſupercilijs, ma gnitudine anſeris, quæ pulparū ſapore phaſianorum ſuperat digni-tatē: Moſchouitica lingua Tetrao nūcupata, quę Plinio Erythratao uocatur, Alpinis populis cognita, & maximè Rhetis, qui ſaltus ad Abduæ amnis fontes incolūt. Ingentes etiā ſapidiſſimoſq; piſces, et ante alios Sturiones, quos Siluros antiquitus fuiſſe putamus, Vol-ga præbet: & ij quidē hyeme multa incluſi glacie, recentes pluribus diebus aſſeruātur. Aliorū uerò piſcium multitudinem fermè incre-dibilem, ex candidis, quos diximus, lacubus expiſcātur. Vino nati-uo quum penitus careant, aduectitio uti ſolēt, ſed in feſtis conuiuijs tantum, & ſacrificijs. Ante alia Creticū ſubdulce maximo in honore habetur, ſed in uſum medicinę tantū, uel principalis luxurię oſtēta-tionem: quū miraculi loco ſit, eductū Creta per Gaditanas fauces, et tantis cōcluſi maris Oceaniq; fluctibus agitatum, incorrupta ſua-uitatis ac odoris dignitate, inter Scythicas niues, ebibiſſe. Populus uerò medonem bibit, ex melle lupuliſq; decoctū, quod picatis in ca dis ueteraſcit, & ex antiquitate nobilitatē adſequitur. In uſu quoq; ſunt birra atq; ceruiſia, ſicuti apud Germanos Polonoſq; uidemus, quæ ex tritico, zeaq; uel ordeo decoctis omni conuiuio circūferun tur. Hāc quadā cognata cum uino poteſtate, largius cōpotantibus ebrietatem inducere adfirmant. Medonem ac birram per æſtatem infrigidare, infuſa poculis glacie, uoluptatis gratia ſolent. nam in-gentia glaciei fruſta nobilium in cellis ſubterraneis ſingulari ſtu-dio reconduntur. Sunt, & qui in delicijs habeant ſuccum ex ſub-auſteris ceraſis expreſſum, qui perſpicui, & purpuriſſantis uini colorem & ſaporem iucundiſſimum refert. Vxores & fœminæ, non in eo honore ſunt apud eos, uti apud cæteras gentes. nam pro-pè ancillarum loco habentur. Viri inſignes earum ueſtigia mi-rum in modum obſeruant, & pudicitiæ diligentiſsimè cauent. non enim adhibentur conuiuijs, neque ſacrorum cauſa remotiora

templa petere, aut temerè in publicum egredi permittuntur. Cæterum uei ab externis hominibus, et exiguo quidem precio, ad Venerem omne uulgus fœminarum facile pellicitur, adeò ut parum earum amoribus studere uiri nobiles existimetur. Basilius ante uiginti annos Ioãnem patrem amisit. Is Sophiam Thomæ Palęologi, qui latè in Peloponneso imperabat, Constãtinopolitaniq; Imperatoris erat frater, uxorem duxit. ea tum Romæ erat, Thoma patre Turcarum armis Græcia pulso. ex hac quinq; liberi felici fœcũditate suscępti, ipse Basilius, Georgius, Demetrius, Simeon, & Andreas. Demetrio & Simeone iamprid ẽ morbo assumptis, Basilius Salomoniam Georgij Soborouij, eximiæ fidei atq; prudentiæ cõsiliarij filiam, in matrimonium sibi collocauit: cuius fœminę singulares uirtutes una sterilitas obscurat. Solent aũt Moschouitæ, quum de uxore ducẽda deliberant, omnium toto regno puellarum uirginum delectum habere, ac forma, uirtuteq; animi præstantiores ad se perduci iubere: quas demum per idoneos homines, fidelesq; matronas inspiciunt, ita diligenter, ut secretiora quoq; ab ijs contrectari explorariq; fas sit. Ex ijs uerò magna atq; solicita parentum expectatione, quæ ad Principis animum responderit, regijs nuptijs digna pronunciatur. cæteræ uerò, quæ de formæ pudicitiæq;, & morũ dignitate contenderãt, sæpe eadem die in gratiam Principum, proceribus atq; militibus nubunt: sic ut mediocri loco natæ plerunq;, dum Principes, regię stirpis clara stemmata contemnunt, ad summũ regalis thori fastigium, uti & Turcas Ottomanos solitos esse uidemus, pulchritudinis auspicijs euehantur. Basilius quadragesimum septimum ætatis annum non attingit, specie corporis eximia, animi uirtute singulari, suorumq; studio ac beneuolentia, & rebus gestis, progenitoribus suis anteferendus. Nam, quum per sex annos cum Liuonijs, qui septuaginta duas urbes fœderatas in eius belli causam trahebant, armis contendisset, paucis legibus datis potius quàm acceptis, uictor discessit. Polonos quoque initio statim ipsius Imperij, acie profligauit, Constantinumq; Ruthenum copiarum ducem captum & cathenis uinctum Moschã perduxit. Sed ipse aliquanto pòst ad Borysthenẽ, supra Orsam urbem, ab eodem Cõstantino, quem dimiserat, magno prælio est superatus: ita tamen, ut Smolenchũ oppidum, quod antea Moschouitæ occuparant, post tantam etiam uictoriam à Polonis partam, in ditione Basilij relinqueretur. Sed aduersus Tartaros, & maximè Europęos Pręcopitas, sæpius secundo prælio à Moschouitis est dimicatum, ulciscendis fortiter iniurijs, quas illi repentinis incursionibus intulissent. Supra enim centum & quinquaginta milia equitum Basilius ad bellum ducere consueuit, distinctis per uexilla turmis, quæ suos duces sequuntur. Regiæ alæ uexillo inscripta est Iosuæ Hebræi imago, illius qui, ut sacræ referunt historiæ, à Deo maximo longissimum diem, retardato solis cursu, pijs

precibus

precibus impetrauit. Pedestres copiæ nullo propè usui sunt in illis uastis solitudinibus, tum ex ipsa ueste quæ fluxa talaris'que est, tum ex hostium consuetudine, qui cursu potius & equitandi celeritate, quàm ui statariæ pugnæ, uel ipso congressu militiam exercēt. Equi eorum statura infra mediam existunt, sed robusti & uelocissimi habentur. Equites præpilatis hastis, clauisq; ferreis & sagittis rem gerunt. paucis falcati sunt gladij. Corpora uerò clypeis rotundis, ut Asiatici Turcæ, uel inflexis & angularibus parmis, more Græcorum, itemq; lorica & galea pyramidali proteguntur. Basilius etiam Sclopettariorum equitum manum instituit: multaq; ænea tormenta Italorum fabrorum artificio conflata, suis'que imposita curribus in arce Moschæ uisuntur. Ipse insigni apparatu & singulari comitate, qua tamē Regia maiestas nulla ex parte corrumpitur, publicè cum proceribus atque legatis epulari solet, magnumq; inaurati argenti pondus duobus abacis expositū, eodem triclinio conspicitur. Nullam prætoriani militis cohortem, prȩter ipsam familiam corporis custodiæ causa, circum se habere, uel alibi alere consueuit. Ab urbana enim fideli multitudine stationes habētur. nam unaquæq; urbis regio foribus, cancellisq; sepitur: nec temerè per noctem, aut sine lumine in urbe uagari licet. Aula omnis constat ex regulis, & ex ipso militum delectu, qui per statos mensium circuitus, frequentandæ, nobilitandæq; regiȩ causa per uices ad implenda comitatus officia è singulis regionibus accersuntur. Porrò exercitus omnis, quum bellū ingruit, uel hostibus indicitur, ex euocatis ueteranis nouisq; prouinciarum delectibus cogitur. nam cunctis in urbibus præfecti militiæ iuuentutem inspiciunt, idoneosq; in ordines militum transcribunt: quibus ex ærario prouinciarum, certa pacis tempore, sed ea quidem exigua, stipendia persoluuntur. Verùm qui militant, immunitate uectigalium gaudent, et cæteris paganis præstant, regiaq; gratia omnibus in rebus potentes existunt. Patescit namque ueræ uirtuti nobilis locus, quum bellum geritur: siquidem egregio & in omni rerum administratione salutari instituto, ad suum quisq; spectatum facinus, uel perpetui præmij, uel ignominiæ sempiternæ fortunam assequitur.

PAVLI IOVII DE LEGATIONE MOSCOVItarum libelli Finis.

RERVM ET VERBORVM IN MOSCOuitica hiſtoria memorabilium

Index.

Boris

Idolo-

N

Sigismun-

FINIS.

Series chartarum.

α A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Omnes duerniones, præter Z ternionem.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO Salutis humanæ M.D.LI. Mense Iulio.




ARION

CHRONICA
REGNORVM
AQVILONARIVM

DANIÆ
SVETIAE
NORVAGIAE

Per Albertum Krantzium Ham-
burgen. descripta.

Cum Priuilegio CAESAREAE Maiestatis,
ad Quinquennium, iam recens edita,
sub annum Christi
M. D. XLVI.

ARGENT. apud Ioannem
Schottum.

Serenisſimo Principi ac Domino, Domino CHRISTIANO Dei gratia Danorum, Noruagiorum, Gothorum, & Vuandalorum Regi: Slesuici, Holſatiæ, Stormariæ, ac Thyetmarſiæ Duci: Comiti in Aldenborch, & Delmenhorſt.

Vetus inſtitutum eſt ſereniſſime Rex, quòd hi per quos ſummorũ Principum, aut illuſtrium uirorum res fortiter geſtæ, literis commendantur, aut qui ſcripto quopiam uel publicis, uel priuatis commoditatibus inſeruiunt, quicquid id laboris ſit, ſummis item Principibus inſcribere ſoleant: uel hoc uno conſilio, contra liuidulorum maleuolentiam, quibus nihil præter ſua placet, patrociniũ quærentes: uel ut magnis Heroibus ſubminiſtrent occaſionem, ſe in Veterum monumentis oblectari, diſcereq́ꝫ, quibus artibus Regna feliciter inſtituta ſeruentur: quoúe pacto, niſi cautè proſpexerint, infelicius corruant. Hanc uerò fugiendorum, aut expetendorum ſcientiam uberius adſequetur nemo, quàm ex Hiſtoriæ fidelibus monumentis. Quam rectè maximus ille Romanus Orator Cicero, temporum teſtem, ueritatis lucem, memoriæ uitam, uetuſtatis item nuncium appellat. Hiſtoria certè una eſt, cuius beneficio aduerſus omnem Fortunæ impetum armati & muniti ſumus: ut quæ rerũ omnium cognitionem adminiſtrat. Nec poſtremus illius fructus eſt, quòd bonos in admirationem, improbos in poſtremam deteſtationem apud nos inducit: quo fit, ut Virtutem unicè amplectamur, uitia deteſtemur acerrimè. Hæc cùm uno omnium ore, linguis deniquè omnibus, & ubiquè prædicetur: ne faſtidium ingeram, re eadem iterum atq́ꝫ iterum repetita: cauſam expoſiturus ſum, ſerenisſimè Rex, qua adductus, ut hanc Krantzij candidiſſimi ac clariſſimi uiri, de tribus florentiſſimis Daniæ, Noruagiæ, Suetiæ Regnis hiſtoriam, Maieſt. tuæ nuncuparim. Annus (ni fallor) agitur nunc quartus, quo ſupra modũ apud nos peſtis graſſabatur: ego ſalubrioris auræ ſpiraculum quærens, Germaniam inferiorem deſcendi. Vbi fortè in generoſos aliquot uiros incidi, qui honeſtiſſimam mentionem fecerant Comitis Reinhardi à Vueſterburg & Lyningen, Metropolitanę Colonienſis Eccleſię Decani, uiri humanisſimi, atq́ꝫ in Mathematicis, cæteris quoq́ꝫ remotioribus diſciplinis eruditisſimi: cuiuſq́ꝫ mortem eruditi omnes & boni dolenter ferrẽt: hac clarisſimi uiri cõmendatione motus, cunctabar, ubinam ſupellex illius literaria ſit? nam eam inui ſere (liceat ſaltem) mirum in modum affectarem. Exhibiti ſunt Codices uarij: inter quos erat unus, trium celebratiſſimorum Regnorum Daniæ, Noruagiæ, & Sueciæ, originem, & res ab ea Gente benè geſtas, adamuſsim explicans. Hunc ubi tùm obiter uidi, nec liberũ erat

penitius Historiam ipsam introspicere, apud uiros optimos id conse-cutus sum, ut ius mecum auferendi eosdem libros mihi facerent. Domum rediens, atque ociū nactus legi, relegique: subinde mox dignos iudicaui, qui omnium usui edantur. Verùm cùm ijdem multa ueterum Germanorum continerent, quorum fructus, ad eos tantùm rediturus foret, qui Latinè callerent: hanc quoque molestiam suscæpi, ut in Germaniæ uulgatiorem linguam transferrem, Maiestatique tuæ ob id inprimis inscriberem: quòd ueteres Regnorum tuorum Reges, iuxta Ethnicorum æquitatem, commune Belli malum, in multos deriuari noluerint, quin potius unius casu & iactura dirimi cupiebant: uidentes nimirum, quæ incommoda Bellum ipsum, etiamsi felix & iustum censeatur, subsequantur. Videlicet, expilata plebs, onerati Nobiles, tot utriusque sexus orbi senes, tot miseri derelicti, & quondam diuites, iam ad inopiam redacti: ut interim de bonorū morū internicione sub ticeamus, quæ simul cum bello ingruens, ita radices figit, ut multis dein seculis extirpari non posit. Ideò mihi uerè fortes fuisse uidētur prisci illi Danorum Reges, qui magnam illam & admirabilem laudem, soli auferre uolentes, aduersis casibus infracti, commune Belli malum in se uertebant, nec minus in rebus asperis, suam dignitatē tuentes. Postquam autem DEI optimi maximi beneficio, Maiestas tua Regnis illis præsidet, & quod apud priores Regnorum tuorū Reges speciem quidèm iusti habebat, μονομαχίᾳ Bellum dirimere, eadem Maiest. tua crudele atque impium nouit, Bello inuitus & reluctans, multorum confessione, implicitus es. Quid ni ergò, libros hosce Maiest. tuæ inscriberem, unde te Auitorum benè actis oblectareris, & tuos non sine iucunditate & fructu, si quando per ardua illa negocia tua, propius agnoscere datur? Postquàm autem natura ita comparatum est, ut omnes nouarum rerum simus percupidi, plura de ueterum Germanorum moribus & institutis reperiet hic Lector, quæ illi recentia erunt: cumprimis uerò de his Gentibus, quæ mutatis proprijs sedibus, in alienas migrauere terras, ubi noua erexere Regna. Nec ijdem tàm barbari extitere, ut quidam Romanorum Scriptores de illis prodiderunt. Quales fuere Huni, Goti, Vuandali, Normanni, atque Longobardi, qui Regnum in Italia constituentes, quàm multis seculis illud heroica ui detinuere. Inter hæc commemoratur quoque, quis rerum status sub initijs Orientalium Imperatorum in Italia quoquè fuerit: quàm uafra Romani Pontificis consilia: quæ nō iucunda solùm scitu, sed & nosse per utile fuerit. Constat omnibus, pleraque Imperia sanguine & parata, & seruata esse: huic autem Genti, ab initio certamen unicum erat, pro uirtute & gloria: deinceps uerò pro humana libidine Regnis possidendis arma mota sunt. Hic uaria στρατηγήματα, militaria inquam consilia depre-

deprehenduntur, quibus olim & parua militum manus, ingentes fu-
derit exercitus. Verùm cùm Christianos omnino dedeceat in Christi
anos bella gerere: Bellum denique per se res sit, quod nulli nisi inexper-
to dulce, cuius incommoda nullius sermo unquàm assequi potuit: &
te Rex inuictissime inuitum ac reluctantem sciamus arma sumpsisse:
spes nobis firmior est, rebus præcipuè cum CAROLO Imp. no-
stro, summa tranquillitate compositis, ut omnes tuos conatus eó dire-
cturus sis, quo diuturnius & exitiosum iam à multis annis inter Chri-
stianos bellum, in exteram Christiani sanguinis sitientissimam belu-
am Mahumeticam, totius Christiani orbis commodo uertatur. Ad
quæ conamina DEVS opt. Max. Maiestat. tuam diu incolumem
seruet.

Serenis. Maiest. tuæ

deditissimus

Henricus ab Eppendorff.

REGVM Longobardorum in LIB. III.

CHRISTIERNVS DEI GRATIA DA-
norum, Noruagorum, Gothorum, & Vuandalorum
Rex: Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ, ac Dytmar-
siæ Dux: Comes in Aldenburg, &
Delmenhorst.



ALBERTI KRANTZII Hamburgeñ. Chronographi, in Historiam Rerum gestarum Regni DANIAE, & Longobardorum,

PROLOGVS.



ERMANIAE MAGNAE, OMNES qui Cosmographiam scriptitarũt Græci & Latini, annumerauêre tria Aquilonis Regna, Daniam, Suetiam, Noruagiam, olim multis Veterũ incomperta. Nam quid gentium ultra Albim fluuiũ habitet, Straboni, qui sub Augusto scripsit, ignotum, ut fatetur, fuit. Cornelius Tacitus, qui sub Flauijs Principibus, hoc est, Vespasianis patre ac filijs scribẽs, ad Traianum usq; peruenit, elegantissimum de situ Germaniæ, ac Germanorum moribus edidit librum, plenum laudibus eius gentis, manifesta descriptione complexus Aquilonis prouincias, intra limitem Germaniæ. Vbi post Sueõnes, à nobis Suecos, à popularibus Suedos appellatos, attigit Sitones. Hic inquit Suetiæ fines. Non modò Germaniam, sed etiam Suetiam illuc producens: quòd mare hoc nostrum Orientale, aliâs Germanicum, aliâs Sueticum, illa consueuit ætate appellari. Secutus Plinius secundus, Naturalis autor historiæ, eadem ferè scribens ætate, hoc est, usquè ad Traianum, à Seuone monte Riphẽis iugis non humiliore, Germaniæ facit principium: quem ad Cimbrorum usquè promontoriũ (quod Germani sua lingua Scaghen appellant) ingentem facere sinum dicit: qui & ab illo, & à Pomponio Mela Codanus uocatur, magnis refertus Insulis: quarum clarissima Scandinauia, inquit, est (nos Scaniam uocamus) incompertæ magnitudinis. Nam cùm ea sit magna pars Danici Regni, contigua est alijs duobus Aquilonis Regnis Suetiæ atquè Noruagiæ montibus & fluminibus, & interdum quibusdam maris finibus disterminata. Hanc Insulam magnam, quæ tria, ut diximus, Boreæ Regna, complexa est, Baltiam idẽ Plinius tradidit appellari à Zenophonte Lampsaceno: unde mare cõtiguum traxisse uocabulum credi debet, ut Balticum uocaretur. Ptolomæus autem Alexandrinus, qui sub Adriano scripsit Imperatore, Insulas quæ supra Chersonesum Cimbricum (quæ nunc Iutia dicitur) sitæ sunt, haud dubiè sicut Germaniæ oppositas, ita consociatas natione uult intelligi: quarum ille quoquè maximam uocat Scandiam, nos, ut dixi, Scaniam. Cuius Septentrionalia Leuoni, hoc est, Fenni, Occidentalia Chedui, hoc est, Noruagi, Orientalia Phanonæ & Phiresi, hoc est, Suenones & Gothi (nam ea est gens una) Meridionalia Datæ & Dantiones, hoc est, Dani tenent. Mirum, ea ætate apud Romanos

Aquilonis regna tria.

Lib. 4. ca. 13.

Codanus.

Scandinauia Insula.

Mare Balticum.

Iutia insula.

Fenni, Leuoni.

Chedui, Noruagi.

Daci, Dani,

manos & Græcos, esse incompertam Græcorũ patriam, cùm quibus tàm crebra, magna, & diuturna gessere bella. Sed erat ea tempestate necdùm tàm magnum Gothorum nomen, quàm postea effulsit sub Honorio Imperatore, quando uniuersam Italiam, & ipsam urbem Romam peruaserunt, ipsasq; diu Gallias & Hispanias inter manus lacerauerunt. Nimirùm ex hoc mundi angulo gens illa prodijt infracta, cœlum suum rigidum testata, quæ magnam mundi partem diu tenuit infestam, & Romanum Imperium magnis laboribus implicuit, & multas inde prouincias armis occupauit. quod suo loco plenius dicemus infra, cuius est pars Gothia. Nunc uerò, quia oculis & auribus nostris, qui ad littus Germanici maris agimus, res omnis penè subiecta est, certius inde aliquid tradere possumus, quàm qui de longinquo conspexere. Quod pace dixerim diligentissimorum hominum, qui uni huic negocio, perscrutandi terrarum orbis præcipuam curam impenderunt. Operę precium uisum est, uniuscuiusq; Regni res seponere: ut suum cuiquè decus respondeat: diuisimq; recognoscatur, quid rerum Dania, quid Suetia, quæ & Gothia, quidué Noruagia peregerit. Nam Regnum Longobardorum in Italia (quam Galliam ueteres Itali dixere Cisalpinam) constitutũ, Danorum gloria est Scania egressorum: Gothorum autem decus, subegisse Italiam, uastasse Vrbem Romam, diu regnũ in Italia, diu in Gallijs & Hispanijs tenuisse. Noruagi uerò proprium sibi uendicarunt, maritima Franciæ de suo nomine dixisse, Normanniam: inde in mediterranea, Italiam usq; penetrasse, ac in Apulia, Calabriaq; primo Ducatũ, & in Sicilia Comitatum, postea nobile Regnum in utraq; Sicilia, quod in hunc usquè diem durat, fundasse. Quanquàm ætate nostra, Siciliam insularem rex teneat Hispaniæ: reliquam uerò (quæ Metropolitanũ regnum dicitur) Francorum regi, ac Ferdinandi posteris magnũ luctamen excitasse: nunc tamen ad posteritatem regis Ferdinandi, qui patrẽ habuit Alfonsum regem Arragoniæ, redijsse, iterum uerò Francis paruisse cernamus. Sed hæc atquè alia his consentanea, suo loco referemus: nunc ista in primordio attigisse paucis contenti. Horum autem Regnorum præclaras res memoraturi, inprimis istarum Regionum terminos debemus explicare, ut certius dicenda locis atquè temporibus cõaptentur, à Dania, quæ ut uetustior, ita nobilior, nunc quoq; summam rerum tenet, facientes principium. Nam illustrissimus Rex Ioannes, nunc uno tenet Imperio tria Regna, Suetiam, quæ tamen illi diu desierat, armis ãno superiori recuperans.

Autoris intentio.

Gallia Cisalpina.

ALBERTI



ALBERTI KRANTII Hamburgen. Chronographi, Rerum gestarum Daniæ, LIB. I.

De Regni DANIAE situ & terminis. CAPVT I.

GITVR Dania tota penè insularis, multis constat partibus, maris faucibus intercępta. Prima est Orientalis: & eius potissima pars est Scania, Archiepiscopatu Lundensi dignata, quę magnitudine sua & opibus facilè superat reliquas Regni prouincias. Occidua pars Regni Iutia est, Chersonesum Cimbricam Ptolomęus appellauit. Ea uerò quasi lingua procurrit inter duo maria longè in Boream: quo modo Italia in Austrum. Nam Iutia ab Austro habet Eydodoram fluuiū, qui ortus in profundissimo saltu Isernho (is littora maris occupat à Traiena flumine in lacum Sliam) decurrēsq́ ad occiduum, in mare exit Britannicum, Frisios, qui ab olim Danici iuris sunt, dirimens à Tietmersis, limes perindè Daniæ atq́ Holsatiæ. Iutia autem à Ptolomęo, ut diximus, appellata est Chersonesus: quòd peninsula sit tribus terminis mari pulsata, solo quarto adhærens continenti, ita tamen ut sit flumine dirempta. Itinere sex, ut aiunt, dierum procurrit in Aquilonē. Vrbibus aliquot insignita ad utrunquè mare. Nam superum Balticum, inferum illi est Britannicum. Hæc Regio uaria olim fortuna, à uetustissima memoria Saxonibus habitata est: quibus pulsis, Dani occupauere. Sed ętate Corn. Taciti & Ptolomęi, Cimbri regionem tenuerunt: unde illi apud memoratos Autores nomen remansit, ut Chersonesus Cimbrica diceretur. Quæ uerò Cimbrorum gens fuerit, alio in loco congruentius explicabitur. Nunc hoc dixisse sufficiat, Iutiam esse, quam illi Autores dixere Cimbricam. Pomponius Mela Inuernam appellauit, incultam, ut asserit, frugibus, sed pecori commodissimam: quòd multum inde milia pecorum per singulos annos uenū mittantur in terras longinquas. Nisi fortè Inuernam quis accęperit eam, quæ nunc Hybernia est, ab illo uocitari. Hæc duo, Scania, atquè Iutia extrema, sed totius Danici Regni præcipua sunt membra, quibus interceptæ sunt Insulæ multæ. Quarum locupletissima Sialandia, quam nunc Selandiam appellamus, multis Vrbibus & Arcibus, Regia potissimum mansione insignis. Ibi Roschildia olim potens & munita ciuitas, Ecclesijs decorata & Regum monumētis: nunc autem ad tenuitatē perducta. quòd uisum est Regibus, non expedire Regno, Ciues fisos Vrbiū munitionibus insolescere. Longitudinem habet biduam itineris. Latitudo ferè ęqualis; habetq́ ab occidua parte

Daniæ partes Scania.

Iutia. Saxoniæ lib. 1. ca. 1. ad finem.

Iutia, Chersonesus.

Inuerna.

Insulæ Daniç, Sialandia, Roschildia.

Iutiã: à Boreali & deserta, est fretũ Noruagiæ, à Meridie autem Vuandalicum sinũ, cum aliquot insulis minoribus: ab Ortu respicit Scaniam, quam diximus habere metropolim Lundinam, olim ciuitatẽ non paruam, nunc ad uilitatem uastati oppidi redactã. A Selandia in Scaniam traiectus multi: breuissimus in Helsingborg, qui oculis submittit utrunq; Regnum. Scania igitur est pulcherrima Danię prouincia, armata uiris, opulentia, frugibus, diues mercibus, Ecclesijs plena, & nunc Alecum captura locuples & insignis, duplici magnitudine ad Sialandiam. Hæc est ultima pars Daniæ ad Orientem. Nam quæ supra sunt Insulæ, sæpè mutarunt Imperia, nunc Danis, nunc Suecis obsecutæ. Vndiquè mari cingitur hęc Scania, præter unum terræ brachium, quod porrigitur in Boream, uersum tamen ad Orientem, quo Suedię iungitur: sed intercedũt profundi saltus, asperrimæq; rupes, per quas à Scania in Gothiam, quæ pars est Suetiæ, iter agitur tàm difficile, ut dubites, utrũ sit leuius marino discrimine terrestrem uitare laborem, an istud illi præponere. Hic ergo Gothi habitant usq; ad Biram urbẽ olim Indicam. Deinde longis terrarum spacijs regnant Suenones. de quibus suo loco. In sinu aũt maris, quem Codanũ à Veteribus appellari diximus, quindecim numerantur Insulæ, quarum potissima Fionia: inde Falstera, Lalandia, & cæterę non tàm insigni nomine, præter unam quam diximus Selandiam, cæterarũ reginam: quippè quę Regiam tenet sessionem, & perindè caput censetur Regni. In eodem autem sinu uersus Meridiem, sub littoribus Vuandalorum, tres sunt Insulæ precipuę, olim Vuandalorum genti adscriptæ, nunc pulsis retrò in Mediterranea Vuandalis, & linguam mutarunt, & mores. Prima ab Occidua parte est Cimbria, uetus retinens nomẽ totius uicinæ prouinciæ: quamuis imperiti corrupto uocabulo Imbriam, aut Fimbriam solent appellare. Hæc est opposita olim Vuagris, nũc Holsatis, qui pulsis Vuandalis, eam quoq; regionis partem tenent: & ideo Insula illorum, non Iutiæ censetur. Huic proxima est in Orientem quæ Pola dicitur, Obotritis olim, nũc Magnopolensibus obiecta: quę pro sui paruitate, non solet in numerum referri. Hanc sequitur eodem tractu Rugia, ad Pani flumen collocata, iam olim insignis, ut totius Vuandalicæ nationis caput haberetur. Vnde etiam sunt egressi Rugij, qui Pannonias occuparunt, Odöacre rege eiusdem nationis transeunte in Italiã: à quo reuertente, cùm Regnum suũ firmasset in Italia, retrò pulsi sunt Rugij memorati. Sed ea in nostra Vuandalia plenius applicuimus. Hæc insula sola ex tribus, suorum Principum, uetus recognoscit Imperiũ, non mutans dominos, licet linguam cũ suis Principibus immutauerit. Saxonicam enim linguam omnes sequuntur. Tertia in Orientem

Helsingborg. Insulæ maris Codani. Cimbria. Pola. Rugia. Rugij. Vuandaliæ lib. 1, cap. 36.

tem uerſa Sambia, nunc Pruſſis annumeratur, quorum ditione regitur, Pontificem ſuum habens cui paret, de Ordine Teutonicorum. Ibi nunc, ſicut olim, colligunt calculum mari eiectum, quem Sucinum Romani uocant: olim, teſte Plinio atq; Cornelio, inuentores Gleſſum dixere. A Scania uerò in Orientem Inſulæ ſunt multæ, quæ ſæpè mutauerunt ditionem. Ibi Gothlandia, nunc Danicę Coronę, olim Sueticæ ſubiecta: ibi Bornholm, cum nonnullis alijs, Nicolaus Germanus, Ptolomæi renouator, & ſi rectum fateri uolumus, illuſtrator, iſtas Inſulas ſubiecit oculis: ſed expreſſius tamen inde referunt, qui nauigant hoc mare negociatores, quàm in breui Tabella potuit depingi. Hæc de Dania paucis in præfatione attacta ſint ſatis. Nunc Antiquitates renouaturi rerũ geſtarum, ordinem narratione complectamur: Saxonem uirum Sialandicum, mira diligentia ſuæ gentis Antiquitates perſcribentem, ſequentes autorem: cuius diligenti uerborum curæ parere, indagandæ ueritatis credere, promptũ eſt, uigilantiã extitiſſe.

Sucinus lapis.

Gothlandia

Bornholm.

Saxo Sialandicus chronographus.

¶ Regnorum Daniæ, & Angliæ longè differens origo, & tempus. Caput. ij.

DANIAM primus tenuiſſe regno Dan indigena, memoratur, multis ante ſeculis, quàm Chriſtus mundi ſalus, in mundo naſcerẽt: factaq; ſupputatione, antiquius hoc Regnum Romano reperietur. Ante enim quàm Romulus Lupam matrem ſugeret, Dan in ſua Dania, de eius nomine ſic appellata, Regnum tenuit. Dan, inquit Saxo, & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, patre Humblo procreati, non ſolùm conditores gentis noſtræ, uerùmetiam Rectores fuere. Hi licet fauentibus patriæ uotis, Regni dominio potirentur, rerumq; ſummam, ob egregiæ fortitudinis merita, aſſentientibus ciuium ſuffragijs, obtinerent, Regij tamen nominis expertes degebant: quòd nomen illud incompertum genti diu haberetur. Ex quibus, inquit, Angul: à quo gentis Angliæ principia manaſſe, memoriæ proditum eſt, nomen ſuæ Prouinciæ cui præerat, aptandum curauit. Libuit in primordio Autoris quem ſequimur, uerba repetere. Sed hic circumſpectionem tuam Saxo, requiro, qui arbitraris, ab Angul Angliam dictam Britannicam. Nimis longa eſt anticipatio huius nominis. Anni ſupra mille interceſſerunt ex hoc die, in tempus illud, quo Inſula iſta inſignis quam dicis, primum Albion, inde Britañia, nouiſſimè Anglia dicta eſt, ab Anglis Saxonibus, qui nomen ſuũ genti intulerunt. Sic teſtantur omnes qui de Anglia ſcripſerunt. Et quibus armis potuit illa tempeſtate, uir Danus ad hoc pertingere, ut Angliã gubernaret, & de ſuo nomine diceret? præcipuè, cùm rerum primordia ſemper ſint tenera. Sed eſto potuerit: quis neſcit, diu

Dan Rex I.

Daniæ Regnũ, Romano antiquius.

Dan primus.

Angul.

Angliæ origo.

Britanniam appellatam insulam, cùm illam intraret Iulius Cæsar: deinde Claudius Imperator, qui filium ex ea appellauit Britannicum: & post illum Seuerus, qui etiam ibi furijt: nouissimè Constantius Magni Constantini pater, eodem loco mortuus & funeratus in Eboraco est: & hoc nomen suum usquè ad Anglos Saxones, sub Imperatore Martiano, teste Beda, Anglicos inuectos tenuisse, ut semper Britones diceretur: tùm uerò Anglos Saxones suum illi uocabulum indidisse, ut exindè Anglia diceret. Potuit Angul iste, si ita uis, parti Iutiæ, quæ hodiè quocp Angla dicitur, suum reliquisse nomen: sed Britanniam ille non mutauit: Cæterum Dan genti & Regno nomen suum intendit, ut ex eo Dania dicatur: quo modo ante illum Ægyptus suæ prouinciæ nomen reliquit, & Latinus in Italia, & Romulus urbi Romæ suum uocabulum inscripsit. A Dan ergò, ut fert Antiquitas, Regum Danicorum stemmata, ceu quodam deriuato principio, splēdido successionis ordine profluxerunt. Nec alia de rebus ab illo gestis, memoriæ mandata leguntur. quòd Antiquitas non eam literis impendit culturam, quæ nostris temporibus ad bonum modum effloruit.

Dania, à Dan.



¶ Regis electio qualis apud Veteres. Lotherus item fratrem Regno deponit. Caput. iij.

MVMBLVS & LOTHERVS filij fuere Dan, ex Grytha summæ inter Teutones dignitatis matrona, suscepti. Lecturi Regem Veteres, affixis humo saxis insistere, suffragiacp promere consueuerunt: subiectorum lapidum firmitate, facti constantiam ominantes. Quo ritu Humblus decedente patre, nouo patriæ beneficio Rex creatus, sequentis fortunæ malignitate, ex Rege priuatus euasit. Bello siquidèm à Lothero fratre captus, Regni depositione spiritum mercatus est. Quàm similē Romano, huius Regni constitutio nanciscitur originem. Sed ibi, Fraterno primi maduerūt sanguine muri: hic autem modestiori exitu Regno cedens frater germano, priuatus uixit. hæc enim sola uictio salutis condicio ferebatur. Ita fraternis iniurijs Imperium abdicare cōactus, documentū hominibus præbuit: ut plus splendoris, ita minus securitatis Aulis quàm tugurijs inesse. Cæterum iniuriæ tam patiens fuit, ut honoris damno, tanquàm beneficio gratulari crederetur: sagaciter ut puto, Regiæ conditionis habitum cōtemplatus: securiorcp factus, perindè sub fraternorum obseruantia oculorum: qui si Regni ambitū in fratre deprehendisset, ilico morti destinatus, ut à Romulo Remus extitisset.

Regis apud ueteres qualis electio.

Lotherus Rex.

Lotherus fratrem Regno deponit.

Humblus Rex.



¶ Tyrannidis Lotheri à suis ultio. Caput, iiij.

LOTHERVS autem depulso fratre, Regnū sortitus, non

tam tolerabilem Regem egit, quàm Militem: ut prorſus inſolentia ac ſcelere Regnum auſpicari uideretur. Siquidẽm optimum quenquè ui ta, aut opibus ſpoliare, patriamq́; bonis ciuibus uacuè facere, probita tis loco duxit, Regni æmulos ratus, quos nobilitate pares habuerat. Nec diu ſcelerum impunitas ualuit. nam Patriæ conſternatione peri- mitur: eadem ſpiritum eripiente, quæ uitam cum Regno contuliſſet. Nec eſt, quòd huius gentis in ea parte ferocitatem inſectemur: quan- do eſt ſimile moribus apud Romanos. Iam, ut putabatur, optimis Le gibus inſtituta Republ. regnabant Caius Caligula, Domitius Nero, ac Domitianus, monſtra inter bonos Principes deputanda: ſub quo- rum Imperio ita laborabat innocentia, ut probri loco eſſe, pium habe retur: Non hæc de illis à nobis excogitata ſunt crimina, ſed ab illorum Hiſtoricis ſedulò decantata: quo minus ſuggillent Itali, huius gentis, ut ipſi dicere conſueuerunt, barbariem: quando in eorum ſplendidiſſi mis rebus, talium Regum mores tolerare cogebantur. Lotheri tyrannis. Vltio.



¶ Skioldus Lothero patri ſuccedit longè alius: deq́; eius uirtutibus. Caput. v.

SKIOLDVS huius filius, naturam ab ipſo, non mo- res ſortitus, per ſummam tenerioris ætatis induſtriam, cuncta paternæ contagionis ueſtigia, ingenui erroris de- uio prçteribat. Igitur ut à paternis uitijs prudẽter deſciuit, ita auitis uir tutibus feliciter reſpondit, remotiorem pariter ac præſtantiorem hçre ditarij moris portionem amplexus. Huius adoleſcẽtia inter paternos uenatores, immanis beluç ſubactione inſignis extitit, mirandoquè rei euentu, futuræ eius fortitudinis habitum ominata eſt. Nam cùm à tu- toribus fortè, quorum ſumo ſtudio educebatur, inſpectandç Venatio nis, ut fit, licentiam impetraſſet, obuium ſibi inſolitæ granditatis Vr- ſum, telo uacuus, cingulo, cuius uſum habebat, religandũ curauit, ne- candumq́; comitibus præbuit. Ferunt, ingenui roboris nobilitatem, feras beſtias in homine deprehendere, illi parere, ceruiceſq́; ſubmitte- re, quas erigunt in degeneres. Quindecim annos natus, inuſitato cor- poris incremento, perfectiſſimum humani roboris ſpecimen præfere- bat. Tantaq́; indolis eius experimenta fuere, ut ab ipſo cæteri Dano- rum Reges, communi quodam uocabulo Skioldungi nuncuparen- tur. Præcurrebat igitur Skioldus uirium complementum animi ma- turitate: conflictúſq́; geſſit, quorum uix ſpectator, ob teneritudinem ætatis, eſſe poterat. In quo annorum, uirtutisquè procurſu, ob Abul- dam puellã, quam ſumæ pulchritudinis intuitu, coniugẽ poſtulabat, cũ Scato Alemañiç ſatrapa, eiuſdẽ puellç cõpetitore, Teutonũ, Dano rũq́; exercitu inſpectãte, ex ꝓuocatione dimicauit: interfectoq́; eo, A- Skioldus Rex. Skioldi uirtus & prouectus. Vrſum cingulo capit. Skioldungi aliàs, Aluilda.

Alemannorum prima subiugatio. Legum bonarum instaurator.

Alemannorum gentem, perinde ac Ducis sui interitu debellatam, tributaria ditione perdomuit. Hic non armis modò, uerùm ex patriæ charitate conspicuus extitit. Siquidèm impias Leges abrogauit, salutares tulit, & quicquid ad emendandum patriæ statum attinuit, summa diligentia præstitit: sed & ditionem patris improbitate amissam, sua uirtute recuperauit. Proceres non solùm domesticis stipendijs colebat, sed etiam spolijs ex hoste quęsitis. Affirmare solitus, Pecuniam ad milites, Gloriam ad Ducem pertinere. Puellam cuius amore conflixerat (solebant enim Duello, aut nuptiarum præmia, aut bellorũ compendia Veteres Dani quęrere) acerrimo nuptiarum æmulo, quem, ut diximus, strauit, in pugnæ præmium recepit, eamquè sibi matrimonio copulauit: ex qua paruo post tempore, Gram filium suscępit: & usq; in senilem feliciter regnans prouectus ætatem, felicibus auspicijs filium Regni reliquit successorem.

Liberalis in suos.

¶ Gram filij Skioldi laudes, matrimonium, bello Noruagico interitus, & Regni Danorum ad Noruagos delatio. Caput. vi.



Gram Rex.

GRAM filius, excedente patre, Regnum accępit. Cuius mirifica indoles, iamtum sub patre, ita paternas uirtutes redoluit: ut prorsus per earum uestigia ante annos decurrere uideretur. Corporis animiq; pręstantissimis dotibus præditam adolescentiam, ad sumum gloriæ statum prouexit: tantumq; magnitudini eius à posteris tributum est, ut in uetustissimis Danorum Carminibus, ipsius uocabulo Regia nobilitas censeatur. Quicquid ad acuendas, firmandasq; uires attinet, acerrima ingenij exercitatione tractabat, A gladiatoribus uitandi, inferendiq; ictus consuetudinem, studioso exercitij genere contrahebat. Educatoris sui Roari filiam, coæuam sibi, collactaneamquè, quo maiorem incunabilis gratiam referret, uxorem asciuit: quam postea Besso cuidam, quòd eius strennua opera sæpè usus fuerat, mercedis loco coniugem tribuit. cùm ipse Suecorum Regis filiam, magno prælio quæsitam, recepisset uxorem. Quod in Suetia exequemur: sed & duellum eius cum Gothorum præfecto eo loci commemorabitur. Hunc pater ultimæ iam ætatis, ob res egregiè gestas, Imperij cõsortio donauit, Regniq; summam cum sanguine suo communicare, quàm in occidua uitæ statu sine participe gerere, cùm utilius, tùm etiam cõmodius duxit. Sed Ringo splendido Sialandiæ loco natus, cùm alterum ex his Imperio intempestiuum, alterum iam uirum cursu defunctum putaret, infirmam utriusquè causatus ætatem, nouarum, uariarumq; rerum

Gladiator.

Bessus.

Suetiæ lib. 1. cap. 12.

Ringo.

rerum studio, maiorem Danorum partem sollicitat, hunc puerilis, illum senilis añi delyramento Regiæ potestati inhabilem protestando. Sed ab his bello obtritus, documento hominibus fuit, Nullam ætatis partem, uirtuti incongruam existimare debere. Alia quoq; complura Gram Regis facinora fuere. Aduersus enim Simblum Phinorum Regem bellum professus, ad aspectum filiæ eius Signes, depositis armis, ex hoste euasit. Sed tùm bello Noruagico implicatus, puellæ paulisper oblitus, cùm audisset alteri tradendam, exarsit, atque in nuptiarũ locum perueniens, cùm omnia luxu feruerent, crapulaq; grauati conuiuæ uiderentnr, oppressis qui aderant, puellam abduxit. Bello demũ Norgauico, quod in Suibdagerum gessit, oppressus interijt. Cœpitq; tùm primùm Dania alienæ parere potestati. Aduersus Phinnos. Saxoniæ libro.1.cap.2.



Suibdagerus Daniam primus occupat: at ab Haddingo Gram Regis filio, nauali bello perit & opprimitur. Caput.vij.

SVIBDAGERVS Rex Noruagiæ, uicto Gram Rege Danorũ, Sueonumq; (nam et hoc Regnum oppresso Rege illius, Gram Danus tenebat) primus omnium Regum Aquilonis, trium moderator factus est Regnorum: decus hoc genti suæ inferens, quod nulli Regum ante se cõtigisset, ut uno Imperio tria Regna coniungeret: Regis Danorum filiam, cuius amore flagrabat, à patre diu negatam, sed iam bello quæsitam, cum Regno accæpit uxorem. Ea assiduis lachrymis pulsabat maritum, ut fratribus suis Regno exulantibus, Regem placaret. Diu tamen frustra conata: quòd non tutum sibi putaret, Regni hæredes, paternis amicis cõiungere, ex qua re promptum sibi bellum oriri, non frustra auguratus est: peruincit tamen fœminea assiduitas lamentis & blandimentis, ut alterũ ex fratribus Gutorinum, moribus ut uidebatur mitiorem, ab exilio reuocaret, fratre apud exteros minarũ pleno, diutius commorante. Nam ardentis animi fortis adolescens, paterni sanguinis ultionem semper in corde, creber in ore reuoluebat. Nec illum fefellit animi propositum. Nam diu foris militans, atq; se armis exercens, robur magnũ, ac societatem multorum Nobilium, gratiamq; Principum sibi plurimam conciliauit. Versus enim in Orientem, cùm sibi piratas intima societate deuinxisset, Curetum tyranno bellum intulit: sed inde uictus aufugit. Conuersusq; in Hellespontum, ut Saxò tradit, Handuanũ eius Regem, apud Dunam urbem bello pertentat. Hellespontum autem quem dicat, nõ satis compertũ habemus. Nam in Traiectũ, ex Europa in Asiam, nauigando ptingere non potuit, nisi magna mundi parte circũita: & erat ea nauigatio nondũ Danis ptentata, quæ multis post sæculis Normañi ex mari

Suibdagerus Rex.

Gutorinus Gram filius

In Saxonẽ Historicum

ex mari Britannico in Mediterraneum penetrantes, Constantinopolim usque deuenere. Quod in Noruagia dicemus. Sed nos in hac Antiquitatum commemoratione, Saxonem, suæ gentis historiam ab ultima memoria retexentem, secuti, rem illam in medio relinquere compellimur. Quid enim possumus in tanta uetustate aliud commemorare, quàm quod apud Autorem comperimus? Tradit enim memoratus Scriptor, Haddingum Gram Regis filiū, paternę necis ultorem, tùm apud Dunam urbem depugnantem, insigni usum ingenio, ad urbem expugnandam. Nam cùm altissimis uallis, sublimibusq; muris, oppugnationem frustra pertentasset, hyrundinum in domicilijs urbis nidificantium, per aucupij peritos, magnam capi fecit multitudinem: subligauitquè captis fungos igne accensos: uolucresquè dùm nidos repeterent, magnum urbi incendium intulisse. Quo dùm restinguendo ciues incumberent, captam urbis portam, & perinde uniuersam ciuitatem, Regem deinde suę potestatis factum, auro mulctatum, uita donauit. Inde Suetiam reuersus, multo undecunquè milite contracto, Suibdagerum Regem, apud Gothlandiam ingenti classe obuium, pugna adortus oppresit, uindicemq; paternæ necis peregit.

Haddingi stratagema ingeniosum

Hirundinū operæ.

¶ Gutorini Regis Gram filij, uita & obitus incertus. Caput.ix.



GVTORINVS interea Gram Regis filius, Haddingi frater, Daniam sub tributo Regi Noruagiæ penso regebat: quod ut diximus, germanæ sororis, quæ coniugem tenebat memoratum Suibdagerum, lachrymis & precibus uix impetrabat. Hic primis adolescentiæ temporibus, felicissimis naturæ incrementis, summam uirilis ætatis perfectionem sortitus, omisso uoluptatum studio, continua armorum meditatione flagrabat: sed inuiderunt ei tempora. Trium enim Regnorum uiribus uelut oppressus tenebatur, ut non se commoueret, quin Suibdagerus mox persentiret. Omnem autem peragendæ ultionis spem in fratrem collocabat: qui & potuit, & uoluit, et magnificè impleuit, ut diximus, paterni sanguinis uindictam. Hic autem Gutorinus quomodo finierit, naturę fragilitate in fata concesserit, an tyranni armis, nonnihil aduersus eum suspicantis oppressus interierit, incompertum habemus. Ante tamen Suibdagerum Haddingus uictor, cum exilio patriam, cum militia Regnum permutauit. Quia oppresso, ut dictum est, hoste, non solùm exterorum manubijs, uerùm etiam paternæ, fraternæq; uindictæ trophęis, ad eminentem claritatis gradum prouectus, exilium Regno cōpensauit: cui patriam non ante repetere, quàm regere contigit, iam ante fratre deficiente.

Gutorinus Rex.

Dania tributaria Noruagiæ.

Haddingi



¶ Haddingi aduersus Hasmundum & Vffonem Reges Suetiæ, Sifridum quoq; Saxoniæ Ducem, filiæ item propriæ insidias, uictoriæ & exitus eius mirabiles. Caput.IX.

HADDINGVS & ipse Gram regis filius, fratri succedit in Dania. Suetiam uerò ab occiso hoste suscepit. Noruagiam autem Hasmundus Suibdageri filius, uelut paternum & hæreditarium Regnum defendit. Aduersus quem primùm post susceptum Regnū, ortum est bellum: quòd ille quoq; uindicandi sui patris feruore, in arma ruebat. Occurrit illi Haddingus, & primùm Erico filio, post patre Hasmundo peremptis, filium & nepotem auo iungebat, trium unus oppressor. Sed Vffo alius Hasmundi filius, Suetiā tutari diffisus, exercitū in Daniam transportauit: ibiq; grassatus, impunè cōegit Haddingum copias suas, Suetia relicta, in Daniam reducere. Reuersus in Daniam Haddingus, comperit effracto ærario, thesaurū suum compilatum: custodemq; ob negligentiam consumit suspendio. Edicens, si quis furtiuarum rerum quidquam referret, honorato se loco habiturum. Credidit consciorum quidam, ac retulit ablata: quem Custodiæ præfecit, honore auctum, ut erat pollicitus. Cæteri consciorum, cernentes furti socium honoratum à Rege, etiam ipsi cum impunitate præmia sperantes, sese prodidere, referentes quæ abstulerunt. Omnes honore affectos aliquandiu habuit, sed inde merita mercede donauit. Stultos homines, qui sceleris sui præmia sperauere. Longo deinde bello, amissam Suetiam recuperare conatus, toto lustro frustra laborabat. Post longam inediam, diramq; famē, bello magno uictus, uix cum paucis profugit in Helsingiam: ibiq; monstruosam beluam fertur occurrentem peremisse: nec inde aduersis caruisse, donec Diuos, quorum monstrum sustulisset, cęsis hostijs complacaret. Vffo autem Suetię rex edixit, filiā se illi daturū, qui Haddingum sustulisset. Multi frustra tentauere. Euocatū, per insidias cogitauit opprimere, sed ille compertus, elusit. Res nouissimè in apertum prælium exiuit: quo oppressus est Vffo. Cęterum cùm persentiret gentis à se auersos animos, Regnum quod ipse tenere non poterat, suū fecit beneficium, permittens Hundingo Vffonis germano, Suetię ditionē. Sed illi intra patriæ uiscera tumultus exortus est. Nam Tosso quidam, ignobili Iutiæ loco ortus, cùm scelere & audacia inclaruisset, nec tamen suis armis fidebat oppugnare Regem, incursionibus uexauit Saxoniam: eiusq; Ducem Sifridum, pacis cupidū, in eas cōditiones sibi conciliauit, ut belli societatē aduersus Haddingū Danorū Regem secum iniret. Diu relu ctantem, sed alijs nullis cōditionibus dimissum, perpulit inuitū arma coniungere:

Haddingus Rex.

Hasmundi cum filio cæsus.

Ærarium Daniæ compilatum.

Beluam occidit.

Vffo superatur.

Saxoniæ libro.1. cap.3.

coniungere: quibus in Iutiam collatis, occurrentem Regem terrestri militia uicit, ita ut uix fuga sibi cōsuleret: sed breui recuperatis uiribus regressus, fugauit uictorem, iam auxilia etiam de Britannia mutuantem. Sed ubi nec sic par esse Regi potuit, ex prouocatione Duellū obtulit. Recusare Rex poterat, ob imparitatem conditionis, sed indecorum sibi ratus, cuiusquàm arma uitare, descendit in campum, prouocatoremq; extinxit superatum. Hac quoq; parte uictor, interiore malo, domesticis insidijs excipitur. Nam filia Vluilda, inferioris se fortunæ uiro denuptam indoluit, crebrius marito insusurrans, ut oppresso Rege patre, Regnum arriperet. Non erat contenta, Regis se filiam & esse & dici, Reginam se uoluit appellari. Congeminabat quęstus & lachrymas in aures mariti: adiunxit blandimenta. Peruincit tandem, ut operas maritus polliceretur. Vocat filia patrem in cōuiuium, structis clam insidijs, quibus opprimeretur. Sed ille somnio monitus, ut inde caueret, non timeret insidias, armatum militem im præsidio collocabat. Venitur in triclinium: filia patrem fallaci specie comiter excipit, ut uino sepultum, transmittat in æternum somnum. Vbi adesse uidit paratas Rex insidias, dat signū suis. Emergentibus in manu gladius erat: uertitur dolus in caput autorum, filia cum genero trucidatur. Interea Hundingus Suetiæ Rex, falsò famam accępit, de oppresso Haddingo amicissimo sibi Rege: quippè cuius munere Regnum teneret, facturus Amico inferias, ipse sibi de falso rumore uerum parauit exitiū: demersus in dolio cerealis liquoris, quod erat in medio, dùm ebrius, incautusq; saltaret in conuiuio de more uetustatis in exequendis inferijs. Haddingus autem pietatis officio, audiens Regem perijsse, iam uitæ fastidio non deserturus Amicum, nodum informis lęti trabe nectit ab alta, uoluntario exitu, sed non regio more, finiens uitam.

[Margin: Duello uincit.]
[Margin: Insidiæ filiæ in patrem.]
[Margin: Vltio.]
[Margin: Hundingi mors. Suetię lib. 1. cap. 16. b. Haddingus se laqueo strangulat.]



Froto Haddingi filius, Curetes, & Russos, Eotolam & Paltiscam horum urbes item ingenio & ui superat & capit. Caput. x.

FROTO filius Regnum accępit paternum: qui per uarios casus, & fortia facta promeruit, ut optimus Rex, patriæ pater & haberetur & esset. Principia bellorū apud Curetes Orientis populos auspicatus: cuius Regem Dornonem, urbe munita se continentem, cùm ad pugnam elicere non posset, dolo statuit circumuenire: secum reputans, quod militaris habet sententia, Dolus, an uirtus, quis in hoste requirat? Cessit igitur castris, fugam simulans: sed ante scrobibus tectis, castrorum locum impleuit. Egressi Curetes ad castrorum spolia, dum prædæ inminent, à superuenientibus Danis occupantur. Neque armis tueri, neq; poterant pugnam capessere. Oppressi

[Margin: Rex Froto I.]
[Margin: Verg. licet longo post tempore ab Saxone citatus.]

pressi igitur, uictoriam dedere Regi. Proxima ad Russos militia Regi. Trano Rex erat gentis: quem bello adortus, terra, mariq; oppugnauit. Primùm tamen misit, qui clam Russorum nauigia perforata, nauigationi redderent mutilia. Nam foros stipite, quem deforis facilè eijcerent, impleuere. Irritatos in pugnam Russos, ad naues elicuere. Illi dolo non prospicui, citò feruntur ad naues. Dani circumfunduntur ratibus suis, eijcientes qui foris eminebat stipitem: ut laxatis foris, acciperent undam. Ibi gemina Russis exoritur pugna. Nam & aduersus hostes illis pugnandum: & in undam, quæ mergēdis incubuerat, erat laborandum. Facilis ea res Danis uictoriam fecit. Victor Froto, redit ad patriam. Dumq; Oratores, exigendi à Russis tributi imperati gratia mitteret, insoliti imperij populus, onere turbatus, in Legatos mittit manus, eosq; peremit crudeliter. Froto eius rei accepto nuncio, arma parat, bellumq; infert in Russiā. Eotola urbs erat gentis insignis, eam obsidione cingit: & quoniam amnis decurrens urbem natura muniērat, multis de eo factis deriuationibus, ut uadibilis esset, ingenio naturam superauit, urbemq; cœpit. Inde mouit in Paltiscam nō minorem urbem: quam omnibus circumspectis, cùm illam ui capere diffideret, conuertit in dolos. Simulat morbum. Inde fama dispergit mortuum. Milesq; simulato luctu, tumulum Regi cōponit. Iam ciuitas credula, timorem posuit cum custodia, nihil expectans, nisi ut obsidione soluta, miles abiret in fuga lacessendus. Vbi nihil timet, remissaq; omnis abintus custodia urbis, totis uiribus exercitus incumbit, muros capit, portas reserat, breuiq; momento urbem suæ facit potestatis.

Russos dolo superat.

Legati truncantur.

Eotolam & Paltiscam urbes ingenio & ui capit.

¶ Muliebri habitu Anduani, Froto urbem capit: duabus sororibus bellum mouet, Frisiam obtinet, & Britannos uincit. Caput. xi.



ANDVANVS erat ijsdem regionibus Princeps, qui urbe fisus natura, & arte munitissima, minas oēs contempsit Danorum: & ne superioris Haddingi ingenio fraus strueretur, cuius esset recens memoria, omnes hyrundinum nidos iubet deijci. Sed Froto ab ingenio suo non recessit. Siquidèm muliebri ueste ab ancillis mutuata (audax facinus) urbem ingreditur: uenisse se ait, decepto circumsedente exercitu, ut urbi uenale quid inferret, abituram quandocunq; libitum esset. Creditum est: fidemq; fecit imberbis uultus, & uox in fœminam fracta. Speculatur noctu, suisq; signum mittit, ubi, & quando irrumpant. Ita securam urbem, admoto milite capit: ipse intus occurrens, ex opportunitate suis affuit. Ea capta, modestè se gerebat in uictos. quippe Regis affinitatem ambiens, filiam eius cōiugem

Frotonis audax ingenium.

accepit, Regnumq́ libertati permisit. Dùm autem Rex foris bella gerit, intus, domiquè graue sustinet detrimentum. Nam altera sororum Regi Suetiæ nubit Regnero, illumq́ Regno pulsum reuehit. Altera Vbboni nobili uiro nupta Danico, persuadet, Regnum inuadat absentis germani. Hæc audiens Froto, bella deserit Orientis, reductoq́ exercitu, sorori Suetiç incubanti bella mouet. Illa nihil territa uirago, nouo marito animos deesse non patitur, ipsa armatur, primoq́ prçlio fratrem cogit retrocedere. Nox quæ intercessit, fratrem cum germana improuisè coniunxit. Nam uterq́ paruis nauigijs, speculandi gratia egreditur, ita cõcurrunt. Rogat germanam agnitam Rex Froto, quid nocturnis inuigilet insidijs? Illa refert. Idem mihi quod tibi in re bellica licuit. Tu iniustior, qui germanam priusquàm abires, liberam circumspiciendo thoro, esse iussisti. Circumspexi. Inueni in quo & tibi et mihi consultũ arbitrabere. Tam iustæ obiurgationi non habens quid obijceret, postera luce uocato Regnero, pacem firmat. Nauigans in Daniam, Sororium, quem procuratorem reliquit, Regem inuenit. Bellum paratur. Sed non erat is Vbbonis apparatus, qui Frotonem sustineret: itaq́ captus, ad Regem perducitur. Vbi intellexit, germanæ opera & instinctu rem tentatam, ignouit sororio: tantisper tamen ultus est præsumptionem, ut thoro eius abstractam germanam, Scoto Scotorum Principi, à quo gens nomen seruauit, eandem collocauit: triplici munere functus in uno. Nam & ultionem uindicauit: & germanam ablegauit: & amicum pridem, nouo coniugio fecit deuinctiorem. Sed inquieta mulier, regionem mutauit, non animum. Nam uiro sine fine suggessit, ut oppugnato fratre, Daniam inuaderet. Suasit assiduè: sed ubi non persuasit, odium uertit in maritum, precio conducens, qui nocte quiescentem opprimerent. Innotuit res per pedissequam. Rex armatus cubat. Rogatus ab uxore, quid sibi uellet in thoro lorica? Libitum esse, respondit. Venientes autem ad scelus conductos obtruncat: Vxorem inde diligentius tenet asseruatã. Interea Froto non contentus Orientis Imperio, Occiduas quoq́ partes adnauigans, Frisiam bello tentat. Vuicho Frisiorũ princeps classe occurrit. Pugna conseritur. Iaculis res agitur. Iubet Froto suos lentius, rariusq́ iaculari: donec cõsumptis telis, inanem se præbeat hostis. Vuicho Danorum segniciem, à timore, & pacis cupidine ortam arbitratus, grauius urget: at assumptis telis hostem sensit insurgere. Pellitur Frisius, fugamq́ capessit. Froto terram ingressus, prædam agit opulentam: reuersusq́ in mare, classem hostium incendio consumit. Mox grauiorẽ orsus expeditionem, in Britanniam mouit: expositisq́ copijs præliabundus ingreditur. Occurrẽtem cum exercitu, collectis signis, fundit Regem,

Sorori bella mouet.

Vbbo capitur.

Scotorum Origo.

Insidiæ in maritum.

Frisiam Froto oppugnat, & obtinet.

Regem, fugatq́ꝫ: & quocunq́ꝫ uictor incedit, prędam agit opulentam. Ducendum deinde putauit in Ducem Scotorum Melkuicum: quem accepit, iam ad arma progressum occurrere: audiuitq́ꝫ Britannorum Regem, recuperatis uiribus se insequi, communicato cum Scotis consilio, ut hostem interciperent.

¶ Froto prædam abijci iubet, Britannos secundo deuincit. Lundoniam metropolim repetito astu superat. Post duplicis Duelli uictoriam, tandem Bello contra Regnerum instructo, morbo correptus uitam finit. Caput. xviij.



ROTO sentiens impeditum exercitum lentius procedere, segniusq́ꝫ pugnaturum, quòd onera illi forent impedimento, iubet prædam abijcere: ut expeditè pugnam utrinq́ꝫ ineant inuicem: siquidèm uictoribus maiora in manibus futura, uictis nihil horum prodesse, quinimò uictoriæ impedimenta quę ferrent haberi. Erant inter proceres, qui Auaritiæ stimulis incitati, Regis imperium grauiter tulere, ausi etiam orationem inferre contrariam. Eam animi pusillanimitatem Rex nequaquàm hostibus prodendam, quasi formident, sed forti animo, uictoriæ præmia, nouæ uictoriæ præferenda. Vicit tamen Regis sentētia. Nam abiectis sarcinis, sparsisq́ꝫ per uiam oneribus, & hostem legendo impedire, seq́ꝫ exoneratos expedire cœperunt. Superueniunt Britanni, prædamque pridem amissam cupidè relegunt, magis rei intenti, quàm hosti insequendo. Rex gentis, auariciam suorum increpans, abijcere iubet onera, abijcere futuræ impedimenta uictoriæ: sparsa ab hoste in fraudem, interpretatur. Sed contumaces imperio Regis Britanni, sinum onerant, Hæc sunt, inquiunt, quorū gratia militamus, hæc penetralibus nostris abducta, in agris reperta, non reducemus? & simul cum dicto aurum legunt, tàm auidè, ut gramina cum terra pariter abrumpant. Fit certamen legentibus: in obliuione esse incipiunt hostes armati. Froto interea siluam prætereūs, quæ Scotiam, Britanniamq́ꝫ dirimit, iubet expediri arma, hostibusq́ꝫ obuiam ire. Vix Scoti armatum hostem contemplantur, & iam numerum recensentes suorum, hostiliq́ꝫ conferentes, cùm nec arma sua, Danorum armaturæ ulla ex parte conferre possent, nō expectandum rati, fugam ineunt. Froto paucis insequitur. Ibi obuium excępit Scotum germanæ maritum, ab ultimis terræ finibus auxilia ferentem affini: cui insectationem gentis permisit, ipse conuerso agmine, mouit in Britannos. Prouenit, quòd uterq́ꝫ Rex pręuiderat. Nam Britanni præda onusti, quam nollent amittere, in fugam plus, quàm in pugnam prospiciunt. Certamine non magno uincuntur ab expeditis onerati: fugam inire

Stratagema Frotonis.

Sub hoc Frotone Christus natus. Vide in Noruagia libro. 1. ca. 28.

Britanni denuo uicti. præda non patitur: igitur uicti, & prædam amisere, cum uita & libertate. Pœnituit tum Britannos, Regi suo paruisse contumaciter, Danosquè rectum Regis sui consilium honestabat. Lundoniam Regni metropolim petit: sed eam inexpugnabilem ratus, ingenium uertit ad insidias. Nam ut in Russis, sic hoc quoque loco, semel expertam feliciter fraudem, iterum intentauit. Ingeniosa Frotonis fraus. Morbo primùm: inde morte simulata, tumulus Regi componitur. Exercitus misso nuncio, deditionem offert urbis præfecto Dalemanno, ita, ut ex sua gente Ducem quem delegerint, accipiant. Gauisus ille, nihil subesse fraudis ratus, portas pandit, deditos in urbem accipit: magnam illis obijciens Nobilium multitudinem, ex quibus Ducem deligant. Illi deliberandum in sequentem lucem dixere. Sed ea nocte, Præfectus opprimitur: falso dediti, Regem suum ostendunt: urbem diripiunt. Victores in Daniam reuehuntur. Ibi Froto Rex ab amico quodam in conuiuium accipitur: uarij, ut fit, sermones feruntur, iactat quisquè à se magnificè gesta. Duellũ bis inijt uictor Rex Froto. Iuuentus est, qui per ebrietatem Regi duellum offert. Ille mox accipit: egressusque conuiuio, prouocantem sternit. Alius commilitonis necem ulturus, idem præliũ subit. Additur & ille socio. Rex redit in conuiuium. Dùm autem Regnero Suetiæ Regi bellum infert, in ipso apparatu, uel militari labore, contracto morbo, nunc non simulato, at uera morte uitam finiuit. Eiusdem mors.



❡ Haldani fratricidium regnandi ambitione, & tyrannis. Caput. xiij.

Haldanus Rex. I. HALDANUS, Rõe, & Scatus huic filij fuere: quibus uirtute, ac natali iure paribus, æqua regnandi incessit cupiditas, Imperij occupandi quisquè curam accepit, fraternus ex his nimiũ respectus à scelere auertit. φιλαυτία. Quem enim nimia sui charitas cœperit, aliena deserit, nec sibi quisquàm ambitiosè, atque alijs amicè consulere potest: uerumque id, quod relatũ est in Carmine, Nulla fides Regni socijs. Haldani fratricidium. Horum ergo motu, maior Haldanus, Roe & Scato fratribus interfectis, naturam scelere polluit, Regnum parricidio inuasit. Tyrannis. Et ne ullum crudelitatis exemplum omitteret, comprehensos eorum fautores, prius uinculorum pœna cöercuit: mox suspendio consumpsit. Cuius ex eo fortuna maximè fuit admirabilis: quòd licet omnium temporum momenta, ad exercendam atrocitatem contulisset, senectute tamen, non ferro uitam finiuit. Quod ipsi mirum & insolitum credetur Satyrico. Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine, pauci Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni. Vt illi placuit.

❡ Roe



¶ Roe bello Regis Suetiæ cadit, Helgonem fratrem Regni successorem relinquens. Caput. xiiij.

ROE, & Helgonem hic filios reliquit. A Roe Roschildia condita memoratur: quam postmodum Sueno furcatæ barbæ cognomento clarus, ciuibus auxit, magnitudine propagauit. Breui hic, angustoq́; corpore fertur extitisse. Helgonem maior proceritas illustrauit. Helgo igitur diuiso cum fratre natu maiore Regno, maris possessionem sortitus, Regem Vuandaliæ Scalcum, maritimis copijs lacessitum oppressit, Vuandaliamq́; redegit in Prouinciam. Sed ad Roe Regem reuertamur, qui à Suetiæ Rege bello lacessitus arma corripuit, hostibus occurrit, duobus prælijs fortissimè dimicans, æquatis uiribus abscessit: sed tertio congressus fundit. Non tamen passus diutius uidere uictorem, fortiter dimicans, cadit, Regnũ fratri relinquens, qui hactenus maris tantùm gerebat Imperium, piraticæ insistens, quæ tum iusta credebatur militia. Equidèm terram filijs hominum datam, esse in prædam sunt arbitrati, ut tantum quis haberet, quantum armis occuparet.

Roe Rex. Roschildiæ urbis conditor.

Saxoniæ libro.1.ca.4. Casus Roe.4.



¶ Helgo fratri Roe succedit, Hundingum Regis Saxoniæ filium uictum, duello interimit, æquè tyranni de libidine & incestu inglorius. Iutia item an olim Saxonum fuerit. Caput. xv.

HELGO fraterni Regni successor, & necis ultor emersit. Hic licet ferocioris esset ingenij, luxuria tamen sęuitiam æquabat: adeo proiectus in Venerem, ut ambiguæ æstimationis esset, tyrannide magis, an libidine exarserit. Apud insulam Thore, ex uirgine quã compressit, filiam accæpit: cui postmodum Vrsæ aptauit uocabulũ. Hundingum Saxoniæ Regis filium, apud Stadium oppidum, prælio uicit: eundemq́; ex ꝓuocatione adortus, Duello statuit: ob quod Hundingi interemptor uocatus, uictoriæ decus cognomine usurpauit. Iutiæ Saxonibus ereptæ ius, procurationemq́;, Hesce, Eyr, & Ler Duci commisit. Qua in re pensitandum, quo iure Iutia ante Saxonum fuerit. Legimus quidèm apud Ptolomęum, Cornelium, ac Pliniũ, Cimbros tenuisse Chersonesum Cimbricam, quę nunc Iutia dicta est, Peninsulam, quæ ab Austro procurrit in mare, undiq́; circumflua mari: præterquã ab Australi parte, ubi Eydora fluuius eam dirimit ab Holsatia: quæ semper Saxonię fuit reputata: hoc illi tùm nomen erat, cùm Cimbri, potentissima olim natio, sumptis armis Italiam peteret, Thraciam inuaderet, Romanis occurreret: aliquot Romanorum exercitus, ad internectionem cęderet: ad ultimum à Caio Mario Romano duce repressa uinceretur: Augusto deinde Cæsari dona mitteret, amicitiam

Helgonis æqua & tyrannis & libido.

Iutia, an Saxonũ olim fuerit.

eius promerita. Videri poteſt ſimile ueri, ut multarum regionum no-mina, ætas longa mutarit: qui in ſua gente dicti ſunt Saxones, Vuan-dali, uel Iutæ (res enim in ambiguo eſt, quæ gens fuerit) apud Roma-nos Cimbri, hoc eſt, ueteri Gallorum lingua, latrones dicerentur. Hęc per tranſitum annotare placuit: ut per occaſionem inueſtigent poſte-ri, ſi ad pleniorem rei indaginem poterint peruenire. Nobis quoq; ea de re habēdus eſt ſermo diligētior in Saxonia atq; Vuandalia. Nunc cœptum exequamur. Cùm ad inſulam Thore piraticam Helgo re-flexiſſet, ſtuprata nedum amiſſæ uirginitatis mœrore depoſito, turpi cōmento nefariam ſtupri ultionem excogitauit. Siquidèm filiam nu-bilis ætatis, de induſtria Regijs oculis ſubiecit, cùm ſuā eſſe ignoraret: non dubia, quòd Regiæ parere libidini cogeretur. Qui licet inſidioſæ uoluptatis illecebris corpus polluiſſet, animi tamen integritatem exu iſſe, credendus non eſt: cùm ei promptiſſimam erroris excuſationem, ignorantia afferret. Stolidam, quæ filiæ pudicitiam ut ſuam ulciſcere-tur, proſtituit: nec ſanguinis ullam habuit rationem, dummodo ince-ſti reum faceret ſuum uiolatorem. Magnum & inexplebile ſcelus, ſi non fauſta proles, magna parte culpam deterſiſſet. Siquidèm genitus ex Vrſa Rolfo, ortus ſui infamiam, conſpicuis probitatis operibus re demit. Comperto autem, quòd Hotbrodus Suetiæ Rex, fratrem præ lio ſuperaſſet, & oppreſſiſſet, iuſta commotus iracundia, in ultionem extorſit, filium Rolfonem Letrica arce concluſit. Ea tum Regibus cer tiſſima fuit munitio. Hęredis ſaluti conſultū, utcunq; ſuam fortunam tractaſſet. Deinde Præſides ab Hotbrodo uictore Daniæ immiſſos, ut externo patriam dominio liberaret, miſſis per oppida ſatellitibus, cæ-de ſubegit: ipſum quoq; Suetiæ Regē, cū omnibus copijs nauali prę-lio deleuit: nec ſolum fratris, ſed etiam patriæ iniuriam, plenis ultionis armis penſauit. Perinde utriuſq; Regni gubernacula, uicto, occiſoquè Rege eius, per omnem uitam tenuit, deſpicabiliq; legę Suetiam penſi tauit. Et quanquàm uictoriam ſuam per mare, per terras latè circum-tuliſſet, tamen ſuperioris flagitij ruborem de compreſſa per ignoran-tiam filia, abolere non potuit: Patriam, Penatesquè peroſus, repetito Oriente, ignobili morte deceſſit. Ferunt nonnulli, quòd expro-bratæ ſibi turpitudinis ruborem non ferens, ſuper diſtri-ctum gladium incumbendo, uoluntaria morte ſe conſumpſerit. Vide quid hominem in-genuum ad ruborem, deſpe-rationemq; pro-uexit.

[Margin notes: Cimbri, latrones. — Remiſsio ad Saxoniā, & Vuandaliam Autoris libros. — Inceſtus Helgonis. — Rolfo. — Hotbrodus Suetiæ Rex — Helgonis mors.]



¶ Rolfo Regno succedit. Atislus Suetiæ præficitur tributarius. Oritur in sponsalitijs Agneri ludus seditiosus. Opprimitur Atislus: cui Biarbo surrogatur. Cuius casus, & Vuigonis factũ recenset. Tum Dania in Sueonũ iura cõceditur. Cap. xvi.

ROLFO filius in Regno succedit, uir corporis & animi dotibus insignis: quòd staturæ magnitudinẽ, pari uirtutis habitu cõmendaret. Matrem eius Atislus Suetiæ Regis filius, iam Danis subiectus, patre uicto, ut patriam liberaret asciuit coniugem. Sed mores pudidos perosa mariti, animum ab illo statim auertit, filioq́ Danorũ Regi nuncium fecit: qui & illam in Daniam reduceret, thesaurumq́ perinde ac sibi debitum, quòd Suetiæ imperaret, per ingenium abduceret. Quam rem in Suetia latius explicabimus. Agnerus ex primoribus unus, Rutam Regis germanam, meruit uxorem. Conuiuio per Regium luxum apparato, pugiles intererant: ortoq́ lasciuiore ioco, ossa inuicem uolant: sed cùm per errorem seuerioris cuiusdam uiri Biarbonis capiti impactum os, & uulnus & contumeliam irrogasset, impatiens iræ, iacientis caput corripiens, obuertit frontem in terga, rixaquè cum tumultu ingrauescit. Sponsus interueniens, graui increpatione obiurgat Biarbonem, quòd conuiuium turbasset. Et cùm ille uiriũ fiducia durius obiurganti responderet, prouocatio fit inuicem in duellum. Ibiq́ uidit Agnerus, sponsaliorum lætitiam uerti in mœstitudinem. Sed Biarbo præcipuis fortitudinis operibus emeruit, ut intantum Regi cõmendaretur, quòd uictor uicti sponsam mereretur. Fortiterq́ impensa opera, talem se ulterius gerebat, ut Regem affinitatis suæ non pœniteret. Quippe per illum rebellantem Suetię Regem Atislum, & uicit, & oppressit, Regij sanguinis iuuenem, imposito tributi nomine censu, Suetiæ præfecit: & quo fidior illi esset, sororẽ illi Sculdam coniugem dedit: quæ res exitio Regi fuit. Nam ambitiosa mulier, non ferens subiecta censeri germano, quotidianis lachrymis uiro institit, ut rebellionem ordiretur, perficeretq́. Quam in Suetia quia explicuimus, hoc loco transibimus. Inter stipatores Regij lateris erat Vuigo quidam dicacissimus, qui dicacitatis suæ, quòd Regem eximiè exhilarasset, armillam auream præmiũ meruisset, ea indutus dextra, sinistrã à tergo retorsit. Rogatus, quid sibi uellet nouus incessus? Respondit: Erubescere sinistram, quòd in cõspectu ditatæ germanæ prodire non auderet. Cuius comitate uerbi, promeruit & alteram. Qua accæpta, iureiurando firmauit: si se Regi suo superstitem fortuna faceret, quacunquè iniuria Rex periret, se promisit ultorem. Idquè magnificè peregit, cùm oppresso per Suetiæ

Rolfo Rex.

Atislus Suetiæ Rex.

Suetiæ lib. 1. cap. 19.

Seditio.

Biarbo.

Sculdæ ambitio.

Lib. 1. cap. 20. b.

Vuigo.

Præfectum, Regi solus superesset, gladio quem à uictore acceperat, in argumentum futuri cõmilitij, mox uerso, in tradentem transfixit eundem. Quod ipsum in Suetia quoq; nostra sumus executi. Clarum ac semper memorabilem uirum, qui uoto fortiter expleto, mortem sponte complexus, per astantes ministros discerptus, mensas tyranni, sanguine maculauit. Sed tamen Daniæ Regnum, occiso Rege, nequè extante qui fortiter tueretur, tunc in Sueonum iura cõcessit: uariante fortuna, & de magnis Imperijs prociter ludente.



¶ Hotherus Daniæ & Suetiæ Rex, pro Helgone paranymphus, præscio uaticinio, bello contra Boon instructo cadit. Caput. xvij.

Hotherus Rex.

HOTHERVS Atisli frater, post Hiartuarum utriusquè Regni sumit gubernacula. Huic primum de nuptijs certamen fuit cũ Baldero semideo, ut Veteres putauere. Nam insignis maleficiorum usus, opinionem illi diuinitus ingerebat. Sed huius certaminis decursum & exitum, inter Sueticas historias commemorare, rectius iudicaui: quæ propria sunt huic Daniæ Regno, sola attingens hoc loco. Erat ea tempestate Helgo Haltgiæ Rex (pars ea est Noruagici Regni) qui filiam Cusonis Finnorum Regis specie præstantem, uxorem perciperet. Legationis interposito officio, intentauit illam sibi desponderi. Sed pater reiecta legatione, contemptibilem duxit generum: qui non sua uoce, aut fortibus factis, ut tum mos erat, coniugem quæreret. Erat reuera linguæ impeditioris, ut sermonem nõ modò apud exteros, sed etiam inter suos miscere refugeret. Hotherus autem Daniæ ac Suetiæ Rex, cùm multis rebus præstaret, etiã facundia fuit singularis. Is cùm esset Helgoni amicissimus, suscepit pro ipso legationem. Armata nihilominus classe, Noruagiam petens: ut si uerbis non impetraret, armis exprimeret. Cumq; pro Helgone per summam eloquij suauitatẽ egisset, refert Cuso pater, mentem filiæ consulendam: ne quid contra nolẽtem, paterna uideretur seueritate præsumptum. Accersitamq;, an proco allubesceret percunctatus? Annuens, Helgoni nuptias pollicetur. Ita feliciter legatione functus, amico optatas conciliauit nuptias. Diuturno inde implicitum bello cum Baldero, uaria certauit fortuna, nunc uictor, nunc uictus. Ad extremum tamen hostem opprimens, optatis potitus nuptijs, etiam soceri sui perempti pœnas, magnificè à peremptoribus exigit. Nouissimo autem prælio quod cum Bóo Balderi germano gessit, magnis rerum indicijs se prospiciẽs periturum, uocatis in concionem Maioribus, non dubijs coniecturæ uijs se uitam finiturum prædixit. Orat deinde, filium suum Roricum Regno præficiant: ne ius hoc ad externas, ignotasq; familias improborum transfundatur:

Haltgia quæ

Ad expeditionum suarum finis.

fundatur:

fundatur: plus uoluptatis se ex filij successione, quàm amaritudinis ex propinqua morte percepturum testatus. Quo à Proceribus impetrato, pugna cum Bōo congressus, occiditur. Nec iocunda Bōo uictoria fuit. quippe tam grauiter affectus, acie excessit: ut scuto exceptus, atq; à peditibus uicissim subeuntibus, domum relatus, postridiè uulnerū dolore consumeretur. Cuius corpus magnifico funeris apparatu, suus Rutenus tumulauit exercitus, nomine eius insignem extruens collem: ne tanti uiri monimēta, à posterorū memoria citius dilaberetur.



¶ In rebelles Vuandalos bellum paratur. Roricus Danorum Rex Duello duplici consentit. Vincunt tandem Dani. Caput. xviij.

RORICVS Hotheri filius, Daniæ sceptris succedit. Sed Curetes atq; Suecones Hotheri morte comperta, tributariæ sortis onere excusso, sese ad libertatem redisse sunt arbitrati. Vuandali quoq;, quibus iuga tributorum, Danica inuexit corona, defectionis audaciam præsumpsere. Tot circumuentus rebellantiū populorum tumultibus, cōsilium sumit ex tempore, cęterorum dissimulans pertinaciam, unam in gentem Vuandalorum arma uertit: ut per partes reuocaret in integrum, quod totum simul reformare non poterat. Itaq; in eam mouens gentē, cùm uideret hostes partim aperta fronte in aciem prodire, partim in insidijs collocari, eandem formam insecutus, classem libero mari inuexit: nonnullam tamen partem, opportunis locis ad irruptionem in tempore faciendam collocauit. Præcipites Vuandali, qui in insidijs fuere, ante tempus erumpunt: exceptiq; à Danis, ad internitionem cęduntur. Exercitus autem qui in aperto tendebat, ignarus suas iam copias oppressas, miratur quid Roricum detineat, ut non in aciem deducat. Animus auctus, quòd hostilem interpretaretur timorem, adnauigat Danorum exercitui, pugnamquè ingerit. Attamen præueniens quidam ex Vuandalorum turma, Licet, inquit, compendio rem tantam peragere? Ego me de meorum Principum uoluntate in hanc sortem offero duello. Si uicero, tributorum nobis immunitas proueniat: at si uincar, ut ante soluendis constringamini. Mussitant Dani, nihil sibi uictoria cedere, præter id, quod iam tenuere: dedecorosum tamen habitum est, pugnæ fœtem recusare. Inuentus est uir animo quàm uiribus maior, qui circumspicienti Regi suo, Quid inquit, uictori promittitur? At Rex, ut manu gessit, senas nexili nodo cohærentes armillas, uictori proponit. Ille refert. Pulchram inquit, uictoriæ mercedem, aut dedecorosam, quæ fortibus morte grauior est, uitæ conditionem reportabit. Attamen Patriæ impendere uitam quam donauit, etiam sine mercede, pulchrum

Roricus Rex.

Dani aduersus Vuandalos.

Duello res agitur duplici.

pulchrum censeri debet. Hæc dicens, in campũ descendit, & pugnam iniens superatur. Alium uictor dari poposcit. Cunctantibus Danis, ille in suorum castra lætus inuehitur. Sufficere poterat fortè, Patriæ libertatem meruisse: at insolentia uiri, maius aliquid molita, Danis cœpit insultare, quòd neminem arbitraretur in pugnam exiturum, fortissimo eorum pugile prostrato. Mouit exprobratio uirum in exercitu Danico præcipuum Vbbonem. Non sinam, inquit, dedecus hoc inurigenti nostræ, ut nemo ausit in duellum prodire. Sed tuum erit O Rex, præmia uincenti decernere, quo alacrius in pugnam prodierit. Vidisti, inquit Rex, armillas iam ante præmio decretas. Quid erit, ait ille, si te rei pœniteat, tuaquè dona in alium conferas? Quo certior sis, inquit Rex, en præmia tua. & proiecit, ut manu caperet. Cunquè nauium intercapedinem, uis iacientis minimè superaret, excepit unda donum proiectum. Tum Vbbo. Etiam nunc alacrior pugnam ineo: quando tua Rex perspecta liberalitate, ipse non mercennarius pugil, sed spontaneus conspicior: & hoc dicens, desilit in campũ. Circumfunditur turba spectatrix. Ibi Vuandalus prius uictor, occubuit cum consorte. Credo procurante fortuna: ne alter alterius exitio, gloriam, uoluptatemq́ perciperet.

Vbbo pugil.

¶ Fengo fratrem Horuuendillum perimit, ob Iutiæ præfecturam unicè administrandam. Ambletus timore patrui insaniam stimulat, qua commoditate, paternę necis ultionem ingenio mirabili adsequitur. Caput. xix.



EA TEMPESTATE uiri primarij Horuuendillus ac Fengo fratres, Iutiæ præfecti, patris loco surrogati sunt. Horuuendillus autem præcipua uir audacia, tantum gloriæ bellicis laudibus conquisiuit, ut Regis germanam coniugio mereretur. Inuidens fraternis profectibus Fengo, cùm uirtute æquare non posset germanum, consilia uertit ad fraudem: & intercepto fratre, peremit illum, uxore eius sibi deuincta. Filium illa habuit prioris mariti sanguine Ambletũ, adolescentem ingenio acrem, sed nulla re magis tutum, quàm insania simulata. Nam patruus illum è uita sustulisset, si non contemptum, illi simulatus furor ingenerasset. Obseruabat adolescentem patruus oculis curiosis, & multis per occasionem ingestis tentamentis, experiri uoluit, si saperet. Sed ingenium acre omnem delusit obseruantiam. Erat inter proximos Præfecto, qui operam pertentandi polliceretur per absentiam Fengonis. Nam si quid inesset prudentiæ, tum apud matrem absente patrono quæreretur adolescens. Itaq́ recondidit se obseruator in triclinio, quo uteretur matris Ambleti secretissimo. Nam si quid inter

Fengo Rex

Fratricidiũ.

matrem

matrem ac filium colloquij futurum esset, ibi haberetur. Stratum lecti superinduxit delitescenti sibi, curiosius exquirenti: nec illum fefellit suspicio. Siquidem ingressus ad matrem Ambletus, durius obiurgat, quòd cruētis fraterni occisoris manibus se pateretur amplecti. Illa stultitiam, pueritiamq; obiectat nato. Tùm ille expansis brachijs, quasi uolaturus, lectum conscendit, Galli cantum imitatur: & inter agendū exerto gladio, latus defodit latentis, quem pedibus sub lectulo deprendit. Ilico desectum in frusta igni applicuit, coctumquè suibus proijcit quo potuit secretius. Inde regressus ad matrem, docet, quid sibi uelit stulticiæ simulatio: quòd aliâs se tutum sub Tyranno non putaret. Reuersus Fengo, amicū oculis requirit, auditurus, quid eo absente comperisset. Vbi non aderat, rogat ubinam sit? Ambletus omnes præueniens, Sues, inquit, illum exederunt. Videbatur insaniç plenum responsum, & erat uerum. Ablegauit priuignum, data opera, ut perimeret: nam id famulis ut curarent iniunxit. Ille autem miro ingenio sub persona insanientis, prudentissimis illusit, uertitq; fraudem in Autores. Longam huius fabulam Saxo texuit, de Anglorum Regis filia, quam meruit uxorem: eaq; repudiata, Scotorum Reginam, forma & prudentia præstantem, miris ambagibus meruerit: eaq; traducta, redierit in patriam. Sed rebus serijs, anilibus nenijs similes narrationes inserere, consilium non fuit. Reuersus in Patriam Ambletus, hoc peregit, ut Regia, cum Rege & optimatibus, per occasionem conuiuij concremata, ultionem sumeret paternæ necis. Populoq; per summam prudentiam facti sui reddens rationem, persuasit, ut non solùm in eo conquiescerent, sed uictorem meritis laudibus attollerent.

[margin: Insaniç Ambleti felix exitus. | Saxonis fabulæ. | Vltio.]

¶ Ambleti cum Vuicleto bellum, atquè illius in conflictu casus. Caput. xx.



WICLETVS inde successit Daniç sceptris, Rorico de medio facto. Is Ambleti matrē uiduam, iam Regijs opibus exuerat, filiumq; Ambletum in concilio Procerum semper accusabat: quòd is Letrarū Rege cōtempto (locus is erat, quē qui teneret, summū apud Danos Imperium gerebat) Iutiæ Regnum occupasset. Sed Ambletus uincēs in bono malū, obsequijs & muneribus Regem placare, sum̄a animi moderatione conatus est: peruincere aūt non potuit indignati Regis animū: quòd nomini, & rerū gestarū gloriç nō tàm inuideret, quàm suo capiti timeret: q; se contempto, Danorū proceres Ambletum Regem haberent. Ita querelæ in conuitia, & illa in rixam exierunt: inde ex contentione in apertum bellum est

[margin: Vuicletus Rex. | Letræ locus]

peruen-

peruentum, collatisq́ uiribus, rursus Ambletus Regem conuertit in fugam. Sed ille Scaniæ præfectum exautorauit: quòd non satis constanter se gessisset. Reparatisq́ uiribus, rursus Ambleto bellū denunciat. Iam quietis erat Ambletus, post longum militię laborem cupidissimus. Quid faceret? Vrgebat ab alterius parte ignominia recusati discriminis, & poterat inferre nolenti: ab altera uerò commouerat desyderatæ quietis magna expectatio. Sed peruicit in uiro militari, bellici splendoris respectus. Itaq́ bellum denuncianti, se refert occursurum. Vxorius iam erat, tanta illi uicissitudine amoris connexus, ut magis illius uiduitatem, quàm sui discriminis periculum pensitaret. Illa muliebriter in maritum conuersa, Ego inquit, mi coniunx, quem per maria secuta sum, etiam pugnantem non deseram: idem mihi qui tibi uitę futurus est exitus. Credidit ille, & hoc animo in prælia mouit. Non aberat longè, coniunx magnificè pollicita, cùm prælium ageretur. Sed tum confertis uiribus, Ambletus cecidit. Egregia coniunx, oblita promissi, fœminea fide in amplexus uictoris uolitabat. Hic Ambleti exitus fuit: qui si parem naturę ac fortunę indulgentiam fuisset expertus, æquasset fulgore Superos, Herculea uirtutibus opera transcendisset. Vuicletum, tranquillam, ac diutinam Regni procurationē emensum, tandem morbus absumpsit.

Ambletus cadit.



¶ Vuermundus Vuicleti filius patri succedit. Vffo Vuermundi filius, pro patre cæco, uno congressu binos Duello sternit: deq́ illius & corporis, & armorum robore. Caput. xxi.

Vuermundus Rex.

VERMVNDVS illi filius hęres extitit, sceptriq́ post patrem moderator. Hic prolixis tranquillitatis ocijs, felicissima temporum quiete decursis, diutinam domesticę pacis constantiam, inconcussa Rex securitate tractabat. Sed hanc temporum suorum felicitatē diu coniunx fuscauerat. Adeò nihil est ab omni parte beatum. Iam in senium uergens, filium accepit Vffonem, corporis mole cito grandescentem, sed tam hebete sensu, tamq́ lingua pigritante, ut diu plumbeus stipes haberetur: sed in eo homine tam insignis facta est rerum, morumq́ conuersio, quanta unquàm in ullo mortalium potuit esse maxima: ut ex ignauissimo fortissimus, ex stolido prudentissimus, ex muto disertissimus euaderet. Dum adhuc adolescentiam ageret, sub imprudentiæ titulo, splendidissimi uiri Frouuini, quem Iutiæ præfecerat, filiam uxorem illi despondit: ut optimi soceri præsidio, & florentissimorum iuuenum, filiorum eius opera, tutius regnaret. Illatum est Iutiæ bellum ab Rege Suetię: quo in prælio ex prouocatione pugnans Frouuinus, cadit. Toto perinde agmine uictor lætus in sua redit. Post

Vffo gigas.

ea infesto

ea infesto redit exercitu, & ab Rege Vuermundo exceptus, forti prę-
lio retrò pellitur. Ibi præcipua Centurionis uirtus eluxit. Quam rem Suetię lib. 1.
in Suetia peregimus. Frouuini filij paternæ necis uindictam in ea Sue cap. 22. b.
tia peregerunt, Regi suo perinde facti commendatiores. Cunque per
ætatem Vuermundus oculis esset captus, superbam legationem Saxo Saxoniæ li-
niæ Regis accępit: trium optionem proponi Danorum Regi ab suo bro. 1. cap. 6.
Principe. Aut Regno cedat, per ætatem, & cæcitatem inutilis, Saxoni
busque iura permittat Imperij. Aut si illud grauius uideatur, Filiū op-
ponat Saxonum Regis filio ex prouocatione pugnaturo: cui cesserit
uictoria, sceptra illi utriusque Regni permittantur. Tertium esse, si prio
ra detrectet, ut totis agminibus pugnaturus, prælium hac uoce expe-
ctet denunciatum. Indignationem extorsit Regi tam superba legatio:
modestius agendū cum eo, quem fracta ætas oculis cępisset. Ne tam-
en usquequaquè Danorum Regem uiribus defectum arbitrarentur, si
illorum Regi pugna cordi esset, illum se duello excępturū. Ad quod
Legati per contemptum respondêre. Compertum sibi esse, Regem su
um non cæco congressurum. ludibrium enim, non prælium uideri:
æquius esse, utriusquè Regis pignoribus decertare. Stupefactis qui
aderant proceribus, Vffo Regis filius indignatione plenus, à patre lo
quendi ueniam deposcit. Rogat Rex, quis sit qui loquendi flagitet ar-
bitrium. Qui astitere, filium esse Regis testantur. Tum pater ductis
ab alto suspirijs, Satis sibi ait, oneris esse, cęcitatem suam, ut non etiam
astantium risu excipiatur: quid sibi uelit ludibrium transuersi per irri-
sionem responsi. Illi quàm sanctè affirmant, Vffonem esse qui postu-
let. Fari iubet. Tum ille. Quandoquidèm Saxonicus fastus, superba Vffonis au-
legatione Daniæ Regnum infestat, scire illos par sit: esse Regi filium, dacia.
qui non modò Regiæ soboli occurrat, sed etiam assumpto ex suis for-
tissimo, geminis unus duellum offerat. Risere legati, ut erant fastu ple
ni. Sed ille risum eorum in lachrymas affirmat exiturū. Quid multa?
pugnæ locus, tempusque instituitur. Stupor affecit astantes: insuetam
uirtutem ore facundo sonuisse ex illo, qui hactenus socors & elinguis
haberetur. Abeuntibus Legatis, pater propius assistere iubet filium,
manibus exploraturus quod oculis nō licuit, si uerè sit filius quem di-
xere. Vbi grandia membra manibus circumtrectauit, fidem, affirman
tibus esse filium, cœpit habere. Quid est, inquit, dulcissimè, tàm te diu
elinguem præstitisse, & curis tantam animo uirtutem condidisti? Qua
uerò fretus fiducia, duos unus in pugnā deuouisti? Ad ea filius. Quā
diu pater, te sensibus uigentem, & uiribus Regem suspeximus, pater-
na defensione contentus, in te conquieui: ubi uerò ætatis defectionem
hostes ludibrio uertunt, tempus esse ratus sum proloquendi, tequè

parentem, ab iniuria superborũ Saxonũ, inmunem præstare. Quòd duos unus prouocaui: detergere uolui maculam, huic nostræ nationi nuper iniectã; quòd duo in Suetia leuiri, Atislum Regem pugna congressum oppressere: quam culpã non aliter putaui detergendã, quàm si duobus ego unus depugnem. Collaudatũ filiũ, iubet eum pugnam armis exercere. Sed non facilè fuit arma inuenire quæ tam grandibus

Vffo gigas. membris aptarentur. Nam pectus magnitudine loricarum nexus explicuit. Multis reiectis, cùm paterna quoq; imparia uiderentur, iubet ex lęuo latere discindi, fibulaq; resarciri: non magnũ indicans, si pars clypeo cõtecta armis uacet. Gladius exquiritur illis aptandus digitis. Quẽ pater in secretissimis habuerat ensis exquirĩt: filio traditur: illo, aut nullo unquàm alio uictor futurus putabatur. Enses quidem alij in manibus Vffonis districti, uentilatiq;, sola uibratione confracti perierunt. Rogat, an hunc quoq; aliorum exemplo probare debeat? Tùm mœstus pater. Si hunc confregeris, nõ est alius illi par uiribus in quo depugnes. Igitur ex condicto locus petitur, quem fluuius Eydora utriusq; ditionis Danicæ atq; Saxonicæ limes, ita totum complectitur, ut insulam faciat. Pons instruitur, per quem sit aditus pugnaturis. Procedit Saxonũ Regis filius, comitatus athleta instructissimo: solus Vffo opponitur. Pater Vuermundus & si oculis captus, non tamen abesse patitur certamini: locum sibi iubet instrui in ponte, ut auribus hauriat, quod oculis cernere non poterat. Ita se aptauit pręcipitio: ut si quid triste de filio renunciaretur, unum cum illo exitum sortiretur, spontè

Vffonis duellum cum duobus solus. desiliens in subiectum amnem. Procedunt in pugnam. Vffo uicissim prouocat utrunquè. Tu, inquit, qui Regio stemmate gloriaris, prior manum confer, generis dignitatem factis fortibus exequere, contende. Quin potius tu, quem ex tot milibus delegit dominus, præsumptam uirium tuarũ audaciam exere: ostende si quid in te uirtutis. Accedit ille propius, priorq; gladium distringit: sed non diu cunctatur Vffo, caput instantis, altius ense sublato, medium diffecuit. Pater ensis sui sonitũ agnoscere testatus, rogat, quo ictu hostem affecerit? Cùm prostratum audisset, spem capit, iam pugna exęquata. Inde uerò Regis filium hostem superstitem aggressus, facilè proturbat. Quo audito, pater in læticiam soluitur: uictorem filium lætus amplectitur, diesquè suos in pace componens, quieuit cum patribus suis.

¶ Vffo Saxoniam cum Dania (patre defuncto) glorioso Duello meretur solus. Caput. xxij.



Vffo Rex. VFFO filius patri succedit in sceptra: primùm hoc atquè magnum decus referens, ut uiuo patre, hoste uicto, Sàxoniã cõegerit ad tributa. Hic Lector attende, manifestũ

Antiqui-

Antiquitatis teſtimonium: quia pugna ad Eydoram commiſſa refer- tur, Holſatiam, quæ ab illo flumine ſumit principium, ſemper Saxo- niç fuiſſe annumeratam, tanto ante natum Chriſtum tempore. Igitur uicto iam Saxonum Regis filio, cum conſorte, Vffo patri iam adhuc uiuenti non ſucceſſit, ſed acceſſit, ubi comperit ſenex diu ante abſcon- ditam in filio uirtutem eluxiſſe. Pugna igitur peracta, Saxonibus pu- dore mœſtis, pugilumq́ funus ſumma cum acerbitate ruboris ducenti- bus, Vffonem Dani iocundis excepêre tripudijs. Quieuit tum Atiſla næ cædis deputata à multis infamia, quòd unũ duo ſtratuiſſent. nam Saxonum opprobrijs obſcurata, Regnum ceſſauit. Ita Saxoniæ Re- gnum ad Danos translatũ, poſt patrem Vffo regendum ſuſcępit: utri- uſq́ Imperij moderator effectus, qui per adoleſcentiã, ne uni quidèm futurus uidebatur idoneus: cuius ſequentes actus, uetuſtatis initio, ſo- lennem fefellere noticiam. Sed credi poteſt, glorioſos eorum progreſ- ſus extitiſſe, quorum tam plena laudis principia fuerunt. Tam breui factorum eius proſecutione animaduerti poteſt, quot illuſtrium illius gentis uirorum ſplendorem, Scriptorum penuria, laudi, memorięq́ ſubtraxerit. Quòd ſi Danicam regionẽ, fortuna latino quondam ſer- mone donaſſet, innumera Danicorum operum uolumina tenerẽtur. Hæc ſunt Saxonis noſtri uerba. Quaſi non potuerit patria lingua, cla riſſimarum rerum ſplendor, ad poſteritatem mitti. Non hoc tam de- ploratum ſilentium Latij ſermonis inopia, ſed hominũ illius tempo- ris incuria fecit, qui fortiter agere, quàm doctè ſcribere malebant.

Holſatia, Saxonica.

Scriptorum penuria apud Danos olim.



¶ Dan Vffoni patri ſubſtituitur, miræ elationis & dilapi dationis Rex inglorius. Caput. xxiij.

DAN filius Vffoni patri in Regno ſubſtituitur: qui cùm transfuſis in exteros prælijs, tropheorum frequentia, re rum dominiũ amplificaſſet, propagaſſetq́, partum glo riæ fulgorem, tetro ſuperbię ſqualore fuſcauit. Ita à clariſſimi patris ho neſtate degenerans, ut cùm ille cæteris moderatione præſtiterit, hic cæ teros faſtuoſa tumidus elatione cõtempſerit. Sed & paterna bona, uel quæ ipſe exterarum gentium manubijs pepererat, flagitijs diſijciebat. Opes, quæ Regio ſplendore ſeruire debuerãt, uoracibus ſumptuum impenſis tribuens. Sic nonnunquàm à Maioribus ſuis, ſimilia porten tum pignora deſciſcunt. Quantum autem temporis regnauerit, quid rerum apud externos geſſerit, quibus etiam momentis tempora illius ſint illuſtrata, uno pariter ſilentio iacent conſepulta, Scriptorum, ut queſti ſumus, incuria. Quanquàm multa præclara ab eius generis hò minibus expectari non poſſint, quorum mens ſuperbia tumens cæcu tit, uenter autem omnem in ſe rerũ curam tranſponit. Perdere magna

Dan. II.

Dan ſuperbus & prodigus.

possunt uentris animalia: quod in Sardanapalo Assyriorum nouissimo Rege claruit: erigere parua, aut sustinere sine detrimento magna non possunt.

¶ Ignoti stemmatis Hucletus Rex Danorum, piratas aliquot Suetiæ, mari domuit & uicit. Caput. xxiiij.

Hucletus Rex.



HVCLETVS deinde ad sceptra peruenit. Incertum quo genere ortus. Ita malignitas temporum, clarorum interdum originem uirorum abscondit. Leuis tamen iactura de ignorato principio: grauior est obscuratio rerum gestarũ. Nihil enim posteritati relictũ est de huius uiri præclaris factis: nisi quòd Suetiæ tyrannos Homethum & Hogrinum maritimo fertur superasse conflictu. Cætera sepeliuit obliuio. Magis autem Scriptorum raritas & iniuria, res tantas præteriuit. Quis enim poterit arbitrari, tanto rerũ tumultu, quę proximis gerebant̃ ętatibus, tranquilla fuisse huius Regis tẽpora? Sed quę tradita nõ sunt, à maioribus posteri diuinando consequi non ualemus, damna rerum taliũ, Maioribus imputantes.

Suetię lib. 1. cap. 36. b.

¶ Frotonis secundi uictoria erga denos Noruagię Duces. Duellum item illius cum Frogero, quem licet magum interemit. Caput. xxv.

Froto Rex Primus.



FROTO Secundus, post illum ad Regnum peruenit, cognomento Vegetus: qui ipsam cognominis sui speciem, corporis, animiq́ firmitate testatus, denis Noruagię Ducibus bello consumptis, insulam quæ ex eo postmodũ nomen obtinuit, ipsum postremò Regem inuasurus accessit. Frogerus hic erat, gemina admodum sorte conspicuus: quòd nõ minus armis, quàm opibus illustris, Regiam dignitatẽ athletico decoraret officio: tantumq́ gymnicis palmis, quantũ dignitatis ornamentis polleret. Hic, ut ferunt, ab immortalibus Dijs beneficium præstare rogatis, muneris loco dicitur tenuisse, non posse superari, nisi ab illo, qui pugnæ tempore, subiectũ pedibus eius puluerẽ, manu conuellere potuisset. Maiorum fuere præstigia, quæ etiam hodiè sunt in usu apud magas aniculas. Res factu non possibilis uidebatur: & ideo insuperabilis ferebat̃: ut erat superstitione sacrilega, regio tota ea tempestate redundans. Quem Froto Danię Rex, tanta à Superis firmitate donatũ comperiens, duelli postulatione sollicitat, Deorum indulgentiam, fallacia tentaturus. Primum ergò imperitiæ simulatione dimicationis ab ipso aduersario documentum efflagitat: cùm eum usu, experientiaq́ sciret præcellere. Ille hostẽ professioni suę nõ solũ cedere, sed etiã supplicare gauisus, sapere eũ asseruit, senili industrię, iuuenilẽ animũ subijciendo: q̀ ei facies cicatricibus uacua, frons q́ nullis armorũ uestigijs exarata, tenuẽ huius rei noticiã

Frogerus.

extare

extare testetur. Itaq; è diuerso bina quadratę formę spacia, cubitalibus figurata lateribus, humi denotat: à locorum usu documenti initium orditurus. Quibus descriptis, assignatam sibi uterq; partem complectitur. Tum Frogerum Froto arma secū ac locum permutare iubet. Nec difficilis admissio fuit. Frogerum siquidem hostilium nitor concitabat armorum: quòd Froto prędıtum auro capulum, loricamq; pari specie radiantem, sed & cassidem in eundem modum eximio comptam fulgore gestaret. Igitur Froto, loci quo Frogerus excesserat puluere correpto, omen sibi uictoriæ datum existimauit: nec augurio elusus, continuo Frogerum occidit: tam paruo uaframento, maximam fortitudinis gloriā assecutus. Quippè quod nullius ante uiribus licuit, astutia pręstitit. Hæc sunt nostri Saxonis super hac re testimonia ad uerbum reddita: quæ libuit hoc præsertim loco inserere: quod in Noruagia uerbis alijs eandem rem insinuauimus: ut Lector uarietate sermonis, aliquantisper recreetur: cui liberum est de rebus iudicium.



¶ Dan tertius duodennis, irritantes Saxones, ad Albim fluuium uincit, & tributarios facit. Caput. xxvi.

DAN tertius, Frotoni subrogatur in Regno: filius, an ne aliquis magna de stirpe nepotum Regiorum, incertum nobis est: quòd nihil ea de re in literas missum est. Cæterum quia tenera ætate ad Regnū peruenit, annū agens uitæ duodecimum, Frotonis filium credere par est. Nam si Proceribus deligendi Regis liberum mansisset arbitrium, non duodennem puerum, sed uirum nobilitate, armis, prudentia pręstantem delegissent. Huius ætatem cùm Saxones contemptui haberent, insolenti legatione bellum sibi parauerunt. Siquidem missis nuncijs, Danorum Regem, aut in aciem descendere, aut tributa pendere iusserunt. Superbiæ plenum mandatum. Sed huic Legationi tanta à Danis alacritate occursum est, ut ad militiam spontaneè concurrerent, quibus imperari ut pugnarent, uix poterat. Contemptum Regis suæ gentis uindicaturi, Albim fluuium nauigijs impleuêre Dani: ut iunctis ex latere ratibus, uelut ponte facto, rapidissimus alioquin fluuius transiretur. Danorum iuuentus qua alacritate bellum susceperat, peregit. Nam Saxones in pugnam congressi, fortissimè dimicantes, adegerunt, ut uicti manus darent, subiectionem promitterent, tributis adigerentur. Ita factum est, ut qui per insolentiam quiescere non poterant, alienum exciperent Imperium, Seruitutis suæ damna, præmium reportantes superbæ quam fecerant legationis. Cætera huius Regis fortia facta sepeliuit obliuio: quòd nihil in literas relatum accępimus.

Dan Rex III.

Saxoniæ libro. 1. cap. 7.

Saxones Danis tributarij.



¶ Fridleuus Duello Hallandos superat, Duflinam Hiberniæ urbem Hyrundinum ministerio expugnat. Caput.xxvij.

Fridleuus Rex.I.

FRIDLEVVS cognomento Celer, post Dan peruenit ad Regnũ: quo tempore Hallandiæ Princeps Danis fœderatus, Noruagiam infestabat. Principatus ille ad coronã Daniæ ab initio usq; in hunc diẽ pertinuit, sed ea tempestate se à suo Rege diuelli satius putabat. Quàmdiu autem Danorum fœdere fretus, Noruagiam impugnabat, felicibus augebatur successibus. Quippe Prouinciam, quę etiam puellas nutribat pugnatrices, primũ infestam, deinde subiectam cœpit habere: tum uersus in superbiam, Danorum amicitiam posthabere cœpit. Ex simultate odium, ex illo apertum oritur bellum. Tantis utrinq; uiribus, tantisq; odijs cõcursum est, ut dię integro extractum prælium, uires utriusq; agminis ita conscidit, ut incertum, quo loco uictoria constiterit, haberetur. Nox prælium diremit. Tum uerò nonnulli se ex Hallandiæ Principis parte subduxere, pugnam futuræ litis extimescentes. Qua reddita, cùm Fridleuus Danorum Rex, recensitis suorum ordinibus, prioris pugnæ sortem miseraretur, Ducibus aduersi agminis Duellum offert, pari numero capitum congressuris. Illi non detrectant. Venitur in locum pugnæ metatum. Ibi Danorũ Rex inuicta fortitudine strauit aduersarios. Erat in eis, qui ferro inuiolabili haberetur: hunc capuli nodiq; repetitis ictibus per multos contudit labores. Eo uictor pręlio, Hyberniam instructa classe bello petit, Duflinamq; urbem regionis primariam, quia armis capere difficilimum uidebatur, ad Haddingianũ uertitur ingenium. Nam captis hyrundinibus quæ sub tecta urbis nidificassent, ignẽ alis subligat, remissisq; in tecta, incendium suscitat: cui restinguendo dum ciues laborant, faciliorem oppugnandæ urbi uiam instrauit, urbemq; expugnauit. Inde conuersus in Britanniam, populationi insistit. Sed Rex gentis contracto exercitu, populantibus occurrit. Graue prælium conseritur. Cadunt utrinq; plurimi. Fridleuus suorum agmen comminutum, hostiumquè per dies singulos cernens adaugeri, quod necesse fuit, fugam meditatur: quam ut tuto faciat, extincta suorum corpora, roboribus inclinata, uelut in aciem disponit, pugnaturorum speciem præferentes. Interim ipse cum suis se recipit in naues, elusis hostibus: qui ubi propius accessere, uident in conspectu stantes, qui neq; pugnare, neq; fugere potuerunt. Fridleuus in Patriam reuersus, non diu remansit inter mortales, iam mortuis deputatus.

Hallandi aduersus Danos.

Duello Fridleuus uincit.

Haddingi strategema supra cap.7.

Ingeniosa fugæ salus.

¶ Froto

¶ Froto tertius septennis, sub tutoribus regit: ut adoleuit, Hunorum Regis filiæ nuptui traditur. Caput. xxviij.


ROTO tertius, hunc filius puer septennis Regno insequitur. Ad tutores ergo rerũ gerendarũ cura puenit: Vuestmarus et Colo germani, inter Regni Proceres, nobilitate, & rerũ gestarũ gloria præstantes, Regiæ educationi, administrationiq; Regni præficiuntur. Sed alter ex his filiorũ numero præstabat (duodecim enim filijs insolentissimis iuuenibus stipabatur) qui cuncta sibi licere, pro paternæ autoritatis excellentia arbitrati, multos oppressere, multaq; per Regnũ innouauere. Alter Colo, uxorem habebat fœminam prudentissimam, ut quæ lingua simul & ingenio multos præstantes exuperabat uiros. Regis germana Gumuuara, simili tutorũ cura educata, nubiles años demorabat. Prima Aulicorũ cura fuit, Regem sermonibus inclinare, ut circũspiciat tori sociam, Aulæ decus, suorũ quoq; rationem commodorũ rationem habentes: quòd elegantius familia uestiri solet, ubi Reginæ miscetur Imperium. Arma enim Reges, Dominas uerò mundiciem uestiũ accurare, rectum solet iudicari. Diu Rex iuuenis reluctatur, incommoda commemorans, quę ab re uxoria proficiscuntur. Sed illi non quiescunt, Gotuuaram præcipua prudentia fœminam submittentes, quæ Regi persuadeat, animum uxoriæ rei pręparare. Non destitit fœmina, donec peruinceret. Quando inquit, uiolenti incumbitis, unde ergo nobilitate & opibus parẽ accipiemus? Compertum habuere omnes, Hunorum Regem potentissimum, filiam egregiæ pulchritudinis educare: de qua Regi suggerunt. Sed ille rursus ad ingenium recusandi connubij, paternum se aiebat consiliũ tenuisse: Nõ expedire Regibus, longinquas expetere nuptias: melius in regione nota, notos aduocare contubernales. Illi uicissim, Regi Hunorũ potentiã opponũt, quantũ inde decus Danis sit accessurũ, si uiribus Danorũ, accedat Hunorũ per cõnubia societas. Quando inquit, uehemẽter urgetis, cedo: sed qui dedere cõsiliũ, ęquũ est, ut obeant Legationis officiũ. Vuestmarus & Colo fratres, cum Gotuuara Legationi parant. Nec enim erat recusare liberũ, obtẽtu ętatis, aut alia quauis ratione. Profecti longo itinere, Regẽ adeũt. Excępti cõuiuio de more gentis, priusquàm legationis exponerẽt mandata, ibi progressa in mediũ Regis filia, aduenas comiter cõsalutat. Feruẽtibusq; cõuiuijs, ubi cũ animis corpora concaluere, audet per iocũ Vuestmarus, puellę animũ uerbis licẽtioribus pertentare: si potentis Danorũ Regis cõiugio, animum dignabitur inclinare? Illa refert, se ex parentis in omni re pendere consilio: quod illi complacitum sit, non in ea modo, sed omnium prorsus re sedulo facturam: attamen nulla fama uiri pręcurrente, neq;

Froto Rex Tertius.

Ecce ueterũ honestas.

d iiij fortia

fortia eius facta prædicante, durum uideri, non sibi modo, sed cunctis Regijs uirginibus, illi animum inclinare, quem nulla res præclare gesta illustrauerit. Gotuuara sermoni accedit, muliebriter blandita, opes Regni, Regis indolem, Patrum claritatem, magnificis cœpit uerbis at tollere: Paulatimq; duram uirginis mentem sermo permolliuit. Legati interea ad Regem ingressi, mandata promunt: promissionibus minas inserunt, ut habet Gentis barbaries cognatum. Rex Hunorũ mirari se ait, si negocium ineundæ affinitatis minis intentetur: ab amica postulatione propius impetrandum: modestius apud maioris potentiæ Reges agendum, quàm ut terroribus exprimatur quod societati postulatur impendi: se tamen interritum perstare, si libeat Danorum Regi, arma prius sua, quàm connubia experiri. Sed in hac re nihil prę stantius, quàm puellæ uotum perscrutari. Aduocatur filia, iam Gotuuaræ sermonibus permollita: parenti permittit arbitrium: si tamen illi complaceat, non se abhorrere à Frotonis connubio, cuius præclaras dotes multas prædicauerint. Parat pater longi itineris commeatus: & assumpto pro dignitate comitatu, filiam deducit futuro, & iam dilecto genero. Excipitur regali fastu. Nuptiæ instruuntur ad utriusq; Regis dignitatem: quibus peractis, in sua se lætus Rex Hunorum recepit.

Cõacta petitionis uoluntas.



¶ Vitiorum Aulæ Danicæ, sub Frotone hoc iuuene, per Vuastmari natu seniorem descriptio. Caput. xxix.

SED in Dania sub iuuene Rege, tanta Procerum creuit insolẽtia, ut nihil ubiq; tutũ, securumq; haberetur, quid cuiusquàm libidini complacuisset. Stupratæ uirgines, polluta matrimonia, uexati ciues, abalienati exteri. Primi in his flagitijs ac facinoribus Vuastmari filij, qui uenalia in Regno cuncta fecere. Ad ultimũ, ne Regium torum, maior natu ex fratribus impollutum reliquit. Creuit aucta rumore infamia: sed nouissimum, ut fieri solet, Regem attigit. Ita tamen Regi inhærebat adulter, ut nihil suspicaretur. Ausus etiam Regis germanam poscere coniugem: quod idem multi ex iuuentute Nobilium fecere. Sed iste, contractis omnibus qui puellam deposcerent, cùm à Rege super his nutũ accępisset, uniuersos peremit: quo sibi certiorem aditum strueret ad eam ducendam. Nihil Rex ea re motus, æquè sibi deuinctum habuit tori sui temeratorem. Qui per insolentiam suam ita Regem tenebat inclusum, ut nemo, nisi dato precio, per illũ admitteretur. Ita unus omnem Regni subuertit iusticiam. Vendidit causas, distribuit matrimonia, et nihil in uniuersis agebatur nisi per illum.

Ob scelus Antiquitatis, utinam non sęculo nostro adfine.

¶ Ericus



¶ Ericus quidam Noruagus, Daniam restituit, uitijs purgat, ac facinorosos punit. Regem Frotonem à periculis liberat, &c. Caput. xxx.

SVB hoc rerũ statu adnauigabat Ericus quidã ex Noruagia, qui hoc Regi suo præstitit, ut specularetur Frotonis curiam. Regi suo renũciaturus, si quod cupierat, bellũ inferre Daniæ expediret. Vir erat prudẽtia singulari, & eloquio dulci, qui primũ certamen cum memorato adultero Vuestmari maiori filio, cui Grepp nomen, tẽtauit per arma Ericum eijcere. At uictus est ab Erico. Tentauit uerbis prudentiam refellere: superatus est. Et prouenit res per multam Erici industriam ac fortitudinem, ut intantúm Regi Frotoni inuisceraretur, quòd primus in concilio, primus in rerum administratione deinde Ericus haberetur. Purgauit Regiam malis cõsilijs: quos aliter eijcere non potuit, armis expulit. Oblatoq; duello, omniũ uictor constitit. Ita Vuestmarum senem, ita filios eius submouit. Ipse quoq; Rex aliquando à suis inflamatus, Erico se opponens, non caruit periculis: semper ab Erico seruatus; etiam tum, cum hostili in se Rex animo esset. Eóq; res deducta est, ut Froto pudore nimio, quòd ab externo uinceretur, inuisam uitam finire uellet aquis, ab Erico periculis eripitur. Deniq; eò res peruenit, ut primus omniũ apud Regem Ericus haberetur. Germanam illi coniugem despondit, & Centurionatum, imo omnis militiæ principatũ illi imposuit. Reginam, ob admissum adulterij flagitium, & si culpam remisisset, indignam tamen toro suo iudicauit. Tum Erici consilio, ne quod cogitauit, inhonoratam abijceret, patriq; remitteret, Rollero Erici germano permittit habendã. Erico mandatum imponit, ut Gotari Noruagiæ Regis filiam, sibi uxorẽ asciscceret: quod & factum est. Cuius rei ordinem, quia in Noruagia peregimus, hic transimus. Vuandali deinde Daniam infestant. Ericus accẽptis pro rei necessitate nauigijs, & industria, & uirtute peragit, ut facilè illos pœnituerit irruptionis. Reliquam autẽ belli molem in eam gentem, quia in Vuandalia plenius sumus executi, isthuc Lectorem remittimus. Froto autem Rex pacem nactus temporum, reformando rum in Regno morũ curæ uiriliter incubuit: Leges sanciuit, quæ bello ac pace optimum Regni statum facerent ac confirmarent. de omnibus enim tulit sanctiones.

Erici uirtus & marginalia.

Adulterij Reginæ pœna.

Noruagiæ lib. 1. cap. 13.

Vuandaliæ lib. 1. cap. 9. & seq.



¶ Frotonis contra Hunos uictoria naualis maxima. Noruagos legibus subdit. Britannos item dolum machinantes, eodem Froto sternit & deprædatur. Caput. xxxi.

MAGNVM deinde bellum Daniæ ab Hunorum Rege exoritur:


exoritur. Totius Orientis uiribus toto biennio bellũ apparatur. Froto quoq; ex Noruuagia atq; Vuandalia uiros adauxit: Ericúmq; premittit cum parte classis speculatum, quid apud hostes ageretur. Ibi leuia conserta sunt prælia. Omen tamen futuræ uictoriæ Ericus referebat. Angebat Hunorum Regem filiæ contemptus: quòd Reginali destituta nomine, citeriori uiro denupsisset: Qua ex re & Russorum arma sibi deuinxit, totúmq; robur uicinorum Principũ in Daniam cōcitabat. Nauibus impositi, Daniam mouent. Sed fortè non expectandus ratus in Regno suo, suis, suorumq; auxilijs communitus, obuiam uadit hostibus. Conseritur pugna naualis: multa milia ubiq; cadunt: sed maior clades in Orientalibus. Itaq; retrò pulsi, redeũt in amnes è mari: stabantq; in anchoris, hostẽ expectantes. Sed erat Frotoni ab Erico consilium, trahendi bellum in longum: ut quo plures starent in hostili agmine, maiori citius inedia laborarent. Vbi uerò hostium incursatione in aciem prodire compellitur, renouato rursus prelio, innumeram Orientalium multitudinem Dani conscidunt: adeò, ut cadauerum densitate innauigabiles fluuij starent. Insignis ista Danorũ uictoria, & quæ maximis rebus debeat annumerari: quòd totius uires Orientis, ingenio magis, quàm armis strauit. Terribilẽ illam Romano Imperio Hunorum manum primus Froto contudit. Nec minori nunc strage cæsi sunt à Danis Huni, quàm post annos Quadringentos in Campis Catalaunicis Galliarum à Gotis. Sed hæc suo tempore atq; loco in Suetia nostra explicabuntur. Froto autẽ magno bello uictor Orientis, Noruagiam quoq; rebellantem misit sub Leges. Inde tranquilla tempora uitæ nactus, Patriam composuit. Furibus infestissimus: quos tanto insecutus est odio, tamq; atrocibus pœnis repressit, ut anno integro appensa armilla publico itinere remanerẽt, audẽte nemine contingere: quod exquisitissima pœna uendicasset. Septennio deinde iocundissimum uitę tempus emensus, filium Aluonem, Ophiramq; filiam suscepit. Sed filius inmaturo funere subtractus, ad pubertatem non peruenit. Cæterũ audiens mare Britannicũ piratis infestũ, arma uertit in Occidentem: illũ quoq; uictorijs ut Orientem infestaturus. Britanniam innumera classe inuadit. Rex gentis cernẽs uiribus se longè minorem, deditionem offert, tributa pensurum promittit, ac omnia obsequiorum genera egregiè blanditus despondet. Inuitat preterea Regem: ut nauibus exiens, cum quanta uelit manu co uiuio excipiendus. Subesse ratus insidias Froto, mittit speculatum quosdam: qui deprehendũt armatum agmen siluis insidere, atris tentorijs: quo tutius lateret obtectum. Quod ubi renunciatum est, parat & ille occultam manum noctu egressam, quæ opportunis locis delitescens, ad

Danorum contra Hunos uictoria maxima.

Furti osor Froto.

litui

lituī ſonum erumperet, ſuis auxilio futura. Rex Britannus preces ingeminat, dignetur excipi conuiuio, ac refici cum ſuorum manu. Paret Froto, egreſſus: ac fixis per littora tentorijs, auleas circumpēdent. Feruent Regali cuncta paratu: dolium in medio mero plenum. Miniſtri & ueſte & mundicia ſplendidi, aurea circumtulere pocula. Danis è mari cupidè lapſis, dulcior inceſſit ebrietas: indigenæ parcius poti. Vbi Danos crapula & uino madidas conſpexere, paulatim dilapſi, arma parant. Non deerant tamen Frotoni peruigiles uiri, qui cuncta Britannorum geſta diligentioribus oculis ſecuti, ubi arma parari uident, dant lituo ſignum. Emergunt tecti Danorum milites, & occurrentes arma miſcent. Funduntur Britanni: præda inde ducta eſt opulenta. Tum Rex ſua reuocans agmina, cecinit receptui. Britannorū dolus, illis exitio eſt.



Froto Hibernos, ſub nato Chriſto, Danis ſubigit: tum morte magica abſumptus. Caput. xxxij.

HOC eſt illud tempus, quo, ut Romanæ ferunt Hiſtoriç, Caius Iulius Cæſar, Galliarum Præſes, Britanniam quoquè non ſine periculo inuaſit: nec aliud peregit, quàm ut euibus prælijs terram pulſaret, luſtrans magis inſulam, quàm ſubigens. Claudius autem Cæſar, ab Auguſto Quartus, ualidioribus armis illam inuadens, Prouinciam fecit uſq; ad Saxonum tempora, ſub Martiano Rom. Imperatore. Quod in noſtra Saxonia plenius agemus. Sed Froto Rex relicta Britañia, Hiberniam pulſat. Ea gens opū expers, duram egit uitam: perinde bello terribilior. quippè cuius ferrum, non aurum tentetur. Nam & in fugam uerſi pugnant cuſpidibus, atq; mucronibus in tergum relatis: quo fit, ut non pauciores fundant in fuga, quàm concidant ſtantes in acie. Tamen tùm à Frotone uicti, cū Cepo Rege, & cùm germanus eius tributa polliceretur, in iura Danorum uenerunt. Quo deinde Regno ſubacto, cùm ſatis Occidenti datū uideretur, in Patriam reuerſus, tranquilla pace fruitur per annos ferè triginta. Nam tempus hoc erat, quo uera pax de cœlo deſcendit, ſub Auguſto Cæſare iam Chriſto domino terras inuiſente: ut extrema Aquilonis Regio, eius perſentiret pace longęua præſentiam, in cuius manu ſunt oīa iura Regnorū. Sed Froto interim ab ætate feſſus, tantā operū tranquillitatē conſecutus eſt, ut impunè aurum, tentamēti gratia, año integro ſepi inhereret. Erat matrona Magicæ conſcia, quæ filiū hortat̄ aurū diripere, impunitatē ex uicina Regis morte, aut Magico ſuffragio pollicita. Incitabat iuuenē matronę peritię fiducia: & quãuis ſupplicij ferocitas deterreret, pręualuit tñ ab arte impunitas ſperata. Aurū tulit. Nec potuit clam eſſe factū, q̄ tã multorū oculis obſeruaret̄. Pręmittit Rex, qui matrē cū filio abſtractã, ad pœnã raperet̄.

Saxoniæ libro. 1. ca. 20. Anno Chriſti. 449.

Hibernos ſubigit.

Egreſſus

Egressus & ipse Rex, tardante licet senecta, audaciam facinoris, insigni supplicio compensaturus uenit. Fœmina ad artes suas conuersa, filium uertit in uitulū, seq; bouem oculis præstigio delusis, ingerebat. Rex miraculo captus, descendit, propius monstro uecturus, humi consedit. Bos toruo uultu incurrēs, altero ex cornibus intento, Regem fodit in latere: quo uulnere exanimatus senex, illum habuit ex tot uictorijs exitum. Corpus exanime sole triennio asseruatū, ne mors quidèm tanto tempore est audita: ut in fide continerent populos, qui ad nuncium mortis, protinus Imperio defecissent.

Magicum horrendū.

Hiarni Epitaphio Frotoni inscripto meretur Regnum, inscio hærede iusto. Caput.xxxiij.



Hiarni Rex

HIARNI homo mediocris fortunę, sed singularis ingenij, inaudito more peruenit ad Regnum. Siquidèm incredibilis amor in suum Frotonem, adegit Proceres de Regno consulturos, ut decernerent, illum fore Regem, qui cęteros honore defuncti Regis nemini impenso præcurreret. Certabant enim uniuersi, cumulare defuncti gloriam. Ille quidèm commemoratione rerum gestarum, Dijs immortalibus mortuum æquabat. Alius iustíciam eius attollens, templo etiam honorandum putauit. Hiarni uerò uir industrius Pöetices, in patria lingua peritissimus, Epitaphio condito, Regis memoriam apud posteros putauit perennandam. Itaq; edito Carmine, cùm recitaretur, adeò omnibus complacuit in eo, ut omnes honoris impenso superasse diceretur. Mox illi corona Regni, cum Regio nomine defertur. Hoc uerò Carmen Saxo noster latinè reddens, in eam formā quę sequitur, transfudit.

Epitaphiū Frotonis.

Frotonem Dani, quem longum uiuere uellent,
Per sua defunctum rura tulere diu:
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus,
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Hoc Epitaphium à Danis Regno compensatum est: Imperij q; pondus, paucarum literarum, donatum est contextui. Tam exili impendio, ingens pręmium stetit. Diuus quidèm Iulius ante hæc tempora, uictoriarum suarum toto orbe editarum, scriptorem, illustratoremq; municipio donare cōtentus fuit. Sciat Saxo, quis iste fuerit Scriptor: nos rerum gestarum ab Iulio non alium testem habemus, quàm illum ipsum qui gesserat. Nam Commentarios quos tenemus, edidit inter agendum. Sed ne Africanus quidèm, in rependendis operum suorū monimentis, munificentia sua Danos æquauit. Illic enim elucubrati uoluminis merces, auro simplici stetit: hic Regni sceptrum incondita Versuum paucitas ministrauit. Ennius hic erat, quem Africanus & statua

Pöetarum & Scriptorum remuneratío solita.

ſtatua uiuentem, & defunctum inſigni ſepultura decorauit. Sed Regnum, quod inmenſus Populi amor donauit, iuſti reſpectus hæredis abſtulit. Quod in ſequenti Fridleuo dicetur.



¶ Fridleuus iuſtus Daniæ Regni hæres, electum Hiarni duello extinguit: Haſmundi Noruagiæ Regis filiam, patre renuente, ac nauali bello ceſo, uxorem ducit. Caput. xxxiiij.

FRIDLEVVS auitum referens nomen, Frotonis filius, apud Ruſſos ex uictoria patris gerebat Imperium: quem & Proceres cum populo uiuere neſciebant: arbitrati, tam longinquam ac diuturnam peregrinationem, nullam ſpem ferre ſuperextantis. Haldanus erat Erici filius, quem Froto pater Suetiæ præfecerat: is à Noruagiæ ducibus preſſus, nullum certius putauit profugiũ, quàm ut Fridleuum adiret Ruſſiæ Principem, qui & poſſet, & deberet paternum beneficium in filio conſeruare. Hunc igitur in Ruſſiam profectus, ſupplex adijt: docetq;, quo in ſtatu res ſua ſit: quòd Suetiam, quã ob multa merita, eius pater Froto, ſuo parẽti cõtuliſſet Erico, nunc iam Noruagij inuaderent: nullumq; ſibi ex Dania auxilium ſperari: quòd Froto rebus humanis exceſſiſſet. Vbi parentis mortem audit, exiliuit: quęrens, ſi iam uitam obijſſet, quis Regni ſtatus eſſet? Ille refert, hominem ſordidæ originis, unius Epitaphij merito, coronã tenuiſſe. Igitur Fridleuus Ruſſiæ rebus pro tempore compoſitis, amici cauſam ſuſcæpit agendam: & exercitum educens uno nauigationis tenore, Primũ Suetiæ reddit Haldanum, pulſis hoſtibus. Inde Daniam adit, paternum Regnum iure ac lege ſuſcepturus. Ad præſentiam ueri hæredis moti Proceres, Regnum pridèm delatum Hiarni dimittendum, Fridleuo tradendum decernunt. Refriguit charitas honorati Regis in Pöeta, ut uiuum eius exemplar contemplantur: iam ſatis præmij conſecutũ arbitrantes, quòd honorem Regium tandiu tuliſſent. Sed quod difficulter aſcenditur in culmen, tam illibenter apprehenſum dimittitur. Itaq; Hiarni armis tueri ſe parat, & minas Fridleui, & decreta Procerum uno tenore contemnens. Armantur in inuicem, ac congrediuntur. Victa pars Hiarni, fuga ſibi conſulit. Renouato bello, rurſus concurrunt. Non diſſimilis priori exitus. Igitur uiribus diffiſus, ad ingenium conuertitur, inſidijs Regem perempturus. Vbi in obliuionem ueniſſe creditus eſt, mutat habitum, ora detorquet, famulitio ſe Regis inferit, ſalis coctorem profeſſus. Nouiſſimus cubabat, ne internoſceretur. Ante omnia uerò lauandi corporis operam fugitabat: ne à quouis noſceretur. Animaduerſum, quòd corpus nudare uereretur: igitur cogunt poſita ueſte nudari. Ibi primùm corpus cicatricibus diſciſſum

Fridleuus Rex. II.

Haldanus Erici filius.

Hiarni ingenium dolo plenum.

e apparuit.

apparuit. Vultum inde diligentius intuentur. Agnoscitur Hiarni, Regicꝗ detegitur. Agè Rex inquit, improbè latro, si me ad tua uota teneres, quo genere mortis absumeres? Duello, inquit ille. At Fridleuus, Id tibi genus pugnæ denuncio. Sumptis igitur uestibus & armis, con-
Duellum. feruntur. Ibi cadit Hiarni. Hoc secum referēs mortis decus, quòd Regia manu caderet. Interea Regem adoriuntur Proceres, coniugio sibi cōsulat, decꝗ Regni cogitet hæredibus. Ille refert, infaustas generi suo nuptias, quantos parēti eius labores creauerint, meminisse Maiores, se quocꝗ auditu comperisse: proinde cœlibatus multis incommodis Regem ac Regnum eximat. Frustra renititur perstantibus, non expedire Regno, si non per ætatem consulatur successioni legitimi sangui-
Vxorē Noruagiæ Regis filiam ducit. nis. Peruincunt instantes. Esse apud Noruagię Regem filiam insignis speciei: eamcꝗ missis Legatis postulare iubet. Hasmundus Rex erat memor, quibus armis Froto Fridleui pater Noruagiam infestauerit: esse sibi hæreditariū cum uiro bellū, nec affinitatem initurum. Filia uocem patris indignè perpessa, apud se cōarguit, quòd talē recusaret generū. Nec minus Fridleuus repetita Legatione, perstabat puellam postulare. Indignatus Hasmundus, repetitam Legationem, belli denun-
Legati occiduntur. ciationem interpretatus, Legatos malè mulctatos occidit: quæ res iustam ultionē Fridleuo præbuit. Itacꝗ expedita classe, Noruagiam petit, auxilijs Suetiæ fretus: Regemcꝗ prælio uictum oppressit Hasmundum, filiam eius uolentem coniugio sociauit. Erant ea tempestate insignes pugiles, Ano Noruagicus, Biorn Danorum sanguine. Ano insi-
Duellum. gnis sagittarius, cognomen inde tulit: is aduersario cōgressurus, ut artem illi ostentaret, aptanti arcum, telum iniecit, chordacꝗ caput uulnerauit. Alteram deinde iaciens, digitorū intercapedinem transiuit. Tertio sagittam uulnerauit: artis peritia deterrere uolens aduersariū. Sed ille nihil motus, congreditur. Ambo inuicti, mutuis uulneribus excessere. Quotiens renouata est pugna, similis exitus semper erat. Ambos ergo pares Rex sibi deuinxit. Anonem coniugio concubinæ donans: ex qua iam filium Olauum sustulit. Nec mulieris coniugium refugit: honoratiores nuptias uiri robore compensans.



¶ Frotonis quarti puerilis affabilitas, uirtutes & facta heroica. Saxones prima militia tributarios facit: atcꝗ incidenter Starcuteri gigantis robur, ætas hominis triplex, & contra Vuisimum uictoria. Caput. XXXV.

Froto Rex Quartus. FROTO Quartus, & ipse referens auitum nomen, cognomento Largus, quod ab ipsis moribus contraxit, patri Fridleuo in Regnū subrogatur. A cunabulis, ipsiscꝗ infantiæ rudimentis, adeò cunctis charus euasit, ut ne humi quidèm incedere, aut consistere tole-

ratus,

ratus, ſinu ſemper geſtatus, omniũ oſculis frueretur. Ita nõ uni modò pędagogo addictus, ſed quaſi communis omniũ alumnus exiſtimabatur. Annũ ætatis agebat duodecimũ, cùm parens rebus humanis excederet. Vixdum armis habiles annos attigit, iam illi Saxonicũ bellum exoriebať. Prima ibi armorũ rudimenta exercebat, Regulosq; Suertingũ, & Haienũ Imperiũ detrectantes, ac palàm auſos rebellare, acie ſuperauit: deuictisq; gentibus, ſeruitutis nomine, pendendi pro capite nummi mulctam inflixit. Adeo pecuniæ liberalis, ut recenti largitatis conſuetudine, priſca Militiæ ſtipẽdia duplicaret. Neq; enim ſe Tyrannorũ more, cõmunibus uitiorũ illecebris obijciebat, ſed quicquid honeſtati proximũ, prouidebat ardenter appetere, opes in propatulo habere: cæteros largiendo præcurrere, omnes humanitatis officijs anteuenire, & quod omniũ difficilimũ eſt, uirtute inuidiã uincere contendebat. Cuius rei gratia, breui tantam apud omnes claritatẽ contraxit, ut adoleſcens non modo maiorũ titulos exęquaret, ſed etiã uetuſtiſſima Regũ monimenta tranſcenderet. Cuius temporibus Starcuterus uir corporis uiribus & robore præſtans, animo ſuperabat uniuerſos, giganteę magnitudinis, & qui triũ hominũ continuatas impleret ætates. Hic Regis fama permotus, ab Oriente, quæ illi Patria extitiſſe perhibeť inter Eſtones, cum ſocijs adnauigans, naufragatus, & ſocios amiſit, & ratem: ipſe uix enatans, peruenit ad hunc Frotonem. Eiq; corporis & animi dotibus præcipuis conciliatus, naue præcipua donatus, Piraticã iubetur auertere. Multa hic præclara ubiq; facinora peregit, quę partim in Suetia attigimus. Sed quod ad Danię Regnũ pertinet, iſte locus popoſcit. Vuicarum Noruuagienſiũ Regem uicit. Bemoni piratarũ Principi iunctus, mare latrocinijs purgauit. In Ruſſiã quoquè enauigans, relictis ratibus, terrã populabundus ingrediť. Incolæ congreſſum pertentantes, repelluntur. Sed dolis uincere quos uiribus haud poterant, aggrediuntur. Aculeos tribus mucronibus extantes fabrefaciunt, ut omni caſu promineret acumen, quod gradientis calcaneũ uulneraret. Vbi comperiunt, ligni ſubligamina pedibus aptant: nec ſic remorati ab hoſtibus. Cum Hacone Danię tyranno adnauigat Hyberniam. Quippe magnitudo ditionis effecit, ut ſub Rege Reguli multa proprijs auſpicijs ſibi bella deſumerent: quod poſterior ætas luculentius oſtendet. Proxima Starcutero militia ab Daniæ Rege imponitur: ut aſſumpto Vuino Vuandalorũ Principe, Orientis populos defectionem meditantes, in fide contineret. Curetes, Sembri, Semigalli, gentium nomina tum erant: quæ iam partim uariata, partim immutata ſunt. Ad Ruſſiam uſq; perueniunt. Ibi inſigni robore Vuiſimus auſus cõgredi Starcutero, quòd ſupra uiriũ fiduciã, hebetandi quoq;

Saxones tributarij.

Starcuterus gigas.

Suetiæ lib. 1, cap. 41.

Duellum cum inuulnerabili ferro. ferri peritiam haberet: sed nihil ea profuerunt in hunc hostem. Nam & uires effregit, & quem ferro non potuit uulnerare, ictibus iteratis ad mortem perduxit.



¶ Starcuterus loco Regis, Duello Haman sternit: grauiori tributo Saxones arcentur: unde bellū. Tandem Rex cum Suertingo, cōmuni uterq; igne pereūt. Caput. xxxvi.

INTEREA Saxones pertesi subiectionis ac tributorū, quia totis agminibus pares Regi esse non poterant, mittūt qui Regi duellū offerret. Cuius detrectandi nemini tū erat fiducia: hoc ordine Regē Frotonē suis ceruicibus abigere sperātes: q Starcuterus, ut compertū habebāt, cuius etiā formidolosa uirtus esset, longè peregrinaret: Regē non ausum se credere Marti reputabāt. Cunq; Rex prouocaretur, nihil motus, breue tempus dandi responsi exegit. Aderat Starcuterus: iniquam sortē subire Regē non est passus. Regibus enim aduersus Reges, non plebeios pugnam ineundam. Si quid ausint Saxones, adesse curent, qui Starcutero occurrat. Regressi Saxones, suis ea Regulis reportant: Starcuterū deposcere pugilem qualemcunq;. Erat in Saxonū gente Hama prçcipuis uiribus & industria pugil: hunc magno ære appreciatū, Starcutero deligūt opponere. Accepit conditionē Hama, pugnæ se parat, uiribus fidens: quòd integra esset ætate, cùm aduersarius illi uetulus uideret. Aggressi pugnam paribus animis, Hama medium amplexurus Starcuterum, accurrit, luctç, quàm pugnæ malens se credere: strauissetq; senem flexuosus, ni præueniens senior, pugno illum deiecisset, ut genibus niteretur. Vbi exurgere parabat, medium constringit Starcuterus, opprimitq; uiolentè. Pugnæ precium, sexaginta iugera agri, totidemq; mancipia promeruit à Rege. Insolentiam autem Saxonū, grauato priore tributo, mulctauit. Nam quod antea pro capitibus, tum pro singulis artubus pendere sunt iussi. Quç res morte grauior fortibus uiris uisa est. Nam Hanesus ex primoribus unus, uitam Patriæ impendere, quàm tali tributo premi, ipsam prçoptauit. Itaq; liberandæ patrię gratia, per omnem prouinciā ad arma conclamatur. Froto Rex ductis in arma copijs, Albimq; traiectis, apud oppidū Hanofro, nūc Hanouer uocitant, q̄d ab eo ferūt nuncupatū, hostē fudit. Suertingus aūt alius ex Primoribus, cùm imparē se liberandę Patrię armis cerneret, dolos nexuit: ut tributo, & Danica dominatione prouinciā laxaret: Regem obsequio deliniuit, & ad epulas euocauit. Ille nihil ueritus fraudis, dū arma timerentur, processit: & ubi Regio luxu iā cuncta feruerent, solutus uino Rex Daniæ, fraudi subiacuit. Nam triclinium (sic ordinante Suertingo) cui Rex

Starcuterus Duello Haman sternit.

Saxonibus grauior exactio imponitur.

cui Rex cum Proceribus inerat, ipseq́ nõ deesset, communi incendio sublatum, utrunq́ peremit, utcunque ferent ea facta Minores,

Vincet amor Patriæ, laudúmq́ inmensa cupido.

Si res eget exemplo, quid aliud uetustissima memoria egit Sanson ille peculiaris populi liberator? Quid uterq́ in Romanis Historijs Decius & Nisi, ut Patriam liberantes, se, suumq́ caput, hostium impenderent perditioni. Iudic.16.



¶ Ingelli luxus Starcuterum Aula protrudit: Regis filię stupratorem in sinu illius transfodit. Rex, Suertingi Saxonũ Principis germanæ nubit. Starcuterus Frotonis obliuionem, insperata ultione uindicat. Caput.xxxvij.

INGELLVS patri succedit in Regno Frotoni. Cuius tenera sub parẽte educatio eò peruenit, ut deliciarum cultor & unicus amator haberetur: arma, equi, militia postrema illi cura fuit: fartores, lixæ, frixoria, gulæ multiplices officinæ parabantur. Quibus moribus auersatus uir fortissimus Starcuterus, deserto Ingello, ad Regẽ Suetiæ Haldanum se contulit, negociũ ocio, ut consueuit, præferens. Nec tamen cura illum deseruit Frotonianæ domus. Nam ubi audiuit Regis filiam peregrinos sequi amores, artificemq́ fretũ ingenio, Regalem torum stupro polluere nõn uereri, eò se contulit, & hominem molliter agentem, ubi se pectendũ Regali puellæ præbuit, in ipso pectentis gremio confodit: grauiter increpans puellam, quòd oblita pudoris, oblita Regij sanguinis, tam fœdis se implicasset amoribus. Suertingi autem Saxonum Principis filij, ueriti, nequando Ingellus paternæ necis memoria excitus, in eos ferreretur, præuenire fœdere hominem, contubernioq́ cœpere. Nam germanam suam Ingello Regi uxorem dedere, primas per illam partes in palatio sortiti: ut nihil in grauioribus rebus, nisi per illos, aut illorũ consilio gereretur. Huius rei pertesum ferunt Starcuterum, cùm per absentiam à Daniæ Regno, res in Suetia, Noruagiaq́ maximas egisset, contendit in Daniam, Frotonis domũ sordibus, ut ille dicebat, purgaturus. Carbonum struem humeris imposuit, Regiamq́ petiuit. Quid ita onustus carbonum sordibus incederet, rogatus ab obuijs? Ingelli inquit, ingenium his percalescentibus, incudi impositũ, acuere pertentabo. Visus ab his, qui hominem non nouissent, insanire, prꝫteritur. Vbi uenit in Regiam, primas sedes illustriori loco delegit. Regina hominem intuita, mole corporis uastum, cicatricibus discissum, ueste rustica, tetro oris colore sordidum, Quid inquit, ineptissime, sedibus polluendis incumbis? Cede loco, & Regijs Proceribus subsellia strata relinque. Cessit ille parumper, nihil ex oris seueritate remittens. Nec diu Rex Ingellus ex uenatione rediens,

Ingellus Rex.

Supratorẽ Regis filiæ, Starcuterus interimit.


Starcuteri ingenium.

 ens,

ens,ingreditur:conſpicaturq́ uirũ noua forma,habituq́ nouo: & ut nec aſſurgentem uidit, ſtatim incidit in mentem, eſſe Starcuterũ: conuerſusq́ in Reginam, quo illum honore excepiſſet, rogat. Illa ignotũ hominem, & uultu, & habitu ruſticum deteſtata, etiam tum apud Regem accuſat. Tace inquit, ac parce conuitijs. Paternorũ decorum hic autor, omnisq́ illuſtris ſub patre militię ductor extitit: quem etiam decedens pater, tutorem Regni eſſe uoluit. Statimq́ uerſus in illũ, ſalue re iubet, gratulaturq́ incolumẽ aduenisse. Regina mirata, cœpit & illa blandiri ignoto hoſpiti: ueniamq́ poſtulare, quòd incognitum conuitijs laceſſiſſet. Ventum erat ad conuiuium: ibi Starcuterus inter primos collocatus, oppoſitos habuit Regis leuiros Saxones: cęteri luxui indulſere conuiuij. Solus Starcuterus de oris, uultusq́ ſęueritate nihil remiſit. Regina iocis ad hilaritatem dictis, hominem pellicere curabat ad animi remiſſionem. At nihil agebat. Munera protulit, mitras auro intertextas: ut inter conuiuia uteretur. Ille reiecit in ora largientis. Rex ſtupens, rem conſyderat. Cæteri admiratione hærebant, quo euaderet uiri iam fama incogniti, auſtera ſæueritas. Ibi Starcuterus longa oratione laudes Frotonis commemorat: indignam cædem ab hoſpitaliter inuitantibus perpeſſam deplorat: Regis Ingelli incuriam grauiter accuſat, quòd patris mactatores non ſola donet impunitate, uerum etiam primis in palatio ſedibus honeſtaret. Huic rei, grauiſſimis uerbis atq́ ſententijs, quas Saxo noſter Carmine Sapphico decorabat, tamdiu inmoratus eſt, donec Rex excandeſcens, ad arma concurrit, leuirosq́ ſuos in ſacris menſæ obtruncauit: uicem rependens, quòd parentem ſuum, ſimili nece, conuiuio exceptum, per inſidias oppreſſerint. Starcuterus Regem iam feruentem, adhortatus, etiam manu adiuuit: ut Regiam malis conſilijs, Curiam alienis Teutoniæ moribus purgaret, inſignemq́ paternæ necis perageret ultionem: exulaſſe uirtutem Ingelli, non exſpiraſſe docuit fortis incentor: & Rege collaudato, quòd in uirum rediſſet, ipſe quoq́ in Suetiam remeauit. Cætera Regis huius facinora ſepeliuit obliuio.

Saxonis lib. Sexto.

Supra cap. proximo.



ℂ Olaui obſcura memoria. In Mercatores Piratica olim licita, Chriſtianis uerò longe deteſtãda. Caput. xxxviij.

Olauus Rex. I

OLAVVS Ingelli, ut ferunt, filius, fratribus tribus mutua cæde, belloq́ conſumptis, poſt patrem Regno potitur. Sunt qui ex germana Ingelli ferant, non filium, ſed nepotem. Vtcunq́ fuerit, regnaſſe illum poſt Ingellum tradit Antiquitas. Nec ulla præterea eius remanſit memorabilium rerum memoria: niſi quòd ad uitæ finem, geminis filijs, Frotoni, & Haraldo ita partit Imperium: ut

alternis

alternis uicibus, alter terra, mari alter imperaret. Et si requiras, qd maris Imperiũ? Nisi infinitos remigum sumptus haberet: graue perinde tenenti, nec emolumenti aliquid allaturũ. Compertũ est, huius etiam Saxonis (quem Autorem sequimur) testimonio, apud Veteres huius ditionis homines, iustum esse habitũ quęstum, exercere Piraticã, non aliter in transeuntes Mercatores, quã in hostes fuisse degrassatos. Nec Vuandali huius maris littora incolẽtes ad Austrũ, eius negociationis, ut ita dicam, expertes fuere: cùm à nõnullis Danorũ Regibus in illos uindicatũ sit, quod ipsi, ac Maiores eorũ peregêre. Fuere tamen inter Reges huius nationis, qui rem scelestam perosi, summis conatibus improbitatẽ illam sunt insectati. Quod supra de Frotone retulimus, eo sub quo natus est dominus noster Christus. Christianis autẽ temporibus, omnis ea deprædatio piratica abolita est. Sed & Saxones nostros arbitror nonnihil ea tempestate illius dulcedinis degustasse, cùm ex Albi, Amisiq́ꝫ nauigarent in mare Britannicũ: & iam Maximiani Imperatoris temporibus, infestasse maria cum Francis, Romanorum testimonio, in Saxonia docebimus. Ac peruenerũt usq́ꝫ in Britanniã occupandã. Nonnunq́ꝫ etiã Danis manus conseruerũt, Iutiam diu tenentes: & postea longo maris circumitu enauigantes, omnem Chersonesum Cimbricam, quæ Iutiæ est, quàm longissimè procurrentem in Boream in mare Danicum, quod & Balticum dicitur, peruenisse.

Piratica olim licita.

Piratica Christianis inhibita.

Saxones piratæ.



¶ Fratrum insidiæ & liuor. Haraldum uita priuat Froto Frater. Caput. xxxix.

HARALDVS natu minor, Olaui filius, ex paterna distributione Regnum tenuit: cùm interim germanus eius Froto, mari imperaret. Hic Haraldus mutata uice meliori, quàm inter Thebanos fratres fide, cùm maris Imperiũ ex fratre suscepisset, uacuum coniugio militẽ legit, fraternæ frustrationis euentũ metuens. Nam ille, magno suo detrimẽto, per delectũ militũ indiligenter habitũ, nihil profecit. Sed in Haraldo fortuna delectui respondit, qppe tam gloriosum piratã egit, quã frater ingloriũ gesserat. Quæ res fraternã inuidiã excitauit. Quinetiã fratrũ coniuges, Sygne, & Vluilda, alterũ simultatis incendiũ excitarunt: quarũ altera Suetiæ Rege Sffuardo, altera Carolo Gotię Pręfecto (quem nos Ducem uocitamus) orta fuerat, crebra nobilitatis contentione rixantes, alternos maritorũ soluêre cõuictus. Quo euenit, ut Haraldus & Froto, rei familiaris soci etate cõuulsa, cõmunem partientes suppellectilẽ, plus muliebris rixæ iurgiis, quã fraternę charitatis officiis indulgerẽt. Sed Froto fratris claritate deformẽ se fieri, cõtemptũq́ꝫ sibi strui iudicans, per quendam familiariũ, occultè eum interfici curat: quòd quem ætate uinceret, ab eo

Haraldus Rex. I.

Froto, fratrem Haraldum interficicurat.

se uirtute uinci non pateretur. Quo peracto, ne scelus à conscio proderetur, insidiarum quoque ministrum tacitè iubet submoueri. Et ut innocentię sibi fidem pararet, notamque sceleris eu'taret, quisnam rerum casus inopia germanum clade sustulerit, latius inuestigari præcepit. Sed neque tot artibus perficere potuit, quominus eum tacita uulgi notaret opinio. A quo Carolus Gotiæ Dux, quisnam Haraldum occidisset postea rogatus, dissimulanter ei notæ rei quæstionem facere respondit. Quo dicto, mortis etiam suæ causam acciuit. Frotone exprobratum sibi latenter parricidium, indicante.



¶ Frotonis nepotes quàm uafro tutorum ingenio, & à Magæ cuiusdam uaticinio, ac Regis persecutione seruati sint: illorumque tandem paternæ necis uindicta. Caput. xl.

Froto Rex Quintus.

FROTO eius nominis Quintus Rex, fraterna cęde respersus, solus succedit in Regno: uerũ probans quod ille canit, Nulla fides Regni socijs. Nec melius gessit quàm peperit Regnum. Nam parricidium quod commisit in germanum, extendit ad Nepotes, fratris filios persequens ad mortem. Nec enim securum se regnare existimauit, quandiu superessent paternæ necis uindices. Erant autem Haldanus, & Haraldus Haraldi filij ex Sygne Caroli Goti filia suscepti:

Tutorum ingenium.

qui cùm ad necem à patruo quærerentur, ab eorum tutoribus callidior seruandorum pupillorum ratio excogitata est. Nam truncos luporum ungues sudibus innectentes, contiguũ penatibus suis lutum, obfusamque niuibus humum, crebris decursibus exarare cœperunt, ferini incessus speciem præbituri, Deinde trucidatis ancillarũ liberis, eorumque corporibus frustatim discerptis, lacera passim membra disijciunt. Itaque requisitis adolescentibus, nec inuentis, fusi reperiuntur artus, ferarum uestigia demonstrantur, tellus cruore delibuta conspicitur. Creditum est, pueros lupina ingluuie cõsumptos perijsse: nec cuiquàm ferè de tam manifesto lacerationis argumento dubitare concessum. Cuius spectaculi fides pupillis præsidio fuit. Qui mox à Tutoribus caua inclusi ilice: ne ullum uitæ eorum indicium æderetur. Diu sub canum specie nutriebantur, latrantúmque eis indita uocabula: quo minus latentium opinio uulgaretur. Solus Froto mortis eorum fide reiecta, latebræ locum ex perita Augurij fœmina cognoscere instituit. Cuius Carminum tanta uis erat: ut rem quantalibet nodorum conser tione perplexam, à longinquo soli sibi conspicuam, ad contactũ euocare posse uideretur. Prodidit hæc mulier, uiuere paruulos, Regnonẽ quendã, sub canũ specie alere inclusos. Iam se deprehẽsos cernẽtes Tutores, mulierẽ eam maleficã secretò adoriunt: aurũ multũ largiunt, ut

conuersis

cōuersis rebus paruulos occultet. Promittit operā. Redeuntes Regij, cùm cętera de paruulis scrutarenť, subito cōcidit anus, et pallore cōtra cto obmutuit. Dum resipisceret, rogata quid accidisset? Inscrutabilē ait interuenisse pupillorū latebram, quam enodare nō prȩualeret. Igiť Regnon accæptis paruulis, contendit in Fioniam. Sed Regibus longas quis nescit esse manus, aures quoq; dixerim, quibus omnes blandiuntur? Defertur Regi tutor cum paruulis. Ille uersus in preces, supplex orat, parcat innocentiæ: satis sit, perempto patre orphanos esse: se curaturū quàm sanctè iurat, quamdiu superfit, non nocituros: quod si prohibere non possit, indicaturum Regi. In hæc iurati uerba, parcitur utrisq;. Adolescunt pueri: & ubi armis idonei uidentur, recrudescit paternæ necis iniuria. Regnon dissuadet uindictam, perituros si se commoueanť. Vbi non persuadet, contendit indicare Regi, ut caueat. Interim paterni amici consolantur: iungunt uires: sed priusquàm conuenirent, res Regi detegitur. Qui imparatos oppressisset, si nō ipsi sibi simulato furore consuluissent. Ita enim se gessere, ut cuiuis facilè persuaderetur, Iuuenes furere. Itaq; Rex contempsit furentes. Sed illi accæpta opportunitate armis & flammis instructi, Regiam incendūt, Reginam lapidibus obruūt, Regem latibula quærentē, in cuniculo fumis & flammis extinguunt; ita paternæ necis iniuriam peragentes. Vltio.

ALBERTI KRANTZII HAMBVRGEN. Chronographi, Rerum Daniæ gestarum Liber SECVNDVS.

Quod Haldanus in Ericum nec Duello, nec Bello potuit, tandem saxorum deuolutionibus consecutus, uictor Suetiam obtinuit. Caput Primum.



HALDANVS inter fratres natu maior: mox Regno succedit: sed solo triennio tenuit, fratri permittens. Interim Haldanus Hallandiam, eiquè finitimas insulas, quas à Suetiæ complexu sinuosus aquarum diuellit anfractus, piraticis populatur inuectionibus. Ibidem subductis hyeme nauigijs, ac uallo cinctis, expeditioni tali triennio operam dedit. Mira rerum perplexitas: dulcius esse homini, perpetuo labore atteri, periculisquè sine fine immiti potius, quàm Regno insistere, quietem agere, tranquillitati studere. Sed est hominum genus inquietum, cui in negocio plus, quàm ocio suauitatis est: dum parua feliciter peragit, ad maiora se præparat. Nam ubi satis illi uisum est, com- Haldanus Rex. II.

parasse uirium. Suetiam totam inuadit, eiusque Regem bello lacessitum, in aciem prodire cogit, consertaque manu opprimit. Huius erat Regis nepos, Frotonis uero patrui sui filius, ac perinde sibi fratruelis, aut si expressius dicendum est, frater patruelis: hunc quoque bello adoritur: quòd sanguinem in eo Frotonis perosum haberet, à quo suus pater perijsset. Eędem Erico in Haldanum erant iusti belli maximę causæ: quòd parentem suū Haldanus peremisset. Erat Erico pugil Aquinus & uiriū pręstans, & hebetandi ferri peritiam callens: aduersus quem Haldanus ingentem clauam ferreis nodis instituit: ut quem uulnerare haud posset, ictibus contusum collideret. Prælio congressi, acerrimè pugnant. Occursantem sibi in acie pugilem, acriori gestaminis impactione subruit. Victus tamen acie Haldanus, in Helsingiam fuga delapsus, curandis uulneribus, quæ multa in prælio accęperat, per Iutolfum quendam Haraldo militantem, operam impendit: cuius Medicæ artis peritia integritatem adeptus, accito Torone conspectioris uirtutis pugile, Erico bellum denunciat. Producunt agmina in campos. Speculatus ab alto Haldanus, maiores esse Erico, quàm sibi copias, quibus non tuto in acie se committeret, ad insidias uertitur: occupans fauces montium, quibus erat recto itinere ducēdum in hostem: reliquosque in subsidijs collocauit. Quippe angustijs uiarū inter montes Suetiæ, creberrima sunt itinera. Sed neque Erico cauendarum industria defuit insidiarum. Prospiciens enim hostile consilium, copias suas circumducere curauit, & in patentibus locis hosti occurrere. Vbi uentum est ad id loci, ubi explicarentur agmina, directę sunt acies, grauiterque utrinque præliatum est, multis uicissim cadentibus. Sed tum ut numero militum, ita prælio superatur Haldanus. Prouiderat iam cacumen, sub quo reducenda erant Erico agmina sua: qui iam prælio uictor, non magnifecit, qua copias reduceret. Igitur Haldanus iam crebris saxis illuc comportatis, montis uerticem cum residuis ascendit: saxaque de præcipiti, super transeuntis per angustias faucium Erici copias prouoluit: pluresque per eam rem, quàm prius in acie oppressit. Ita æquatis discriminibus, qui uictor abijt, uicto similior obtritis agminibus uidebatur. Perindeque fugato Erico, ipse secutus Suetiam accæpit in deditionem. Tantum ualuit fama prouolutorum de monte saxorum. Vnde etiam illi cognomen accessit: quod effractis montibus pugnasse uideretur.

Liuor edax malum.

Suetiæ lib. 1. cap. 43.

Duellum.

Haldani uirtus & uafricies.

[illegible]

¶ Haraldus ab Erico tertio congressu cadit. Daniam pro deuicta Suetia obtinens. Caput. ij.

Haraldus Rex. II.


ARALDVS Haldani frater, ipso foris bellicas res curante, primū in Hallandia, deinde in Suetia, Danici Regni

rebus,

rebus, permittente germano, Rex præfuit: tranquilla meritus tempora, si non illi ex uictorijs fratris, labores & pericula excreuissent. Quippè Ericus occisis per Haldanũ, ut diximus, copijs, fuga magis, quàm armis sibi consulens, prouidit interim auxilia sibi, cõtraxitq́ arma undecunq́: & cùm Suetiam omnem inuijs montibus penè impenetrabilẽ cerneret: quòd occultis saltibus præsidia Haldani inessent, in Daniã arma conuertit: tantum inibi tumultus excitaturus, ut Haldanũ defendendę Patrię gratia commotũ, Suetiæ Regno extraheret: felicioribus què auspicijs se in alieno, quàm in patrio Regno dimicaturũ sperans. Ita enim usu compertum est frequenter, relatumq́ in historias: ut fortissimi duces suis in laribus uicti, in alieno solo depugnantes, uictoriã reportauere. Scipionis inde Maioris Aphricani exemplum recordetur, qui ex alijs gentibus deposcit testimoniũ. Iam comparatis copijs, Ericus illas in Daniã curauit transportare: nihilq́ hostile timentẽ aggreditur Haraldũ. Ille iam fraternis uictorijs fretus, securã agebat ętatem. Vbi tamen audiuit adesse hostes, nec sequi germanum, tumultuarios (ut fit) longaq́ quiete armis dissuetos milites conscribit, armat, educit, Hostibus uenit obuiàm, explicans acies. Sed ea tum fortuna fuit, quæ esse solet imparatis, & inexcercitatis, cũ paratissimis, & usu bellorum assiduò attritis. Cedit Haraldus: lacerum agmen, sparsumq́ recolligẽs, uires reparat: contractisq́ auxilijs, maiori fiducia, melioriq́ paratu, iterũ hostibus se offert in aciem. Sed nulla re melior, quàm pridem fortuna fuit. Iterum fusus, fugatusquè, prælio excessit Haraldus. Necdum animos posuit: memor fortiũ progenitorum, qui semper in acie procumbere, quàm hostibus manum dare pręponebant: quantũ potuit, amissas copias suppleuit: iterumq́ educit ad pugnam. Cunq́ diu hostes fortissimè dimicando, Dani sustinuissent, cadit Haraldus inter cõfertissimos hostes. Ibi cùm nihil fuga potius uisum est, Ericus ter acie uictor, postremò Rege occiso, Daniã in potestatẽ accępit, compensans amissam Suetiam, non minore Regno quod obtinuisset. Haraldi casus. Ericus Rex Primus.



¶ Haldanus amissam Daniam recuperat, Ericum classe uincit, & Duello Noruagiæ Regis filiam meretur. Caput.iij.

HALDANVS accępto nuncio de amisso Regno, oppressoq́ fratre, quãproperè copijs Daniã repetiuit. Nõ erat Erico fiducia, Haldanum in prẹlio sustinendi, sed recto profectus est itinere Suetiam, iam Rege uacantem, denuò occupare: quæ res illi felicius cessit, quàm diu conseruare. Nam Haldanus ubi patrium Regnũ composuit, comparata classe in Suetiã adnauigat: sciens multos in Regno sui nominis amantissimos. Nec illo segnior Ericus, in naues Haldanus Rex. III.

confert exercitum, felicius, ut putabat mari, quàm terra pugnaturus. Haldanus classem suam in remotissimo maris sinu condit, & cum paucis nauibus occurrit Erico. Ibi cernens adesse hostem, pronus fertur in illum insequendum. Haldanus fuga insequentem eludens, iamiam ut uidebatur capiendus, in eum locum protraxit Ericum, in quo sua classis delituit. Ibi captus Ericus, cùm uitam hostis permissione habere potuisset non inhonoratam, cõtempsit: hoc solùm deplorans, quòd non in acie fortiter pugnans cecidisset. Cunque mori decreuisset, non illum tamen sanguinis Regij contemplatione trucidandum putauit uictor, sed religatum misit in loca feris bestijs frequentata. Hic Erico exitus fuit. Haldanus uerò, quos deinde in Suetiæ Regno successores habuit, quia eo loci commemoratum est, hic transibimus. Vir militaribus rebus omnem ætatem attriuerat, de nuptijs minimè sollicitus, sed suorum illi commonitio non deerat: Consuleret Regni successioni: quando se mortalem meminisset. Nulla enim res tam ad ineundas nuptias impulit, quàm quòd audierit, Duello oppositam, Hatheri Noruagiam regentis filiam. Grimmo erat pugil eximiæ uirtutis, qui eam, fretus uiribus, incessanter coniugem expetebat. Edixit pater eius puellæ, huius uiri importunitate cupiens carere, ut quicunque illum uinceret, filia uxore potiretur: ita cuiuis illam, quàm homini importuno dare malebat. Haldanus conditionem rapuit, & in Noruagiam adnauigans, pugnæ sortem subijt: nec detrectauit inferioris sortis homini se committere. Iam enim ingruente senecta, defectior uiribus pugili uidebatur. Vbi congressi sunt, primosque pugil Regis ictus expertus est, Nunquàm inquit, uetulum acrius memini dimicantem. Ibique uictus Grimmo, uictori sponsam reliquit Regiam puellam. Ex qua Haldanus filium sustulit Hasmundum, diu post illũ Noruagiæ regnantem: unde genus se ducere Noruagiæ Reges gloriantur, referentes sanguinis originem in Haldanum. Qui multis undique uictorijs auctus, pacemque nactus, in circumitu spiritum in senectute bona reddidit: testamento facto post se designabat successorem.

Bestijs Ericus exponitur.

Suetię lib. 1. cap. 43.

Duello uincit Grimmonem.

Hasmundus Noruagiorũ Rex Primus.



¶ Daniæ Regnum ex Testamento Legatum Vnguino: cuius filiam minis Ebbo pirata petit, sed ab Haldano sub noctem Duello occumbit. Caput. iiij.

VNGVINVS Gothorum Rex erat, quem Haldanus post se Regni moderatorem in Dania designauit: Noruagiæ Hasmundum impuberem filium relinquens. Nouum, & ante hac incompertum munus Testamento datum. Equidèm ędes, agros, prædia, uineas: & his similia Testamento dari putauimus: Regnum autem præstare chartæ beneficio, prodigij loco habitum est. Sunt tamen

Vnguinus Rex.

Testamento Reginã legatum.

tamen in Romanis historijs huius rei nō dissimilia legata. Siquidem Attalus Rex, Romanum populum scripsit hæredem: & alij liberis suis eundem populum fecere tutorem. Sed in hac regione, nisi insignis aut uirtus, aut industria uires Testamenti adiuuissent, non est uerisimile, Daniæ Proceres cum populo, tam facile cessuros defuncti Regis uoluntati. Conciliauit autē hunc Regem Haldano, uirtus conspecta, & humanitas nō uulgaris. Familiaritas autem inde Regibus incessit: quòd Ebbo Princeps piratarum, minis & prouocationibus Regem Gothorum inquietabat, filiam illi suam despondere cogens. Non erat Vnguino fiducia, uel armis repellere, aut duello cōcurrere prouocanti. Recusare autem Duellum, extremæ habitū est in hac gente illa tempestate ignominiæ. Ergo quod res ipsa cōegit, fecit Vnguinus, filiam Ebboni despondit. Peruenit eius rei fama ad Haldanum. Non tulit ille indignitatem rei: quòd uir plebeius, scelere & latrocinijs insignis, Regiam puellam minis extorserit à parente. Vbi constitutas accæpit nuptias, eò profectus est cum expedito comitatu: sed illo clam habito, uestem sumpsit rusticam, posita Regali: oreq; parumper distorto, & ex industria turpato, ne internosceretur, ingressus Regiam, percunctatur, quem generum Rex delegerit? Ebbonem oculis ac manibus, Regi proximè iunctum, designant. Haldanus propius accedens, audiente iam Ebbone, iterum, quem Rex generum delegerit rogat? Tum stomachabundus Ebbo, quid homini rusticano uideret̄ talia percunctari, se esse quem Rex suo sanguine dignum iudicasset. Ad quod ille, Quando, inquit, talem sponsam prouocatione meruisti: si quid tibi uirium, si quid fiduciæ est, exurge, occurre prouocanti. Ecce uetulus demoror arma tua. Non erat liberum recusare: sed abigere uoluit hominem qualicunquè ratione. Laruarum est, inquit, noctibus pugnare: ego non nisi luce depugno. Satis, inquit, sublustris lunę speculo nobis luminis est ad pugnam. Assurge si quid est animi. Proceres qui hactenus siluere, uiua uoce iubent, prouocatum non detrectare quod crebrius obtulisset. Peruicit rubor, ut prodiret. Extemplo Haldani armis uictus occubuit: nuptiasq; uertit in funus. Ex eo tempore constrictū Haldanum Vnguinus amauit: tantùmq; meruit redamari, ut Regno hæres fieret. Cęterum ab illo, aut sub illius Imperio gestas res nullas penitus accępimus: nisi quòd ab æmulo Regni Regnaldo bello pressus oppetierat.

Haldanus Ebbonem Duello sternit.

¶ Syritham, Siuualdi Regis filiam, pudicissimi aspectus, mirabili ingenio & labore Otarus tandem uxorem meretur. Rex Suetiam bello superat: ubi Starcuterus aliâs sæpè uictor, cum. 40. Proceribus fugit. Caput. v.

Siuualdus Rex.I. Sygirithæ pudicitia oculorum.



SIVVALDVS Vnguini filius, in Daniæ Regno patri heres extitit, atq; successor. Cuius tempora illustrauit Syrithæ filiæ inexpugnabilis pudicitia. Tanta sibi constantia oculorum nutus parere iussit, ut nunquàm uiri faciem passa sit intueri. Cùm multi ex primoribus iuuenes, petendæ coniugis gratia pertentarent: si aut uerbis, aut signis pellicerent puellam, ad se uel in momento contuendos. Ipsa rei nouitas multos, ut fit, ad experimenta sumenda exciuit. Pater autem, cùm ob insignes corporis ac animi, fortunæq; dotes, à multis sollicitaretur ad filiam despondendam, cōstituit: ut inter multos petitores, is puella potiretur, qui eius in se intuitum posset extorquere. Otarus quidam inter primores, & formæ fiducia, & eloquentiæ gratia, accedente generis dignitate, cum reliqua eius rei fortuna, rem experimēto statuit pertentare. Interpellat, multa pollicet̄, confert uarios sermones, serios ac ludicros: nihil proficit, nihil illa mouetur. Inuentus est, qui tanta uirginis singularitate moueretur, ut submissa fœmina, quæ se illius familiaritati insinuaret: sermone occępto, uirginem in eum locum pertraheret, in quem se raptor occuluisset. Itaq; rapitur. Sed uindex Otarus adest, puellamq; nihil uiolentiæ passam, eripit, magno capitis sui discrimine. Iam promeritus sibi uideri solebat, quem illa maritum dignaret̄. Crebro igitur colloquio illam repetit, à patre constitutam conditionē impleturus. Sed illa non magis mouetur, quàm stet Marpesia cautes, ut ille ait. Importunitate eius carere cupiens, ancillari ueste sumpta, patrijs penatibus effert: remotioris solitudinis dominam nacta, pecudes eius pascere iubetur. Otarus autem, quem impatiens amor agitabat, ubi Regia audiuit excessisse, nulla interposita mora, omni paulò illustriori loco perquisitam, non inuenit. Rura cœpit indagare: diuq; quęsitam, in secessu longo reperit, ad oues pascendas excubantem. Illa uultum contegens, quęsitoris diligentiam frustrare conatur. Sed attentiorem faciebat longa inquisitio. Vbi agnouit, Cur inquit, Regia puella, tantis te latibulis recondis? Cur fugis & patrem, & Patriam, & sordidis te ministerijs obscuras? Cur tot amatores contemnis, Otarum in primis tuum, qui non dubitauit suum periculo pro te caput obiectare? Qui tot milibus peragratis, his te penatibus magno uix labore potuit reperire. Tot meritis, ne unum quidèm oculorum intuitū rependis? Quid si maiora deposcerem tantis laboribus pręmia? Non amplexum, non oscula, nō risum exposco: semel erecto uultu, oculis tuis meritum intuere. Pertinax puellæ institutum frangi non potuit. Pertesum est tandem tanti laboris, damnauitq; uotis suam contemptricem. Illa tamen, ne omnino frustrari pateretur tanta pro se conatum, lares

Otari Ebbonis filij procacitas.

eius

eius habitu petit dissimulato. Otari mater uultus explorans aduenæ puellæ, generosum aliquid deprendit in uultu. Filius non diu aberat, amatam illam suam adesse cognoscit: & quoniam uerbis toties frustratis nihil egit, nouum sumere tentat experimentum. Simulat instare Nuptias cum aliunde aduehenda sponsa. Multus ubiq; per omnẽ domum apparatus. In cubilis ministerium, cum nonnullis alijs peregrinam constituit puellam, nuper matris ministerio constrictam: Lucernam illi tradit manu tenendam. Inde discursus cæterorũ uarij: longaq; mora interposita, lucernula consumptis cæris ad lychnos descenderat, manumq; tenentis adurebat. Illa pertinaciter tenens, ministerium non deserit. Obseruabat hoc Otarus diligentibus oculis. Vbi manum uidit concremari, nec loco moueri puellam, consyderare illa uoluit, si Otarus ista conspiceret, erectoq; uultu raptim illum est intuita. Tum desiliens Otarus toro, mediam amplectitur. Impletum est inquiens, paternæ conditionis institutum: Tu illa mihi semper optatissima sponsa, non aliam expecto: ueni ergo tot quæsita laboribus, tot merita periculis. Nuptias quas simulauit, impleuit. Pater amissam filiam, ubi post multum temporis in Otari torum audiuit conscendisse: generum non improbat, sed quod ignorãte se nuptias inierint, hoc protinus accusat. Sed filia patrem marito facilè placat, dum eius pro se labores, atq; pericula commemorat: nec solùm conciliat, uerumetiam arctiori uinculo deuincit affinitatis. Nam Otari germanam, patri suo, iam matre præmortua, coniugem donari curat. Memor inde Siuualdus Rex, quòd Regnaldus Suetiȩ tyrannus, patrem illius oppresserit, diu quærebat gerendi belli rationem. Vbi cuncta constare uidet ex sententia, Regnaldum prælio aggreditur. Diu, multumq; certatũ est: nox sola prælium diremit. tanta fuit non cedendi pertinacia. Altera luce reditur in aciem. Nusquàm fuga, cædes ubiq;, par utrinq; ardor animorum, ante noctem nulla quies à prȩlio. Tertia quoq; lux in eadem utraq; agmina uidit pertinacia. Concursum est acriter, pugnatum fortiter. Sed tum Sueci cessere, uictoriam Danis relinquentes. Præcipua in Danorum agmine conspecta est opera Otari Regalis generi: qui ut se dignum tanto comprobaret coniugio, fortissimè semper dimicauit. Tùm, quod nulla lux uidit, inuictissimus ille Starcuterus, quem bellũ apud Suecos deprehendit commorantem, illisq; sociauit partibus, uisus est terga dare cum .20. Proceribus, bello semper ad illum diem inuictis. Starcuterus præcipuè fugiens, multos in admirationem conuertit. Sed uoluere Superi, ut mortalem se hominem agnosceret: sæpè uictor, semel uictus.

Apud Sialandiam prælium.

Starcuteri fuga.

Alfus Sigari filius, Aluildam Siuuardi Gothorum Regis filiam strennuè meretur uxorē. Negat mater. Filia piraticam agens, congressu nauali ab Alfo digno scitur. Vualbrunnæ Sigarus cadit.

Caput. vi.



Sigarus Rex.

SIGARVS Siuualdo filius fuit, idemq́ Regni hæres atq́ successor: duo, si p ętatē tueri posset, Regna suscipiēs à patre. Nā Suetiam quoq́ nouissimo bello, cùm Regem opprimeret, sibi subiecit. Mutatis autem Regibus, omnis Regnorum status immutatur. Igitur Sigarus cum utranq́ tueri haud posset, Daniæ Regno contentus fuit: tranquillaq́ tempora meruisset, si non filij eius tres adolescentes, pro ætate insolentes, rem omnem perturbassent, Siuualdus, Alfus, & Algerus, filia item Sygne, Regia soboles. E quibus Alfus insigni corporis specie, albicante coma, parem animi præstantiam ubiq́ præferebat. De Nuptijs solet esse prima huius gentis pugna. Accepit Alfus Gothorum Regi esse filiam unicæ pulchritudinis: quam pater inclusam despondisset uiro, qui per interposita pericula ad illā penetraret.

Veterū in celebrandis Nuptijs Mos.

Amabant Veteres legere procos uirtute præstantes, & qui fortibus factis se magnorum affinitatibus uirorum dignos præstitissent. Irritabat iuuenem generosi sanguinis in Venerem, periculum promerendi, quod alium deterruisset. Itaq́ comparatis quibus opus uidebatur, Alfus adnauigat: conclaue uirginis perdensa pericula petit. Non feræ, non angues aditum protribuere: cunctis superatis peruenit ad puellam. Poscit ex constituto quod meruisset. Pater Gotorum Rex, non aliud prætendit, quàm ex uoluntate puellæ rem agendam, illamq́ ante omnia percunctandam. Non abnuit forti, & formæ dignitate præstantissimo iuueni nubere. Sola mater puellā obiurgat, quòd tam prono responso protinus annuisset: esse argumentum, non benè constantis animi. Igitur nuptias illa discindit. Indignata puella, quando illum non mereretur sponsum, omnem deinde execratur maritum: militaribus rebus animum adijciens, & ueste & armis præcingitur masculis, piraticæ insistens, quæ tum iusta est habita militia, breui princeps asciscitur. Multa undiq́ pręclara edit facinora. Alfus quoq́ Danię Regis filius, cùm eidem incumberet piraticæ negocio, superuenit in portum, quem iam ante nauibus suis Aluilda (id puellæ nomen erat) occupasset. Igitur ubi eiusdem quęstus gratia, armati concurrunt, pugnā conferunt, alter alterum portu tentat eijcere. Vbi pugna crudescit, Alfus superior uisus, nauim quam Aluilda tenebat, cum suis insilit. Puella fortiter resistit. Vbi incalescit pugna, fortè Aluildæ galea excutitur. Apparet uultus ille uirgineus Alfo non incognitus. Mox armis

Aluilda fit piratarum Princeps.

abiectis,

abiectis, in amplexus ruit puellę. Huc nos inquit, ferox fortuna pepulit: ut qui inuicem amantes, mutuis non permitteremur complexibus, sęuis armis concurreremus. Fors obtulit in mari, in medio sanguine, quod terra negauit in triclinio sequestra pace. Nec mireris pugnantem fœminã. Ea enim in gente, nec prima illa, nec sola fuit. Nam & apud Thraces, Sarmatas, & Scythas, pugnę puellares recensentur: crebrescitq; narratio super his, crescente per tempora historia. Regis huius filia Sygne, quas turbas conciuerit, quæ mala inuexerit Regio sanguini, propter eam absumpto, in Suetia, atq; Noruagia commemorabimus. Post omnem uerò stragem, quam sibi mutuis pręlijs Danorum, Sueonum, ac Noruagiorum Proceres intulerunt, in Suetia commemorauimus. Cùm Haco superstes fratribus ab Hybernia bellum transferret in Daniam, peremptorum fratrum, & eius pręcipuè, quem turpi morte, publico Rex absumpsit iudicio, necem uindicaturus, noctu promouens agmina per loca siluestria, orta luce ramalibus prælatis, ante expectatum hostibus superuenit. Ibi Sigarus ab excubitore monitus propinquare nemus, fatalem dicitur horam agnouisse. Tamen quos potuit armatos in aciem produxit: ibiq; pugnans, cecidit in loco qui dicitur Vualbrunna, Latinè, Stragis puteus, à multitudine interfectorum.

Puellarum pugnæ.

Suetiæ lib. 1. cap. 45. Noruagiæ lib. 1. cap. 21.

Sigari mors

 ❧ Siuualdus

¶ Siuualdus & Haco biduo inuicem prelliantur: Haco uictus, decurso in Scotia biennio, moritur. Caput. vij.



Siuualdus Rex. II.

SIUUALDUS maior natu filius, cùm hactenus paternis inhæsisset penatibus, ultoris partes executurus, exercitum contrahit. Haco autem multitudinis concursu territus, cum tertia agminis parte, relictam in Heruuyck classem repetens, maritimo sibi discessu consuluit. Sed collega, eius etiam cognominis, agnominatus Fastuosus, plus fiduciæ in recenti uictoria, quàm metus in Haconis absentia ponendum existimans, mortemq́ fugæ præferens, residuum tutabatur exercitum. Itaq; reductis paulisper castris, apud uillam Allexstata, naualem diutulè prestolans occursum, uenientium tardius sociorum segniciem causabatur. Nondum enim ad destinatū portum inmissa amni classis appulerat. Adeò autem Sigari clades, Siuualdiq́ charitas promiscuos plebis animos incitabant, ut uterq; se bello sexus impenderet. Postera luce Haco, Siuualdusq́ congressi, biduum extraxere pugna. In qua rebus atrocissimè decertatis, utroque Duce prostrato, Danorū reliquias uictoria decorauit. Nocte uerò prœliū insecuta, ad constituti portus receptaculum classis Ripam rimata peruenit. Cuius alueum quondam remigijs peruium, nunc solidioribus elementis concretum, angustiæ limitant: ut uetante constrictionis inertia, rarus puppium admittatur ingressus. Diluculò nautę sociorum cadauera conspicati, funerandi Ducis gratia, collem spectatæ magnitudinis extruunt: quem usq; hodiè opinione celebrem, Haconis bustū fama cognominat. Quorum multitudinem Borcarus cum Scanico repente equitatu adueniens, neci implicuit: consumptoq́ hoste, uacuas remigio rates instruens, Hamundi filium Haconem, anhelanti præceps, celeritate insequitur. Cuius cōgressu habito, contigit Haconem rebus infeliciter gestis, metu præcipitem, in Scotorum patriam ternis euolare nauigijs: ubi decurso biennio, diem suum obijt.

Haco cum Siuualdo congressus.

Haconis mors.

¶ Haldanus pugil fortissimus, Gyuritham procatur: duodecim solus fundit: fratrem Hildigerum ignotum sibi, duello uincit. Caput. viij.



GYURITHA Alfo filia, Sigari neptis, sola Regij sanguinis puella supererat. Adeò bellicus furor, omnē Regiam stirpem exsciderat. Placuit, Ducibus rem committere, donec dignus Regno procus inueniretur. Itaq; partita est in Ducatus omnis prouincia. Diu autem puella, omnes præ se contemnens, in cœlibatu permansit. nuncupatis enim uotis, uolūtariam sibi indixit castitatem: concubituq́ carere, quàm ex plebe maritum consciscere satius duxit. Quin-

Quinetiam cauendæ iniuriæ gratia, quòd raptus puellarum crebri fierent, conclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Erat in Ducibus terræ uir primarius Borcarus, rebus gestis nemini inferior, multos etiam superans: qui Gunnarum Suetiæ Principem, iamdudum Noruagiæ Rege extincto, filiam eius Drotam cõiugio tenentem, prælio aggressus fudit: uxoremque sibi asciuit: ex qua filium suscepit Haldanum. Qui cum ætate uiribus crescens, illa accæpit ætatis incrementa, ut iam adolescens, pugilẽ insignis famę, quòd ab eo pueriliter obludente colapho percussus esset, gestamine quod fortè manu tenebat petitum, oppressit. Inde futuros operum titulos auspicatus, præteritæ uitæ contemptum, in amplissimum sequẽtis fulgorem conuertit. Is cum parente primitias ingressus militiæ aduersus Russos, piraticam agentes, magnificè pugnauit: deuictisque hostibus, trophæa retulit non uulgaria. Sed in congressu uulnus oris excæpit: quod nulla Medicinę artis peritia potuit in integrum reformare. Adeò excrementa carnis putrem alebant, ut deformitatem oris insignem faceret: quanquàm apud modestos rerum æstimatores, uulnus aduerso pectore sumptũ, non sit pudendum. Ausus tamen hic iuuenis, maternæ nobilitatis fiducia, paternæque fortitudinis, pariter & autoritatis gratia, quam adiuuabat propriæ etiam industriæ conspecta probitas, Regiam adire puellam, Quid ita inquiens, nobilis uirgo, maturos annos degeneri perdis cœlibatu? In te Regius sanguis consedit: nisi consulatur in tempore, in te periturus. Si hunc probas maritum, erit qui se non degenerem magnis toris exhibebit. Ad hæc puella spiritu inflato de Nobilitate, iuuenem præ se contempsit, degenerem contractis naribus asseuerans, necdũ magnis rebus gestis conspicuũ: quem etiam oris deformitas non commendaret. Æquanimiter tulit ille cõtemptum. Quando inquit, causæ propriæ legationem impleui, unum oro, ut hoc cœlibatus proposito, ad illum diem seruato, contineas, donec Haldanus rebus quas probes, inclarescat: tanto fortassè splẽdore illustrandus, ut oris facilè contegat uitium. In hæc uerba dimittitur. Aberant tum fortè custodes atrij Athletæ: reuersi, audiunt Haldanum affuisse: duplici contemptu instincti, arma corripiunt: illum insequentes, ultionem facturi, & de occiso contubernali, & de contemptu sui: quòd puellã adijsset. Ille cùm insequentes attenderet, iussis abire socijs, fertur solus in duodecim: congressusq́, occidit uniuersos: hoc se primũ fortitudinis opere cõmendans Reginæ, quòd famulos tot numero unus peremisset. Inde cõmilitium secutus Sueonũ Regis Alueri, in Russos fert ubi Hildigerus, uterinus Haldano frater: ꝙ ille patre Guñaro, iste Borcaro, una ãbo matre Drota geniti, Russis militabat. Agnouit Hildigerus

Haldanus nascitur.

Pugilem adolescens sternit.

Gyuritham alloquitur, procans.

xij. pugiles solus cædit.

Suetiæ lib. 1. cap. 25.

fratrem, ab eo incognitus. Igitur cùm de sua parte processit Hildigerus, prouocans ex Sueonum agmine fortissimum, Haldanus illi opponitur. Recusat Hildigerus: prætenta causa, quòd cùm ipse pugil exercitatus haberetur. lxx. pugnis iam extractis, imberbem iuuenẽ oppugnare indecorũ duceret. Creditũ est hac ratione diffugere: sed ille fraterno sanguini pepercit. Haldanus duos sibi opponi iussit. Quos uicit. Tres deinde obiectos, strauit. Inde quatuor, usq; ad decẽ. Tum Hildigerus. Iam inquit, æquasti quem prouocas: nec longius differendum. Itaq; congressi fratres, fortissimè pugnant: donec Hildigerus letali accæpto uulnere, pugnam intermittit. Considentes in arena, conquiescunt. Ibi se iam aperit Hildigerus, communem utrisq; matrem testatus Drotam. Haldanus in oscula ruens, pugnam damnat: fratremque accusat, quòd se contexerit. Ille quod res habebat prætendit: diu se restitisse, sed ubi famę detrimentum uidebatur accedere, periculum subij, fato non infelix: quòd forti manu conciderem. Hæc dicens, in uerba efflauit animam.

Duellum eius cum fratre.



¶ Haldanus Daniam rediens, Gyuritham sibi desponsatam, Siuuarum audit procatum: & sponsum, & Saxones contriuit. Haraldum bello Sialandico post se relicto, fatis cedit. Caput. ix.

HALDANUS tot uictorijs cumulatus, iam omnium iudicio, dignus Regali toro iudicatus est, ipsiusq; Gyurithæ iam sententia omnibus anteponendus. Siuuarus tamen Saxonicæ gentis nobilissimus iuuenis, magnum gentis suæ decus in his nuptijs constitutum cernens. nam perinde Regnum Daniæ consequeretur, multis donis peregit, ut in colloquium puellæ perueniret: ibi multa largiens, maiora promittens: animum uirginis in se inclinare non destitit. Illa, ut erat sagax, conditionem fecit iuueni, quam implere posse non putabat. Vides, inquit, Daniæ Regnum lacerum, diuisis Ducatibus discissum: id aggredere, in unum ut erat corpus reducere: quod ubi peregeris, dignum te Regali toro reputabis. Ille conditionem accæpit, muneribus aggressus Regni Primores, ut auro potius, quàm ferro perageret, quo optatis nuptijs frueretur. Multa iam rei fundamenta locabat. Deniq; peractum iam uidebatur quod uirgo depoposcit. Annitentibus ergò Regni Proceribus, nuptiæ cõstituuntur, diu longeq; absens Haldanus posthabetũ. Peruenit tamen ad illũ fama rei. Itaq; iter accelerans, cùm ad locum peruenisset, comites seposuit in occultũ: ipse progressus in Aulã, sponsæ se uultibus ingerit: obscuritate quadã inuolutis uerbis exprobrabat fidei uiolationẽ, quòd nõ expectasset eius reditũ: Hoc est inquiẽs, pro quo tot periculis caput obieci? sic me fœminæ permisi

Siuuarus Saxo.

Saxoniæ libro. 1. ca. 14.

permiſi fidei, ut tollat alius duriſſimæ præmia militiæ? Atilla æquè diſſimulanter, Qui potui urgentibus fatis reſiſtere? Longè, diuq́ peregrinantem, quis uiuere crederet? In hoc me meorum uota coniecerunt anguſtiæ: ſed tamen integra ſunt tibi, ſi quid præuales, tua præmia. Hæc dicentem, miratus ſponſus, ferientis mox ferrum transuerberatus accæpit. Aſſunt qui delituere milites, & omne protinus Saxonicum nomen extinguitur. Vacuatur Aula Teutonicis cõuiuis. Haldanus pactam alieno, ſponſam tulit indigena. Accæptam autem Gyuritham cùm ſterilem experiretur, nuptiarum ſibi deeſſe præmia non diſſimulanter aduertit: miſſoq́ in Vpſolam (quod templum erat ea tempeſtate cultiſſimum) nuncio, oraculum depoſcit. Reportauitq́ue, parentandum Manibus Regiorum iuuenum, & præſertim fraternis. Quo peracto, filium ex ea ſuſtulit Haraldum, magnæ ſpei puerum. Cuius tamen adoleſcentia, & paternæ necis ſpectaculo, & primitijs bellorum miſeris, extitit contriſtata. Nam dum pater Haldanus integrando Regni corpore, quod uacante Imperio diuiſum erat, inſtaret: dum Sialandiæ Principi, imperata facere detrectanti, occurreret, magno uictus prælio, cui & filius inerat, & cõiunx, occubuit. Siquidem Gyuritha diuturno tẽpore ſceptris inhærẽs, militaribus officijs muliebre corpus inſtituerat. Cumq́ animo gereret, Regni reformationẽ, & filij, maritiq́ pręcipua charitate flagraret, non eſt paſſa deeſſe prælio, quod magno hoſtium inſtructu parabatur. Poſtquàm ergo Regem cecidiſſe cognouit, filium adoleſcentem pręſidio ſuo cinctum, acie eduxit, ſeruauitq́ ſuperſtitem.

Cadit ſponſus cum ſuis

Oraculum conſulitur ſuper ſterilitate Reginę

Haldani mors.



Haraldus patri ſuccedit. Sialandiam recuperat. Haſmundum Noruagiæ reſtituit Regem: Suetię Regulos opprimit; & ab Othino pugnandi inſtitutionem docetur. Caput.x.

HARALDVS filius, patrium Regnum ſucceſſor acceperat. Cuius animi, corporisq́ dotibus acceſſit, ut inuulnerabilis haberetur. Sic ualuerunt in ea gente præſtigiorũ maleficia, Othino quodam, quẽ diuinitate donabat gentis opinio, autore. Igitur ſtatura procerus, animo infractus, nihil prætermiſit quod reintegrando Imperio inſeruiret. Nam Vueſetum tyrannum Sialandię incubantem, cùm audiſſet nuptias peragere, in ipſo protinus oppreſſit conuiuio, Sialandiam recuperans. Hatherum quoq́ Iutia depulit. Hundingũ, Roricũq́ Lethra, quæ ſedes Regia ſemper fuit, exuit. Diſtractumq́ Daniæ Regnũ, in priſtinũ corpus reformauit. Inde uertit arma in exteros. Nam Noruagię Regẽ Haſmundũ, à germana Regno deiectũ, reſtituit. Nec aliud ſibi uel militiæ præmiũ depopoſcit, quã rectè factorũ memoriã.

Haraldus Rex. III. inuulnerabilis.

Sialandiam recuperat, atq́ alia admiranda peregit.

Hanc

Hanc uerò pugnam in Noruagia recensuimus. Ab Suetiæ Rege impugnatus, defensionis arma parauit: instinctu senis, qui se Othinum deum diceret, rationem ordinandarum acierũ recepit. Visum est operæ precium, nostri Saxonis super his institutionibus uerba repetere: ut intueamur, quę fuerit Veteribus pugnandi institutio. Iussit inquit, senex, ut terrestribus copijs bellum editurus, uniuersam aciem in tres turmas diuideret: quarum quancp uicenarij ratione densaret: mediam autem. xx. uirorum numero reliquis porrectiorem extẽderet: quam etiam in coni, siue pyramidis acumen digerens, alarum recessus utrinquè secus discretis ambagibus obliquaret. Cuiuslibet autem turmę seriem hac ratione contexeret, ut à duobus frons inchõans, cõsequentibus locis unitas duntaxat incrementa reciperet. Equidem in secunda linea tres, in tertia quatuor: eodemcp modo posterius ordinandos, habita congressione statueret: sicque consequentes gradus idem proportionis tenor instrueret, donec coniunctionis extremitas alas ęquaret. Cornu uerò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turmas instructam iaculis iuuentutem admittat. A cuius tergo grandæuorum cohortem adhibeat: quæ labantes sociorum uires, ueterana quadam uirtute firmaret. Deinde funditorum alas, gnarus locorum supputator, annecteret: qui post sodalium agmina cõsistentes, eminus hostem tormentis incesserent. Post quos cuiuslibet ætatis, aut ordinis homines, absque conditionis æstimatione passim adscisceret. Cæterum postremam aciem ternis adinstar primæ cornibus distinctam, similique graduum proportione digestam, explicet. Cuius tergũ superiori coniunctum agmini, ipsum auersæ frontis obstaculo tueretur. At si nauale fortè prælium incidisset, partem classis secerneret: quę eo præpositos inchoante conflictus, multiuola rates hosticas reflexione circundaret. His disciplinæ militaris rationibus instructus, Ingonem, Olauumque Suetiæ Regulos bellum parantes, anticipatis apud Suetiam rebus, oppressit: fratrique deditionem offerenti, pacem dedit, firmatis conditionibus. Quid uerò rerum apud Noruagiam gesserit, in eius prouinciæ commemoratione posuimus. Nam Regi Olauo in Regnum restituto, permisit potestatem: Vbboni autem Frisio militi suo, cuius strennua usus est opera, sororem iunxit cõiugem: cuius ductu & Rheni partes, & Britanniam ipsam bello pertentauit. Sed ea in Noruagia transegimus.

Veterum pugnandi institutio. Terra. Mari. Suetiæ Regulos. Noruagiæ lib. 1. ca. 27. c

¶ Haraldi memorabile bellum, quo & ipse, & Vbbo fortissimi cecidere, Ringo deinde Suetiæ Rex uictor, Regna partitur. Caput. xi.



EMORABILE VERO BELLVM, & cæteris quæ

teris quæ in hac natione sunt gesta maximum parabat: quod apparatus ipse declarat. quippè septennio toto arma in Suetiam Haraldus instruxit: læuia interim prælia, quæ per hanc temporis moram facta sunt, maioris commemoratione sunt penitus obscurata. Multæ feruntur huius tam ponderosi belli causæ. Sunt qui internuncium utriusq;, quem multis annis inuicē submisere, Ringo, & Haraldus, intima sanguinis & animorū deuinctione constricti (quippe Haraldi sorore genitus extitit Ringo) inter utrunq; uana relatione struxerit inimicitias: cùm quæ apud alterutros uiderit, audieritq;, maligna interpretatione detorta, aliter ac facta sunt, retulerit: donec acerrima utrinq; odia conflaret. Alij etiam ab Haraldo ortam autumant belli causam: quòd uir militaris, qui omnem ætatem in armis triuerat, senectam ocio torpescere non sit passus: utile iudicans, iuuentutem longa pace bello dissuetam, in armis esse. Simul & secum uoluens: non esse decorum, se, qui multa foris bella gesserit cum gloria, fato consumi inglorio: quod per ætatē longè non esse fatalem homini prospiceret: maluitq; in acie spiritum profundere, quàm inerti leto succumbere. His, atq; alijs ex causis bellum est conflatum maximum. Cuius descriptionem, qui magna pars belli fuit, Starcuterus uir fortissimus, ad hanc usq; durās ætatem, perscripsit. Longum est commemorare, quæ cuiquè parti auxilia accessere. Haraldo quippè totis Regni sui uiribus in bellum propenso, accesserunt inter suos Duces, Hetha, atq; Vuisna: puellæ armis assuetæ, puellares etiam turmas ductantes: quarum muliebri corpori natura uiriles indidit animos. Nec nouum debet uideri recolentibus Troiana bella, Pentesileā furentem, in Italia quoq; Camillam, & in Bohemia diuturnum puellæ Imperium. Quod in Vuandalia nostra perstrinximus. Ex Britannia quoquè, Frisiaquè, arma huic agmini accessere. Vuisna quoquè altera ex Vuandalia uirago, Vuandalico agmini imperitat. Noruagiæ uires non defuerunt. Sed ne improuidis bellum Sueonibus pararetur, mittuntur ab Haraldo, qui Ringoni palàm inimicitiarū mandata perferrent, ipsamq; sequestræ pacis diremptionem uulgarent: ijsdem pugnæ locum præstituere iubens. At Sueticas uires toto Regno contractas, adiuuêre auxilia multa. Nam & à Russis, & totius Orientis populis arma conuenerant. Pannoniç quoquè extitisse feruntur in partibus. Suspicionemquè res ingerit, ne fortè Goti, iam in Pannonijs ad ripam Danubij sedentes, laboranti patriæ suppetias immiserint. Nam quicquid erat Gotorum in patria, rebus accessisse Sueticis, certa res est: enumerante huius belli Scriptore, ex nomine Duces, cum turnis suis. Tantæ autem utriusquè agminis erant copiæ, ut mare nauibus, & ipsa

Scania

Belli causæ.

Puellæ militares.

Vuandaliæ lib.1. cap.11. & seq.

Saxone Gramatico.

Scania turmis pedestribus uix sufficere uiderentur. Maius tamen pugnæ pondus terrestribus incumbebat agminibus: nec Nauales copiæ supplementū dabant pugnantibus. Igitur tanta mole concursum est, ut uix fortium atq; inertium discriminarentur acta. Cædunt, cædunturq; passim, uicti uictoresq;. In Suecis Starcuterus, in Danis Vbbo Frisius eminebant inter multa pugnantium milia. Sed post multū sanguinem utrinq; fusum, cadit Vbbo Danicarum partium fortis propugnator. Exinde subruere Danorū res paulatim cœpere, occiso fortissimo Duce: qui quatuor & quadraginta in pectora tela, priusquàm caderet, excepit. Haraldus, ubi suorum res inclinare audiret, sentiretquè: iam curru eius inter cadauera inmobiliter hærente, prouoluitur & ipse præceps curru sublabente. Aderatq; qui Regium fatum impleret. Ringo Suetiæ Rex, ubi iam belli caput audit corruisse, suis adhuc cæde furentibus, receptui cani iussit, parciq; agminibus, Ducibusquè qui superfuere. Iubet Regio perquisito cadauere parentari, Regaliq; more incensum corpus exurere: equum, bellatorem, ac arma flammis miscere. Deinde priusquàm agmina reduceret uictor, componendæ Danię rebus intendit: Scaniamq; Daniæ corpore abstractam, ne facilè rebellarent, Suetiæ adiecit. Hetham puellam Danici generis, quòd sub tributo regnaret, petentibus Danis permisit. Sed facilè pertesum est uiris, fœminei Imperij. Non enim poterant muliebribus armis sub esse, qui fortissimis Regibus militassent. Olonem, Siuuari Noruagiæ Regis filium adeunt: precanturq;, ut auitum Regnum ab infamia uendicaret. Nec difficile fuit impetrare. Aduocatam enim Hetham, cæteris cedere Regni partibus iussit, Iutia deinde contentam. Difficile fu* it tanto Imperio cedere, sed aliquanto difficilius armis tueri.

Vbbonis fortissimi casus.

Haraldi mors.

Hetha uirgo Danis imperat.

Olo aduocatur.

¶ Olo Daniæ præficitur. Latronibus Regnum purgat, ac Duello uictor, Olaui filiam connubio meretur. Toronum obtruncat. Coniuratione tandem in se Ducū, insidijs Starcuteri, balneo incautus perimitur nudus. Caput. xij.



OLO Siuuari Noruuagię Regis filius, ex Haraldi germana, uolentibus Danis cœpit regnare. Diu sub auunculo iste militauit Haraldo. Nam è Noruagia in Daniam, uisendi auunculi cupidus, nauigabat. Tertium ætatis apud patrem lustrum peregit, multum animi, corporisq; dotibus præpollens. Adeò uisu efferus, ut quod alij armis, ille oculis ageret in hostem, ut terreret. Adolescentiæ annos præclaro facinore perornans. Nam insignes latrones Gunnonem atquè Grimonem insecutus, publicis itineribus insidiantes, hoc ordine perdomuit. Equum, canemq;, ac arma quę uolebat, assumens, clam omnibus

Olo Rex.

Olo uisu terribilis.

bus egreditur: nec socium, aut testem tantis rebus assumens. tantũ dabat fiduciæ uirtus. Vbi peruenit in loca latrocinijs frequentata, hominum in roscido gramine uestigia deprehendit: quæ secutus, peruenit ad amnem: nec inuenta qua trajceretur scapha, fiduciæ plenus, equo inuolitat. Amne superato, reliquum iter, ducentibus per gramina uestigijs conficit. Deductus in locum, quo iam uallo munitum, portisq; seratum, nullus uidebatur ingressus. At ille equo in uallum erecto conscendit, ante expectatum latronibus superueniens. In ipso uestibulo latronum, satellitem conficere indignum ratus, armis arcuatim, manibus confractum, tecto superiecit. Latrones intus audientes insolitum strepitum, emicant: contemptumq; adolescentem imberbem aggrediuntur. Sed ille gladio districto, ita ambos, patrem, filiumq; affecit, ut genibus solis niterentur repugnantes. Alterum canis per iugulum enecat: alium armis Olo confodit: & ut cõspicuum haberetur uirtutis exemplum, extracta latronum capita, sublimi conte per uiam publicam appendit: spolijs, quæ multa congesserant, uictor potitus. Inde ubi audiuit, Pugiles insigni nomine, Vuermorum Regis filiam deposcere, aut Regem ipsum duello contendere (iam sæpè diximus, morte grauiorem genti extitisse, ruborem recusandi certaminis) Olo patrijs Noruagiæ finibus adhuc demorato, aduolat, Regiamq; petit: quam comperit luctu & mœrore plenam. Percunctatus quid timerent? Regis filius rem aperit: Esse pugiles magni nominis, qui germanam deposcerent, aut duellum offerrent, quod nemo fidat subire. Ille iussit omnes benè sperare: quid tamen præmij uictori esset, rogat? Filius consulto patre, refert, ipsam puellam uictori constitutam mercedem. Cumq; uirgo diligentius aduenæ hospitis oculos intueretur, nõ passa fulgorem, cõcidit. Ab ipso amanter erecta, quid formidaret rogatur? Fulgorem inquit luminum insolitum deprendi. Ille uerò ubi cõuiuio excipitur, decoram pandit faciem, cesarie uenustam. Sed sciens, quo luminum esset terrore, uerecundius illa submisit. Ingressi Regiã Pugiles, ipsam puellam, aut eius loco congressorem deposcunt. Olo uerò, Modestius inquit agendum cum Rege. Num gremio abducere Natam aduenistis? Illi perstant, alterum deposcere. Bene inquit habet. Pugnam poscentibus, pugna dabitur. Egressusq; in campum de more metatum, ambos conficit: satellites etiam auxilio dominis subeuntes, prosternit. Partam uictoria puellam accępit uxorẽ: ex qua filium sustulit Emundum, Regno Daniæ post patrem præsidentem. Sed prius quàm ad nouissimum Heraldi bellum perueniret, Patriam prius fortibus factis illustrauit. Audiens oppugnari parentem à Torono Regulo, oris habitu deformatus, hostis Regiam ingressus, primũ Siuuari, Olonisq;

Latrones peremit iuuenis.

Noruagiæ lib. 1. cap. 29.

Duello binos cum satellitibus sternit.

g filij

Toronū Regulum cum suis obtruncat.

filij odio exulare professus, ubi opportunitatē uidit, socios asciscens, Regem cum stipatoribus obtruncat. Nec ante patriam repetēs, quàm patri pacē ab oppressis hostibus reportaret. Inde maritima bella multa conficiens, undequaq; uictor remeabat. Ad Haraldum auunculum dein profectus, cùm nonnullæ inter eos simultatum causæ suborirentur: eo deserto, se contulit ad Ringonem ei consobrinum. nam geminis sororibus erant progeniti. A quo, iam magno in Haraldum bello uictore, donatur Scaniæ gubernatione, quā Daniæ detractam ab Ringone supra significauimus. Inde ad uniuersum Daniæ Regnū à Proceribus Rex deligitur, destituta (ut diximus) Hetha. Sed talem se, iam Regno potitus egerat, ut assuetos libertate Duces, facilè pœniteret Regem talem delegisse. Quippe uir animo acer, uiribus incomparabilis, plenam omnium subiectionem deposcens, in tyrannidem degenerare uisus est his, qui subesse non nouerant. Igitur inita conspiratione, & ut propius dicamus, coniuratione, Regem quando destituere non poterant, perimere statuerunt. Næc tamen inuentus est in. xij. Ducibus, qui fideret conferre manum, auderetq; operam sibi desumere opprimendi Regis. Starcuterus supererat iam annis grauis, quippe qui triū hominum impleuisset ætatem, necdum tamen defectus uiribus: apud quem questi Proceres, grauē sibi, Regnoq; incūbere Olonem: orant, ut quoniā illi opprimendorū gloria sit Tyrannorū, hunc etiam faciat de medio: auri magnū pondus se repensuros. Promittit operam: non tàm auri cupidine, quàm liberandi à Tyrano Regni gratia. Captansque opportunitatem, ingreditur ad Regem iam in balneis nudū, ipse ferro succinctus. Rex ingredientem Starcuterum acrioribus oculis intuitus, statim reuerberat, apud alios inuictū uirū. Illa fuit, ut diximus, luminum eius acrimonia. Statimq; in se rediens Rex, uirum multa familiaritate per bellum notum, & armis fortissimum, iam abeuntem iubet reuocari, arbitratus magni aliquid, uirum magnis rebus exercitū, allaturū. Vbi redijt, iam oculos Rex submisit, Quid est inquiens Starcutere? quid affers? Ille districto ferro assurgentem transuerberat. Hic fuit exitus magni Regis, fortissimi uiri, quē æquè fortissimus oppssit.

Supra c. 11. b

Coniuratur in Olonem.

Olo nudus à Starcutero transfoditur.

¶ Emundus patri succedit, Ringonis filiam, nauali bello uxorem meretur: Duello binos superat. Deq; Starcuteri morte. Caput. xiij.

Emundus Rex.


MVNDVS OLONI patri subrogatur in Regnū, non tantùm paternorum operum, quàm spectatæ indolis reuerentia, adiuuante generis nobilitate: contendit adolescens paternis insistere per bella uestigijs, præclara eius opera, aut æquaturus, aut si qua posset etiam superaturus. Prima illi de Nuptijs, ut mos

ut mos erat genti concertatio, Ringonis apud Noruagios aliquantæ genti regnantis filiam, illi fama pulchritudinis ac pudicitiæ commendabat. Sed non dabant Veteres nuptui filias, nisi fama insignibus, & uictoria præclaris generis. Igitur socero se probaturus Ringoni, Emundus classem instruit, Noruagiam adnauigat, bellū infert. In quo iam ad mortem Ringone uulnerato, Emundum iubet aduocari: eiq; iam moriens, digno factis genero, filiam despondet. Emundus autem plurimis undecunq; cumulatus uictorijs, cùm Noruagiam sibi ex coniuge commendatam pacasset, occisa Rusla uirgine bellatrice (quam rem in Noruagia commemorauimus) duo ex Ducibus fœminæ bello superstites, qui iam uiuenti Dominæ fidem astrinxerant, uulturos necē eius si superessent: audito, quòd Emundi opera cecidisset, Regem prouocant in Duellum. Diu restitere Proceres, nō posse duobus unum, & Regem popularibus opponi. Sed peruicit Regis uoluntas, effecitque, ne quis quod ipse cuperet tentaret impedire. Congressus utriq;, alterum ex his occidit: alterum uita & præfectura gentis donauit. Sub huius Regno uetulus iam Starcuterus luminibus captus, uirium uigore destituitur: sed inglorium ratus, sine sanguine mori, qui toties hostilem uidisset cruorem. Igitur multa pœnitudine Olonis à se occisi mortem deplangens, precium sceleris, aurum collo appensum circumtulit: inuitans huius mercede ad sui interfectionem obuios quoslibet. Cunq; gemino accinctus gladio, geminoq; innixus baculo, senex graderetur, ab obuio milite rogatus, quid sibi duplex gladius uellet inutili seni? unum profecto munus suum facere posset. Propius arreptans senior ensem, abscondit in latera astantis. Alio deinde itinere obuium habuit in uenatione Hatherum equitem, cuius parentem occidisset. Agnitus ab eo, cùm senex uicissim oculorū uitio non uideret, itaq; duos è ministris equites immittit seni: uisurus si terreretur. At ille strepitu magis, quàm uisu uicinos deprendens, utrunq; baculo, quem gerebat excerebrans, terruit territantem. Propius tamen adequitans, ut extra ensis ictum constitit, senem percunctatur, gladium ne uehiculo uelit percunctare? Ille ab alto ducens suspiria, Quondam inquit, irrisoribus meritas pœnas rependi: nunc & luminibus, & uiribus defectus irrideor.

Ringonis filiam uxorē ducit.

Noruagiæ lib.1. cap.33.

Duellum Emundi.

De hoc in Suetia lib.2. cap.22.

Vt sine regressu pronus agit alueus undas,
Sic ætas hominum cursim labentibus annis
Irreditura fluit.

Non est qui senem misereretur: præter unum Hatherū, qui & in agmine, & in pace seni sedulus subministrat. Multa deinde uerborum uicissitudine, cùm Hatherus de plurimis percunctaretur, & ille senū more garrulus, trophęos suos numeraret, ipsum quem requirit agnouit Hatherum.

therum. Quando te inquit Amice, obuium fortuna fecit, mori uolentem magno precio confice. En aurum quod Olonis nece mercedem tuli, tu quoq; simili de me nece peracta refer: quod iusto adiutus dolore in me ferrum exeres: memor, à me parentem quondam tuum interfectum. Non distulit Hatherus mori uolentem conficere: præsertim gemina mercede conductus, quòd paternam mortē uindicaret, & aurum collo appensum pacisceretur in precio. Igitē districto gladio super ceruicē, senile caput abstulit, trunco propè obrutus cadēte. Hic est exitus fortissimi pugilis, & qui tertiā hominis expleuisset ætatem. Quod ne cuiquàm incredibile uideatur, in ea quoq; re naturam alere monstra, ut corporū magnitudine, ita ætatis distensione: redeat in memoriam Ioañis de Temporibus, uiri Gallici mentio: quem suæ gentis Scriptores, tria uictitasse secula asserunt. Emundus autem Daniæ Rex, pace integra, summa cum tranquillitate decessit, duobus filijs, totidemq; filiabus relictis: de quibus deinceps agemus.

Starcuteri mors.



Dania & Iutia, illa Suecis, hæc Vuandalis, Siuuari inertia, subijcitur tributaria: atq; inibi mors eius bello desperata. Caput. xiiij.

SIVVARDVS filiorū Emundi natu maior, Regnū patris post illum omniū uoluntate assequitur, fratre adhuc Buthlo impubere. Prima illa incidit rei gerendæ occasio: quòd germanam Gotaro Sueonum Regi despondisset: Legatiq; ab eo Rege in eam causam missi, itinere medio malè habiti fuissent: credi tūest, Siuuardi insidijs esse patratum. Igitur Sueonum Rex iniuriam uindicaturus, classem aptat: milites imponit, mouitq; in Daniam. Nec segnior illi occurrit Siuuardus, & apud Halandiam classe congressi, maritimo prælio decertant. Victoria Sueonum fuit. Nam Daniæ Rex fuga sibi consuluit in Iutiam, colligens ibi sparsi exercitus superstites milites. Interim Rex uictor, Daniam ingressus, puellam rapuit ante desponsatam. Speciosum duxerant ea tempestate Regij uiri, si armis nuptias cōscirent. Siuuardus tamen opportunè Iutiam ingreditur. Nam per idem tempus cùm Daniæ Regem bello implicitū Vuandali persentirent, terrestri agmine mouentes, in Daniam uastabundi incesserunt. At Rex de fuga ueniens, ibi quos potuit armauit, Vuandalis occurrit, ac retrò pepulit: priorem fugam noua uictoria cōpensans. Sed non erat longum tempus in medio, quo iam Vuandali recuperatis uiribus, Duce constituto, militari ordine Iutiam repetentes, obuiū Regem fundunt, fugantq;. Magnū hoc & memorabile præliū: quo Rex non solùm bello uincitur, sed Iutia exuitur, quę iam in Vuandalorum concessit potestatē: cùm dudū antea Saxonibus dominis illa seruiret.

Siuuardus Rex. I.

Sueones uincunt.

Iutia superatur à Vuandalis.

Vuandaliæ lib. 1. cap. 13.

Hac

Hac etiam pugna filium Iarmericum, geminasq; filias ab hostibus captas amisit. Hæc fuit illa tempestate Danici Regni calamitas: ut cùm Scaniam Sueci occupassent, Iutiam Vuandali teneret, duobus Regni potioribus partibus, in hostiũ potestate factis, solę insulę in medio parebant Danorũ Regi. Non contemnenda quidèm Prouincia, sed maioribus sui præsidijs destituta. cùm hinc Vuandali, inde Sueci, mediũ Danorũ Regem penè captũ complecterentur. Ita Danorũ Regnũ fortissimè propagatũ, tantis etiã Maiorũ titulis illustratum, tot auctũ uictorijs, ob unius uiri inertiam, ex summo nitore fortunę, & florentissimo rerũ statu eò peruenit ignominiæ, ut pensionem, quam prius imperauit, exolueret. Siuuardus autem sæpè pugnam retentans, casso labore se fatigauit. Post tot Maiorũ decora, in tam erubescendo rerum statu, confusa Regni gubernacula gestare non sustinens, ne diuturnior uita ad extremam gloriæ iacturam pertingeret, speciosum sibi statum pugna parere properauit. Quippè memorẽ calamitatis animũ, deponendæ ægritudinis cupido, salutis fastidio cruciabat. Adeò demendi ruboris studiũ, lucem ei inuisam fecerat. Igitur cõparatis ad pugnam copijs, Simoni cuidã sub Gotaro Sueonũ Rege, Scaniam procuranti, bellum apertè denũciat. Quod obstinatis temeritatis uiribus executus, occiso Simone, per summam hostiũ stragem, uitam finiuit. Patria tamen pensionis onere liberari nequiuit.



¶ Buthli Regnum & mors, Iarmerici filij eius, apud Vuandalos captiuitas, & eiusdem ab eadem seruitute admiranda liberatio. Caput. xv.

BVTHLVS oppresso in prælio fratri, in qualicunq; Regno succedit: cùm interim Iarmericus fratris filius, apud Regem Vuandalorũ Ismarũ, cũ coæuo sibi, collacteoq; Gunnone, cõiectus in carcerẽ captiuus degebat. Quo demũ erutus, atq; exercendi ruris culturæ applicatus, rusticũ opus Regius iuuenis exequit̃. Ob cuius promptissimam administrationem, ad Regaliũ mancipiorum Magisterium transfertur. Eo quoq; syncerissimè gesto, in Necessariorũ Regis gregem assumitur. Vbi cùm se iuxta Aulicorũ ritum, egregia morum amœnitate gessisset, breui in Amicorũ numerũ translatus, primum familiaritatis locum obtinuit, ac ueluti quibusdam meritorum gradibus fretus, ab infima sorte, ad spectatũ honoris fastigiũ conscendit: & ne segnem, eneruemq; iuuentam ageret, militaribus se studijs assuefecit, naturæ dotes industria cumulans. Grata omnibus Iarmerici indoles erat, soli Reginæ suspectum adolescentis fuit ingeniũ. Per quæ tempora, Regis fratrem fato functum, repentinus rumor effuderat. Cuius corpus Ismarus amplissimo funere elaturus, quo maior exe-

Buthlus Rex.

Iarmericus captus.

ior exequiarũ pompa fieret, Regia comitate conuiuium instruit. At Iarmericus aliâs cum Regina familiaris rei curã sortitus, ad fugam cuius facultatem Regalis absentia promittere uidebatur, circumspiciendam accessit. Animaduertebat enim, se etiam inter opes positum, miserabile Regis esse mancipium, & quasi alieno beneficio precarium spiritum possidere. Præterea quanquàm primus apud Regem honoribus uteretur, libertatem delitijs præferendam existimans, uisendæ Patriæ, nóscendiq́ generis eximia cupiditate flagrabat. Sciẽs autẽ, quód Regina, ne quis captiuorum elabi posset, competentibus prouidisset excubijs: quo uiribus peruenire non poterat, arte curauit assurgere. Fiscellam itaq́ biblo ac uimine textam, qua agrestes ad instar hominis formata, aues aristis deturbare consueuerant, uiuo cane compleuit: quin etiam detracto sibi cultu, quo uerisimilius humanam representaret imaginem, texit. Deinde priuatũ Regis ærarium demolitus, egestam inde pecuniã, notis sibi tantùm recondidit locis. Interea Gunno absentiam socij dissimulare iussus, illata in Regiam fiscella, impulsoque ad latrandum cane, percunctanti quidnam hoc esset Reginæ, mente captum calamitare retulit Iarmericum. Illa ad aspectum statuę, similitudinis errore delusa, insanum ęde iubet ejci. Tunc Guño perlatam foras statuam, perinde ac furentem socium, lectulo tradit. Sub noctem uerò uigiles epularum hilaritate ac uino prouehit largiore, abscisaquè dormientium capita, quo turpiore eos morte consumeret, inguini sociauit. Excitata strepitu Regina, causamquè eius discere cupiens, concita fores petiuit mulier imperiosa, & quæ ministris malè fideret. Sed dum caput incautius exerit, improuiso Gunnonis ense confoditur. Quæ cùm mortificum uulnus experta corrueret, reflexis in occisorem luminibus, Nullius inquit, obtentu fraudis, si incolumi mihi uiuere licuisset, his finibus impunitus excederes. Ad hunc modum crebras in percussorem minas moribunda profudit. Deinde Iarmericus unà cum Gunnone, præclari facinoris loco, tabernaculum, in quo Rex fraterno conuiuio celebrat exequias, cunctis temulẽtia uictis, admoto furtim incendio complet. Quo latius fuso, quidam ebrietatis stupore discusso, immissis equis, deprehensos periculi insequuntur autores. At iuuenes primum iumentis quæ repererant uecti, ad ultimum ijsdem prolixiore cursu debilitatis, pedites dedere fugam. Iamquè penè occupatis, amnis remedio fuit. Pontem enim, quem ante morandi persecutoris gratia, pręscisis ad medium trabibus, non modo onerum impatientem, sed etiam ruinæ propinquum, effecerant, prætergressi, in opacam de industria uoraginem concesserant: quibus imminentes Vuandali, dum parum prospecto periculo, equis improuidi pontem onerant,

Fugæ machina.

Gruño Reginam interficit.

Regiam incendit Iarmericus.

Egregiũ in fuga facinus.

onerant, desidentibus tabulatis excussi, præcipitantur in flumen. Sed dum enando ripam appetunt, à Gunnone & Iarmerico intercæpti, mersi, aut interfecti sunt. Ita iuuenes egregia calliditate usi, non ut fugitiua mancipia, sed quasi prędit consilio senes, maius ætate sua facinus ediderunt, quod ante concęperant efficaciter adimplendo. At ubi uentum est in littus, rapto quod sors obtulerat nauigio, in altum procedunt. Quos qui insequebantur barbari, nauigare conspectos, uociferando reuocare conati, regnaturos si redeant spondent: quòd publico Veterum instituto, Regum percussoribus Regnorum successio fuerit decreta. Diu recedentium aures pertinax Vuandalorum clamor, promissis pellacibus exurdabat. Hæc sunt ad uerbum Saxonis omnia: quæ ideo repetiui, ut cernat, dijudicetq́ Lector, quàm in exquisitis uerbis sit eius interdum inepta narratio: quod præsertim in exitu Reginæ Regisq́ comprobabit. Per hanc uerò tempestatem, dum Iarmericus in captiuitate maneret, Buthlus Siuuardi frater, Danis perfunctoriè præerat. A quibus uenienti Iarmerico, Regnum tradere cōactus, ex Rege priuatus euasit. Saxonem taxat.

¶ Iarmericus Dania potius, Suetiam cum Rege opprimit, Vuandalos tributarios facit. Regiam dein quieti construit. Reginam falso proditam, horribili mortis specie interimit, pœnam facinoris impij tandem luens. Caput. xvi.



IARMERICVS Siuuardi filius, ex captiuitate rediens, paternum Regnum postliminio iure suscępit, adiuuante patrui, qui per absentiam eius administrauit, ignauia. Nec longum tempus in medio, ipsi Iarmerico iam Danorum Regi, benè gerendæ rei nascitur occasio. Nam Gotarus Suetię Rex, Sybbonem stupri insimulatum, occidi iusserat. Cuius rei indignitate permoti eius cognati, ad Iarmericum se contulerunt: operas illi suas promittunt, si Suetiæ Regnum oppugnare contendat: futurum breui, ut expugnet. Mouit illum magnæ rei obiecta conditio. Itaquè armauit classem, & multis iam Regni Proceribus sibi adiunctis, Regem oppressit: geminoq́ Regno sublimis, priscæ captiuitatis damna pulchrè compensauit. Auctus perinde uiribus, mouit in Vuandalos, uindicaturus longę captiuitatis iniuriã. Nec segnes illi hostes, occurrũt. Conferunt manus, et magno pręlio uicti Vuandali, in iura Danię uersa uice redierũt, tributa quę exegerãt iã soluturi. Vt aũt iniquę captiuitatis suę, ꝙ post carcerem, operi diu rustico cogeretur inseruire, iniuriã uindicaret: qua

Iarmericus Rex.

Suetia potitur, Rege oppresso.

Vuandalos subigit.

draginta ex Primoribus hostiũ captos, luposq́ totidem inuicem per iugulum appensos sociauit: quem parricidalium pœnarum modũ, in his uindicandis adhibuit: ut gentis rapacitatem, et indignã generi suo, in se admissam sæuitiam compensaret. Subacta regione, præsidia opportunis locis disposuit. Inde profectus, Sembonũ, Curetũ, compluriumq́ Orientis gentium regiones bello pertentauit: utpote duplicis Regni titulis insignis. Sed ea freti Regis implicatione Vuandali, præsidia imposita opprimunt, armantq́ classem, Daniam peruastantes. Rex cùm hęc audiret, auersus ab his quos impugnabat, ad tutandam Daniam regreditur: hostibus fit obuiam, maritimoq́ prælio excipit, ac uincit confligentes: defectionis autores miserabili supplicio afficit.

Defectorũ Principum pœna.

Nam lora innectens equinis ungulis, Vuandalorum Principes implicuit, perq́ cœnum ac saxa, actis molossis immittit: ut multiplici supplicio interirent. Qua pœna territi cæteri, mandata factitarũt. Rebus bello in circumitu cõpositis, iam domesticis illustrandis animũ adiecit.

Regiam extruit.

Nam edita, conspicuaq́ rupe mansionem instruit. Vallũ ingens iubet comportari. Molem structuræ magnam firmat. Ima uallis, media triclinijs, summa munitionibus aptat. Portas quatuor firmat. Manubias hostiũ, & omnem Regni thesaurũ in exornanda Regia componit. Inde cùm audisset, quosdam Orientaliũ mare infestum tenere, adnauigat: naualiq́ prælio, uictos, ea conditione in societatem assumit: ut germanam suam, Regio more instructam, matrimonio illi iungant. Optata uictis conditio, in qua indicitur, quod uotis omnibus, etiam uictoribus erat expetendũ. Interea Liuonum Regis filius Bicco, graui patris, patriæq́ iniuria in Regem commotus, quia armis uindicare non poterat, ad dolos conuertitur.

Bicconis impostura neglectissima.

Addit se Regi comitem, ministrumq́ ad omnia sedulum, assentationibusq́ peruicit: ut primus ad secretissima quæq́ consultus adhiberetur. Et cùm iam plenam apud Regem mereretur fidẽ, charissimos Regi subuertit affectus, & in omne facinus impium, prauis consilijs Regem impulit. Fingit filij & uxoris adulteriũ: quóq́ huius rei uerisimilẽ faceret narrationem, subornat, ut Regina, omniũ insidiarũ Bicconis ignara, secretò Regis filiũ, priuignum suũ, de iocalibus interpellet. Quare apud Regem comperta, delatori aures præbuit. Igitur Reginam miseris modis excruciatam exanimauit.

Suuauildæ Reginæ mors innocens & merè horribilis

Nam quæ se scortum Regis filio præbuisset, cõculcandam bobus iussit resupinari. Cunq́ iumenta fœmineã faciem intuita, miseranter parcerẽt, supinatã iubebat prosterni, & ita bouinis pedibus proteri. Quæ res cùm ad germanos eius deferrẽt, in ultionẽ exarserũt: & omnibus undecunq́ mutuatis uiribus, in Regem mouerunt. Rex ipse iam imparatus ad educendum exercitũ, firmatæ pridèm munitioni fidebat:

penora

penora cõmeatibus, munitiones armatis impleuit. Hostes uerò tanto odio sepserant obsidione Regiam, ut nisi expugnata nõ redirent. Oppugnant fortissimè. Obsessi uerò non segniter se tuentur. Fit obsessorũ eruptio: cui Rex ipse intererat. Acerrimè dimicatur, cùm deforis adessent, qui obsidẽtes alio de latere inuaderent. Ibi magnis utrinq; odijs concurritur. Vtriusq; partis uires conscidũtur. Rex ipse inter medios obtruncatur. Reliquiæ obsidentium ægrè se in naues recipiunt, laceras uires in Patriam reuehunt, uicti pariter, & uictores. Iarmerici mors.



¶ Broderus filius Iarmerici patris sententia damnatus: sed mutatis ante stragem consilio, ut hęres regno relinqueretur, patri Rex ingloriusi successit. Caput. xvij.

BRODERVS filius erat Iarmerici: quem ille destinatum supplicio, priusquàm interiret, morte iussit reuocari: ne omnino Regnum hærede careret. Itaq; post patrem Regno pręerat. Supplicij autem quo consumendus erat, hic ordo commemoratur. Iubebat accusatũ adulterũ suspendio puniri: & tamen quia Regis erat filius, hoc temperamentũ adhibitũ est supplicio: ut iuuenes duo subiectum pendentis pedibus asseruarent, quasi scabellũ humeris sustinentis: ut Regis interea animus exferuescens, tempus acciperet mutandæ sententiæ, si uideretur. Optimum reuera Regiæ clementiæ consilium. Cui compar fuit illa Theodosij magni Romani Imperatoris, non longè his temporibus dominantis constitutio. Ne mortis sententia ante tricesimũ diem sumeret executionem. Igitur cùm pater eiulatũ catuli, cui Broderus insueuerat, cognouisset, falconem q; eius in suo cõspectu cerneret, plumas sibi sua sponte conuellere, herilem pœnam bestiolæ uisæ sunt persentire. Motus pater, En inquit, animantes, quas sine ratione natura formauit, miserationem postulant, miserabiliter se gerentes: quo magis ego, quem intelligentia erexit, Regia fortuna prouexit, patrem talis iuuenis genitiua uis fecit, miserationis affectum, uisceribus admittere iubeor? Itaq; famuli, detractũ supplicio filium, si uiuit, relaxate. Sic redditus est uitæ Broderus, miserantibus pusillis animantibus, quem maximus Regno pater, innocentem pœnę addixit. Quanta pestis Principum assentatio perditorum: quot Reges euerterunt pessima suorum consilia? Iarmericus bonus pater, non degeneri filio, ignominiosum pœnæ letum inuexit, proditoris assentatione seductus. Optimum optimi Imperatoris Alexandri Romani Principis factum memoratur: qui ex aulicis familiarem sibi asseclam, multa uendere solitum officia, plura polliceri, cùm comperisset: captum uinciri iussit, alligariq; palo in publicum: tum facibus undiquè fumigantibus circundari, & in ora torqueri imperat, clamante præcone. Fumum

Broderus Rex.

Broderi à suspendio liberatio.

Constitutio Theodosiana.

Principum assentatio pessima.

Delatorum apud Romanos pœna.

ne. Fumum uendidisti, fumo interibis. Talia utinam præmia reportarent, qui apud Principes delationis munere funguntur. Cæterũ quid rerum sub huius Regno gestum sit in ea Prouincia, compertum nihil habeo: nullo præclaro opere in fastos relato: nisi quòd Broderus filius patri successerit.



¶ Siuualdus ignoti sanguinis Daniæ Regno præficitur. Caput. xviij.

Siuualdus Rex.

SIVVALDVS post hunc Regno potitur. Quo sanguine cretus, quidúe rerũ gesserit, omnino memoratur nihil: Nisi quòd eius Imperium ad extremam usq; senectam sit deductum, filio interim eius Piraticę insistente. Deerat illis hominibus terrestris sæpè militia: & inquietudo mẽtibus insita, tranquillitatem temporum nõ sustinebat. Nam Daniam undiq; mari cinctam accæpimus: nisi qua parte Scania, quæ hac tempestate adhuc Suetici iuris uidebat, iuncta est Suetiæ montibus asperrimis: quæ ab illa quoque regione, terrestrem militiam non admittit. Igitur ad mare conuolarunt, ibiq; adolescentiam attriuere, maioribusq; rebus assuefecere gerendis. Inde illa Nauigandi exercitatio eó prouexit homines, ut litorũ circumpositorum penè omnium fortunam attentarent, Vuandaliam subigerent, Saxoniam sępè tributis onerarent, Sembos, Curetes, Estones, Russos Imperio suo premerent: Galliarum littora infestarent, Britanniam & Hyberniam subigerent: postremo etiam usq; in Constantinopolim nauigationem extenderent. Vellem hoc loco Saxo noster explicuisset, qui fuerint quos Hellesponticos ille dixit, cum Iarmerico Rege, nonnullisq; aliįs manus conseruisse. Si à traiectu Europæ, atq; Asiæ illi uenerunt (quæ est uera Hellesponti prouincia) longinqua nimirum in Daniam nauigatio. Quæso te Saxo noster, quando illi uiri ad arma, pugnasq; exierant, cur tam multas in medio propinquiores & locupletiores prouincias præternauigauerunt, & in Daniam sterilem utiq; cæterarum comparatione prouinciam, arma contulerunt? Veritos crediderim Romanum Imperium: ne illi parentes regiones incesserent. Quippe magnus Constantinus per hanc ætatem Imperio præsidens, suo de nomine Bisantium, in Constantinopolim transformauit. Sed nos diuinationis ignari, quæ non legimus, posteris tradere non ualemus.

Saxonem taxat.



¶ Snio Danię Rex, Scaniam recuperat, Gotos pari utrinquè selecto Duello uincit, & filiam Regis uxorem sibi rapit. Caput. xix.

Snio Rex.

SNIO filius, hunc Regno insequitur. Cuius tempora illustrauit Longobardorũ de Scania egressio. Prima huius Regis

ius Regis opera fuit, Scaniam iamdudum Suetię iunctam, suo Regno iterum adunare. Eskillus atq; Alkillus Duces erant, qui pro Rege Suetiæ illam tuebantur. Sed Snio collectis Regni uiribus, duxit in illos: initoq; prælio fugauit, ac Regno suo deinde ut ante parere cõegit. Libuit autẽ iuueni Regi, priusquàm se iustis nuptijs deuinciret, furtiuis amoribus diffluere. Igitur Gotorum Regis filiam, si legitimo toro deposcisset, nullo pacto pater recusasset: sed ille submissis mollioribus nuncijs, ad nescio quos affectus iussit sollicitari. Pater puellæ, adesse iuuenes peregrinos, qui filiæ secreta colloquia quæritarent, ubi intellexit: iussit diligentius eorum obseruari uestigia: & ubi furtiuis amoribus instare comperisset, arreptos ultimo affecit supplicio. Sed Rex Snio suorũ necẽ uindicare deproperans, contracto exercitu mouit in Gotos. Iam tendebant aduersis in campis acies. Incidit autem Regi Gotorum consilium: ut missis ad Snionem nuncijs, rem non toto agmine peragendam, si uideretur, æquato pugilum è diuerso numero, committere hortaretur: ut multitudini parcerẽt. Sorte autem pugnantium ipsi Reges uterentur: ut uicti uictoribus, tanquàm toto agmine pugnatum extitisset, parerent. Accæpit conditionem Rex Snio: & immissis altrinsecus pugnatoribus, cùm aliquandiu æquatæ uires uiderentur, cessere Goti, & eorum sorte Dani uictores, uictis legem dicebant. Sed filia Gotorum Regis, iam Sueonũ Regi denupta, necdum animo exciderat amantis: itaq; dimissis qui eam etiam tum ad torum inuitarent, effecit, ut raptui se aptaret. Abstractam ergo toro legitimi mariti, Snio illam qualicunq; conditione tenebat. Ordinẽ autẽ huius raptus, quia in Suetia nostra descripsimus, hoc loco transibimus.

Snionis furtiuus amor.

Rapit alteri nuptam.

Suetiæ lib. 1. cap. 25.



¶ Annonæ caritatem durissimo decreto Rex delinire conatur, at muliebri consilio mitius agit. De Longobardorum item origine. Caput. xx.

QVO tempore per summam cœli intemperiem, agrorũ ubertate corrupta, ingens annonæ caritas incidit. Cunq; oborta uictualium raritate, grauis plebem inedia laceraret, Rex quonam modo tẽporis occurreret difficultati anxius, cùm aliquanto maiorum bibulorum quàm edacium impensam animaduerteret, frugalitatem poculis conabatur inferre. Conuiuiorum enim usibus abrogatis, ne qua ex fruge potio pararetur, edixit: acerbitatem famis, superflui haustus interdicto pellendam, atq; à siti, abundantiam escis mutuandam existimans. Sed neq; profuit rebus etiam tanta Regis prouidentia. Erant in Regis consilio, quibus una salus superesse sit uisa, si inutilem multitudinem Senum, Puerorumquè, Fœminarum nece resecarent:

Decretum merè atrox.

resecarent: seruatis solis uiris militaribus, & agrorum cultoribus: sic enim patriam, quæ alumnos nutrire non posset, seruari solum posse existimabant. Factumq; decretũ, ut parentem ætate fractum, matremque pariendo inutilem, filium, filiamq;, aut armis, aut nuptijs inutiles, domi quisq; suæ consumeret. Hoc decretum, sceleris atq; atrocitatis plenum, fœmina duorum in concilio Procerũ mater auertit: Mirari se inquiens, quòd in Regio Concilio non salubrius ad Patriæ liberationem decretũ esset repertum. Euocatis filijs inspirat, Regem adeant: suadeantq;, ut mutato impietatis pleno decreto, salubrius Rex decernat: ut inter omnes terræ familias sors mittatur: in quam ea ceciderit, cum omni domo emigret, uxore, parentibus, liberis secum extractis: ita fieri posse, ut parricidio abstineatur, patria multitudine nimia subleuetur: & uiris fortibus, quibus egrediẽdi sors ceciderit, detur occasio terram aliam expetendi. Id cùm ad Regem peruenisset, placuit: edixitq;, ut in quaquè Daniæ prouincia, familiæ turmatim coirent, sortem mitterent: quæ quem reperisset, cum omni domo emigraret. Ita collecta magna manus, primùm cõuenit in Scaniam: indeq; egressa, nauigio Godlandiam applicuit. Ibi autore Frig dea (ut Saxo noster astruit) Paulum quendam testem faciens, Longobardorum uocabulum accępere: quorũ postea gentem condiderunt. Tenemus igitur domesticum huius Scriptoris testimonium, Longobardos è Scania egressos. Cui astipulantur omnes Italici Scriptores, & Græci. Eusebius in supputatione temporum, Annum ait extitisse post natum Christum trecentesimum octogesimum quartum. Paulus Diaconus in idipsum testificatur: & post omnes Blondus, nostri temporis Antiquitatis renouator. Sed illi Scandaniam, iam Scandiam uocãt, quam nos Scaniam appellamus. Nec est magna uis de nomine, quando de re ipsa conuenit. Tenemus ergo originem gentis, tenemus tempora. Nominis etiam causam attingit idem Saxo Sialandicus: qui Rugiam primò in nostra continẽti, eosdem memorat apprehendisse. Ibiq; pulsis habitatoribus: cùm ipsi Duces sequerentur Iborem, atq; Aionem. Sed antequàm progrediamur in historia, libet de ratione mutati nominis paulisper digredi.

Decretum aliud mitius

Longobardorũ origo.

Anno. 384.



¶ Longobardorum nominis etymus. Atilæ item Hunorum Regis acta, uictoriæ, & deuastationes horrendæ, Hunorumq; origo & sedes. Caput. xxi.

OPERAEPRECIVM est agnoscere, cur qui Dani ante uocati sunt, aut Scani, ab ea parte qua collecti emigrabant, postea sint Longobardi, etiam antequàm Italiam attingerent, uocitati. Sunt qui à barbarum propensa longitudine nomen arbitrentur

Longobardi unde dicti.

bitrentur

bitrentur adeptas. Quod uocabulum linguę uidetur alludere Germanorum. Sed nõ potuit uni nationi uocabulũ tribuere, quod erat omni regioni commune. Equidem ætate illa omnes uiri promissis barbis utebantur: quod hodiè quoq; magna pars mundi fertur obseruare. Alijs uisum est, hanc illis appellationem à Saxonibus, eorum agminibus immixtis, prouenisse: quòd Bardos appellari solitos Saxones, tradat Antiquitas: extetq; uetustatis monumentum in uetustissimo oppido à nobis non longè sito, quem Bardorum uicum etiam nunc appellãt: detorto, ut fieri solet, uocabulo. Ptolomæus quoq; ante ista tempora scribens, nominat Longobardos: & Tacitus inter Sueuos commemorat, ut ex Teutonum natione ad Danos sit translatũ. Quid Saxo super ea re tradiderit, diximus, autore Dea, hoc illis antequã Godlandia abirent, prouenisse uocabulum. Mihi uerisimilius uideri solet, ab Italis hoc illis prouenisse cognomen: ut in plerisq; narrationibus per anticipationem illo inscribantur nomine, quod tamen longo post tempore sit institutũ. Nam homines statura cæteris proceriores, Longobardos, quasi longos barbaros appellarint. Nouerũt & Latini, qui apud Veteres sint Bardi uocitati. Galli quidèm Bardos dixere homines, diuinãdi peritos. Quod imitatus in Carmine Lucanus nobis reddidit, cùm ait. Bardi qui.

Plurima securi fudistis Carmina Bardi.

Latini tamen Bardos, homines tenui sensu, pingui Minerua, & quibus de sapientia parum fuerit degustatum appellant. Sic Cecilius Comicus, sic in Odis loquitur Horatius. Sed iam ad historiam reuertamur. Hoc est, quòd quærimus, gentis huius præclarum decus: ut quomodo Goti Romanas diu prouincias afflixerunt: Italiam, Gallias, Hispanias, Thraciam Regno diu tenuerũt, Normanni in Galliarum litoribus sedes, cum nomine firmarunt: & in Italiam egressi, Regnum Neapolitanum, imò utriusq; Siciliæ fundarunt. Ita Dani, quorũ pars Scanij sunt, proprium sibi decus uendicant, Longobardiam in Italia Regnum fecisse, atquè aliquot seculis, quod dicemus, tenuisse. Igitur Scanij patria turmatim egressi, primùm Rugiam ingressi sunt: pulsisquè habitatoribus Vuandalis, sub memoratis Ducibus ibi cõsedisse. Quibus uita functis, primum Regem Aionis filium Agelmundũ constituerunt: & in media Vuandalorum regione non sine magno bello consederunt. Equidem populus ille bellis innutritus, & maritima plurimum pugna exercitatus, tum terrestri pugnæ inter medios Vuandalos assueuerat, acuens uires, quas aduersus Pannonios primum, deinde contra Italos impenderent. Per hæc tempora Atila Hunorũ Rex, infinita multitudine suorum, ac nationum in medio constitutarum adiunctis agminibus, nouas, Oriente deserto, sedes quæsiturus, exierat: Agelmundus primus Longobardorũ Rex. Atilæ Hunorum Regis deuastationes.

Bleda. peruenitq; in Pannonias, quæ nunc Vngaria dicitur. Ibi cum Bleda fratre partitus Imperium, longas fecerat in uicinas nationes Thracũ, Buda aliâs. Dalmatarum, atq; aliorum excursiones. Deinde fratrem, qui Budaliam ciuitatem erexit, orta simultate, extinxit. Longiusquè propagaturus Imperium, ad Rhenum usq; peruenit. Ibi obsidens Agrippinam 11000. Virginum trucidat. Coloniam, agmen undecim miliũ Virginum, ab urbe Roma, quam deuotionis gratia adierat, ibi per Rhenum descendens obtriuit: agente castitatis autore Deo, ut magis sanguinem fundere, quàm corpora polluere imanissimo tyrano, in animum descenderet. Inde mouens in Gallias, magnum & memorabile hoc prælium in Campis Catalaunicis subierat. Aduersus enim Romanum Patricium, cuius in partibus steterãt Goti, qui tũ in Gallijs sub Rege Theodorico agebãt, cùm Atila Hunorũ Rex Gepidas, Herulos, Quados, Marcomaños, Alanos, Sueuos, Saxones, Vuandalos, singulos sub suis Ducibus traheret: cõmissoq; omnium maximo prælio, supra centum hominum milia ceci dissent, Rexq; ipse quem diximus Gotorum ibi conderetur. Cuius filius Turismundus facilè tum Hunos obtriuisset, nisi Etio procurante, ut exteræ nationes inuicem sibi essent timori, patrium Regnum susceptùrus, in paternam ditionem retrocessisset. De Hunis autem, qui, & unde fuerint, quamuis proposito nostro non inseruiat, facilè trans iremus, si à quouis Italo Scriptore, quod quidèm scirem, fuisset explicitum: sed cùm illi facili manu res illas attingant, quæ non illustrandæ illorum genti accedant, arbitror non ab re esse, si quid per transitum eius rei contingam. Hunorum origo & sedes. Hunos supra Russos ad Orientem olim habitasse, Saxo noster ostendit, cùm nonnulla quæ Danis obuenerant bella cũ ea gente, cõmemorat. Nam per Russos Danis, & uicissim Hunis erat transitus, cùm inuicem belligerarẽtur (quod nos quoq; superioribus locis, cùm ea res commemoraretur, attigimus) uastam illam dico regionem, quam olim Sauromatæ, nunc Tartari tenent, tum, ut diximus, Huni gẽs effera tenuere. Accedit locupletissimus testis Berosus, quòd Europæi sunt Huni, non Asiatici. Nam Hunum fuisse ex primis Tuisconis filijs, ut Sueuum, & Vuandalum, ille commemorat: Gepidas, Herulos, Marcomannos ex illa latissima Vuandalorum natione extitisse, debemus accipere, quæ à mari nostro incipiẽs à Rugia, quam primùm occuparunt Longobardi, per Pomeranos, Stetinenses, Brandeburgenses, Slesios, Bohemos, Polonos, pertingit usq; ad cõfinia Pannoniarum. Sed tum Atila retrocessit in Pañonias: ibiq; recollectis uiribus, transiuit in Italiam, triennio obsidens Aquilegiam, donec caperet. Quo tempore potentes eius regionis uiri, terrore conciti, in paludes concesserant inuias: ibiq; tentoria, casasq; temporales fixere. Sed perseue-

perſeuerantibus malis in regione, paulatim ex neceſſitate, quod uſui eſſet concæpere:initiantes Venetiarũ nunc potentiſſimam & oplentiſſimam ciuitatem. Atila uerò occurrente ſanctiſſimo Pontifice Leone Primo, reduxit agmina. Statimquè nouis celebratis nuptijs, tantũ exhilaratus uini hauſit, quòd exundatione cruoris, quæ illi per nares deſluere ſolebat, exanimaretur: Martiano tum imperante: qui in ſomnis uidit, & enunciauit fractũ Atilæ arcũ: quo genere armorũ gens illa plurimum utebatur. Tum ſe gentes quę illi parebant, in libertatem uendicauere. Erat inter primores Duces Odôacer Rex, ut aiunt, Herulorũ (pars ea fuit, ut diximus, Vuandalicæ nationis) is inſederat magnam Pannoniarũ regionis partem cis Danubiũ: ſed compertũ habens, Italiam florentiſſimam regionem, capi facilem, quod Imperiũ Occidentis nimirũ uacillaret ſub Auguſtulo, qui & re, & nomine nõ magnus erat: comparatis uiribus, tranſiuit in Italiam, poſt quadringentos añ 71. datę mũdo ſalutis. Cumq; priſtinas ille ſedes uacuaſſet, Rugij, quos à Longobardis ſuis ſedibus pulſos diximus, creato ex ſuis Rege Selecteo, Odôacris prouinciam habitaturi inuaſerunt: exemplum Vuandalorum, Hunorum, Alanorum, & aliarum gentium, quas uiderant feliciter ſedes ſuas commutaſſe, ſecuti. Sed Odôacer poſtquam Italia Imperiũ cõſtituerat, præſidia opportunis locis firmauerat, cùm audiſſet reliquias ſuas, quas in Germania ſeruandis ſedibus conſtituiſſet, à Rugijs expulſas, magnis itineribus contendit in Germaniam: & prælio commiſſo, Rugiorum Regem fudit, gentemq; retrò pepulit: reuerſus in Italiam. Tum Longobardi tot iam gentiũ exempla audientes, nouas & illi ſedes quærere properabant: quarto eorum Rege Bodehock iam rebus præſidente: cuius tranſmigrationis gratia, quæ de Herulis, Hunis, alijsq; dicta ſunt, fuere introducta. Erat igitur poſt natũ Chriſtum añus. 470. cùm iam Longobardi, dimiſſa quam inſederant ſupra centum annos Rugia, magno agmine peruenerunt in confinia Danubij, quæ nunc prouincia Bauaria dicitur: ibiq; fixis ſedibus aliquandiu permanſere. Nos quoq; hoc loco figentes ſtilum, quia Longobardos in Bauariam perduximus, reuertamur ad noſtros Daniæ Reges commemorandos, donec illa tempora contingamus, quibus illi Italiæ propius acceſſerunt: hæc ipſa breui anticipatione præferentes, donec latius ſingula explicemus.

Venetiarũ origo.

Atilę mors.

Odôacer.

Anno Chriſti. 471.

Italiam ſuperat.

Longobardi à Rugijs ad Bauariam migrant.



¶ Bior Snioni in Regno ſuccedit. Sed de rebus fortiter per eum geſtis, Fortunæ iniquitate nihil ad nos peruenit. Caput. xxij.

BIOR in Daniæ Regno interim Snioni ſucceſſit, filius, an ne aliquis magna de ſtirpe nepotum, incertũ eſt: nec

de rebus per illũ gestis, aliquid in Annalibus relatũ accipimus; nisi qȝ regnauerit, solo nobis nomine notus esse promeruit. Mirum fortunæ ludibriũ; ut alium prouehat immerentẽ, faciatqȝ immortalem. Alium deijciat sumis dignũ honoribus. Ita cùm sit iniqua uiuentibus, etiã fato cunctis non æquior inuenit. Nam alterius tempora longa donat celebritate memorãda. Alterius ita res præclaras abscondit, ut nihil inde ueniat ad posteros. Benè magnus Alexander, cùm busta cerneret Achillis, suspirabundus aiebat: felicẽ extitisse iuuenẽ, qui laudis suæ nactus fuisset prȩconẽ Homerũ: sibi quoqȝ idipsũ ab ĩmortali Deo precatũ, ut breue mortalis uitȩ momẽtũ, ȩterna apud posteros memoria celebraret. Nec est fraudatus desyderio suo. Sed nõ ȩqua Biornis fortuna: qua in re apud iustos rerũ æstimatores nihil ipse amisit, sed posteri tẽporũ cursus inspicere cupiẽtes, multa pinde requirũt, desyderantqȝ.

Fortunæ iniquitas.

Chronographorũ laus.



¶ Haraldus Biornem sequitur, cuius res gestæ, æquè ut Biornis in literas missæ non sunt. Caput. xxiij.

Haraldus Rex. IIII.

HARALDVS deinde hunc Regno secutus, excepit eandem cum prædecessore fortunam. Nihil enim & de illo in literas relatũ est. Mirũ aũt est in ea gente tam de multis Regibus pertinax silentiũ: ut præter nomina, nihil sit in fastos relatũ. Nam Põeticã ea lingua, ab olim etiã priusquã Latinas literas acciperet, uenerata est. Testantur Carmina, Heroũ res prȩclaras magnificè reddẽtia. Testantur inscriptiones, quæ uetustis & obesis in rupibus, longo tẽporis tractu per situm corrosis, usqȝ hodiè, ut ferunt, uisuntur. Et nisi fuisset in illis scribendi cura, par omniũ Regum præclaris facinoribus obliuio prouenisset. Nunc quosdam legimus magnificis rebus perennatos usquè ad prosecutionem amorum, quibus seruiebant: quo magis mirũ uideri debet, alios tam obsoleta detersos obliuione, ut prȩter nomina, & succedendi ordinem, nihil prorsus de illis memoretur.



¶ Gormo Haraldi filius patri succedit, bello clarus, fantasmatum uisendorum cupidus, rerum mirabilia nauigio scrutatur. Caput. xxiiij.

Gormo Rex. I.

GORMO huius Haraldi filius, cum Regia successione, magnũ & memorabile nomen obtinuit, non tam rebus bello gestis (quæ una est ratio inclarescendi Nobilib. & uiris militaribus) quàm curiositate exquirendarum rerum, quas uel natura seposuit ab hominum obtutibus, aut fabulosa sibi, ac superstitiosa confinxit Antiquitas. Equidèm multa ab usquè seculis uetustissimis, in regionibus Aquilonis mira ac prodigiosa sunt relata. Nec hodiè cessant hominum fabulæ de miris Phinnorum uaticinijs. Iacent resupinati, pallentes, mortuis similes; & post aliquot horarum

Aquilonis regiones præstigijs plenæ.

horarũ interualla ad se redeuntes, consurgunt incolumes, & renunciant quæ trans mare per multa gerantur milia: afferẽtes notas & signa, quibus uera illos dixisse compertũ sit: aut laciniæ partẽ de ueste, aut ex iocalibus aliquid, quod domũ reuersi qui exquisierant, stupẽtibus referunt qui amisere. De Normannorũ quoq;, ut appellãt, Teruillis (genus est Spirituũ) miris, ut ferũt, modis ludificantiũ homines, aut uera prænuncientes, aut occulta pandentes, aut insidiarũ aliquid nectẽtes: his præsertim, qui in eos malignant. De Islandorũ uerò fantasmatibus mira prædicant, qui mercantes regionẽ lustrauere. Nam uolitare passim umbras ferũt: quæ etiã à nõnullis corporali specie uisunt, ut aiũt, sed ab his tantùm, qui sunt initiati quibusdã eorũ sacris, magis aũt execrationibus. Extremi horũ (Heckelfeld uocãt locũ) ubi infernas sedes, aut herebi eructationes arbitrantur. Hybernici Purgatoriũ memorãt sancti aliquando Patricij. Sed Gormo Rex à Tylensibus de cuiusdam sedibus remotissimis accæpit. Eamq; rem illũ experiundi, magna cupido inuasit. Nauigiũ iussit aptari. Remiges in id genus seruitutis delectũ damnauit. Torkillum quendam rebus præposuit, huius famæ autorem, & qui multa experiũdo didicisset. Itaq; tribus in id negocij nauibus expeditis, quas nodis crebrioribus, clauisque firmauit arctioribus: supernè bouina coria superinducunt. Commeatus in multa tempora prouident. Itaq; nauigatur, ut à tergo solem, & ambientem terras omnes linquant oceanũ. Ibi quæ ferantur esse comperta, fabulis deputanda, legant qui uelint ex Saxone ista prosequente. Ego ad historiã pertinere nõ arbitror, somnia & monstra uolitantia: quæ anilibus nenijs propiora sunt, rerum gestarum ordini non putaui inserenda.

Normanni. Teruilli spiritus.

Islandi.

Heckelfeld.

Hyberni.

Saxo fabulosus.



¶ Queritur Autor Scriptorum desidiam. Supputatione facta temporum, ad Longobardos redit. Caput. xxv.

SED hoc loco damna temporũ, et multa sine cõmemoratione præterita Imperia requiro. Siquidẽ sub tribus proximè cõmemoratis Regibus, tempora multa cõsumpta sunt. Nam à Snione Rege, sub quo, ut diximus, Longobardi è Scania migrarũt, adusq; Gotricũ, qui & Gotfridus, Gormonis proximi filiũ, qui tempora attigit Caroli Magni Francorũ Regis, Romani deinde Imperatoris: ad quẽ ab exitu Scaniorũ, ad expugnatũ ab illo Regnũ in Italia, Longobardorũ, anni fluxerunt circiter. 200. Nam ex supputatione Eusebij, Hieronymi, Prosperi, & qui secutus est Matthæi Palmerij, emigratio facta est Añ o post Christũ. 382. Captus est aũt à Carolo, Desyderius eorũ Rex nouissimus. 776. qui anni præter. 6. sunt 200. Quis aũt credat, tres interim solos in Dania Reges præfuisse? Nisi arbitremur, turbatis rebus, sine Rege Ducibus rem esse transactam:

Supputatio Longobartica.

Desyderius ultim. Rex Longobardorum.

 quod

quod in cæteris quoq;, & in Romano nonnunquàm Imperio cernimus contigisse: ut propter temporũ confusionem, & Scriptorum negligentiam, discerni non possit, quis regnauerit: cùm multi interim de pari contendentes, ad se quisquè Regium nomen cum dignitate rapuerint. Interim ad Longobardos nostros reuertamur: quorum res per hanc ipsam, quæ apud Danos uacauit ætatem, per Pannonias & Italiam inclaruerunt.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi. De Longobardorum serie, & gestis, usq; ad Carolum Magnum LIB. III.

¶ Longobardorum Reges ab initio numerantur quatuor, ac illorum migrationis fortuna malè prospera. Caput. I.

Agelmundus Rex Longobardorum. I.



PRIMVS gẽtis Rex cùm adhuc in Rugia Vuandaliæ moraretur, Agelmundus erat, filius Aionis Ducis sub quo sunt egressi, Añis ille. xxxiij. regnabat, multa aduersus Vuandalos, qui illũ circũsedere, bella gerẽs, multis uictorijs clarus. Sed rerũ gestarũ ordinẽ nõ tenemus, Scriptorũ incuria: quòd sæpè questi sumus. Erant qui fortiter facerẽt, non erant qui disertè scriberent fortia facta uirorũ. Quanquàm si res ipsas etiam inde enunciatas teneremus, non magnoperè eloquentiam quæreremur. Hoc ipso rebus humanis excedente, successit Lamissus, uir non tam natalibus clarus, quàm rerũ gestarũ gloria insignis. Equidẽ meretricio natus fertur complexu: qui ad gubernacula, Regniq; sceptra nullo modo fuisset admissus, nisi incomparabilis rerũ gestarũ memoria, & incredibilis quædã uis animi, corporisq; fuisset suffragata. Sed Regnũ quod meritus accępit, fortiter gessit, non diu tenuit. Siqui dẽ triennio decurso, qualicunq; exitu, quem non tenemus, sceptra permisit successori Labe. Qui, quòd erat uir bello fortissimus, & nihilominus inter suos amantissimus, in gẽte feroci, inter acerba multorũ hostiũ circumhabitantiũ odia, Regnũ produxit ad annos usq;. 20. Cùm adhuc primas sedes tenerent in Rugia, quę illis è Patria nauigantibus prima occurrit: tutatu perinde facilior, quòd insula esset, ut est hodiè quoq;, mari circumflua. Hunc excipit Heldehock, Labe filius, ordine quartus, totidẽ annos agens in Regno, Quem Godehock Quintus sequit. Sub quo Rege primarũ sediũ fastidiũ nõ ferẽtes, cùm audissent Hunos, Gepidas, Quados, Herulos iam ad Danubiũ partim, alios etiam in Italiam transgressos, uberrima militiæ prima retulisse, uberes agros, ciuitates opulẽtas, & Regna latissima: igitur uiros se esse, gladios tenere,

Marginalia: Res, non eloquentia in Historico quærenda. — Lamissus. II — Labe. III. — Heldehock IIII. — Godehock V.

tenere, patria exteros esse perpendentes, facto agmine, cũ omni domo & familia emigrarũt, citra Danubiũ occupãtes regionẽ, quænunc Bauaria est. Tum ab Odoacre Herulorũ Rege, iam in Italia regnante uacuata, primùm sua transitione, deinde cùm reuerteretur Rugiorũ expulsione. Ea fuit Longobardorum fortuna: ut bis Rugijs succederent in sedibus. Primùm, cùm illas eijcerent de sua Rugia. Inde, cùm ijdẽ ab Odoacre pulsi Bauaria retrocederent, patriam repetẽtes qui super erant. Longobardi redeunte ad Italiam Odoacre, ibiq; post annos aliquot à Theodorico de Verona, Gotorum Rege uicto, pacificè regionem tenuerunt. Rex memoratus, sub quo secundò emigrarunt, duodecim annis Regno præfuit. Reliquitq; sexto, quẽ Daphãon dixere.



¶ Memoratur Longobardorum Regis Tantonis Septimi uictoria notabilis contra Herulos, hostis contemptores. Caput. xv.

HIC iam primus ad Danubiũ genti suæ Regno præfuit, multis proculdubio uicinarũ gentium bellis inquietus. Sed res illas cum cæteris multis sepeliuit obliuio: quòd nemo referret in fastos. Tractũ aũt quinquennio solo Regnum, reliquit septimo, cui nomen erat Tanto. Huius hoc præclarum facinus memoratur: quòd Herulorũ reliquias, ab Italia redeũtes, occiso eorum Rege, quod diximus, Odoacre, cùm pristinas sedes repeterent, iam Longobardis insessas, Regemq; sibi ex suis creantes Rodulphum, bellũ Tanto Longobardorum Regi pararẽt, fiducia uicinorum gentilium suorũ: quòd Bohemi, Moraui, Slesij unius linguæ & nationis ea tempestate homines, suis congenitalibus fauerent. Erant eñ, quod in Vuandalia ostendimus, Heruli de genere Vuandalorũ. Quamuis aliud senserit Iordanes Gotus: quod in Suetia nostra quoq; attingimus. Nunc uerò belli inter Longobardos & Herulos ea fuit occasio. Repulsi ab Ostrogotis Heruli, & Italia depulsi, cum Rege Theodorico (cùm Regem eorum Odoacrem, cum optimatibus Rauennæ iussisset ocicdi) Heruli quidã, qui Gotorum refugerant Imperium, in Pannonias reuersi, antiquas sedes repetebant. Quas & si Longobardi occupassent, remansit tamen in latissima prouincia locus, qui reliquias caperet Herulorum. Nam magnam eorum partem, bellum Italiæ consumpsit. Aliquanta etiam in Italiæ angulo sub Gotorum Imperio, gentis portio remansit. Erat igitur initio inter Longobardos & Herulos, nõ solùm quies, sed etiam Regibus consuetudo & familiaritas mutua incessit. Heruli quidèm natale solum, quod illis magnus Constantinus permisit, suo sibi iure petere uidebantur: & Longobardis humanum fuit, de accæpta aliena Prouincia, uel partem relinquere antiquis possessoribus.

Daphaon VI.

Tanto. VII

Belli causa.

Venerat Rodulphi Herulorũ Regis germanus, pro causa ad Tantonem Regẽ Longobardorũ: & ab illo perbenignè acceptus est. Cùm peracto negocio, iam redire constituisset, à Proceribus Longobardis deductus iter agebat, qua Regis filia demorabat. Procax puella, cùm uideret peregrinum hominẽ honoris gratia à suis deduci Proceribus, nobilem uirũ, quod erat, suspicata, misit ex suis, qui illum ad colloquium dominę inuitaret. Ille non grauatus uenit. Salute accepta, ac reddita, cùm staturam hominis pusillam inter suos, petulans puella contemneret: & ille intelligens, ferocius militariterq́ nescio quid responderet, orta, ut fit rixa, ad gladios peruenit. Ille multis interseptus, facilè opprimit. Quę res iustam fratri eius, Herulorũ Regi, ultionem dedit. Itaquè conflatũ est bellum: quòd Herulorũ Rex gentis suæ robur & exercitationẽ in armis sciens, per contemptum Longobardorũ, quos ad pręlia rudes ducebat, facilè iudicabat. Missis igitur Ducibus suis, copias illis pro re attribuit. Ipse sedens ociosus, aleam fatigabat. Hominem in speculo constituit, qui pugnæ exitũ & uictoriam renunciaret: capitis periculum denuncians, si fugientes Herulos significaret. Stolidum nimium præceptum. tam sibi certus uidebatur, de suorum pręsumpta uictoria. Sed congressi Heruli uincuntur, fugamq́ capessunt. Semper enim segnior pugnam init, qui hostem contemnit. Speculator non ausus nunciare suorũ fugam, exclamat. Væ tibi infelix Herulia. Rex audiens, Quid est, inquit? Fugiunt Heruli? At ille. Non hoc ego, sed tu dixisti Rex. Secuti Longobardi uictores, Regem opprimunt, & gentem ad internecionem cædunt. Rex autem uexillum, & galeam à Rodulpho tum capta, deinde semper in prælijs præferebat. Præda ditati uictores: uicti uerò qui cæde supererant, Regem deinde neminem creauere, sed sub tributo uictitarunt.

Victoria Longobardorũ contra Herulos.

¶ Vuacon Tantonis ex fratre nepos, regnum administrat. Cuius Adonicus succedit; qui Gepidas bello superat: atq́ inibi Albuini filij illius audax facinus. Caput. iij.

Vuacon VIII.



HVNC septimus ordine Regũ excipit Vuacon, proximi ex fratre nepos. Sed is Regni primordia, ciuili, & plus quàm ciuili sanguine fœdauit. Nam cupidine Regni, patruũ suũ depulit, & magno uictũ prælio interemit. Regnũ aũt ui partum, eadem uirtute, per años octo et decẽ fortiter gubernauit. Gepidas uicinos bello obtriuit: qui et illi de reliquijs magni Atilæ Hunorum Regis extiterunt. Sueuos Alemaños bello uicit: Regnumq́ ad suam & legitimã posteritatẽ transmisit. Nam Vualcarius illi ex filia nepos, Regno substituitur. Cęteras ab illo res gestas non tenemus: nisi quòd nomen eius in fastos relatum,

Vualcarius IX.

septennio

septenãio illũ perhibet regnasse. Decimus hunc Adonius excipit. Sub quo Rege gens ista uires incredibiliter auxit, breui exercendas in Romani Imperij & Italiæ detrimenta. Sub hoc Rege Longobardi cùm iam uicinas sua putarẽt uberiores prouincias, transito Danubio, inferiores Pañoniæ partes occuparũt. Tulerat hoc grauiter Turismundus Gepidarũ Rex, pronepos Odöacri, qui sub Atila in campis Catalaunicis maximo illo prælio militauit. Nam ille cũ sua gente superiorem Pannoniam habitabat. Congressis igitr prælio gentibus ferocissimis, Adonius represso Turismundo, captã inferiorẽ Pannoniæ partem, armis defendit. Cui prælio Albuinus adolescẽtior Adonij filius, adhuc imaturus æuo, interfuit: nec minimã fertur nauasse patri operã ad uictoriã. Nam Turismundũ Gepidarũ Regis filiũ, fortè sibi in acie oblatum aduersariũ, collata manu superauit, & occidit. Quo cadente, Gepidæ, in fugam uersi, uictoriã hosti relinquerũt. Reuersus in sua Adonius pater, filiũ pro ætate negligentius habuit. necdũ enim mensa sua dignatũ, inter famulos iussit accumbere. Proceres Regem admonuere: ut fortem filiũ, qui penè uictoriã solus peperisset, occiso Regis filio, honoratiore loco, ad latus suũ prouehi iuberet. Quibus Rex, Necdũ inquit, filius noster hoc cõmeruit: quia opima ex hoste spolia non retulit. ea sunt, Ducis aduersi arma. Quod cũ audisset adolescens Albuinus, re iam inter Reges cõposita, aut in tẽpus p inducias suspensa, audet Regẽ adire Gepidarũ, filij sui arma deposcẽs, quę illo superato meruisset. Fortẽ fortes nõ oderũt. Miratus Rex iuuenis fiduciã, illũ mensæ suæ iubet cũ contubernalibus assidere. Fortè locũ tenebat, quẽ solebat Regis quondã filius Turismundus occupare. Rex iam mero incalescens, Albuino inspecto, duxit alta suspiria. Locũ inquit illũ Regis filius tenet: sed illum oculi requirunt, qui sedere solebat parenti proximus. Tũ alius ex illius filijs, nõ ignorans quid pater loqueret, iuuenili ardore excanduit. Cœpitq́ꝫ quadã altercatione uerborũ inter milites utrincꝫ rixa: quòd fasciolis ad crura candidis irridebantur à Gepidis. nam iumentorũ similes uiderentur, qui candore pedum probarẽtur. Ad quam uocẽ quidam ex Longobardis acerbius respondens, Ille inquit campus, qui Gepidarũ ossibus exalbuit, qui uiri sint Longobardi, ostendit. Tum ingrauescente indignatione, cùm ad arma consurgerent, Rex medium se infert suis, interdicens gladios distringere: ne hospitales in se Deos prouocent. Spontè uenientes hospites, hospitaliter ac benignè proprijs in ædibus fouendos. Tum ille Regio iuueni, arma filij tradita condonauit, lætumquè remisit ad parentem. Qui & ipse parens miratus filij fiduciam, robur animi collaudauit: ac in reliquum tempus mensæ suæ consocians, iam meritam loci dignitatem prædicabat.

Adonius Decimus.

Qui filij Regum mensæ digni.

Albuini facinus audax

Ecce fasciolarũ, non recens inuentũ militib.

prædicabat. Quam ego rem in primis exponendam putaui: quia moribus consonare probatur Danicæ nationis.

¶ Albuinus Gepidas bello infractos, extinguit: memorabili posthac uictoria apud suos clarus. Caput. iiij.



Albuinus XI.

DONIO defuncto, undecimus in Regno subrogatur Albuinus. Et in Gepidis patri Eurimundus succedit. Quos inter nouos Reges renouatur bellū, sed dispar ab exitu. Nam Albuinus Francorū auctus est uiribus: quòd Clotarij Regis filiam Clotsmindam uxorem accæpisset. Sed & Auares (Hunorū hi fuere reliquiæ, illis in Prouincijs permanentes) Longobardis accessere. Vnde factū est, ut Gepidæ facilè ab his superarentur. Nam Commundus, quem alij Eurimundū dixere, contractis undiq; armis, magno apparatu, sed maiori odio mouit in Longobardos, gentem aduenam & nouam. Albuinus aūt cunctorum quæ gererentur gnarus, sese intra prouinciam continuit, donec resciret, Auares Hunos (hoc nouū nomen ab Rege suo mutuantes) in Prouinciam Gepidarū se recepisse, à tergoq; illis imminere. Quid faceret Commundus hostibus interceptus? Mouit in Albuinum, sperans, si illum oppressisset, aut magna clade affecisset, futurū facilè, ut Auares pelleret. Sed tum congressione facta, multis ante milibus peremptis, Commundus Albuini manu cecidit. Qua ex uictoria Longobardi magnis aucti sunt opibus, Gepidarum nomen omne deperijt. Nam qui bello superfuere, aut omnino nō interfuere, mixti Longobardis, aut Auaribus subiecti, Regem suæ gentis non habentes: ut ditionem, ita & nomen amisere. Hic Rex uictorijs ubiq; clarus, & Regno longæuus erat. Nam supra triginta annos fertur genti suæ imperasse.

Auares, Huni.

¶ Narses Patricius Rom. auxilio Longobardorum, & aliquot nationum, Totilam Gotorum Regem opprimit. Caput. v.



PER eam ætatem Goti Italiam tenentes, magno implicati fuere bello cum Græcis, ab Imperatore Constantinopolitano missis. Post multa autem & fortia eorum facta, quæ in Gotia (quæ & in Suetia nostra explicita sunt) Totilas Rex omnibus suis prædecessoribus grauior imminebat Italiæ: aduersus quē missus Narses Patricius, uir mirabili sorte ex eunucho crescens. Cuius industriæ uirtus æquata, commendabilem illū fecit suo Imperatori Iustiniano. Is ergò in Totilam Gotorum Regem copias ingētes comparauit, tantoq; exercito, quanto ante eū nullū durius Gotis imminebat. Misit aūt Albuinus Longobardorū Rex, expeditos suorū. xij. milia: iam propter rerū gestarū magnitudinē, Imperatori Oriētali cōmendatus: qui

Suetiæ lib. 4. cap. 21.

Narses Patricius.

illum

illum fœderatum, quàm hostem habere maluit, totis iam Pannonijs post uictos Gepidas imperantem. Igitur Narses Patricius, ab Imperatore ad recuperandam à Gotis Italiam missus, magno agmine, cui & Longobardi, & Heruli, & Huni inessent, Græci quoq;, & Persæ iam Imperatori militantes copias auxere. Cùm intelligeret, Totilam præmisisse ex Ducibus, qui ad Athesim Italia hostes prohiberet, ipse quoquè Narses Longobardorũ agmen, cui plurimũ fidebat, præmisit, ut opportuna occuparet loca. Transgressi autẽ, nullo obuio medios amnes, cùm ad Brixellum in Padi fluminis ripa oppidũ, cõsedissent, Narses quoq; litori proximum iter teneret: Totilas priusquàm omne robur exercitus conueniret, contractis suis, uocatoq; quem præmisit ex suis Teia fortissimo Duce, cum Longobardis statuit confligere. Sed priusquàm Teia cum suis copijs aduentaret, iam erat debellatũ: tanto animorũ ardore ruebant in prælia Duces, uicina regione ducentes originẽ, iam in alieno solo Regna aut defensuri, aut paraturi. Igitur Totilas magna circumspectione acies struxisse, magna utrinq; uigilantia, quid suus, quid hostilis ageret miles, perpẽdisse memoratur. Sed tum erat is exitus magni prælij, ut multis ante cadentibus, Totilas Rex ipse opprimeretur. Quo cadente, reliquus eius se fugæ mandauit exercitus. Hæc prima in Italia huius gentis uictoria, Ducem, imò Regẽ hostium, ipso absente ductore, superasse. Narses autem collaudatos, & pro rei gestæ magnitudine muneratos, in sua, hoc est, in Pannoniam remisit Longobardos.

Totila cadit

Longobardorum in Italia prima uictoria.



¶ Narses rerum à se fortiter in Italia gestarum, insimulatur apud Cæsarem Iustinianũ. Albuinus ab illo, ultionis uice, excitatur, suppetias locans. Caput. vi.

TRANSIERVNT sub hoc rerum statu aliquot anni, cùm nonnulli ex Romanis, Narsetis optimi uiri, fortissimi Ducis gloriæ inuidentes, aut certè, quòd illicita quædam per illum non admitterentur, indignati, Ducem illum, misso ab Imperatore nuncio accusarunt: comminati, quòd nisi eius iugo laxarentur, dedituros se Gotis, sub quibus tolerabilius essent habituri. Et cùm apud Iustinianum Imperatorem illi nuncius hæc inculcasset, ad Reginam Sophiam se contulit, eadem repetens. Mulier facilè persuasa, impellit maritum: ut Longinum quendam ex Patricijs, Narseti incomparabili Duci decernat successorem. Addidit fœmina procax, uiro intoleranda conuitia: iactitans, se Narsetem ad pensa ancillis partienda, eunuchum reuocaturam. Narses autem prudentissimus ac modestissimus Dux, cùm magnis suis in Rempublicam meritis, malè compérisset responderi; Longinumquè Patricium cum exercitu Italiæ

Narses patricius Romanus.

Iustinianus Imperator.

acciperet

acciperet propinquare, Neapolim se contulit, optimè de se urbem sentientem, de qua benè meritus esset. Nec potuit conuitium Imperatricis occultū remanere. Quod ubi comperit, fertur respondisse: Telam se orditurum, quam neque Sophia, neque Iustinus omnibus Imperij uiribus perplexā, resoluerent. Igitur misso ad Albuinū Longobardorū Regē in Pañonias nūcio, Quid ita sederet in arida regione? futurus uberrimę Italię & dominę terrarū prouincię dominus, si anniteretur: cuius possessio etiam nolentes faceret mundi dominatores. Tantam autem rerum gerendarū occasionem, cupidè apprehendens Rex Albuinus, profectioni necessaria comparat. Prospexit autē sibi, ut si qua fors reditū facere cōegisset, non interclusus à sua esset prouincia. Nam Hunis, qui de Veterū reliquijs supererant, gentibus mixti uicinis, terram præcario concessit habitandam: quam multis post seculis, cùm Longobardi in Italia remanebant, possederūt: Saxonesq́ue uiginti hominum milia, cum omni domo & familia emigrantes, acciuit socios. Cum qua gente, Maioribus suis multa ab antiquo bella fuerunt. Vacantemq́ue Saxonū terrā, Sueui tum occupauere. Cuius rei fit mentio in eo codice, quem Speculum Saxonum appellant: multis ignorantibus, quam foris agerent Saxones militiam, dū Sueui terrā occuparēt.

Huni gens mixta.

Sueui Saxonia sederūt.

¶ Exercitu instructo, Albuinus Italiam ingreditur. Triennio Papiam obsidet, interim multas ciuitates subigens. Tandem Papiam capit, interfectis ciuibus, & præsidio. Caput. vij.



Anno Christi 572.

ANNVS erat post Christum natum Quingentesimus lxxij. cùm Albuinus ante & retrò sibi circumspiciens, agmen suū promouisse cœperat in Italiam per Noricum, regionem eam, quæ nunc Austria dicitur, unicam portam, quam rerum naturam parens aperuit Italiæ inuadendæ: cùm reliquas à mari, aut Alpibus undiquè cinxisset. Igitur Forumiulium, per quod illi esset transeundum, apprehendens, delectū tum ex suis acrem animo iuuenem Sisulphum, Ducem constituit: ut claustra seruaret Italiæ ab Imperatore Orientis. Nepos hic erat Regis, & tanto nomine dignus adolescens. Progressus cū agmine Albuinus, Aquilegiam peruenit. Declinauit iam loci Pontifex, cum magna populi parte in Gradumi insulam: qua multi à memoria Atilæ permansere. Sed Taruisinæ urbis Episcopus Felix, egressus cū sacris, Regem urbi, cui infensus uidebatur, quòd deditionem recusaret, placauit. Præmuniuit quædam opportunis locis Longinus oppida, impositis præsidijs, cùm aduentantes audiret Longobardos. Sed ea declinans Albunius, Veronam, Vincentiam, Mediolanum urbes deditas accæpit; ibiq́ue prima fecit in Italia, firmatq́ue castra Rex Albuinus. Iam

Gradumi Insula.

nus, iam ſextum menſem agens in Italia. Interea Longinus, qui nouũ Magiſtratus nomen inuexit Italiæ: quòd Exarchatus ſummus Magiſtratus, quem ille primus gerebat, diceretur. Tum ſingulis urbibus, ſui ad defenſionem, Duces ab illo creabantur: urbem Romam faciens unam cæteris parem. Quo tempore primùm deſijt habere Conſules & Senatum: cuius ad illum uſq; diem adumbratio quędam remanebat. Sed ex illo tempore tota Reipublicæ gerendę forma eſt immutata. Contulit autem quicquid uirium habuit Longinus in Papiam, & Brixellum oppidum Padi in ripa. Intelligens Albuinus, aliquandiu ſibi, propter urbis munitionem, ad Papiam ſedendum, partem copiarum, quæ obſidioni non neceſſaria uideretur, cum Ducibus pręmiſit, ad reliquam inuadendam Italiam. Nec ſegnes Duces, uictoriam circumtulerunt, oppidis Hetruriæ in deditionem accęptis: transmiſſoq; Apennino, Ariminum, & uicinas urbes ſuæ fecere ditionis. Sed opulentia urbium, inſolentiam uictorum efferauit. Siquidem tanta tum rerum abſtractione per prædam, uacuatæ ſunt urbes, quàm unquàm ante à Gotis, aut poſt ab ipſis Longobardis deſpoliatæ fuerunt. Cùm autem Duces circumuecti Italiam graſſarentur, adiuuit eos temporũ difficultas: quòd magna frugum caritate laborabat Italia. Igitur Imperator has rerum difficultates perſentiens, ut laboranti ſuccurreret urbi Romæ, miſſis in Aphricam nauibus, auectas inde fruges, Tyberi fecit inferri. Qua re adiuta Roma, uicinas etiam urbes à fame uendicauit. In tertium uſquè annum protraxit obſidionem Papiæ Albuinus. Nouiſſimè capiens, præſidium Longini paſſim cum ciuibus permiſit trucidari. Iuraſſe quoq; fertur obſidionis tempore, quòd captã euerteret. Sed inerat Religiò, quæ non ſinebat. Nam Rex ingreſſurus urbem, ſubterlabente equo, ita grauiter concidit, ut neq; ipſe exurgere, neq; iumentum ſe poſſet commouere. Terrefactis qui circumſtetere, quidam ex conſcijs inſuſurrauit, ut poneret propoſitum euertendæ urbis. Quod ubi fecit, mox ille ſurrexit, ciuitatemq; eſt ingreſſus.

Exarchatus ἔξαρχος, auctor Senatus conſultorũ.

Cariſtia Annonæ.

Papia capitur.

¶ Albuinus relictis Papiæ præſidijs, Veronam, ubi Roſimundam uxorem, & omnem ſupellectilem reliquerat, redijt: uerùm in conuiuio uino incaleſcens, intempeſtiuo ioco, uxorem ita irritauit, ut per adoleſcentem quendam, necem marito intulerit: & ſe, & patris manes hoc pacto ulta. Caput. viij.



HAC uictoria inſignitus, firmatis per præſidia locis, Veronam redibat: qua in urbe uxorem, & affectus reliquit, cum familia & ſupellectile. Victor epulas inſtaurat, & conuiuia: bibensq; ex more gentis ad menſurã ſupergreſſæ ſobrietatis, mero incaluit: pateramq;

iuſſit afferri, quam ex cranio occiſi à ſe Commundi Gepidarum Regis, auri laminis circumueſtiuit. Impletam hauſit, ac Roſmundæ uxori (filia ea fuit Regis memorati) miſit: adijciēs clamoſa uoce per cachinnum, ut cum patre lætaretur. Quæ uox in exprobrationem paternæ necis accæpta, altius deſcendit in pectus fœminæ, quàm Rex ipſe putauerat: effecitq́ʒ, ut indignabunda, deinceps de mariti nece cogitaret. Erat adoleſcens in Longobardis nobilis, ad prælia fortis, & animo acer, corporeq́ʒ formoſus: is ancillæ cuiuſdam in familia Reginæ deperibat amore. Perſentiens Regina, puellæ præcepit, ut ſe iuueni permitteret. Inde aditum facinori meditata, & hoc merito deuinctum iuuenē tenens, maioribus promiſſis aggreditur, ſi auſit Regi Albuino manus inferre? Vides inquit, & meam, & tuam ætatem? Iuuenis à ſcelere horreſcens, facinus detrectauit. Arctioribus uinculis putauit conſtringendum. Imperat ancillę, ut amaſio conſtituat horam, locumquè tenebris horreſcentem: præmoneatquè, ut nullis blanditijs tempus amittat, ſed quàm breui potitus optato, ſe obſequijs dominæ remittat. Illa facit imperata. Regina autem ſumpta ancillæ ueſte, ſe confert in locum amantibus præfinitum. Adeſt Helmechildis (id iuueni nomen erat) tacitus rem exequitur: & iam parat abire. Tum Regina prehenſum, rogat, quam ſe eſſe arbitretur? Noui ne te, mea Catella? At illa. Roſmunda ego ſum. Vide quid in reliquum egeris. Tui nunc eſt arbitrij, aut pro hac re delatum Regi, turpiter perire: aut ſi uirum te memineris, ut ſublato Albuino, his ſuauijs, complexibusq́ʒ, cum Regno potiaris perpetuò. Vicerunt iuuenem perplexitates, quibus ſe neſcius inuoluit. Promiſit operam: ac introductus ab adultera in triclinium, ſoporatum Regem ferro extinxit. Longobardi multis iam lachrymis uictorioſum Regem ſuum tumulauere.

Margin notes: Ouafrum muliebre ingenium. — Trucidatur Albuinus.

¶ Occiſo per adulterum Albuino, Regina ablato Regni theſauro, cum filia fugit: ueneni hauſtu adulter cum adultera pœnas luunt. Longinus filiam cum theſauro Conſtantinopolim mittit. Caput. ix.



AT ROSMVNDA ſategit apud Proceres, blandiēs atq́ʒ multa promittens, ut Helmechildis, fortis & nobilis iuuenis, Rex declararetur. Sed peruincere non potuit: inſuper arma minantibus illis, quòd optimum Regem peremiſſent. Regina omni Regia ſupellectile, auroquè, quod erat in theſauris accæpto, cum Amaſio, & filia, prono Atheſi delabitur in Padum: indeq́ʒ nauigans, fide publica à Longino interpoſita, peruenit Rauennam. Ibiq́ʒ apud eundem exarchum inſtitit, ut Regnum Helmechildi donaretur, in poteſtate eius ſemper futuro: aut ut Longobardi Italia pellerentur. Multa mouere

ta mouere Longinum, cuius pridem uxor rebus humanis excessisset, & species mulieris, & aurum quod tenebat, maximè autem Regni respectus. Sperabat enim, ut quoniam Iustinus breui excesserat, Tiberiusq; succedens bello Persico implicabatur, facilè futurum, ut accedentibus sibi Longobardorum uiribus, Italiæ Regnum occuparet, atquè defenderet. Itaq; mulierē uerbis aggreditur, Amasium tollat, sibiquè animum inclinet ad nuptias. Procax & mobile pecus, quocunq; impellitur: dat fidem, utrunq; se perfecturam. Igitur egredientem de balneis Helmechildem, poculo, quod miscuerat uenenato excipit: specie recuperandarum uirium, quas uidebatur balneū tentasse. Ille haurit, nihil dubitans. At statim sentiens uim pestiferam, cœpit cogitare quod erat: modicumq; quod supererat, iussit illam epotare. Ea ficto uultu blandiens, non se exisse de balneo, allusit. Sed ille iam contracto uultu, manumq; capulo adijciens, transfodere illam, nisi potet, minatur. Hausit: & simul una hora uterq; extinguitur. Longinus filiam Reginæ, cum Thesauro mittit Constantinopolim Tiberio Imperatori.



¶ Clephes Albuino succedit. Sub hoc Venetiæ à fugitiuo populo conditæ. Tyrannus à suis occiditur. Caput. x.

CLEPHES uir fortis, & inter Proceres nobilitate insignis, à Ducibus surrogatur in Regnum Albuino: Animo quidem & manu promptus: sed qui ferocitate & temulentia superaret omnes Reges. Non enim solum in hostes, qui Imperatori parue rant, sed etiam in deditìcios, qui se Albuino permiserant, crudelitatem exercebat: ut quemquè suspicione, aut maleuolentia notauerat. Cuius terrore immanitatis, plures ex Venetis (id enim tum Prouinciæ nomen fuit, quod est modo ciuitatis) in paludes concesserant: augentes numerum eorum, qui pridem sub Atila Huno, & deinde sub Albuino primum Italiam ingresso, eo loci cœperunt habitare: paulatim à diuersis æstuarijs in unum nunc ciuitatis locū peruenere, iacientes fundamenta opulentissimæ & potentissimæ ciuitatis. Tamnetum urbem euertit. Forum Cornelij, quod Antiochus Narsetis Dux demolitus est, ipse instaurauit, ut arcis nomine Imola diceretur: quod nomen hodiè tenet. Muniuit autem ea ratione: ut inde Rauennæ, Brixelloq; grauior incumberet, Fauentinis quoq;, Foroliuiensibus immineret. Ariminum autem, in qua pridem administrauit Ducatum, & perinde suam ciuitatem, ducens copias. Inde mouit in Classense oppidum. Quo capto, præsidium imposuit: ut quotidiè portis immineret Rauennæ, Imperatoriosquè uexaret. Cæterum Duces suos in urbem Romam,

Clephes XII.

Tyrannus.

Venetiarū conditores.

Imola.

cæteraquè misit oppida, quæ omnium urbium quæ restiterant Albui ni Ducibus, præter urbem Romam, Tibur, & Hostiam, Imperium ei us accepêre: prolatata ad bonū modum ditione. Tanta erat Regis hu ius ad res gerendas acrimonia: ut si diuturnum illius Regnum fuisset, Rauennam, & urbem Romam captas, aut solo æquasset, aut suo im plesset populo ac milite. Sed consuluit rebus fortuna, & imminēs cun ctis desuper arbiter rerum DEVS, ut à suis, Rex crudelis, altero Re gni sui anno perimeretur. Gens libera, & iam ferox, multis affecta ui ctorijs, sæuitiam in suo Rege non tolerauit.



¶ Triginta Duces Regno substituuntur: qui breui, in signes gentes sibi subegerunt. Inde Romani cum illis pacis conditiones ineunt.

Caput. xi.

xxx. Duces ad decennium Regno præsunt.

DVCIBVS deinde res commissa est: quos ex suo nu mero. xxx. creabant. Regis imperium horrentes, propter ferocitatem proximi Regis, quam non modò in alienos, uerùm & in suos exerce bat. Magna res: ut æquato inter omnes Imperio, rem gerere possent uno consilio: quod etiam inter Togatos difficilè conuenit, oriunturq; simultates. Sed ipsa rei nouitas, & periculi magnitudo, quòd de salute omnium, & singulorum, suorumquè affectuum ageretur, unum illos sentire perpulerūt. Hi per Vmbros, Picentes, Pelignos, Marsos, Sam nitesq; agmina circumtulere: & Ducibus suæ gentis, uno apud Spole tum, altero apud Beneuentum cōstitutis, Campaniam, & omnia quæ aut in maritimis, aut mediterraneis, Tibur usq; ad Romam sunt, sibi subiecere. Neapolim quoq; in suis partibus habuere. A Siponto aut em, & Beneuento in mare uergentia, & eorum mediterranea, Impera tori Orientis adhuc parabāt. Potiti tam multis Italiæ regionibus Lon gobardi, in Vrbem duxerunt. Nec tamen diu illam obsederunt: quòd prædæ imminebant uicinæ regionis: quam & si anteà uastarint suæ gentis sub Albuino Duces, maiorem tamen sua spe sunt consecutæ. Et hæc omnia (quod merito mirandum sit) uno pariter anno confe cerunt. Tantum uictorijs Prouinciarum obeuntes, quantum si uiator quisq; priuatus collustrasset, magna satis peregisset itinera. Et tamen non prædas modò, & incendia, sed basilicarum, & theatrorum in ea regione plurimorum demolitiones peregêre. Sęuitū est in uiros atro citer. Sic enim firmandi timoris, & constituendi Regni ratio deposce re uidebatur. Sed cùm per ea tempora Tiberius Imperator bello Per sico implicitus teneretur, & illo finito, statim contracto morbo rebus humanis excederet: Mauricium generum Imperij designans successo rem, non erat Romanis perfugium ad Græcos. Igitur hortante Pela gio Pon

Eorum uictoriæ.

Tiberius Imp.

gio Pontifice,& Hermano Præside, oratores mittũt Romani ad Longobardos: ut quæ occupassent, tenerent, dequè reliquo benè sperarẽt, pacem dantes,& accipientes. Eam tum Legationem Duces perbenignè audierunt, acceperuntquè, treugas firmantes in tempus. Perurgebat enim illos timor à Gallijs: quòd Franci indignè illam emigrationem Longobardorum ferrent: & erant obuij illis Amatus Romanæ in Gallijs Prouincię, & Francilio Liguriæ Præsides, pro Romanis tuentes commendatas sibi regiones: quibus cùm antea malè cuperent Franciæ Reges, Longobardorum tamen illos transitus iam conciliauit, ut auxilio ueniant Præsidibus à Gallijs, aduersus Longobardos memoratos.



¶ Longobardi pace cum Romanis inita, Liguriam & Prouinciam subigunt, Franciam depopulantur. At Smaragdus exarchus nouus, illos bello perdomat. Caput.xij.

HOC cùm resciſſent Longobardorum Duces, pacem amplexi sunt oblatam ab Romanis: ut totis uiribus ducerent in Gallias. Itaq; duobus ante constitutis Beneuentino & Spoletano Ducibus, duos alios addiderunt in Narnia, atq; Vrbe ueteri. Saxones interea suasi à Francis, desertis Longobardis, per Alpes patriam repetiuere. Quam rem in Saxonia nostra prosequemur. Interea Longobardi pace cum Romanis constituta, duxerunt in Francilionem Liguriæ Præsidem: eumquè captis urbibus, in Comacinam insulam pepulere. Inde Alpes ingressi, oppida quæq; obuia cœpere: & in Prouinciam descendentes, Amatum Præsidem obuium cum Francorum auxilijs habuere. Commisso prælio, cæsus Amatus, fugati sunt Prouinciales. Longobardi autem magna præda locupletati, in Italiam rediere, ne quid ibi per eorũ diuturnam absentiam nouaretur. Annisi sunt Franciæ Reges quatuor tum fratres, ex quo partiti Regnum, Prouinciam Romanam, persuaso Ennio ciue Romano, ut Præsidatum acciperet, à Longobardis tueri. Quod ubi Duces accæperãt, per aliam regionem inuecti, Franciam populantur. Sed Eñius locorum fretus noticia, per nemorosa duxit: & Longobardos à tergo aggressus, regionis ignaros, magna clade tum affecit. Illi uerò properè in Italiam redierunt. Per quæ tempora Smaragdus nouus exarchus, Longino mittitur successor. Is aduentus sui principio, cùm intelligeret Prouinciæ statum, Classense oppidum, quo impositi Longobardi, quotidiè portas Rauennæ pulsassent, crebris afficerent incommodis, prælijsq; leuibus fatigarent, primùm statuit oppugnare. Ad eam rem Drotula quidam Sueuus, inter Longobardos honoratus, unus de triginta Ducibus, pro

Saxoniæ libro.1. ca.30.

Liguria capitur.

Smaragdus exarchus.

uirtute & rei militaris ſcientia conſtitutus, cùm intellexiſſet Longobardos iniquo in ſe ferri animo: quòd audiſſent, uictores Sueuos, Saxonibus amicis intuliſſe cladem (quam in Saxonia cõmemorabimus) magnum attulit adiumentum. Nam illum euocans Brixello, cui præerat Smaragdus, cum ſuis copijs, iuſsit oppugnare Claſſenſes. Præerat illi oppido Feroaldus Dux impiger, qui aduectum fluuio ſentiens Drotulam, Dromonibus occurrit. Grauiterq́ pugnatum eſt. Sed accolæ paludum, Romanis, Drotulæq́ ſuppetias ferebant: facileq́ uiarum peritia, fatigatum Feroaldũ retrocedere cõegerunt. Interim Smaragdus exarchus, à terra Claſſenſe oppidum oppugnauit: peneq́ perpulit ciues facere deditionem, niſi aduolantem uidiſſent Feroaldum. Qua re confirmati, ſe continuerunt. Sed cùm paulò poſt hoſtilem nauem inſequentem uidiſſent ueſtigia Feroaldi, intelligentes, quod erat, res Longobardorum ibi anguſtatas, Exarcho ſe dediderunt. Captumque Feroaldum cum Præſidio ſuo, crudeli morte peremerunt. Ea uictoria celebrem fecit Smaragdi aduentum. Erectiq́ ſunt animi multorum per Ciſalpinam Galliam, quæ poſtea, & nunc Lombardia eſt, ad faciendam Exarcho deditionem. Sed inde Duces Longobardorum alia inire conſilia cõacti, de Rege creando, poſt decimum à morte Clephis annum conuenerunt.

Claſſenſes Exarcho ſe dedunt.

Gallia ciſalpina, Lombardia.

¶ Antharis Longobardorum Rex .xiij. Brixellum recuperat; Hiſtriam depopulatur; Comum Italiæ oppidum capit. Caput .xiij.

Antharis XIII.



NTHARIS ex Ducis unus poſt Clephen, Rex cõmuni decreto crëatur, filius poſt patrem. Sed deerat Regius illi apparatus, deerat ſupellex tanto nomine digna, deerat theſaurus rebus comparandis. Ergò ditiſsimi Duces, facta collatione, dimidium quiſq́ quod ſeruauerat, Regi contulerunt. Rex inde comparatis bello gerendo neceſſarijs, primùm ducere conſtituit in Brixellũ: quod oppidum perfidia Drotulæ ad Romanos defecit. Proſpiciens iſta Dux Sueuus, molem belli illuc conuertendam, egregiè munierat, copijs auxerat, commeatibus implerat. Nec illum ſua fefellit opinio. Nam Antharis Rex totis incumbebat uiribus, defectionem & Ducis & oppidi uindicare. Acerrimum ibi geſtum eſt bellum: quod neceſſe fuerat, Longobardis contemptum defectionis uindicantibus: Sueuis autem pro capite & fortunis omnibus dimicantibus. Prouiderat aũt Rex lintrium in amni Pado infinitam multitudinẽ, quibus dies ac noctes à terra & flumiue fatigabat obſeſſos: nec requies erat ulla, donec primus Drotula deditionis faceret mentionem. Nec difficulter accæpta. quòd cernerent immenſum expugnationis futurũ laborem. Igitur cum

tur cum præsidio dimissus, Rauennam aduehitur. Sed uictor Rex, Brixellū oppidū, ut alijs metū defectionis faceret, solo funditus æquauit. Antharis uerò, Flauius agnominatus, à quo id nominis remansit successoribus, quo Regnū magis, magisq́ firmaret, primus apud Exarchū fecit induciarū mentionē. Et facilè obtinuit, arbitrante Smaragdo: durum sibi, Romanisq́ esse, nouum Regem exturbare. Firmatæ sunt triennio: ut quā pars quęq́ in illū diem teneret prouinciam & urbem, in ea quietus permaneret. Smaragdus autem, Germanū Romæ à se Præsidē confirmauit: misitq́ à Rauenna cum illo Gregoriū à legatione sua Constantinopolitana, tum primū redeuntē in Vrbē. Exeuntibus aūt treugis, Antharis Rex misit exercitū in Histriam: qui populationibus insistens, magnam auri uim corrasit. Inde reuersus in Italiam, Comum oppugnauit: quo se Francilio Dux, pro Romano sentiens Imperatore, annis iam.xx.continuerat. Sed capto oppido, in Insulam (Larij locus) communitam confugerat: eamquè sex mensibus defensam, tandem cōactus est dedere, pactus cum uxore & familia abire, Rauennam adnauigat.

Brixellū solo æquatur.

Flauiorum origo.

Histriam depopulatur.

Comum capit.



¶ Childebertus Franciæ Rex, fidem Anthari frangit. Bauariam superat. Imperator Mauricius illius suppetijs, Longobardos Italia pellere, frustra conat. Tandē fatis cedit Antharis. Cap.xiiij.

ANTHARIS autem Rex, cùm Regni uires etiam externis societatibus, affinitatibusq́ communire statuisset, Legationem misit ad Childebertum Francorū Regem, perpetuā cum illo pacem, affinitatisq́ iniens iura, data sibi uxore eiusdem Regis germana. Spopondit Francus: & processit usq́adeo sponsio, ut munera sibi inuicē mitterent sponsi. Sed postquàm Richardus Vuisigothorum Rex, ex Hispanijs eandem puellam postulasset, mutata sententia, Childebertus inclinauit in Gotum: quòd ille Christo fidelis, omissa paulo ante Arriana perfidia, Antharis autem esset idololatra. Prospiciens uerò Francus, Longobardum sui contemptum acrius uindicaturum, præuenire illum constituit. Et quoniam Tendelindam Garibaldi Bauarorum Regis filiam, Antharis sibi despondit, statuit Francus, ab affinibus eius facere belli principium. Magno igitur Bauariam agmine ingressus, usqueadeò terruit Regem, ut filiā desponsam, cum filio Gondoaldo præmiserit in Italiam. Antharis obuiam Verona exijt sponsæ uenienti: dignanterq́ excipiens, celebratis nuptijs, thalamo suo iunxit. Childepertus aūt Franciæ Rex, superato, fugatoq́ Bauarię Rege, prouinciā sibi subiecit: & per Tridentinos mouit in Italiā. Interea cùm ista resciſſet Mauritius Imperator, legationem misit Francorum Regi, cum

Frangit fidem Francus.

Bauariam Francus superat.

gi, cum magno auri pondere: maiorem pollicitus pecuniam, si Longobardos ea parte quam occupassent Italiæ, pulsos redderet, uacuaretq; prouinciam Imperatori. Spondit Francus, & accæpta pecunia, cœpit in Italiam descendere. Comperitquè Duces iam assuetos ante libertate, grauiter ferre Regis imperium: accersitos ad se nonnullos, tentauit sermone, si sinerent opprimi Regem, illis permitteretur, accæptâ Prouinciam, ut ante, sine Rege gubernare. Inuenti sunt in eis, qui conditionem acciperent, Regiq; Francorum operas suas promitterent. Primus insulæ Iuliani Dux: quem secutus Bergomensis, ac deinde Teruisinus. Sed consyderans Rex, auctam Imperatoris potentiam, Regno quoq; suo grauem imminere, cœpto destitit: reduxitquè agmina sua in Gallias. Antharis autem uix expleto in coniugio Tendelindæ anno, uita functus est. Duces à Francorum Rege pace postulata, de nouo Rege creando conuenerunt: & quoniam non facilè in unum consentire potuere, omnium decreto sancitum est, Quem Tendelinda Regina insignis uirtutis fœmina (cuius in laudibus bëatus etiam Gregorius contemporaneus, multus est) maritum sibi delegisset, eum cunctis Regem futurum.

B. Gregorij testimoniũ.



¶ Agilulphum Tendelinda sibi in Regem adsciscit. Is captiuos à Rege Franciæ inita pace liberat: rebelles digna ultione cöercet. Caput. xv.

Agilulphus. XIIII

AGILVLPHVS Dux pridem Taurinensium, insignis fortitudinis iuuenis, magniq; animi, corporisq; dotibus præditus, à Tendelinda maritus eligitur, & perinde Rex communi omnium decreto constituitur. Prima huius Regis cura fuit: captiuos, quos Childebertus Franciæ Rex ex Tridentinis duxerat, redimere. In quam rem Agnellum misit Episcopum. Qui haud quaquã multos reduxit: eos uidelicet, quos Baluinichildis Franciæ Regina suo ære laxauerat. Ennium quoq; uirum primarium, firmandæ paci inter Regem Franciæ, ac se, misit oratorem. Quam largis ille conditionibus reportauit, opportunè satis Agilulpho. Nam nisi eam deforis pacem impetrasset, magno nimis incõmodo fatigaretur, intus domestico bello à suis Ducibus laborãs. Nam qui Franco fidem dedissent, quieturi nõ uidebant. Igitur Minulphũ Iuliani Ducẽ, occidi curauit. Quod idẽ ueritus Bergomi Dux, ea quę erant rebellioni necessaria parabat. Rex aũt domestici belli periculũ ueritus, interuenientibus amicissimis, utrinq; pacẽ dedit Gandulpho, accæptis obsidibus. Sed tanta fuit ob scelerũ conscientiã, sincerę fidei diffidentia, ut statim post datos obsides rebellaret. Rex aũt cõtractis copijs, illũ insequit. Ipse fugiens, se recępit in insulã Comacinã: & deceptis custodibus, ingẽs aurũ,

Rebellium ultio.

quod

quod Francilio olim Dux comportauerat, Antharis autem Rex, capta Insula illic custodiri mandauit, in suam redegit potestatem. Secutus autem Rex, cùm munitionē iam penè expugnasset, deditionē facienti, permisit ut abiret: clementię uolens famam disseminare. Aurum autem repertum, Papiam iubet deportari, & in arce per fidissimos curauit custodiri. Tarnismus autem Dux tertius ex defectoribus, nouas & ipse res molitus, misso à Rege exercitu capit̃, & in uincula conijcit̃. Interea nouus in Italia Exarchus, Romanus nomine, ciuitates in fide manentes communiuit, firmauitquè præsidijs, quæ non solùm loca tutarentur, sed etiam egressi, Longobardos infestarent. Ita Patauium, Montesilix, Mantua, Cremona munitæ. Inde copias extraxit: cũ quibus & ipse profectus est, urbem Romam confirmare, uicina oppida recipere. Ita Sutrium, Polinarcium, Hortam, Tudertum, Ameriam, Perusiam, Luceolum, & complura alia oppida et castella recepit.

¶ Persuasu Papæ Gregorij, Tendelinda cum Rege & Longobardis Christianismo initiantur: fœdera cum Bauaris, Hunis & Vuandalis ineunt. Zoto Dux Cassilien. Monasterium igne absumit. Agilulphus fractis inducijs, Romã usq; omnia deuastat. Capitur Regis gener Godescalcus ab Italiæ Exarcho.

Caput. xvi.

ERAT ea tempestate in urbe Roma uir sanctitate & autoritate præcipuus Gregorius, qui Religionis & prudentiæ artibus pacem Reipublicę quæsiuit. Nam Tendelindæ Longobardorum Reginæ, dedicauit quos inscripsit Dialogorũ libros. Quo munere tantum sibi deuinxit religiosam mulierem, ut non solùm inducias bello, sed etiam gentem Longobardam, ab omni idololatriæ spurcitia, hæreseosquè contaminatione purgari impetraret. Insuper Rex bona Ecclesiarum, quæ à Longobardis ubiquè tenebantur, dimitti curauit intacta: Donationesquè multas, quarum extant Priuilegia, fecit Ecclesijs. Præterea ut uires augeret, non solùm Bauaris, sed Hunis & Vuandalis fœdera coniunxit. Quo tempore aucti uiribus, qui pridèm sparsi erant, Vuandali adunati, suasu Agilulphi in Histriam se contulerunt: ibiq; capta regione, sedes fixerunt: quas usq; hodiè tenent, iam Sclauoni, ut etiam à plærisq; ante uocitati: cùm uerum & gentile, ac uetustissimum gentis nomen sit, ut Vuandali uocitentur, Tacito, Plinioquè autoribus: & his longè antiquiore Beroso Babylonio. Quam rem in Vuandalia nostra multo plenius explicauimus. Sed Duces Agilulphi nondum compositis animis quieuerãt.

Gregorij ad Tendelindam Dialogi.

Vuandali, Sclaui.

Igitur

Igitur in Veronensem, Papiensemq́, ac Bergomensem, bis ante, ut diximus, hostilia professum, animaduertit, sublatis de medio noxijs: ut exemplum cæteri uererentur. Zoto per idem tempus Dux Beneuentanus, constitutas inducias posthabẽs, Cassinense Monasterium spoliauit, Monachis abire iussis cum uno codice, Regulam beati Benedicti continente: spoliatum incendit, ac solotenus subuertit. Monachi Romam sunt profecti. Hæc est illa clades, quam beatus pater Benedictus fertur prædixisse, cùm uix apud Deum impetrare potuerit, ut animæ illi donarentur. Hic Dux post commissam impietatem, statim defunctus est. Suffectusquè illi est à Rege Arrigis: ad quem plures extant Epistolæ Gregorij: & illa præcipuè, quam ad instaurandum memoratum Monasterium perscripsit. Ariulphus autẽ Hetruriæ Dux, omnem eam regionem, & agrum Romanum, usquè ad Vrbis portas infestauit, populationibus & incendijs digrassatus: multis ex municipijs, multis Romanæ urbis ciuibus peremptis: agricolas magnis gregibus abactos, misit in Franciam, uenundari in seruos. Quam uiolatæ pacis iniuriam, iniquo (ut par erat) animo ferens Exarchus, arma contrahit, ducitquè in Longobardos. Gallinicus is erat, cùm Romano Rauennæ defuncto, ab Imperatore esset surrogatus: uir patritius, bellicæ rei scientissimus. Prima illi uictoria ad Parmam: quam recepit: inq́ ea cœpit Godescalcum Regis generum, cui filiam prioris matrimonij copulasset. Nam Tendelinda Regina filium illi peperit Adoaldum, habitans Modoetiæ, in Palatio quod Theodoricus Gotorũ Rex exædificauit. Cui Regina cõpar aliud iunxit. Simul & basilicam sancto Ioanni Baptistæ, quæ hodiè uisitur, insignem: ut uoto se exolueret, quod memorato Sancto, si filium pareret, fecit.

Cassinense Monasterium combu- ritur.

Gallinicus exarchus.

¶ Agilulphus Rex Patauium & Montesilicem urbes capit. Exercitum in uer futurum maximum parat. Pace tamen inita, nec seruata, Roma obsidetur.

Caput. xvij.



GITVR Agilulfus dolore captæ filię, etiam tum prægnantis, ac generi, captæq́ urbis, se uindicare constituit: in Patauiũ, reliquasq́ Venetiæ, quæ in fide Imperatoris, & gubernatione Rauennatis exarchi semper permãserũt urbes. Prima apud Patauiũ cõflictatio. Cui præsidium ualidũ immisit ex Raueña exarchus. Ea urbs uallo cincta, nõ mœnibus cocterício, aut cęso lapide, raris etiam domibus

am domibus opere lapideo instructis, sed lignis, asseribusq́ue, quibus abundat regio, firmatis, incendio prona fuit. Equidem ab illa Hunorũ demolitione, per tempora Theodorici Gotorũ Regis, inhabitata, ad pristinum decorem non redibat. Igitur immissis per tela ardentia ignibus, deditionem hoc modo militibus, ciuibus promiscuè abire permissis, extorserunt. Montemsilicis urbem simili instructam paratu, similis sors excępit. Nisi quòd Padua incendio subuersa, non remansit: ista autem deditione facta, cõpressis ignibus remansit. Et quoniam magnis copijs Gallinicus aduentare præsidio regionis ferebatur, Mantua & Cremona relictis, Agilulphus Veronam & Ticinum reuersus est, maiores copias educturus aspirante uerno tempore. Mittit igitur ad Vuandalos, nuper Histriam eius suasu occupantes: auxiliaria mittant arma, mutua illis uicissitudine, ubi opus uidebitur, hinc uentura. Sed & Ducibus suis edixit, ut ad prima ueris signa, cum copijs adessent Mediolani. Erant in eis, qui offensi, Regi rebellaturi uidebantur: sed illos præueniens, muneribus, ac communibus amicis interuenientibus placauit. Cùm autem arma magno inuicem paratu instruerentur, Gallinicus in ipsa molitione diem suum obijt: declaratusquè est nouus Italiæ exarchus Smaragdus iterum: & in Italiam nauigans, cùm maiores opinione sua Longobardorum uires cerneret, per fugam quendam Longobardum Nordulfum, misit ad Imperatorem. Is impurissimus nebulo, optimi Pontificis Gregorij acta commaculans, omnem culpam perditæ rei imposuit Gregorio: quòd pacem cum Ariulfo Hetruriæ Duce constituisset, per quam gentis & Regis creuisset potentia. Sub tamen idem tempus, cùm uideret Smaragdus frustrà se niti aduersus Longobardos, pacem quam Pontifex, & Vrbis Pręfectus cum Magistro militum fecissent, apud Ariulfum Hetruriæ Ducem, ipse cum Rege confirmauit Agilulpho. Gauisus Imperator, inuenisse occasionem qua Pontificis acta rescinderet, partem copiarum Vrbem defendentiũ euocatam, Perusia atq; Narnia iubet consistere: & ut Pontificis optimi acta rescinderet, iubet Hetruriam, & Ducem eius Longobardum infestari. Nec tamen ille perpelli potuit, ut Vrbi Romæ bellum inferret: sciens Pontificis opera nihil horum fieri. Sua igitur tutatus Dux, alienis abstinuit, & fœdera cum Gregorio innouauit. Agilulphus autem Rex cùm intelligeret, inter Imperatorem & Pontificem subortam simultatem, ita ut de summa rerum inter illos nõ congrueret: licet Tendelinda Regina hortante, pacis spem dedisset: tamen peruicit in eo cupiditas totius Italię potiundę. Ergo copias in Cremonam ac Mantuã urbes cõparatas, urbi Romæ cogitauit immittere. Cocanus enim Vuandalorũ Rex, expeditũ suę gentis misit exercitum,

Pataulum capit.

Smaragdus Exarchus Italiæ.

Pax inita.

exercitum, Ducesq; Mediolanum, ut fuit edictum, conuenerant. Perpulit autē Rex Agilulfum Ducem Hetruriæ, ut discissis fœderibus, bellum renouaret. Peruicit imperiū Regis sui, ut etiam inuitus fœdera discinderet, belloq; denunciato, Ciuitatem ueterem, & pleraq; nominatim in fœdere comprehensa, caperet. Mouit igitur Rex in Vrbem tranato Pado. Quod cùm Pontifici renunciaretur, ipse, & Magister militum commendata Vrbe Præfecto, egressi oppida confirmarunt. Tanto autem impetu Rex cum equitatu aduolauit, ut parum ab fuerit, quin Pontifex, & Magister militum interciperentur. Obsidetur ergo Roma, & maximis calamitatibus implicatur: quæ ipsius testimonio Pontificis, ex eius epistolis colliguntur. Per eam tamen obsidionem, Arrigis Longobardorum in Beneuento Dux, nunquàm inclinari potuit, ut aut in castra ueniret, aut suppetias Regi mitteret, aut bellū Imperatorijs circumsedentibus commoueret: ita uir constans firmatę paci inhærebat. Sed Agilulfus Rex, cùm anno integro obsidionē Vrbis continuasset, nec ullam spem potiundæ haberet, obsidione soluta, per Hetruriam copias reduxit Mediolanum.

Violatur pax inita.

Roma à Longobardis obsessa.



¶ Cremona solo æquatur, Rauennæ partim laceratæ par citur. Adoaldus uix quadrimus, filiæ Regis Francię desponsatur. Caput.xviij.

PER ea tempora, militari tumultu Phocas ad Imperium peruenit, Mauritiusq; captus, cum omni domo extinctus est. Quod illum Visio præmonuit. Cuius rei occasione implicitum cernens Orientis Imperium, copias renouauit Rex Longobardorum, Cremonamq; obsedit: imperans Ducibus suæ gentis Hetrusco, & Spoletano, ut uicinos agros infestarent. Obsessam autē urbem, tricesimo die captam, solo æquauit. Inde ductum est in Mantuam: cui fortè inerat præsidium ex Rauenna. Igitur fortiter oppugnantibus, æquè fortiter obuiatum est. Sed tamen quia Longobardi Arietibus admotis, murum ruperant, milites pactione abire permissi, ciuibus deditionem facientibus, parsum est urbi: ut tantùm muri parte demolita, reliqua urbis ædificia sinerentur. Vulturnenses territi, deditionem fecere. Brixello inerat præsidium, quod tumultuariè cōmunierat post euersionem priorem solùm: ut abactam uicinis prędam ibi partiretur. Audita clade ciuitatum, incenso oppido, Rauennam sunt milites delati Interea cùm bonam de se spem faceret Imperator, quadam uirtutis specie prætensa, Prouincias in fide confirmauit: Longobardos in Italia terruit. Itaq; inter ipsos, Smaragdumq; exarchum, primò induciæ, inde pax in annum est constituta. Quo tempore Agilulfus: ut se affinitatibus communiret, Adoaldo filio uix quadrimo, Tendeberti Francorum

Anno Christi 603.

Cremona solo æquatur.

corum Regis filiam popoſcit uxorem:& quod ſperauit, cum fœderibus conſecutus eſt. Sed inter hæc cùm omnes Duces Longobardi, conſtituta cum Francis pace gauderent, Pontifex Sabinianus, Gregorio ſuffectus, & ipſe pacem cum Longobardis fecit. Sed & Rex, Notarium ſuum miſſum Conſtantinopolim, nouo Imperatori gratulatus, pacem rebus triennio inde reportauit. Imminebat autem maius Romano Imperio diſcrimen ab Aſia, Perſis primùm, & poſtea Sarracenis imminentibus. Sed nobis Longobardorum res proſequi conſtitutum eſt. Sabinianus Papa.

¶ Bauari Longobardos fugant. Romilda Regis Bauarorum, libidine capta, Forum iulij ædit: una nocte guſtata, Bauarorũ Rex omnium amplexui exponit, urbem & omnes eius incolas ſubſternens. Pace dein pacta, Agilulphus moritur. Caput. xix.



IGITVR per Italiam pace conſtituta, cùm à Francis & Imperatore nihil formidarent, quod minus cauerant, à Bauaris inſignem Longobardi cladem accepêre. Huni fuere ab origine, qui accæpta inſigni clade in campis Catalaunicis: deinde pereunte Rege eorum Atila, cùm ſe omnibus inuiſos ab hoc nomine cernerent, à Duce ſuo Auario, Auares dici amabant: unde detorto nomine, Bauari ſunt appellati. Noricũ tenentes trans Danubiũ, regionem Italię proximam: quam tamen noſtris temporibus tenent Auſtrales. Hi igitur Bauari, Rege Cacanno mouerũt in Italiam. Forumiulij prima ciuitas occurrit agmini, quam tenebat Agiſulphus Longobardorum Dux. Qui comperta Bauarorum expeditione, quantas potuit ſuorum uires contrahit, hoſtibus obuiam factus. Vbi concurrerunt, grauiter præliantur. Sed Longobardorum agmen ſatis per ſe magnum, maiori Bauarorum agmine circundatur: & in anguſto conſtituti Longobardi, ſatis pro uirorum fortium nomine fecere. Sed Dux eorum, multis prius accæptis uulneribus concidit. Qui ſupererant, fugæ ſe committunt. quando nihil pro fuit fortiter pugnare. Cacannus igitur audiens Romildam Giſulphi uxorem cum geminis filijs, & quidquid Procerum fuit in ea regione, Forumiulij munitum per eam ætatem petijſſe (equidem à memoria Atilæ, & deinde Herulorum, Longobardorumq́ꝫ, cùm quædam Italiæ porta cenſeretur: utq́ꝫ confidentibus certum maneret profugium, maximo impendio uallis, foſſatisq́ꝫ, mœnibus, turribusq́ꝫ erat permunitum, in quod ſe cum Proceribus magna militum manus incluſerat) ſecutus Cacannus, arta cingit obſidione, fortiſsimeq́ꝫ oppugnat: æquè fortiter defenſatum. Sed Romilda Ducis relicta lubrica, conſpiciens

Bauarorum origo.

Fugantur Longobardi.

muris obequitantē Cacannū iuuenē flaua cęsarie, uisuçꝫ speciosum, exarsit, libidine uiri potiūdi: deçꝫ sua uoluptate consiliū pacis cōcęperat. Missis nuncijs, pacta nuptias suas, deditionē offerebat. Accæpit Rex conditionem: & intromissus, primæ noctis fidem peregit, toro sociatus Romildæ. Sed postera luce proteruam fœminam, permisit ludibrio uexandam quorumlibet cōplexu ad fatigationem. Inde omnes in urbe repertos, utriusçꝫ sexus, cuiusquè ætatis & notionis homines, portis eductos, uno in grege iubebat custodire: spem faciēs, illos in antiquas sedes reducendi. Deinde oppidum prædæ subiecit: uacuatamque incēdit, ac iussit complanari: usçꝫadeò, ut ignoretur hodiè, quo loco constiterit Forumiulij. Vnde Prouincia nomen etiam hodiè sortitur. Captiuos in Noricū deducens, in loco, qui ab illo facto, Sacer dicitur, omnes trucidauit. Duo tamen filij Ducis feruntur elapsi. Hanc calamitatē perpessi Longobardi à Bauaris, uicina tamen metropoli oppida communita seruarunt. Rex nunciata irruptione, priusquàm succurrere potuit, audiuit esse debellatum. Fratrem deinde Gisulphi Grasulphum, loco illius Ducem prouinciæ constituit. Cunçꝫ Italia Exarchorum insolentia turbaretur, iam propter perplexitatem Imperatori natam, Exarchi duo, alter post alterum, se Reges Italiæ uocitarūt: qua ambitione exardescentes, pacem decem annorum cum Longobardis pepegerunt. Sed occisis à suis Ducibus tyrannis, cùm nouus Italię mitteretur exarchus Isacius, iam Heraclio Imperiū tenente, moritur Agilulphus Rex Longobardorum.

Forumiuliū solo æquat.

Anno Christi 612.



¶ Pace sum̄a, cum filio adhuc puero Adoaldo, Tendelinda Regina Regno præfuit. Cuius tempore surgit Mahumet. Regina defuncta, Adoaldus destituitur. Caput. xx.

ADOALDVS puer, filius Agilulphi, cum genitrice Tendelinda, Longobardis cupientissimè fauētibus, in Regno successerant. Ea enim Regina, quam à principio aduentus sui in Italiam, sibi comparauerat Longobardorū gratiam, adeo conseruauit, indiesquè auxit, ut Duces, militesçꝫ Longobardos uerbo magis regere, quàm Reges illos armis compescere potuerunt. Hinc nullis fœderum innouata cōditionibus, pax Longobardos inter & Italos per decem an̄os, quibus puer in Regno uixit, quietissima fuit: quinetiam eiusdem pacis bono, multa, uariaçꝫ Regina cumulauit in Italicos beneficia: quòd non modò Ecclesijs, pijsçꝫ locis, pueri Regis nomine, donationes maximæ sint factæ, sed urbes, oppidaquè alicubi instaurata. Hæc sunt illa cruenta tempora, per quæ Orientis Imperiū, primùm à Persis: inde illis deuictis, à Sarracenis Duce Mahumet impurissima belua, maximū

Adoaldus XV.

Mahumet surgit.

mũ ſuſcępit detrimentũ. In Italia pace ſeruata per uirtutem & prudentiam optimæ fœminæ Reginæ Tendelindę, quę quamdiu ſupererat, Longobardi Regem non deſyderabant, Rege puero contēti. Vbi uerò illa rebus cōceſsit humanis, perteſi Lōgobardi puero ſubeſſe: quòd res gerendæ uirum & ingenio acrem, & uiribus ſtrennuum depoſcerent: deſtituto Adōaldo, cùm illi patrimonium permitterent non contemnendum, ex Ducibus Regem creauere, rebus iam pace florentibus, deterioribus tamen temporibus proſpecturi.



¶ Arioaldus Rex electus, pacis item obſeruator. Sed Heraclij Imperatoris ſocordia, tum maximè inualuit. Apulia, Polonia, & Hungaria per eos deuaſtatur. Caput.xxi.

ARIOALDVS uir in Longobardorũ Ducibus primarius, deſtituto poſt matris mortem puero, Regno eſt ſurrogatus, uir paci & tranquillitati deditus: quam per omne tempus dominationis ſuæ ſęuerè ſeruauit: qua interim & Italicæ res floruerunt, & Longobardorum animi manſuefacti ſunt: iam alio ſub cœlo mitiores effecti, quàm erant à rigida illa plaga uenietes. Interim tamen per ſocordiam Imperatoris Heraclij, maxima mundo mala inuecta ſunt. Nã ſpurciſsima illa Sarracenorum ſecta tum cōaluit, quæ nunc magnam mundi partem occupauit, & deteriora minatur Prouincijs Chriſtianis: imminente propius Turca, eius ſectæ immaniſsimo propagatore. Qui ante non multos annos transgreſſus in Italiam, Apuliæ partem occupauit: maiora tum auſurus, ſi longior illi uita fuiſſet. Filius eius añо ſuperiore, magnas Polonorũ copias fudit: & necdum expleto anni curriculo, Hungariam Chriſtianiſmi murum oppugnans, & deijciens, multa mortaliũ milia abduxit. Miſerator DEVS conſulat futuris temporibus, quando Regũ non ea paret quæ deſyderatur inſtantia.

Arioaldus XVI.



¶ Rotaris Arrianus ſufficitur, contra Pontificem & Imp. præualens bello, Liguriam ſubigit. Leges ſuis primus præſcripſit. Caput.xxij.

ROTARIS illi in Regno ſufficitur, uir alioquin induſtrius, ſed una in re genti ſuæ pernicioſus: quòd Arrianam lapſus in hæreſim, gentem ſuam inuenerit, facilè impietatis ſectatricem: ut per ſingulas ciuitates genti parentes duos conſtituerint Pontifices, alterũ Catholicis, alterum Arrianis præſidentem. Adniſi ſunt Romani Pontifices Theodorus atq; Martinus, Regem ab impietate reuocare, ſed ille magis induruit. Vnde ſuaſit Romanus Pōtifex Martinus, Exarcho Rauennati Theodoro, ut ſumptis armis, CRISTI domini, & ſui Imperatoris iniuriã, in Longobardos uindicaret. Par-

Rotaris XVII.

uit ille, & contracto exercitu, duxit in Regem. Nec ille segnis occur-
rit. Ad Sculteñam amnẽ utriusq; agminis sunt castra collocata. Quæ
autem pars ad aliam sit transgressa, non scribitur: nisi quòd collatis si-
gnis, superiores facti sunt Longobardi, septẽ milibus ab Exarchi par-
te desyderatis. Ea elatus uictoria Rex, mouit trans Apenninum in Li-
guriam: quam prouinciam per annos penè nonaginta, quibus Italiæ
incubuerant, obtinere nõ poterant, sed nunc copijs circumductis, om
nem prouinciam deditam suæ fecit potestatis. Hic Rex suarum Legũ
Codices scribi fecit, quas appellauit Edictum. A quo tempore in ante-
riora sine scripta Lege Longobardi uictitarunt. Extant etiam hodiè
eius generis Codices, qui Longobardas Leges præferũt. Nam & Ac
cursius glossator earum Legum noñunquam commeminit. Hic Rex
Rotaris cùm præ splendore fortunæ suæ, esset gentili penè ritu in au-
ro & argento tumulatus: uiderat hoc quispiam, & furtum animo con-
cipiens, ubi nactus est opportunitatem, aurum clam fodiens extraxit.
Erat autem in templo beatissimi Io. Baptistæ, quod Tendelinda Re-
gina Modöeciæ, exędificauerat tumulatus. Furi ferunt obuium factũ,
cùm abire disponeret, eundem beatissimum Christi præconem graui
uultu, atq; acri sermone illum increpuisse, Quid inquiẽs, perfide, non
timuisti, in sacrario meo furtum admittere? Iste sepultus, & si fidem re
ctam contaminauerit, mihi tamen sese commendauit. Indignum ergo
te reddidisti hoc sacrario. Ferunt item, hominem sæpè deinde frustra
ingressum tentasse: sed quotiens ingredi tentabat, obuium uidit qui
pugno minitans repelleret.

Vincunt Longobardi contra Pont. Max. Liguriam superant.

¶ Rodoaldus deses, ac factis inglorius, adulterio deprehen-
sus trucidatur. Dissidia & sectæ inter Imp. Rom. & Pa
pam, Reginæ pudicitia falso à delatore commacu
lata, Duello famuli uindicatur.
Caput. xxiij.



RODOALDVS mortuo Rotari surrogatus, Regnũ
annis quinquè administrauit: nec magni aliquid peregisse memora-
tur. Quòd Longobardi pace fruerentur optata, partoq; contenti, alie
na non impetebant: nec Exarchis iam fatigarẽtur. Quòd per eam tem
pestatem, etiam Imperatores ad impietatẽ hęreticam dilapsi, cum Ro-
manis Pontificibus non de Regno, sed de Religione contendebant.
Cùm Imperator Constans uinciri Pontificem iuberet Martinum, &
ad se mitti: quod impius exarchus peregit ministerium: & sanctiss. Pa
pa relegatus in exilium, ibi defunctus est. Cùm interim Sarraceni in
Romanis Prouincijs digrassati, iniuriam CHRISTI nescientes
uindicarent. Sed hic Rex, quod tranquillitas peperit, uoluptati se de-
didit:

Rodoaldus XVIII.

Anno Christi 642. Constantis factum.

didit: incp adulterio depræhensus, à marito adulteræ trucidatur. Habuit autem uxorem Gundbergam, filiam optimæ Reginæ Tendelindæ: quæ castissimis moribus matrē repræsentabat. Ausa est tamen perfida quorundam lingua, pudicissimæ fœminæ famam attentare, maritocp deferre, quòd lapsa esset amore peregrino. Territa innocens mulier procaci mendacio, quod diceret non habebat, sed more fœmineo, lachrymis testata est dolorem. Viderat ex famulitio quidam lachrymantem dominam, nec ignorabat quæ res ureret pudicissimam fœminam: præsumptione certissima, innocentiam eius testatus, Duellū offerebat delatori. Ille pugnam excipiens, corruit. Ita fidelis miles, dominæ suæ famam & integritatem, marito probans, apud omnes restituit. Huius clarissimæ fœminæ opus, est basilica beatissimi Ioannis Baptistæ apud Ticinum.



¶ Aripertus tranquillè uiuit, donec ab Imp. Constante apud Beneuentum lacessitus sit. Reliqua eius Imp. acta & mortem docent. Caput. xxiiij.

ARIPERTVS Rodoaldo succedit in Regno: quod nouem annis summa tranquillitate gubernauit: cum Exarcho Romano, atcp Italis pace constituta. Sed in ea uires, ut fieri solet, non armis exercitatæ gentis huius, emarcuerunt. cùm nulla fortiter agendi præstaretur occasio. Sua contenti tueri, alienis non imminebant. Nauigauit tamen per huius tempora in Italiam Imperator Constans, Tarētumcp applicuit: & inde terrestri profectus itinere, in agro Beneuentano cum Longobardis conflixit, & nonnullas ciuitates recepit: Luceriamcp ad solum uscp subuertit. Inde uerò cum cōfluentibus undicp Longobardis parùm proficeret, fiunt induciæ: per quas Romam ingressus Imperator, solennia quædam cum Vitelliano Pontifice peregit. Nec multo post reuersus Tarentum, in Siciliam nauigauit. Qua prouincia, quòd illi Sarraceni reliquum fecerunt, despoliata, in Balneis non longè à Siracusis occiditur à suis, cùm iam in ea insula fecisset per aliquot annos moram. Milites ad antiquam respicientes consuetudinem, Maxentium ex suo numero Imperatorem dixere. Aduersus quem nauigans Constantinus prioris filius, oppresso Maxentio, & patris sui interfectoribus, Imperij dignitatem, quam uidebatur amisisse, pulchrè domum reuocauit. Interim Longobardi sub hoc Rege tranquillitatem temporis nacti, natiuam ferociam, & perinde uirile robur, paulatim exuerunt in mores Italicos, sub molliore cœlo cōalētes.

Aripertus XVIII.

Luceria subuertitur à Constante.

Constans Imp. à suis occiditur.

¶ Gundiperto, Partharis frater Regnū inuidens, Mediolani res nouas mouet. Grimoaldus æquè ambiens, proditione Garibaldi Regem opprimit, Regnū ui occupans. Proditor pœnas luit. Caput. xxv.

Gundipertus.XX.



VNDIPERTVS hunc filius Regno excipit. Sed à fratre Parthari uarijs modis agitatur. Qua ex re cùm pacem deforis haberēt Longobardi, intus domesticis malis laborabant. Nam Gundipertus filiorū Regis maior natu, Regnū sibi deberi confisus, Grimōaldū sibi Beneuentanū Ducē, subsidio in fratrē ferē aduocasse. In quam rem Garibaldū Ducē Taurinensem, misit ad dictū Grimōaldum (cuius erat inter cæteros Duces potentia maior) ut illi in fratrem ferret auxiliū. Intellexit em̄, Mediolani germanū suū rebus nouis studere. Improbus Garibaldus, Grimōaldum ad Regnū inuitauit: ut oppressis ambobus adolescentibus, qui Regno impares uiderētur, uir prudēs & fortis, ipse teneret gubernacula. Facilè persuaséreris ambitioso inire Regnū. Ille mox Ducatū suū filio permittit: uires undiq; ex omni Italia cumulat, ac Ticinum mouet. Garibaldus præcessit, Regi Gundiperto nunciaturus aduentū Ducis Grimōaldi. Ille cū mali nihil suspicaret, etiā cōsilio usus est proditoris de Duce collocando. Hunc, inquit ille, quē coniugio germanæ tuæ dignaris, non alibi, quàm in palatio honestius accipies. Sed illi non longa usi circumitione, Regē, ubi primò conuenit, Grimōaldus opprimit, Regumq; inuadit. Partharis ubi fratris casum audiuit, fuga sibi cōsuluit: quòd par tyrañi uiribus esse non posset. Garibaldus aūt proditor, non longū lætatus proditionis præmio: inuentus est homo, qui ultimi Regis sui uitam impenderet: qui cùm sciret Garibaldi proditione cuncta patrata, tempus obseruat, quo inermis Ecclesiam adeat. Tum latitans, gladium lateri eius infixit: mox trucidatus ab apparitoribus eius Ducis. Grimōaldus autem filium Gundiperti Regis puerum perdidit: Germanam uerò occisi Regis, ut erat constitutum, duxit uxorem.

ô Proditorem.

Vltio proditionis.



Grimōaldus, Regno ui potito, Partharim fratrem à se occisi Regis, ab exilio redeuntem in gratiam recipit: At falsò traductum, Partharim occidere tentat: sed Hanulfi ingenio liberatur. Caput.xxvi.

Grimōaldus.XXI.

Vdiens aūt Partharim occisi Regis germanū perfugisse ad Hunos in Pannoniā, mittit qui Regi gentis Cacaño diceret. Meminisse illū oportere, quòd Longobardorū beneficio sedes teneat præcario: si illorū hostes peragat tueri, uenturos ex Italia ad uindicandas pristinas sedes: ut statim pœniteat illū, se Longobardis opposuisse. Motus Rex, adolescenti ait, Proficiscat quocunq; uelit: sibi non expedire, Longobardos in se prouocare. Adolescēs circumspiciens quo iret, induxit in animū, redire in Italiā: Grimōaldi sororij sui implorare misericordiā: quòd audisset, illū non esse ab humanitate alienū. Itaq; profectus, prēmisit hoīem sibi deditiss. qui Grimōaldi in se animū exploraret.

ret. Audiens ille rectũ Adolescẽtis in se animũ, atq; fiduciã, remandauit. Securus redeat: nihil mali passurus, imo etiã sperare iubebat singulare de se prouectione. Confidit iuuenis, & concitò uenit: atq; iam pronus inclinabat, ut ad pedes se mitteret Grimoaldi. Quod ille non passus, leuauit ad oris osculũ. Tũ Partharis. Ego inquit, seruus tuus sum, & ideò procumbere debui. Poterã quidèm inter exteros uiuere quietus, sed cùm audirẽ te uirũ Christianissimũ, me fidei tuæ permisi. Ille iurat corã omnibus, nihil illũ mali passurum: sed quando se in fidem illius contulisset, summã sui in se affectionẽ experturũ. Deditq; illi mansionẽ in urbe pręcipuã: pręcipiens, ut abunde illi omnia suppeditarentur quæ posceret. Concurrerant ad illũ ciues Ticinenses, plurimũ illi de reditu gratulantes: laudantesq; consiliũ, quòd pacatũ gerẽs animũ, se in gratiam Regis contulisset potius, quàm discrimini bellorũ se per arma inmisisset. Visum est à nonnullis delatoribus, quòd à multis salutaretur: idq; in nouam interpretantes conspirationẽ, Regi suggerebant: ut quàmprimũ illũ perderet. alioquin intestinũ sibi bellũ oriturum. Ille mox oblitus iurisiurandi, consiliũ accępit iuuenis perimendi. Lautam illi cœnam præparans, & uinũ mittens abundantius: ut sepultum mero, commodius opprimeret. Intulit illi splendido apparatu cibos unus ex prioribus ministris, iam Regi seruiens. Non tamen oblitus prioris fidei, cùm intellexisset Regis de illo motũ, secretius insinuauit, ut ebrietatem caueret, sibiq; prudentissime consuleret. Aderant ex Regijs stipatoribus, qui illũ inuitarẽt, de more gentis, ad pocula. Nondum enim patrius ritus in gente defecit: quamuis sub alio iamdiu cœlo nati uicitassent. Partharis in aurem dicit pincernæ fidissimo, ut pro uino in aurea phiala, aquam illi porrigat, quotiẽs fuerit bibendũ. Hoc ille obseruans, sobrietatẽ sectatur: & nihilominus in oculis astantium tam hausit auidè, ut uisentibus persuaderet bibere uinũ. Abierũt quidam ad Regẽ. Ille sciscitat, quid agat Partharis. De uino, inquit unus, quod Rex miseras, abunde potat, & hilarescit. Tũ Rex. Bibat inquit ad uomitũ. nam pro mero quod hausit, cruorem dabit. Inter hæc Partharis Hunulfum unum ex fidissimis uocat: docet periculũ suum, & requirit consiliũ. Ille sibi curę respondet fore, quomodo illum educat. Iubet unum ex seruis stratum suum deponere in cubiculum Partharis, ut apud illum noctu cubaret. Misit autem Rex ex suis, qui obseruent, ne quouis pacto elabatur. Hunulfus autem ingressus cum Parthari cubiculum, culcitram suam cum ursi pelle in crepusculo portari iam seruiliter uestito imponit: illum flagris cædens, seruiliter agit ante se quasi iumentum, ut efferret depositum onus. Qui astitere, non consyderabant uultum transeuntis: quem & habitus, & onus, & fla-

Redit Partharis in gratiam.

Delatio iniqua.

Hunulfi ingenium.

gra uilem esse monstrabant: rogauere tamen, quid tam immaniter cę-deretur? Hunulfus ait. Bestia illa, cùm culcitram inferre iuberetur, non quam debuit inferebat: nunc uadit onus permutare. Iam perductum extra portam, iunctis sodalibus, concitò mittit in Astensem ciuitatem illi fidissimam: quòd necdum Regi pareret. Inde in Taurinensem: unde in Galliā mitteretur extra omne periculū. Facto mane, mittit Rex, qui adducant conspectibus eius Partharim. Cubicularius orat quam-sanctè, permittant fesso ex itinere magno somnum. Illi referunt quæ audierant Regi. Indignatus ille, damnat eorum tarditatem: iubetq; ex cussum somno pertrahi, longo somno mancipandum. Redeūt, & importunè adire contendunt. Iterum in preces descendit ianitor. Illi reiecto eo, ensibus & ferro uiam aperiunt, perfractis foribus irrumpunt, & excusso lectulo, ubi uacuū cernūt, conuersi in famulum, ubi sit Partharis rogant? Ille abijsse confitetur. Rapitur ad Regem, morte uicaria perdendus. Rex sciscitatur, quid de Parthari sit factum? Audit omnem rei ordinē. Rogat astantes, quid mereatur homo iste? Illi una uoce, morte dignum proclamant. Iurat Rex quamsanctè, non pœna, sed præmio dignū, qui fidem domino suo, cum proprio periculo suo, impleisset. Vbi sit Hunulfus, Rex sciscitatur? Confugisse aiunt in Ecclesiam. Rex interposita publica fide, remandat, ut nihil sibi timens, Regem adeat. Venit: & iussus rem exponere, ad liquidū refert, quid pro liberando amico fecerit. Omnes reū læsæ Maiestatis acclamant. Rex uerò negat. Nam fidem honorandam, non culpandam esse. Vocat utrunq; pariter. Optionem dat: secū esse malint in palatio, an cum Parthari in exilio? Hunulfus refert. Quando inquit Rex, arbitrio meo permittis, dicam liberè quod sentio. Ego tibi uitam debeo: quam cùm posses auferre, donasti. Cæterum fides prima obstricta est Parthari, cum quo malim exulare, quàm fidem uiolare. Idem famulus contestatur. Rex utroq; collaudato, iubet de domo sua accipere iumēta, famulos, commeatus abundè, & ire ad dominum suum. Illi actis Regi gratijs, in Franciam contendunt ad Partharim. Tenebat tum Franciam Dagobertus: quo cum fœdus fuit Grimōaldo, ita ut nihil exinde timeretur. Attamen exilium suum Partharis longanimiter tulit: donec Grimōaldum sors de medio fecit. Addidit autem iste quasdam Leges Rotaricis in codice Longobardorum.

Dagobertus Franciæ Rex.



¶ Longobardorum uictoria aduersus Imperatorem Rom. Bauarorum item nomine Regis Grimōaldi contra Lupum rebellem Ducem Foriuliani. Cap. xxvij.

GRimōaldus cùm filiū Beneuento præfecisset, Regnū accæpit post Ariperti filios. Cùm interim renunciatum illi esset,


esset, Imperatorem uenisse in Italiam, expugnasse Luceriam, & euertisse Acheruntiam: Beneuentum quoquè obsedisse, maximis contractis undiq; uiribus, statuit filio subuenire. Præmissis quidèm diuerso itinere multis milibus: qui à Rauennatibus non leue accępere incommodum. Ipse interiori uia gradiens cum expedito milite, nunciũ præmisit, quem filius ante miserat ad illum. Hic à Græcis intercæptus, & Imperatori præsentatus, maiora uero narrauit de superuenientibus Longobardis. Quarum rerum commemoratione motus Imperator, non expectandum duxit, sed soluit obsidionem. Inde mouens Neapolim, ad Taloris amnis uadũ à Longobardis est inuasus. Qui agmen clauserant cæsi: proximi uersi in pugnam, magno prælio manus conserunt: nulloq; ex transgressis redeunte, qui remanserant, penè ad internitionẽ sunt deleti. Declarauit Imperator, Romam iturus, Ducem suum Saburrum, ciuem Neapolitanum, uiginti milia militum illi attribuens: quibus & regionem, & ciuitates in fide manentes tutaretur, & Longobardos insectaretur: ne eunti Imperatori, ut prius, occurrerẽt. Grimöaldus autem sciens sibi Ducem oppositum, duxit in illum: & cùm uterq; pugnæ auidus uideretur, conserta manu fortiter pugnauerunt. Sed Græci milites Italicum Ducem fastidientes, tum concessere. Cæsus Saburrus, & cum eo plurimi, uictoriam reliquit Longobardis. Dum hæc agerentur in Campania, Lupus Fori Iuliani Dux, quem Rex Papiæ defensorem reliquit, ibiq; iussit considere, auctus, omnis spem Regni concæpit: quòd Regem confideret, magnis Imperatoris agminibus implicandum, aut opprimi: aut ita debilitari, ut facile ab illo se tueretur. Manifesta dedit indicia rebellionis. Igitur Rex Grimöaldus, Bauaris, cũ quibus nuper icta sunt Longobardis fœdera, nuncium mittit: ducant in Lupum, eumq; faciant rebellionis pœnitere. Illi non expectato secundo nuncio, ilico duxerunt in illũ. Sed & Grimöaldus magnis itineribus regressus, ab alia cogitauit inuadere regione. Prior autẽ Lupus occurrit expedito exercitu Bauaris, iam Fori Iulij ditionem cum populatione ingresis: & conserto prælio, utrinquè fortiter pugnatur. Prima quidẽ die superior uisus est Longobardus: postera die repetito prȩlio, pari penè clade discessum est. Sed tanta erat animorum concitatio, ut ne tertio die supersederent prælio: in quo iam apertè uictoria Longobardo inclinabat: sed durauit Bauarus, nouarum spe copiarum, quas sciebat superuenturas. Quibus accæptis, renouato prelio, fortissimè dimicans Lupus, inter confertissimos hostium acies cecidit. Bauari uictores, populationibus & incendijs incessere. Grimoaldus Rex iam reuersus, misso solenni nuncio, Cacanno Regi gratias egit: mutuas eidem uicissim

Victoria Longobardorum.

Bauari uictores.

cissim uires repromittens: effecit, ut pacato agmine retrocederet.

¶ Forum Popilij Grimoaldus dolo, & horrenda tyrannide superat, ac solo æquat. Vuandali ab Arnefrite rebellanti euocati, Arnefrite iam cæso, bis in fugam non sine magna clade compulsi sunt. Opterginũ subuertitur. Rex tandem moritur. Caput. xxviij.



EMOR inde Rex cladis, quam sui accæperant apud Forum Popilij, statuit uindicare: sed egit dissimulanter, quasi in Vmbros moturus. Egit autem, ut præmissi leuis armaturæ milites, prius ciuitatem ingrederentur, quàm à quoquam unde essent perpenderet. Ipse magnis itineribus secutus cum militibus, sacra Pascæ uigilia irrupit, populo diuinis intento. Ibi cruenta cædes, & plus quàm Christiana uindicta. Infantes recens initiati, cum sacerdotibus & diaconis, senes cum iunioribus, sine discrimine sexus & ordinis sunt trucidati: ciuitasq; semper Rauennatibus parens, subuersa, solo est æquata. Sed & in Prouincia Forum Iulij noua exarsit conflictatio. Equidèm Arnefrites Lupi filius, paternæ necis dolore percitus, rebellabat. Concessit autem in Dalmatiam ad Vuandalos: quos nunc, superante consuetudine, uero nomine detracto, Sclauos appellant: quorum magna manu conflata, cùm montes & maria, & quæ non haberet polliceretur, terrificus incubuit suis Longobardis. Duxit autem in paternam prouinciam, illam recuperaturus, inexplorato quid hostes agerẽt: Nemaso oppido admouit copias. Ibi se confertissimi hostes, motum eius præscientes, abdiderunt: & erumpentes penè imparatis incubuere. Cœpta est à primis pugna, sed statim intermissa, respexerunt in fugam Vuandali. Ipse Arnefrites fortiter pugnans, cadit. Elapsi à fuga Vuandali, in Histriam, Dalmatiamq; reuersi, iniuriam suam deplorauere. Totius ergò gentis uiribus expeditio cœpta, in Forijulianos educitᷓ. Sed iam nouo Duce creato, Rex Longobardorum, cui legiones attribuit, prospiciens aduentum Vuandalorum, opportunis locis castra illis opposuit: & in conspectum uenientibus occurrens, magna illis illata clade, coëgit retrocedere. Quo tẽpore Rex à Popiliana cæde reuersus, Opiterginum oppidum Foroiuliani Ducis regione, subuertit: quòd Arnefritis studiosos comperisset. Non tamen populũ peremit, sed in proximas ciuitates permisit commëare. Tanto autem fuit uictoriarũ successu. Rex elatus: ut nisi illum mors, multis bonis opportuna, sustulisset, maximas laboris angustias uidebatur Romanis, Rauennatibusq; importaturus. Sed tum decisa uena, prius quàm solidaretur, iterũ rupta, immoderata sanguinis effusione Regem peremit.

Stratagema
Tyrannis.
Arnefrites.
Cadit.
Opiterginũ subuertitur.

¶ Partharis

¶ Partharis ab exilio in Regnum reuocatur: cum filio Iuniperto partim regnat. Tridentũ obsident: urbs illis traditur. Tum in pace quiescit.
Caput. xxix.



ARTHARIS Ariperti filius, quẽ Grimoaldus occiso eius fratre fugauit, Grimoaldo de medio sublato, per amicos reuocatur, & sublimatur in Regnum. Hunc alij Bertarium uocant. Qualis sæpè in peregrinis nominibus solet error accidere. Aiunt hunc cùm apud Regem Franciæ Dagobertum nullam consolationẽ recuperandi Regni inueniret, nauigare in Britanniam cõstituisse: uel longinquitate regionis, exilium suum consolari, uel qualemcunq; inde spem haurire. Cunq; in naui esset iam propè soluturus, audisse ferunt uocem, incertũ unde, Reuertatur Partharis in Italiam. quia Grimoaldus hac nocte defunctus, sedem illi Regni uacuauit. Circumspiciens in litore, neminem qui uocẽ emisisset potuit inuenire: diuinitus sibi missum nunciũ interpretat. Nec contempsit. Nam reuersus propè Ticinum à Magnatibus excipitur. Garibaldũ Grimoaldi filiũ, collatis armis expulit Regno, & uolentibus Proceribus regnauit. Erat aũt in Regno dignissimus, iusti & recti tenax. Misit aũt Beneuentũ, & uxorem cũ filio (quos eo loci relegauerat Grimoaldus) reuocauit. Excitauit tũ Regi hostẽ sua lenitas. Fecit enim pater ipse, filiũ sibi conregnare Iunipertũ. Alachis uerò inter Duces primarius, Dux Tridentinus, rebellionẽ intẽtauit. Sed Iunipertus Regis filius, cùm illi esset familiarissimus, & patrem placauit, & ferocem uirũ conquiescere fecit. Cunq; sępè Dux retentaret nouas res, & Regis filius nõ cessaret apud patrem tueri amicũ: orabat patrem filius, ut quoniam Alachis propinquitate Germanorum sublimes spiritus gereret intra Italiam, Brixię illi Ducatum permitteret: quo fręnum illi citius iniiceret. Rex contra. Brixiæ esse multos Proceres, cum quibus inita cõiuratione, homo turbulentus mala multa moliretur. Iunipertus filius, non hoc futurum spondẽs, peruicit: ut Brixiensis illi Ducatus permitteretur. Huius temporibus Regis, noua gens Bulgari, Thraciam inuaserunt. Quos mira confusione, eandem esse, quæ Hungaria dicitur, uult uideri Blondo, alijs in rebus diligentissimus Antiquitatis scrutator. Sed Hungari longè post hæc tempora annis ferè quadringentis subiere. Hæc quoquè Bulgarorum gens, nunc etiam distinctas habet sedes ab Hungaris in Misia: cùm Hungari sint inhabitatores Pannonię. Blondus autẽ nunc ab Hunis, nunc à Bulgaris ortos uult Hungaros. Interdum magnus dormitat Homerus. Ad Longobardos nostros reuertamur. Partharis Rex Christianæ religionis obseruantissimus, Papiæ Monasteriũ erexit

Partharis XXII.

Bulgari, qui Hungari.

erexit diuæ Agathæ: eiusque uxor Rodelinda, gloriosæ Mariæ ædem, quæ ad Particas uisitur, erexit. Hic ergo cùm aliquantis annis solus regnasset, anno Regni octauo, filium Iunipertum, quo certior esset successionis, Regni fecit cõsortem. Quo tempore Tridentinus Dux gentis Longobardæ, in Bauaros bellũ gessit, insigniq́ue uictoria Ducem eius gentis, obtriuit Gramonem. Qua elatus uictoria, ausus est etiã Regibus suis rebellare. Duxerunt autem in illum, & aliquot prælijs dubia uolitauit uictoria. cùm uires utriusque exercitus grauiter cõciderentur. Demum uictoria cessit Regibus, Dux intra mœnia Tridenti se recæpit. Secuti Reges, obsidione cinxerunt urbem. Ciues cùm dedere uellent Ducem, elapsus est. Vrbs Regibus deditur. Posteriori tamen tempore, interuentu Regis iunioris, reconciliatur patri: usque adeò, ut illum Rex Iunipertus, dissuadente multum patre, Ducem, ut diximus, Brixiæ constituerit. Quieta tamen fuere deinceps horum Regum intra Italiam tempora. quia Imperator Constantinopolitanus, Bulgaris nouæ genti conflictatus, Longobardos iam in Italia confirmatos, non attigit. Cunque Partharis per annos. xviij. Regnũ administrasset, octo quidèm annis solus, & decem alijs cum filio, concessit in fata: sepultus in pace iuxta Ecclesiam, quam Aripertus pater eius in honorem sancti Saluatoris, in Ticino construxerat: multisque decorabat ornamentis.

Gramon obteritur.

Tridentum deditur.

¶ Iunipertus, ab Alachi sibi amicissimo, decipitur. Ticinum dolo occupat tyrannus. Hinc bello suborto, Duellum negans, Senonem diaconum pro Rege sternit. Elusus, renouato prælio cadit. Caput. xxx.

Iunipertus XXIII.



IVNIPERTVS filius cum patre annis octo, post illum duodecim solus Regno præfuit: uir æquè religione ac iusticia insignis: quibus rebus promeruit, ut etiã post parentem tranquilla tempora nancisceretur. Nam temporis tractu in id roboris ea gens cõaluit, ut difficilè fuerit eam oppugnare. Quieuerunt exarchi, satis habẽtes sua tueri. quòd nihil uirium, aut supplementi sperare poterant à suo Imperatore, partim Bulgaris, partim Sarracenis implicito. Maior illi cura fuit, suos in fide continere Duces, à quibus crebrius genti prouenit detrimentum. Accæpit autem Iunipertus uxorem de genere Anglisaxonum, nomine Armelindam. Sed Alachis, quem Rex apud patrem sæpè defenderat, bonorum eius malè memor, illi rebellauit, iunctis sibi Alsone, & Gransone de Brixia. Cum enim Papia (quæ est Ticinum) abesset Iunipertus, ille aulam eius inuasit: & omnibus ad rebellionem excitatis, cõegit illum fugere intra lacum Larium iuxta Cumas. Terruit Ecclesiam Romanam ille motus. Nam Alachis hostis erat acerrimus Ecclesiarum,

Alechis tyrannus, ingratus Regi.

ſiarum. Ticinenſis tamen Epiſcopus Damianus, uir magnæ pruden-
tiæ, præſentium rerum ſtatui ſe contemperans, miſit cum benedictio-
ne Diaconum ſuum Thomam, ad Alachem, ut gratiam eius merere-
tur. Cunq; uenire Diaconum, uirum utiq; religioſum, illi eſſet nuncia
tum: per contumeliã illi remandauit. Si femora nuda geſtaret, ingre- Laſciua tyrannis.
deretur. Ille reſpondit, ſe illo die mundis ueſtitũ. Alachis ad hæc. Non
ſe de femoralibus agere, ſed quod illis tegitur. Reſpondit Diaconus,
ſe ſibi nullius eſſe criminis conſcium. Occultorum Iudicem eſſe Deũ.
Vix accæpit quod miſit Epiſcopus, & ſatis contumelioſe dimiſſo Dia
cono. Timuit tyrannum clerus omnis: imprecatus illi Regnum non
diuturnum. quod & euenit. Numerabat Alachis iam ſe pro Rege ge-
rens nummiſmata: & cadens in terram tremiſsis, à puero filio Aldo-
nis impubere, qui fortè aderat, exceptus Regi redditur. Ille conuerſus
in puerũ, quem nihil ſapere reputabat, ait. Pater tuus multos eius ge-
neris habet, quos breui reddet tremiſſes. Puer ignarus rei, uerba retine
bat. Regreſſus ad parentem, rogatur, ſi apud Regem in palatio fuiſſet,
& quid ille egerit, quidúe dixerit? per iocum (ut fieri ſolet) ex puero
ſciſcitatur. Ille uerba Regis de tremiſsibus repetebat. Percuſsit animũ
Aldonis. Mox ingreſſus ad fratrem Granſonem, docet ſuorum capi-
tum à tyranno pericula. Mox circumueniendum illum, Iunipertum-
què reuocandum inter ſe conſtituunt. Et his uerbis aggrediuntur ho-
minem. Iam inquiunt, propitio Deo, exanclatis rebus, & omnibus in
ordinem redactis, unum ſentiunt omnes: te Regem ſuum ſine contro-
uerſia colunt: cur non laxando iam animo in uenationem exis? Nos ti
bi cuſtodiã urbis, & hoſtis tui caput & ſpondemus, & exhibebimus.
Credidit ille, & curis poſitis, in uenationem abibat. Illi ad Lacum Cu-
manum properantes. Regem adeunt Iunipertum, illiuſq; prouoluti
pedibus, ueniam precantur: ſpondent reductionem in palatium. Ille
accepta, dataq; fide, cùm de temporum, & rerum gerendarum ordine
inter eos conueniſſet, reducitur Iunipertus: & ab omni clero atq; popu Reducitur Iunipertus.
lo lætabundis geſtibus excipitur. Ibat interim nuncius ad Alachim,
de reducto Iuniperto. Ille urbes circumibat, Placentiam, ac cæteras ui
res colligens, ut occurreret ad prælium Iuniperto. Iam ille quoq; ar-
mis inſtructis, ibat in hoſtem. Conuenerunt exercitus in campo qui
dicitur Comnatus. Et miſſo ad Alachim nuncio Iunipertus, manda-
uit illi. Cur inquit mittimus populum in diſcrimen? duorũ cauſa agi-
tur. Ego, tuq; dirimamus hoc prælium dexteris noſtris. Qui uicerit,
regnet. Alachis autem Duello ſe committere non audet. Tum unus Duellum reſpuit Alachis.
ex primoribus genere Tuſcus. Quid inquit eſt quòd pugnam detre-
ctas in hominem, quem ebrioſum ſemper appellas? Cui ille. Eſt qui-

dem ebriosus Iunipertus, sed robustus. Pueri lusimus in parentis illi-us Regia, cùm ille apprehensum ex uellere quemlibet arietē, una ma-nu deportauit: quod & ego tentans, implere nō potui. Itaque quod pu-ero fuerat robur, adauctum plus quàm uirile debet censeri. Tum ille Primarius. Degenerem ego Regem non sequor. Mox transijt ad Iuni-pertum. Totis agminibus pugnandum uidebatur. Seno erat uir eccle-siasticus, ordine Diaconus, qui Iunipertum Regem supra modum di-ligeret: & iam pugnæ accinctum alloquitur. In tuo inquit Rex capite, multorum salus est constituta. Si uinceris, quod omen absit, ilico om-nes perimus Ecclesiastici cum populo. Da ueniam, & arma mihi tua, si uidetur, permitte: facit habitudo corporis, ut apta sint. Nec sum ex-pers militaris disciplinæ. Si uicero, cunctis uinco. Si pereo, mei solius capitis est periculum. Recusabat Rex, militiam nolens detrectare. Sed à suis omnibus rogatus, & penè cōactus, uolentem Regijs armis pu-gnare permisit. Conferuntur manus, & Alachis omni acie obseruabat Regia arma, in quibus hostem Iunipertum pugnare non ambigebat. Illi se fert obuium. Pugnam conferunt. Seno cadit. Temeritatis luens pœnam: quòd se armis immisceret non suis. Alachis ubi iam fudit ho-stem, esse Regem fisus, caput cum galea defectum, iussit in hasta præ-ferri. Interim fama uolat in utroque agmine, cæsum Iunipertum. Ille se suis offert: delusum hostem esse, fiunt certiores. Alachis extractum ga-lea caput, ubi rasurā clericalem in uertice conspicit, erubuit: quam san-ctè iurans, si uicerit, puteum se impleturum ex genitalibus clericorū. Mox acrius in pugnam redeunt. Temerator ille inprimis cadit. Victo-ria prouenit non incrueta Iuniperto. Ex actis ergò duodecim post pa-trem annis in Regno, concessit in fata: filium relinquens Regni hære-dem cum tutore, quem pater testamento designauit.

Seno diaconus, pro Rege miles.

Alachis cadit.



¶ Luitpertus puer, sub tutore Asprando Regnum subit. At Regno cum tutore pulsus, Raimbertus aliquot mensibus tenuit. Caput. xxxi.

Luitpertus XXIIII.

LVITPERTVS filius admodum puer, cui pater tutorem fecit Asprandum, ex Ducibus unū, in Regno succedit. Sed tutoris administratio Regi primum concinuit bellū. Nam Raimbertus Taurinensium Dux, non æquo ferebat animo, se prætéritum in tutela. Contractisquè uiribus, mouit in Asprandum, conatus illū administratione deturbare. Aduocauit Asprandus Rotarim Bergomensium Ducem. Et promptissimo exercitu educentes, apud Nouariam concurrunt. Ibi grauiter pugnatum est. Sed inclinauit uictoria Taurinensi. Igitur aduersarij cum Rege puero fugam ineunt. Cunquè nemo resisteret, uictor intrat Papiam: ibiquè coronam susci-

piens,

piens, Regni iura inuasit. Sed nō diu tenuit, quippe post paucos men ses diem suum obijt.

¶ Arithpertus Raimberti filius ui Regnum tenet: uarijs prælijs uictor, Regem puerũ, cum Rotari, capite plectit. Christo fidelis, multis Ecclesiã Rom. donis ornat, tandem Ticino amne submergitur. Caput. xxxij.



RITHPERTVS Raimberti filius, Regnum à patre occupatum, fortiter defendit. Sed cęteri Duces Asprando monente, pro ueri REGIS Luitperti reductione arma sumpserunt. Quorum Ducum primarijs Zothone, Tharone, Pharone, Rotari, atquè Asprando, cum Rege puero, magnisq́ copijs mouẽtibus in Papiam obsidendam: non expectandum ratus Arithpertus, cum armato erupit exercitu. Cõcursumq́ est totis uiribus Cisalpinę Galliæ, quæ nunc Longobardia dicitur: & uariante fortuna, sæpè spes & metus alternabant in partibus. Ad extremum tamen uictoria inclinauit Arithperto. Nam Rex puer, uiuus uenit in hostiũ potestatem. Asprandus fugiens, se recepit in Comacinam, Rotaris autem accedens Laudam suę ditionis oppidum, à cõsortibus partium suarum Ducibus, se Regem fecit declarari. Quæ cùm essent Arithperto nunciata, motis signis, solenni exercitu duxit in Laudam: eamq́ ad primam oppugnationis ostensionem cœpit. Mouitq́ in Ducatum Bergomensem. Et quoniam nouum Regem Rotarim magnum audit fecisse belli oppositum, conscendit paulatim in montem, & admotis Arietibus, reliquisq́ obsidionis apparatibus, munitissimam urbem cœpit oppugnare. Multoquè sudore, cruoreq́ exhausto, cùm fortiter obsessi mœnia tuerentur, multiq́ inuicem mortales, cecidissent, cœpit urbem munitissimam Arithpertus. Captumq́ in ea Rotarim, & in contumeliam detonsum, cum Rege puero fecit iugulari. Inde duxit in Comacinam: eamq́ Insulam cum oppido suo obsedit. Præscius autem Asprandus, per saltum uicinos confugit ad Bauaros. Sed Arithpertus expugnatum oppidum, solo ęquauit, Per quæ tempora Gisulphus Beneuenti Dux, cùm nouus Orientis Exarchus Romam applicuisset, quem maligno sciebat esse in Romanos animo, eduxit exercitum: & oppida quędam Romanis parentia cœpit, inde opulentam prædam cum captiuis abegit. Sed cùm exarchus in Rauennam abisset, Rom. Pontifex Ioannes, missis Oratoribus, Ducem placauit: ut accæpta pecunia, captiuos cum cæteris rebus restitueret dominis. Nec difficulter annuit. Ita inuenta est ea gens, postquàm CHRISTI religionem suscepit, semper Ecclesię paruisse; illiusq́ incremento, quod posteriora docebunt, militasse. Interea

Arithpertus. XXVI

Victor Arithpertus.

Laudam capit.

Vrbe capta Rotarim cũ puero Rege iugulat.

terea etiam Forijulien. Dux, cum uicinis Vuandalis, quos nunc Sclauos appellant, manus conseruit: & mutuis inuicem prælijs multa sunt damna irrogata. Sed Arithpertus CHRISTO deuotus, & Romanæ Ecclesiæ amator singularis, ut eam magnificaret: Alpes, quas dicunt Coctias, in quibus Genua urbs nunc præclara, & quicquid ab ea ad Alpes usq; Galliarū fines censebatur, beato Petro donauit. Sed is Rex dum conserto prælio in Asprandum, quem Bauari reduxere, & iam inclinatis rebus inferior haberetur, in fugam uersus, cùm Ticinum amnem traijcere tentaret, submersus interijt.

Donatio Arithperti.



¶ Asprandus tandem post mille pericula, trium mensium Rex substituitur. Caput. xxxiij.

Asprandus XXVII.

ASPRANDVS, quem pro Rege tutelam gerēte, armis uictum Rex fugauit, illecq; elapsus est ad Bauaros: eorum uiribus auctus, redijt in Italiam Regnum repetere. Illi Rex Arithpertus occurrens, prælio uincitur: & in fugam uersus, in Ticino mergitur: Regnoquè illi succedit. Sed non diu tenuit. Quamuis enim summo omnium Longobardorum consensu Rex sit declaratus, tertio tamen mense uitam finiuit. Ita multo labore quæsitum non sibi, sed hæredi filio Regnū cernitur parauisse. Sic se res mortalium habent. Fatigant cœlū & terram, & per mille pericula uix perueniunt quo cupierunt. Peruenietes autem, aut nouis excipiuntur incommodis, ut intelligant, non tanti fuisse quòd ambiebant: aut potiti, breui deserunt. Igitur moriens Asprandus Regno cessit.



¶ Luitprandus succedit, fide pius, in rebelles acer. Pace cū Pont. Rom. inita, Romā ingreditur. Caput. xxxiiij.

Luitprandus. xxviij.

LVITPRANDVS Asprandi filius, nomen referēs infelicis pueri Regis, Rex post patrem creatur, summo Longobardorum consensu. Is prima expertus est suorū incommoda. Nam cognatus eius Rotibites, cùm necis Regiæ consilium sumpsisset, proditus Regi, pœnas dedit. Quo exemptus periculo, donationem Romanæ Ecclesiæ ab Arithperto Rege factam, de Coctijs Alpibus, confirmauit. Interea Feroaldus Spoletinus Dux, ad Regem suum simulans profectionē, iter habebat per Flammineam, urbesq; Rauennati parentes ditioni: & quamquàm compertam haberent eius profectionem incolæ, quia tamen nullæ recentis iniuriæ causæ uidebantur, nihil hostile ueriti, ciuitatum suarum custodiam intermisere. Ille autem, ubi Classense oppidū attigit, suæ fecit ditionis. Sed Rex misso nuncio, Ducis factum irritauit: iussitq; reddi furto captum oppidum. Penino quoq; Forijulianus Dux, cum Vuandalis exercuit inimicitias, pro more bellico, dans & accipiēs incommoda. Interea

Classense oppidū dolo captum, redditur.

cùm

cùm Romani ab Imperatore non æquo fouerent iure, & esset aliquid causæ, Longobardorum Dux à Spoleto Narniam inuasit: & cœpit. Rex uerò Luitprandus iam aperta rebellione, Exarcho occurrēs, collatis omnibus suæ gentis uiribus, Rauennam obsedit. Cernens autem ciuitatem captu difficilem, inde Clusium mouit: quod oppidum captum, crudeliter spoliauit. Sed hanc, si dici debeat, iniuriā (causæ enim non panduntur) magno postea Longobardus cōpensauit beneficio. Exarchus enim Italiæ, ab Imperatore Leone missus, urbem Romam spoliare: Pontificemq; captū mittere Constantinopolim, cùm ex Rauenna moueret cum militibus: Spoletinus Dux Longobardus, operas suas Pontifici pollicitus, cum copijs aderat, uiamq; insedit Salariam, qua erat Rauennatibus transeundum. Tentauit irrumpere: sed egregia Longobardorū opera repulsus, agmina reduxit Rauennam: mala quæ in animo habuit, ab hoste Imaginum Leone, implere non potuit. Interea cùm in caput Pontificis Imperator multa moliretur, misit Eurithium patricium in Italiam: ut Romanis & Pontifici suscitaret motus iniquos. Is Longobardis dona multa misit, ut in Pontificē ferrentur. Sed non profecit. Qua iniquitate temporum motus Pontifex, cum Longobardis pacem stabiliuit. Quam Rex & pronus subijt, & strennuè impleuit. Nam captum postea Sutrium à Spoletano Duce, iussit reddi. Cunq; Rex pace foris comparata, tempus esse cerneret, suorum contumaciam comprimendi, magno exercitu comparato, duxit in Spoletinum, Beneuentanumq; Duces. Qui longinquitate uiarum freti, minus parebant: sed interuenientibus magnis utrinquè uiris, Rex ira sedata, reconciliari sibi passus est Duces, meliora de se sperare pollicitos. Atq; tum Rex pacato agmine, Romam duxit: uisurus & Vrbem, & loca sancta: quando tam de propinquo aderat. Romani autem minus Regi fidentes, urbis custodiam fecere. Acceptus Rex cum exercitu in campis Neronianis, processit in Vaticanū, adhuc nullis mœnibus cinctum. Ibi obuiam factus Pontifex, Regi se prębuit uenerandum. Delapsus equo Rex ex more, Pontificē genibus nixis consalutauit. Et aliquot sermonibus interpositis, accæpta benedictione, Papiam remeauit.

Narnia capitur. Clusium capitur, spoliatur. Romam adit.

¶ Spoletum Rex bis superat. Beneuento nepotem præficit. Hildebrandum alium nepotem Regni consortem declarat. A suis Godescalcus truncatur. Pontificis Oratio, & Regis donatio. Classense oppidū subuertitur. Tandem Rex moritur.

Caput. xxxv.



DEINDE Trasemundus Spoletanus Dux, quem pau

lò ante Rex in gratiã recepit, renouauit rebellionẽ. In quem Rex dųcens, magno molimine ingressus, Ducatum, urbes, & oppida suæ fecit potestatis. Fugiens autem Dux, peruenit in oppidum Romanæ ditionis: ubi fide publica interposita, securitatem accæpit. Secutus Rex, dedi postulat perfugam. Stephanus Romanus Dux, cum Pontifice, fidem falli non oportere, responderunt. Igitur mouens in Romanam ditionem, aliquot urbes cœpit: rediÿtq; Spoletum, Hildericum ibi Ducem constituens. Inde in Beneuentum transiens, cùm eius urbis Dux paulò ante rebus humanis excessisset: filiumq; eius puerum surrogassent Maiores: Rex destituto puero, Gregoriũ nepotem suum Ducem creauit. Reuersusq; Papiam, cùm se morbo grauatum, laboribus cerneret inutilem, Hildebrandum alium suum nepotem, Regni consortem declarauit. Et cùm aliquanto tempore pax esset, Romani uiribus augeri cœperunt, & Trasemundum Spoleti Ducem, reducere armis intentarunt. Cui rei fauerat Godescalcus, iampridem in Beneuentano succedens, cùm Gregorius mortem obÿsset. Stephanus Rom. patricius inferiora tenens, exercitum duxit, Duciq; obuios populos conciliauit. Trasemundus per Sabinos iter habuit. Igitur re prosperata, Spoletum perueniunt utriq; exercitus, Ducemq; suæ restituũt ditioni. Vicissim operas deposcit Romanus, oppida quæ pridem Rex recepit, recuperãdi. Ducit promissa Dux in diem: quòd Rex magnis copÿs aduentare diceretur. Igitur iunctis uiribus occurrendum rati, Regi uias insedêre siluosas, unde agmini insidiarentur, apud Fanum Fortunæ, & forum Semproniÿ. Agmina cùm illuc peruenirẽt, ex nemorosis infestantur, magnaq; uirorum detrimenta suscipiunt. Iubetq; Rex, Fori iuliani Ducem curare de incursionibus. Ille suorũ iam cruore madentes aggreditur, & fortiter inuicẽ pugnatur. Ibi miles Spoletanus, Ducem ex nomine uocans, prouocat in Duellum. Non erat de more gentis (quod sæpè diximus) liberum detrectare. Vacuatur campus. Pons erat in medio in quo infestis cuspidibus incursant. Ibi proturbatus ponte Spoletanus, in risum soluit agmina. Sed utriq; pugna omissa, magnis itineribus contendũt Spoletum: nec castra fecere prius quàm istuc peruenirent. Inde reuocatus à Pontifice Stephanus, ad Vrbem communiendam accessit. Rex uerò secutus, Spoletum obsedit, breuiquè cœpit: sed Dux elabitur. Interea cùm Rex accępto denuò in potestatem Ducatu, in Romanos mouere cõtendit. Et dum apparatus obsidendæ Vrbis apparat, Zacharias Pontifex mittit Regi legationem: pollicitus copias, & fauores in rebellem, si urbes pridèm à Romanis captas, restituat. Pacẽ Rex dedit orantibus: & continuò mouit in Trasemundum. Is ubi uidit se Romanorum destitutum auxilio, Regis

Spoletanũ Ducatum obtinet.

Hildebrandus Regni consors.

Restituitur Trasemundus Ducatui.

Duellum.

gratiæ

gratiæ se permisit. Qui accæptum in gratiam, tonsorauit, clericumq; fieri iussit. Tum Godescalcus Beneuentanus, audito comparis successu, sibi timens, uxore & filijs naui impositis, cum omni supellectili in Græciam tranare dispofuit. Sed ciues, ut Regis gratiam promererentur, conantem in ipso trucidant itinere: uxorem autē & filios, audito tumultu, soluentes, capere non poterant. Pontifex inde ex fœdere urbes reposcit. Et cùm Rex differret, accessit Narniam ad Regem: ibiq; in templo Valentini sacris peractis, Orationem habuit, præsente Rege atq; Proceribus luculentam, de Iusticia & Religione: suasitq; inprimis, ut humani sanguinis effusione, fœminarumq; oppresione abstinerent. Deniq; peregit, ut illa ferrata pectora mollirent. Rexq; Oratione Pontificis motus, nō solùm postulatas ciuitates reddidit, sed & ipsam Narniam, in qua hæc gerebantur: & Sabinense patrimonium, quod annis iam. xxx. tenuerūt: & in Picentibus Anconam, Cumam, ciuitates: Sutrini quoq; agri uallem magnam, patrimonio sancti Petri, & ipsi Pontifici dono dederat. Et cum Romano Ducatu pacem in decem annos firmauit. Liberauitque Rex multos Romanos, Rauennates, & Italicos, qui carceribus Longobardorū tenebantur. Redeuntem in Vrbem Pontificem Agibrandus Dux Clusinus, Regis nepos, & Ramildus Tusciæ, Castaldio gentis Longobardæ supremi Duces, deduxerunt: & facto per Ortam, Pomeriam, Polimertium, atquè Bletam itinere, eas ciuitates præsenti, recipientiquè Pontifici tradiderunt. Interim Rex copias ad statum remittens, in sua quoq; se ipse recepit. Pontifex in Vrbem gratulabundus redit, & institutis Supplicationibus in templo Rotundæ Mariæ, diuinum ipse impleuit officium. Erat quies per id tempus anno per Italiam uno, cùm nemine suspicante, nunciatur Regem obsedisse improuisò Rauennam. Cùnq; Exarchus satis fideret urbis munitioni, præsidioquè militum, ac ciuium perpetuæ uoluntati: tamen deprædationes, & incendia, quæ foris agerentur, perpulerunt, simul & diuturnæ obsidionis timor: ut misso ad Romanum Pontificem nuncio, postularet, quod in Narnia fecisse nuper memoraretur, accederet Regem placare infestissimum. Pontifex Legationem misit, Benedictum EPISCOPVM Tusculanum, & Ambrosium primicerium Notariorum. Sed illi cùm à Rege minus audirentur, Pontifex commendata Vrbe Stephano Duci Romano, uiam ingreditur. Interea Rex longè cernens, nullam superesse urbis capiendæ spem, antequàm aduentaret Pontifex, soluit obsidionē, duxitq; in oppidum Classense. Eoq; per ciuiū dissensionem capto, direpto, atq; subuerso, Papiam reduxit exercitū. Pontifex per Imolā iter faciens, perq; Rauennam, peruenit ad Padum: quo in loco, ordinante

Dux Beneuenti trucidatur à suis.

Donatio Ecclesiæ.

Classense oppidum subuertitur.

Rege, inuenit nauigia, quæ illum Papiam ad Regem perducerent. Exceptus multo cũ honore, Pontifex apud Regem egit, ut omnia quę de Rauennate capta essent ditione, redderentur. Excepit autem Rex tertiam oppidi Cesenatis cum arce partem: quæ opportuno loco consistens, sine magno Longobardorum incommodo reddi non potuit. Vix in Vrbem redierat Pontifex, & ad gratias Deo persoluẽdas nondum expletum erat diuinũ officium, cùm nuncius adesset, Luitprandum Regem morte extinctum: Hildebrandumq́ nepotem, quem ille consortem assumpsit, pro ignauia destitutum.

Moritur Rex.

¶ Rachisius Rex eligitur. Pacem cum Romanis & Raueneatibus ad.xx.años initã, fregit: Zachariæ Pon. suasu ex Rege fit monachns. Caput.xxxvi.



Rachisius XXIX.

RACHISIVS Forijuliensis Dux, qui in agmine ad Spoletum proficiscente, uirtutis indicium dederat, deiecto ad pontem milite, qui se prouocasset, omni cõsensione Ducũ Rex declaratur. Qui Rex à Pontifice, per submissos oratores rogatus, pacem cum Romanis, & Raueñatibus constituit in annos uiginti. Sed illam non diu post uiolauit, per Rauennatum ditionem ducens in Perusiam. Qua uerò ex causa, imò qua Italorum culpa, presis labris, ut solent, Italici Scriptores præterierũt? Satagit omnis uiribus Rex Perusiam capere, adhibitis Arietibus & machinis in tali negocio opportunis. Sed opem attulit necessariam pietas Pontificis Zachariæ. Accessit enim ad Regis castra, & Deo, qui spiritum tenet Principũ, agente, animum Regis adeò immutauit: ut nedũ solueret obsidionem, sed etiam Regni, & opum, quas tenebat, abijcere statuit splẽdorem. Nam post paucos dies fratri Regnum permittens, cum uxore & filijs Romam ueniẽs, à Zacharia Pontifice, clericus & Monachus effectus est.

Rex fit Monachus.

¶ Aistulphus tributum à Romanis in capita exposcit. Rauennam deditione primus exuperat. Pontifex implacabilem Regem uidens, post solennes preces habitas, Regem Franciæ in auxilium uocat. Caput.xxxvij.



Aistulphus XXX.

AISTVLPHVS deinde Rex, concedente germano, uolentibus Proceribus sublimatur. Is uniuersam mox Italiam infestam habuit: fœdera nulla nouauit. Iam enim Zacharias Papa cœlo concessit: Stephano uerò tradi permisit curam pastoralem. Annisus est Pontifex Regem muneribus, Oratoribusquè missis placare: ut fœderibus in annos quadraginta consentiret: flexitquè, ut pateretur cautissimis uerbis ea fœdera conscribi, subscriptione Regia accedente. Superabat AISTVLPHVS omnes prædecessores ferocitate,

quàmuis

quamuis Italico sub cœlo natus, nutritusq́. Itaq́ quarto mense post habitos de pace tractatus, cunctis euastatis, mandauit Pontifici: si pacem cuperet, singulos Romanos, & suarum partium mortales, per singula capita, tributi nomine, singulum iuberet aureum nummum persoluere. Adnisus est Pontifex, Regem Oratoribus & muneribus missis complacare. Sed ubi conatus suos frustratos aduertit, misit ad Constantinum Imperatorem: ut si rebus Italiæ consultum uellet, in tempore consuleret. Ostendit omnem Italiæ statū: quòd nisi in tempore succurreretur, futurum, ut omnis Italia in Aistulphi Regis potestatem redigeretur. Sed per hæc tempora, cùm signa circumferret Aistulphus, Rauennam obsedit: & ostensis maximis futuræ molitionis apparatibus, ciues eo perpulit, ut eam dederent ciuitatem. Hic omnium Regū primus eam urbem, sæpius à prædecessoribus frustrà pertentatam, in suam redegit potestatem. Imperator Cōstantinus scripsit Regi: solennesq́ misit Oratores: quibus Papa alios coniunxit. Hi Regem accessere Rauennam: & multi cum illo agentes, nihil præter uerba, & ea quidem aspera reportauere. Addidit tamen Longobardus, unum ex suis Romam, & inde Constantinopolim iturum. Ea Pontifex cùm audisset, & nihil actū esse intelligens, Romanos adhibuit in consiliū. Quorum precibus & instantia, censuit taliter cum Imperatore agendum: ut nisi in persona, & cum omnibus Romani Imperij uiribus Romæ & Italiæ succurreret, aliam uiam unde spes salutis daretur, esse quærendam, cum Imperij detrimento. Iam uerò Constantinopolim Longobardi Regis nuncius, & Paulus Romani Pontificis Stephani germanus, uixdum profecti Vrbe Oratores ibant: cùm Aistulphus Romano Pon. & populo per nuncios comminatus est: forè, ut nisi sese, & urbem Romam dedant, eos omnes, uelint nolint, in potestatem factos, ad unum iugulet. In quem adductus tremorē Pontifex, populo in Lateranēsem basilicam cōuocato, homiliam habuit lachrymis plenam: singultibusq́, quàm dicendi coloribus pleniorē: imminere dicens Romanæ urbi, Romano populo excidium, nec ullam habendam spem in deditione impijssimo Regi facienda: uiribus autem Romani populi non posse resisti eius populi furori, qui omnem penè Italiam in potestate habeat: nisi DEI desuper imminētis clemētia tueat̃, quæ rebus etiā florētissimis, cunctis sit pręsidijs anteferēda: cuius implorandę illa sit certissima ratio, si in sacco & cinere, uigilijs, ieiunijsq́ humiliati, Creatorē suū, semper petentibus paratū, auxilio postulauerint. Tertiò exhinc die, cùm se ex sentētia Pontificis humiliasset populus in supplicationē, à Lateranensi, in matris Domini maiorē basilicā processum est: prętulitq́ Pon. pacis formulā pfidi Aistulphi chirographo exaratā, à

Tributū capitale à Ro. exposcit.

Rauēna dedita.

Minæ Regis.

Crucis

Crucis uexillo, quod preciosissimè ornatum, prçcedebat pendentem, in quam populus Romanus omnẽ periculi sui causam, coram DEO mœstus, eiulansq́ deflebat. Nec tamen cessauit interea Pontifex Aistulphum muneribus, maiorisq́ precij pollicitationibus pertentare: si fortè captum Rauennæ Exarchatum reddere, & pacem cum Romanis pactam seruare uellet. Et cùm nihil solito magis proficeret: missusquè ad Imperatorem Pontificis germanus, nec spem præsidij literis faceret, nec rediret: cum Rom. pop. constituit, opem Regis Franciæ implorandam. Veritus tamen: ne si id Longobardus resciisset, prius accelerato furore, Romanos oppr imeret, quàm ex Francia suppetiæ possent afferri, epistolas peregrino homini, Longobardis ignoto, ad Pipinum dedit Papa: quarum hic maximè tenor fuit: ut quando Longobardus nec pacta cum Romanis seruaret fœdera: nec Exarchatum Rauennatem, nec alia de Romanis capta redderet, prece, precióue mollitus, opem ipse christianissimus afferret. Cuius opis ratio, ut solidiori iniretur modo, scripsit Pontifex: oportere Regem Pipinum, tanquam proprio inductum motu, ab ipso Pontifice, ut in Franciam ad se iret, postulare.

Pipini Regis Franciç, Papa auxilium implorat.

¶ Legati à Constantinopoli redeunt. Imperatoris animum esse significant, ut Pontifex pro fœderæ seruando denuò Aistulfum appellet. Pontifex id facturus, à Pipino in Gallias euocatur: Regi Pipino persuadens, ut pro Romana Ecclesia, Rom. Pon. expeditionem in Italiam Gallus suscipiat, ut ut obnitente Longobardo.

Caput. xxxviij.



INTEREA Paulus Pontificis Germanus, Ioannesq́ Silentiarius, & Aistulphi Regis nuncius, Constantinopolim pariter ut iuerant, ita Romam ad Pontificem unà sunt reuersi. Fuitq́ Imperatoris responsi summa. Stephano Pontifici pro integranda pace, ad Aistulphum esse properandum. Dumq́ Pontifex ad iter se accingit, uenere Legati à Rege Franciæ, Episcopus, atq́ Dux, orantes: ut summus Pontifex, Regem suum, in ipsa Francia dignetur adire. Mouit itaquè Pontifex, utriusquè Regis, & Imperatoris nuncijs sociatus. Et priusquàm ad Papiam ueniret, præmissi ab Aistulpho nuncij, illius uerbis præscribere non sunt ueriti: ne Rauennam, eiusquè Exarchatum repeteret: fore polliciti, ut si ea modo postulatione temperaret, facturum Regem quod posceret. Cunctis simul ut ierant, Imperatoris, Francorumquè REGIS Oratoribus in præsentiam Regis perductis: Pontifex post munera Regi data, faciens uerba, & perfidiam Aistulphi grauibus notauit sententijs: & omnia quæcunquè ille, aut

Pontif. in Franciam pergit.

post

post uiolatam pacem cœpisset, aut sui prædecessores Longobardi Reges occupauerant, reddi postulauit. Cunque Aistulphus pertinax sicut antea persisteret: egerunt apud eum Imperatoris, & Franciæ Regis oratores, ut Pontificem dimitteret in Franciam profecturum. Tulit id egerrimè Longobardus: nec tamen ausus, Francorũ Regi, quod tantopere cupiebat denegare, Pontificem dimisit. Eum Carolus, cui postea Magno fuit cognomen, Pipini Regis filius adolescens, Francorum fines ingressum, à centesimo lapide ad palatiũ usque Ponticonem, ubi Pipinus erat, deduxit. Processit tamen ad tertium lapidem Rex Pipinus, & equo descendens, Pontificisque pedes osculatus, illum terra incedens, & frenum Pontificis equi regens, ad cubiculum usque deduxit. Longobardis ubi profectum uidit in Franciam Pontificem, misit suæ gentis Primores post illum, qui reuocato ab itinere, pollicerentur omnium quæ postulauerit restitutionem. Sed ubi Pontificem continuò iter agere, nec iam ui ulla perductum in Franciam retrahere liceret: cogitauit Rex: ipsam Rauennam, cum subiectis ciuitatibus euertere, mortalesquè in eis perdere: ut tanto metu liberatus, expeditius in urbem Romam duceret, illamquè solo æquaret, prius quàm Pipinus de Francia sese posset emouere. Ab hac autem crudeli cogitatione, nihil eum magis auertit, quàm quòd speraret Pipinum promissis ludificare. Carolomannum nanque Pipini fratrem, qui se monachali habitu Cassinensi cœnobio incluserat, euocauit: promissisquè onerauit: ut ad fratrem profectus, dissuaderet Italiæ expeditionem, bellumque in Longobardos suscipere, promittit operã. Profectus in Franciam, magnis contendens itineribus. Sed iam Pontifex Regem allocutus, serio ab illo impetrauit, expeditionem seriã in Italiam facere. Tantum sibi more deposcebat, ut uerno tempore educat. Interim uires, & arma, & reliqua profectioni necessaria compararet. Pontifex se apud S. Dionysij Parisiensis Monasterium contineret. Dum ergo Pontifex quassas ab itinere uires reparat, & Pipinus copias compararet, superueniens Carolomannus, legationem etiam ipse suam peregit: suadens, in Longobardos amicitiam, nec ullo pacto bellum permittens. Auditis fratris uerbis, satis durè illum cõarguit, quòd se Regũ rursus implicet negocijs iam mundo crucifixus: quodque impiæ gentis suaderet amicitiam, distinereque germanũ cuperet à Romanæ Ecclesiæ & populi tuitione. Indignatus ergò, tanquàm à suo cœnobio apostatantẽ fratrem, in Vienensi Gallia iussit includi: ibique breui, dolore animi confectus, diem suũ obijt. Adductus aũt Rex, Pontificis suasu, Oratores præmisit ad Aistulphũ, qui uerbis suis suaderent, pacta cũ Romanis fœdera seruari, captaque restitui. Et ipso, ut semper ante, tergiuersante, Pipinus, qui ante

Pipini humilitas.

Carolomanni mors.

ante rem in occulto gerebat, tum publico edicto proposito, Ducibus, militibusq; indixit: ut in diem parati, expeditionem nossent in Italiam faciendam. Iam in constituta tempora Ducibus, militibusq; undecunquè confluentibus, iterum legationem ad Longobardum, Regi Pipino Pontifex faciendam insinuabat. Sed idem qui prius, cassus erat legationis euentus, Longobardo in pertinacia perdurante.

¶ Pipinus sub aduentu in Italiam, Papiam obsidens, uicinia depopulatur. Pontifex misertus cladem populi, Pipinũ orat: si Longobardus pacta seruare uelit, depopulationum finem faciat. Aistulphus fictè omnia spondens Pontifici, exercitu in Franciam reuerso, Romam mox acerrimè infestat. Caput. xxxix.



INTERIM Francus leuis armaturæ milites, locis opportunis præmittit occupandis: qui Alpium saltus insidentes, hostem ab incursionibus prohiberent. Aistulphus cum toto exercitus sui robore, contendit Alpium seruare claustra, contemptuq; paucitatis, Francorũ militum pugnam intentauit. In qua non leue accipiens incommodũ, cõactus est retrocedere. Quæ cùm accepisset Pipinus, agmina sua accelerare, nec antequam ad Papiam ueniãt iubet consistere. Obsidetur Papia, & omnis uicina regio, populationibus & incendijs fit inquieta: pecora & omnis generis prædam, mulieres cum uiris, manus post terga reuinctos colones, in sua castra Franci cogebant. Ea miseratus cùm cerneret Pontifex, in Italiæ populum cladem redundare: obsecrat Regem, ut si Longobardus pactam uelit seruare pacem, captaq; reddere, malis finem faciat. Eas soluendæ obsidionis, & initę pacis conditiones non solùm cupidè accepit Aistulphus, sed magis adulationibus, bonitati Pontificis gratias egit. Insuper plura, & meliora, quàm postularentur, spontè sua, ad promerendam sancti uiri gratiam, est pollicitus. Secundùm quæ constituta, multis astipulationibus, & sacra religione à Longobardo Rege, suisq; optimatibus firmata, Pipinus relicto apud Pontificem Varnerio, spectatæ inter Francos Proceres uirtutis uiro, Abbateq; celebris nominis patre: qui pacta ex fœdere impleri curarent, in Franciam reduxit exercitum. Pontifex cùm paruam reddendis se presente ciuitatibus, reformandi agri moram postulasset, Aistulphus iusta postulare dicebat. Interim cum Varnerio Romam est profectus. Dumq; Pipinus Franciam, Pontifex Romam petijt, Aistulphus Rex contractis tumultuariè copijs, Rauennam uenit: & exercitu magnis conatibus parato, in Romam duxit. Quam obsidione cinctam tribus pressit mensibus, & omnia quæ pomerijs excluduntur, absq;

Papia obsidetur.

Egregia adulatio.

abſq; aliquo diuini, aut humani iuris reſpectu, crudeliſsimè uaſtauit: ut plura tum immanis tyrannus, Romæ ſuburbanis, & agro intulerit detrimēta, quàm illi ab inclinatione Imperij hoſtiles exercitus. Perfugerat autem Pontifex cum Romanis ad notum Pipini præſidium: Varnerio addēs ex Romanis duos, qui prono delapſi Tyberi, in Maſſiliam nauigantes, magnis itineribus ad Regem contendunt. Qui iam dudum audita Longobardi perfidia, exercitum renouat: & prius quā aduentarent nuncij, iam ire in Italiam inſtituit.

¶ Imperator Orientis per ſuum Oratorem docet, Exarchatum Rauennatem, non Pontificis Romani, ſed ſui iuris eſſe. Pipinus ob animæ ſalutem, hanc in Italiam expeditionem à ſe ſuſceptam eſſe ait: ideò Apoſtolorum principi Petro quidquid in Italia armis recuperat, dono daturum. Aiſtulphi item mors. Caput.xl.



IMPERATOR autem Orientis cùm audiret Francos ſubſidio ueniſſe, mittit ad Pontificem, qui diſſuadeat Gallorum inuocationem. Pontifex, quæ fecerit, temporū neceſsitati inſcribit: iam eſſe ſuos apud Regem: non conuenire, ut quod ſummis precibus poſtularit, nunc recuſaret. Imperatoris Orator, ad Regem Franciæ contendit. Sed Pontifex illi duos adiungit, qui Regem propoſito itinere confirment. Vna profecti, in Franciam perueniunt. Sed iam Regem tranſmiſsis Alpibus, audiunt in Italia eſſe. Græcus Orator noctu, deluſis his quos illi Pontifex adiunxit, properat ire ad Regem. Quem in agro Papienſi inuentum cum exercitu, magnis ab Imperatore ſuo muneribus donat: oratq;, ut receptum de Longobardorum manu Exarchatum Rauennatem, cum attinentijs, nemini quàm Imperatori deberi intelligat: itaq; illi, non Pontifici recuperandum. Reſpondit Rex. Quæ ſuperiori expeditione, & nunc iterato impendio fecit, non in cuiuſquam gratiam, ſed animæ ſuæ ſalutem feciſſe, remiſsionemq; peccaminum: ideoq; quod armis, ſudoribus, ſanguineq; à Longobardis recuperauerit, id ſe ſanctorum Apoſtolorū principi Petro donaturum. Fruſtratus Græcus redit. Rex Pipinus obſidione premit Longobardum, & ex prioris deditionis formula ſpondet omnia quæ prius conuenerant. Sed iam cautius conſulturus rebus, non ante laxat obſidionem, quàm ſint omnia reddita. Mittit Longobardus ex ſuis: & Rex Franciæ Abbatem Fulcadum, cui ualidam manū attribuit: per quem omnia, cum Rauenna, totoq; Exarchatu, Romani Pontificis nomine memorata Abbati ſunt conſignata. Ea autem apud Blondum ſpeciatim legat qui uolet commemorata. Quæ omnia ſunt à Francorum Re

Pontificis impoſtura.

Blondus.

m ge dono

ge dono data Ecclesiæ Romanæ: quæ iure uictoriæ ad eundem Re-
gem peruenerunt. Et quærimus adhuc, unde opes prodierint quas
nunc tenet Pontifex? Dum ergo tam multa ex fœdere redderentur Ec-
clesiæ Romanæ, annisus fuit Aistulphus, pristinis perfidiæ suæ arti-
bus uti. Nam Pipinum, qui se interea ad radices Alpium continebat,
Aistulphi mors. trans Alpes properaturum sperans, Fauentiam de Pentapoli, & Fer-
rariã reddere differebat: cũ diuino correptus iudicio, apoplexia in ue-
natione interijt. Quod cũ intellexisset Pipinus, Alpes est trãsgressus.

¶ Aistulpho mortuo, Desyderius Hetruriæ Præfectus, & Longobardorum Dux, cum militibus quibus præerat, Regnum inuadit. Id ægrè ferens Rachisius Aistulphi frater, à monastica pietate deflectens, omnium Longobardorum animos sibi deuinciens, arma in Desyderiũ parat. Desyderius Pon. Rom. opẽ implorat: cuius studio & fauore accedente, communi Longobardorum suffragio Rex declaratur. Caput. xli.



Desyderius XXXI. DESYDERIVS Dux Longobardus, Hetruriæ Præ-
fectus, Aistulphi morte celere per Italiam fama disseminata, copiarũ
quibus præerat robori innixus, Regnum per arma inuasit. Id autem
adeò molestè tulit Rachisius (quem Aistulphi fuisse germanũ osten-
dimus) ut interrupto monasticæ uitæ proposito, arma indueret in De-
syderium: omnesq; Italiæ Longobardi, exceptis Hetruscis, Rachisiũ
sequebantur. Qui in magnum coacti exercitum, Hetruscos fines inua-
dere statuerunt. Tum Desyderius sibi timens Pontificis fauores mul-
tis precibus implorauit: fore pollicitus, ut si Pontifex, Romaniq; opẽ
afferrent, ipse Regnum adeptus, ea redderet quæ ex fœdere erant reli-
qua: & non solùm pacem cum Aistulpho initam seruaret, sed Pontifi-
ci & Romanis perpetuò obsequeretur. Eam cùm audisset legationem
Pontifex, Fulcadi Abbatis usus consilio, statuit Desyderium exaudi-
re. Misitq; cum illo in Tusciam Paulum fratrem, qui cum Duce fœde-
ra constitueret: eorumq; formula, ex Pontificis sẽtẽtia, Breui est con
cepta. Et Desyderius, suiquè Proceres, atq; commilitones, maximis in
sua, dirisq; in filiorum capita, si fidem fallerent, conceptis execrationi
bus, sese iurisiurandi religione obstrinxerunt. Fœderum formula in
Vrbem delata, misit Pontifex Stephanum presbyterum, ad Rachisi-
um, Longobardosq; eius secutos arma: admonens, ne Desyderio, quẽ
appellasset Regem, aduersarentur. Fulcadusquè cum sua cohorte se-
cutus, ostendit fore: ut si Desyderio ultra molesti esse pergerent, cum
Romanis, Francisq; magis, quàm cum Desyderio bellũ gerant. Qui
bus territi, tantisq; comminationibus, Longobardi Desyderio con-
sentiunt:

ſenſerũt: qui fidẽ ex fœdere Pontifici ſeruaturus, Fauentiam cum ſuo caſtello Tyberaico, quod nunc eſt Baguacauallum, dedit. Quo in tempore, aut paulo prius, occupata ab Aiſtulpho Longobardorum Rege Rauenna, finem habuit Magiſtratus Exarchorum à Conſtantinopoli in Italiam miſſorum, Anno quinto &.lxx. ſupra centeſimum. Interea Deſyderius, cùm uacuata ſede Apoſtolica, ſtuderet ſuæ partis Conſtantinum quendam per amicos ſublimari: fraudatus expectatione ſua, alias inibat uias, Romanorum, & Pontificis uires creſcentes minuere. Erat Romæ Paulus Græcus, Imperatoris cubicularius ab illo miſſus, ut quam poſſet pro Imperatore in prima Vrbe autoritatẽ ſeruaret. Qui & ſi Ducatum Romanum non adminiſtraret, tamen fretus quorundam ciuium fauoribus, qui nouis rebus (ut fit) ſtuderent, pleraq; ex autoritate Imperatoris implebat. Volens igitur Deſyderius longinquum potius Imperatorem, quàm uicinũ cum Romanis Pontificem rebus præeſſe, uoti cauſa Romam acceſsit: & multa cum Pontifice de Religione locutus, illam præferebat ſpeciem, qua perpetuam fore pacem inter Eccleſiam, & gentem ſuam poſſet ſperare. Sed cùm dimiſſo Pontifice, Paulum Græcum conueniret, publicè illum corripuit: quòd nihil autoritatis pro Imperatore, inter cõtendentes de ſummo Pontificatu, interpoſuiſſet. Animauitq; hominem, ut Chriſtophorum primicerium, qui Eccleſiæ Romanæ, & Francorum amicitiæ apprimè ſtuderet, euocaret cũ filio: oculoſq; utriq; iuberet effodi. Multos ex Romanis proſcripſit: alios etiam incarcerauit.

Exarchatus in Italia finis.

¶ Adrianus Pon. I. creatur. Deſyderius illius, & Caroli Francorum Regis poteſtatem ſuſpectam habens, fœdera ab Pon. petit. Pontifex Deſyderio uiolatam fidem exprobrat. Inter hæc Hildegarda Carolomanni uxor, ad Longobardum profugit: quæ Deſyderio ſpem facit, ut & fœdera negligeret, & nouas turbas per Italiam perpatraret. Caput. xlij.



PER quæ tempora Stephanus Pontifex rebus humanis eximitur. Suffeceruntq; Primum Adrianum ex gente Romanum: uirum magni animi, & tanta Sede dignum: qui ad hoc natus uidebatur, ut labentem Italiam, & ſub Longobardorum Regno laborantem, & inprimis urbem Romam cum ſua Sede, erigenti Carolo Francorum Regi aſſiſteret, iungereturq;. Ad cuius uiri aſſumptionem, Deſyderius quid ageretur intelligens (nam Pontifex uinctos à Græco ſtatim relaxauit, proſcriptoſq; reuocauit in Patriam) miſit ad Pontificem, pacis fœdera cum illo cupiens renouare. Reſpondit Pontifex. Se cum omnibus, & præcipuè cum gente Longobarda pacis cupidiſsimum:

Adrianus Pon. creat.

non posse Desyderij pactionibus fidere, qui totiens uiolasset Stephano Pontifici promissa, atq; iurata fœderum capita. Cùm ista per Oratores agerentur, aperuit se Desyderio quædam blandientis facies fortunæ: quæ tamen illi, gentiq; suæ uersa est in exterminium. Nam Hildegarda, Carolomanni Regis Francorum nuper defuncti uxor, cum filijs, cùm gloriæ inuideret uxoris Caroli, multaq; intentaret per Carolũ non permissa, ut illi suscitaret incendium, consilio cuiusdam profugit in Italiam ad Desyderium Longobardorũ Regem, cum filijs. Sperauit Longobardorum Rex, effecturum se, ut Pontifex ex his Carolomanni filijs Regem crearet, immitteretq; aduersus Carolum: quo bellis ciuilibus laceratum Regnum, minus in Italia timeretur: & perinde sibi Italiam paruo negocio subijcere cõfidebat. Sed cùm ea spe quoq; inungendi ex filijs Regis destitueretur: alia uia aggreditur: futurum ratus, ut cùm motus bellorum fierent, Pontifex animos submitteret. Ea de re certior factus est Pontifex, per literas quorundã eius gentis Ducum, siue flectẽdi Pontificis gratia, siue commiserationis in Ecclesiam. Interea Rex in Rauennate ditione bella concitat, prędas agit, urbes in deditionem accipit, ipsi Rauennæ facturus obsidionem. Ea iam urbs pro Rom. Pontifice ab Episcopo, & tribunis tribus regebatur. Qui Pontificem adierunt: ostendentes, qui motus pararentur. Mittit Regi Oratores Pontifex: obtestantes, ut fœdera sancita seruentur, ablata restituerentur. Respondit Rex. Oportere Pontificem proficisci, ad secũ ineunda colloquia, de rerum summa. Interim totis uiribus incendio, rapina, & incursionibus regio fœdatur. Non destitit Pontifex, literis & Oratoribus, muneribusq; Regem placare. Nouissimè misit Abbatem Sabinensem, cum Monachis uiginti: qui multa de iusticia diuina, S. Petri religione locuti, nihil profecerunt. Rege ad omnia obtendente: nisi Pontifex ad tractandum de rerum summa egrederetur, nihil posse fieri. Tum illi ex præscripto Pontificis Si redderentur ad formam pactorum ablata, uenturum Pontificem quocunq; uocaretur. Misit Rex & ipse uicissim ad Pontificem Oratores, ut ad se egrederetur Pontifex. Quibus idipsum responsum est: si in eum statum res redirent, quibus initio sui Pontificatus fuisset, nihil recusaturum: & omnino ut flecteret Regem, ceruicosum, alios etiã honoratiores denuò misit Oratores, qui pacta fœdera deposcerent impleri. Qui nihilo magis prioribus proficientes, etiam audierunt: Nisi aliter sibi, rebusquè Ecclesiæ Pontifex consuleret, uenturum se Romam obsidere.

Hildegarda

Practica Desyderij.

Bellum cit.

¶ Minis Desyderij Pon. Caroli Franciæ Regis auxilium implorat. Qui Regis Longob. exercitum in alpibus Cimisijs dissoluit, Regemq; fugauit. Caput. xliij.

EIVS

IVS rei nuncio territus Pontifex, obſidioni tolerandæ ne-
ceſſaria præparauit: muros ac mœnia roborauit: miſitq; in
Franciam ad Regem Carolum, ut paternum ſecutus exem-
plum, laboranti à Longobardorum ui & iniurijs Italiæ, Vr
bi Romæ, & ſedi Apoſtolicæ imploratus adeſſet. Quod cùm Longo-
bardus intelligeret: ut aſtu Pontificis machinationem ſubuerteret, e- Deſyderij
greſſus Papia cum filio, & Proceribus: ducta ſecum Carolomanni re- aſtus.
licta cum filijs, magnoq; militum apparatu, cõtendit Spoletum: & in-
de mittens Andream referendarium cum tribus alijs, fecit Pontificem
certiorem: uenire Regem cum Francis, pacificè colloquium quæren-
tem, de omni rerum controuerſia. Pontifex intelligens quid molire-
tur: ut uni ex Adoleſcentibus data Corona, Carolũ à ſe auerteret im-
ploratum, Vrbi muniendæ inſtitit, & copijs militum ac commeatuũ
neceſſarijs impleuit, ab his qui Rauennæ, Hetruriæ, alijsq; locis ine-
rant. Tum baſilicas Apoſtolorum, omnibus ornamentis in Vrbem
deportatis, claudi iuſsit: ut ſi omnino limina Apoſtolorum uiſitare de
creuiſſet, non niſi foribus effractis, in animæ ſuæ periculum eſſet uio-
lentus. Tres deinde miſit Epiſcopos, qui Regi, Franciſq; obuiam fa-
cti, ad Interranniam denunciarent: ne terram Romani Ducatus ingre
derentur, ſub dira anathematis execratione monuerũt. Adeóq; apud
ferocem Longobardum ualuit anathematis denunciatio: ut tacitus,
confuſusq; Papiam ſit reuerſus. Per quod tempus Gregorius Epiſco-
pus, Fulcadus Abbas, & Albuinus cubicularius, Romam à Carolo
miſsi ad Pontificẽ, ſciſcitati ſunt: ſi Deſyderius omnia ex fœdere, quod
Regi patri ſuo ſpopondiſſet, iam reſtituiſſet? Cùmq; Pontifex in re no
toria nullo opus reſponſo putaret, uidiſſe inquit illos uenientes, quæ
ſit rerum facies. Ilico profecti ſunt ad Regem. Quibus Pontifex duos
adiunxit. Venientes ut miſſi ſunt, orauere, ut pacta conuenta ſerua-
rentur, inuaſa reſtituerentur: ut pace & tranquillitate fruerentur om-
nes. Tulerunt autem ab illo reſponſa maiori quam unquàm antea ob
ſtinatione temerata. Quæ cùm relata eſſent Pontifici, remiſit ad Fran-
ciam, quæ uidiſſent, audiſſentq; relaturos: oraturoſq;, ne ſuppetias di
utius moraretur. Carolus auditis quæ geſta eſſent, eoſdem Oratores
remiſit ad Deſyderium, oblaturos ſuo nomine. xiiij. milia aureorum,
ſi Romano Pont. adempta redderentur. Et cùm pecunię preces addi-
tæ, pectus Longobardi mollire non potuiſſent, iter ad Italiam Caro-
lus eſt ingreſſus. Cùmq; multas præmiſiſſet cohortes, quę Alpiũ mon
tis Iouis clauſtra occupaſſent, ipſe robur ducẽs totius Francorum mi-
litiæ, montem Ciniſium conſcendere cœpit. Occupauerant autẽ mon
tis Iouis ſaltus, clauſtraq; Deſyderius: & Longobardis, quos Spole-

to, Beneuento, Foroiulio, Hetruriaq́ acciuerat, in Tauronẽsibus, & apud Auguſtam prætoriam obiectis: omnes Alpiũ aditus, per quos Francis erat eundum, ſtationibus, & additis repagulorum munitionibus confirmabat. Ea cùm eſſent Carolo, Ciniſij montis uerticẽ tenenti renunciata, tentauit iterum per Legatos Deſyderium: ſi uellet auro accæpto, oblatis ultima legatione pacis conditionibus cõſentire? Ipſoquè, qui magnam ſui de ſe fiduciam præferret, rem uerbis ducente, iuſſit Carolus cohortes ſumma Alpium ſuperare. Quamprimum uerò diſcurrentes undiq́ nuncij, Deſyderio attulerunt, Francos occupatis ſaltibus clauſtra oppugnare, alpesq́ ubiq́ locorũ etiam ſemper aliàs inuiorũ perrumpere. Ilico territus, conſternatusq́ receſsit: & pugnandi iuſta acie ſpe abiecta, cõactũ magna oſtẽtatione dimiſit exercitum.

¶ Fugam capit Deſyderius. Spoletani, cum reliquis aliquot ſuæ gentis Eccleſiæ ſe dedunt. Caput. xliiij.



APIAM communire, in eaq́ obſidione diuturna Caroli uires frangere, Deſydericus conſtituit. Filium, & relictam Carolomanni, cum filijs ſuis miſit Veronam. Duces quos ſuis finibus euocauerat, Spoletanus, Beneuentanus, Foroiulienſis, & Hetruriæ Præfectus, in ſua quiſq́ copias reduxerunt. Fugientes Carolus inſequi iuſsit. Et ubi nemo ſe pugnæ oppoſuit, nec per campos uagaretur: firmandæ obſidioni inſtitit. Vocataq́ ex Gallijs uxore cum filijs in caſtra, Romam ire diſponens, ad continuandam obſidionem omnia diligenter inſtituit. Spoletani autem, & ei ditioni ſubiectæ urbes, Primi, poſtquam ſuos ab Rege euocatos, redire uiderant, remq́ Longobardorum inclinari, publica fide interpoſita, Romam ibant: ſe, ſuaq́ omnia beato Petro deuouentes. Omnes in unum ex ſingulis cõactos, Pontifex forma præiuit: qua ſubiectionem & fidelitatis iuramentum, ſancto Petro, & Romanæ Eccleſiæ obedientiam præſtiterunt: raſis primùm capitibus (quod genti uſitatum erat) barbam nutrire: à quo nomen habuiſſe multis ſolent uideri. Ea uerò moderatione, in tanta rerũ proſperitate uſus eſt Pontifex, ut Hildebrandum gente Longobardum, cuius antea fidem conſpectam habuiſſet, approbantibus ſuis cõgentilibus, Ducem creauerit Spoletanum. Quæ res futuro fuit firmamento Eccleſiæ ſtatui. Cùnq́ multi ex gente deuotionis gratia ſe Romam conferrent, permiſit Pontifex: ut intra ſpacium à beato Petro ad Vrbem, hoc eſt, in Vaticano, ædes inſtruerentur. Qui uicus diu dictus eſt Longobardorũ. Cùm deinde Saxones acceſſiſſent, pariter & Saxonum eſt appellatus. Sed hæc nomina interierunt, cùm Innocentius. iij. S. Spiritus Hoſpitale erexiſſet. Hodiè tamen in Saxia, locus ille inſcribitur. Horum exemplum ſecuti alij populi

Spoletani b. Petro ſe dedunt.

Peregrinationis uota.

populi, similem Ecclesiæ deditionem fecerunt. Vnde liquido comperitur, hanc gentem non sibi, sed b. Petro, & Rom. Ecclesiæ militasse. Nam quod illa suo sanguine terrarum sibi quæsiuit, Ecclesiæ reliquit. Quod idem in Gotis multa pridem largientibus: inq; Normannis, suam ditionem, quam sanguine pepererunt, Ecclesiæ subdentibus, liquido conspicimus. Qua in re Dominum, ab alto cuncta dispensantem, cuius est terra, & plenitudo eius, rerum ut conditorem, ita & arbitrũ & translatorem, Ecclesiæ suæ consuluisse meritò conspicimus. quando in harum gentiũ transitione, & præsentium punita peccata, & secutorum iacta sunt fundamenta bonorũ: ut Ecclesia, quam in terris fundauit Conditor orbis, alioquin in contemptum uentura perditis, habeat unde suum uindicet contemptum.

¶ Papiam Carolus obsidet, in deditionem cum parte exercitus Veronã cõegit. In ipsa Papię obsidione Romam proficiscitur. Rediens Papiam recepit paucos post dies. Inde pacatis cæteris Ducatib. Longobard. cum Ecclesia Rom. gentis stirpem & nomen tantùm relinquens, Gallias rediјt. Caput. xlv.



SED ad Carolum reuertamur. Is ergò Rex, cùm in castra uenisset uxor cum filiјs, Bernardo patrueli suo ad obsidionem Papiæ relicto, cum parte exercitus cõtendit ad Veronam occupandam: apparabatq; illã obsidere. Sed cùm Adalgisius Desyderiј filius comperisset, Bertam Carolomanni uxorem, cum filiјs, & his quos illa habuit Proceribus, propensos esse in deditionem, nõ ratus expectandũ, ad Imperatorem profugit Constantinopolitanum. Quo abeunte, nulla deditioni interposita est mora. Sextus iam agebatur obsessæ Papiæ Mensis, cùm sanctus Dominicæ Resurrectionis dies propinquaret. Carolus Veronæ deditione perfecta, firmatisq; rebus, ad Papiam assumpsit Episcopos, & Religiosos quosq;, & ex Nobilitate præstantiores: & per Hetruriam pacatum iter habuit in Vrbem. Quam regionẽ tunc fuisse pacatam, & Rom. Pontifici subiectam, inde est coniectari: quòd nullas armatorũ copias secum duxerit per uiam Rex Carolus. Venienti Regi, obuiam misit Pontifex clerum cum Romanis: quos ad numerum .xxx. miliũ affirmant, omnes appellatos Iudices. In quo uerbo ea uis tum erat: ut omnes qui fabrilibus nõ deseruirent officiјs & artibus, sed qui ad causam IVDICES assumi poterant, hoc tum uocabulo censebantur. Deductus ea pompa per uiam Claudiam CAROLVS, quæ est Flaminia, ad Vaticanum expectantis Pontificis, ad summa Scalæ, quæ est ad basilicam Petri, non solùm uestigia, sed singulis SCALARVM gradibus, ob deuotionem oscula

Adalgisius Desyderiј filius.

Verona dedita.

Carolus ingreditur Romam.

figens: inde Pontificis pedibus aduolutus, salutauit. Postea itum est ad sacrosanctum Basilicæ altare: ubi mutuò se Romani, Francique, seruandæ in perpetuum amicitię sacramento obstrinxerunt. Secundum quæ amicitiæ fœdera, Apostolorū principis, & eius successoris Adriani icta, interuētu, ingressus est Carolus urbem Romam: & Lateranensem primò, deinde alias ædes sacras, ex ritu christiano, reuerentissimè inuisit. Quarto deinde die, cùm urbem Franci satis lustrasse uiderentur, Adrianus Pontifex Carolum Regem ex composito est allocutus: postulauitque, ut quam donationem genitor Pipinus, ipse quoquè, & Carolomannus frater Gregorio. III. Rom. Pontifici fecerant, confirmaret. Quod & non grauatè fecit. Solenni enim literarum documento confirmationem factam, obtulit sancto Petro super altare. Fuit Romæ tunc Carolus ad dies octo. Inde reuersus in castra, deditionē non diu post Papię accepit: Francosque illi urbi pręfecit, & Mediolano. Regem autem relegauit Leodium: ubi uitam finiuit. Ergo rebus compositis hoc modo, quòd Franci Papiæ impositi & Mediolano, Longobardos eius prouinciæ, usque ad Alpes & Apenninum in fide & pace continerent: Forijulij autem & Beneuenti Duces suæ gentis quos haberent, Longobardis reliquit: cùm Hetruriæ & Spoleti urbes se Pontifici permisissent: Carolus cum omni exercitu suo, & Carolomanni quondam uxore ac filijs, redit in Franciam, Regnum demolitus in Italia Longobardorum. Sed Gentis stirpem iam per omnem Italiam altas agentem radices, nec uoluit, nec potuit exscindere. quippe, ut diximus, in Forijulio, Beneuēto & Spoleto Duces gentis reliquit: qui posteriori tempore, magno fuerunt Ecclesiæ Romanæ præsidio. Quod in Leone. III. apparuit: quem à Romanis proteruiētibus malè mulctatum, ille deduxit Spoletum: qua in urbe præfuit: & deinde misit ad Carolum in Alemanniam. Filius autem Desyderij cùm profugisset ad Imperatorem, aliquanto adiutus ab illo præsidio, redijt in Italiam: sed nihil profecit. Motus enim consciscere cupiens, in ipso rerum initio oppressus est. Sed stirps ipsa, & Nobilitas, nomenque inditum regioni in æternum perseuerat in prouincia Italiæ prima: ut Longobarda usquè hodiè ab annis penè sit dicta Septingentis, longiusque dicetur.

Papia dedita.

Saxoniæ libro. 2. ca. 18.

In Adalgisio defecit Regnum Longobardorum.

ALBERTI KRANTZII HAMburgen. Chronographi, Regum ac Rerum Daniæ gestarum,

LIBER IIII.

Post descriptionem Regum Longobardiæ, redit ad Danorum Reges. Caput. I.



CRIBENTIBVS, ac renouantibus, atque æternæ memoriæ consecrantibus nobis, res præclare gestas à Danorum Regibus: opportunè incidit hoc loco commemorasse Longobardorum in Italia gloriam, quam annis quatuor & ducentis, fortiter tutati sunt: donec aliquid paternæ originis in uiris remansit. Sed ubi iam illos emolliuit clemētia cœli, cessere magno Carolo. Cùm interea per illos años in Dania à suis Regibus peracta, penitus obscurata, non tenentur. Nam ab egressu Scaniorū, hoc est, Longobardorum, à Scania patria sua, usq; in tempus debellationis in Italia, numerantur anni supra. 300. quo tempore trium tantùm Regum in Dania celebratur memoria: usq; ad Gotricum, qui Carolo magno, aduersus quem, ut dicemus, produxit exercitum, fuit contemporaneus. Quis uerò arbitrabitur, singulos illos, per singula regnasse secula? quando mortalis uitæ incertus terminus, paucos ad hos uitæ annos sinit peruenire. Ergo iacturam rerum in Dania commemorandarum, consolemur ea narratione, quam per id tempus eiusdem gentis propago primùm in Rugia, deinde ad Ripas Danubij, postea in Pannonijs, nouissimè in Italia, cum summa gentis suæ gratulatione peregit. Sed iam tempus admonuit, ut unde digressi sumus reuertamur in Daniam, Regum eius gesta exequentes.

204. annis regnarunt Longobardi.

Gotricus Caroli Magni temporibus Danorum Rex præcipuæ liberalitatis, Legem utrisq; uictor dedit. Saxonibus, Frisijsquè subactis, tributa imponit. Insidijs tandem satellitis proprij cadit.

Caput. ij.



OTRICVS patri Gormoni surrogatur in Regnum.

Gotricus Rex.

De liberalitate huius Regis, Noruagiæ lib. 1. cap. 35.

gnum. Hic tàm armis conſpicuus, quàm liberalitate præcipuus erat. Regia uirtus eſt, multos beneficijs cumulare. Hac ille tam profuſè fertur inſtitiſſe, ut penè prodigus haberetur. Sed qui omnium capitibus imminet, æquius beneficentia, quàm terrore ſuis deuincitur. Peſsimus enim, ut ueteri Prouerbio fertur, diuturnitatis cuſtos eſt metus. Tanta autem in Saxones uictor uſus fertur dominatione: ut Legem uictis diceret. Quotiens nouus Rex in Daniam ſumeretur, tributi nomine penderent Regi centum equos niueos: Idem facturi, quotiens apud ipſos Dux nouus aſſumeretur. Nec Germaniæ contentus ſubiectione, in Sueones quoque miſit Reuonem, unum ex primarijs Ducibus, ut aut bellum pararent, aut tributa perſoluerent. Hunc Sueones aperta ui aggredi non auſi, per inſidias necauerunt. Nam dormitantis capiti ſaxum ſupernè deuolutum, incumbere procurauerunt. In cuius noxæ piationem actum eſt, ut ſinguli facinoris autores, biſſena auri talenta: è plebe uerò quilibet unam eiuſdem generis unciam, Gotrico perſoluerent. Vulpeculę penſionem uocabant: quòd Reuo occiſus, Vulpeculæ cognomen habuiſſet. Hoc autem unde ſit inditum, in Noruagia commemorauimus. Interea Rex Francorum Carolus, contuſam bello Saxoniam, nō ſolùm Chriſtianitatis ſacra ſuſcipere, ſed etiam ditioni ſuæ parere compellebat (Hunc ego arbitror Carolum non Regem, ſed eius auum Carolum Martellum extitiſſe: qui & ipſe Saxonibus colluctatus eſt. Hoc enim ratio temporum ſuadet ut credam. Nam Magnus Carolus Regneri tempora contigit, qui erat huius Regis ex filia nepos) Quo comperto, Gotricus finitimas Albiæ gentes adortus, Saxoniam ſuſceptum Caroli iugum cupidius amplexantem, ac Gallica arma Danicis præferentem, ad priſtinum Regni ſui titulum reuocare tentabat. Quo tempore Carolus uictricia trans Rhenum caſtra receperat: ideoque ab aduenæ hoſtis congreſſu, perinde ac fluuij interſtitio uetitus, temperabat. Quem cùm ob res Gotrici comprimendas, iterato tranſmeare proponeret, à Leone Rom. Pontifice, in Vrbis tuendæ præſidium accerſitus, mandato paruit: filiumquè gerendi belli aduerſus Gotricum partes commiſit. ut dum ipſe in longinquum hoſtem ageret, hic contra uicinum ſuſceptum pugnæ negocium procuraret. Oportebat enim, ut gemina curarum anxietate conſtrictus, ſparſa manu, aptum utrique remedium prouideret. Interea Gotricus ſpecioſam ex Saxonibus uictoriam referens, cōtractis denuo uiribus, non in Saxones modò, uerùm in omnem Germaniæ populum, amiſſæ dominationis iniuriam ulciſci conſtituit. Ac prima quidèm claſſe Friſiam domat: quæ Prouincia admodum ſitu humilis, quotiens ſæuiente Oceano obiecta, fluctibus æſtuaria perrumpūtur, totā inundationis

Tributorū in Daniam, uictorum Lex.

Reuo dux, ſaxo interit.

Saxonum ſubiectio.

Friſij domantur.

tionis molem patentibus campis excipere consueuit. Huic Gotricus non tam artam, quàm inusitatam pensionem imposuit. De cuius conditionis modo summatim dicendum. Primum ducentorum .xl. pedũ longitudinis ædificium instruitur, bissenis distinctum spacijs: quorũ quodlibet uicenorum pedũ intercapedine tenderetur: prędictæ quantitatis summam totalis spacij impendio reddente. In huius itaq; ædis capite, Regio considente quæstore, sub extremam eius partem, rotundus è regione clypeus exhibebatur. Frisionibus ergò tributum daturis, mos erat, singulos nummos in huius scuti cauum conijcere: è quibus duntaxat in censum Regiũ ratio computantis colligeret, qui eminus exactoris aures, clarioris soni crepitaculo perstrinxissent. Quo euenit, ut id solum æs Quæstor in fiscum supputando colligeret, cuius casum remotiore auris iudicio persensisset. Cuius uerò obscurior sonus citra computantis defecisset auditum: recipiebatur quidèm in fiscum, sed nullum summæ præstabat augmentum. Compluribus ergo nummorum iactibus, quæstorias aures nulla sensibili sonoritate pulsantibus, accidit: ut statam pro se stipem erogaturi, multam interdum æris partem inani pensione consumerent, barbara utiq; insolẽtia. Cuius tributi onere, postea per Carolum liberati produntur. Cunq; Gotricus transcursa Frisia, ac reuerso iam Roma Carolo, in ulteriores se Germaniæ prouincias effundere statuisset: proprij satellitis insidijs circumuentus, ferro domesticæ fraudis interijt. Quo audito, Carolus nõ mediocri fertur exultasse lætitia: quòd graui bello exemptus, iam liber què uideretur. Multum tamen discrepat commemoratio rerũ ab hoc Saxone, & à Gallis: qui motũ Caroli in Gotricum, utriq; commemorant. Nam Saxo tradit, agmina illorum concurrisse prælio: sed uictrices Aquilas tum Regi terga monstrasse. Galli uerò Carolum faciunt tantũ ad uicina Visurgi fluminis cástra metantem, expectasse: uenturum, ut nunciabatur, à mari Regem: sed tum uel à satellite, aut ut alij præferunt, à filio transfossum.

Tributum Frisiorum rarum.

Gotricus gladio domestico intermitur.

¶ Olauus patri succedit, nulla rerum gestarum memoria clarus. Caput. iij.



OLAVVS Gotrici filius, patre mortuo regnat. Hic paternæ uindictæ studio, quòd subornatum militem à Proceribus reputaret, ad subuertendum parentem, ciuilibus implicare Patriam bellis sustinuit: publicam pietatem priuato affectui subijciendo. Sed neq; belli decursus, neq; exitus in Annales est relatus: nec quid præterea gesserit, quantúmue temporis regnauerit, annotatũ est. Hoc solũ ad posteros transmissum: quòd quomodocunq; mortui corpus, collis Olaui titulo celebris, propè Lethram Regiam urbem

Olauus Rex. II.

urbem congestus excepit. Non tamen fuisse diuturnum huius Regis Imperium, uel inde conuincitur: quòd successor eius pacem cum Ludouico Caroli filio fecisset, iam Olauo rebus exempto. Hoc loco attēde Lector: quod plerisq; superioribus & inferioribus, sed & in multis aliorum testimonijs uirorū deprehendi potest: illustribus uiris monumenta fuisse extructa tumulis ex aggesto cespite in agris: illis præsertim locis, quibus esset crebrior uel transitus, uel conuentus, ut clarorū diu permaneret memoria uirorum. Hinc illi ad itinera publica tumuli frequentes, à memoria Paganismi. Nam quomodo nostri in sacris locis sibi extruunt monumenta, ita illi uiri in publicis itineribus.

Illustriū uirorum monumenta.



¶ Hemmingus æquè obscurus, unico hoc celebris, quòd pacem cum Ludouico Cæsare Caroli filio firmarit. Caput. iiij.

Hemmingus Rex.

HEMMINGVS hunc Regno excæpit, filius, an externus, non memoratur. Tanta est illorum temporum obscuritas, uariante fortuna: ut quoniam res apud Saxones & Francos gestæ inclarescere cœperunt, illorum fulgore obscuratas esse Danorū molitiones. Succedunt tamen tēpora, quibus & præclara multa à Danis gesta, egregiè quoquè in fastos sunt relata. Sed huius Regis nulla præclara memorantur facinora: nisi quòd pacem cum Cæsare Ludouico iurisiurandi firmitate composuit. Nec dubiū, quin plura temporis eius insignia, quanquàm magnifica extiterint, uetustatis tamen liuore teguntur. Cœperant ex hoc die crebrescere in mari Danorū grassationes, quos Gallici Scriptores Normannos uocauere. Poterat ex uno trium Regnorum, aut duobus, uel fortè tribus collecta manus, per maria, perq; littora digrassari: sed qui uim patiebantur, in commemoratione rerum non discreuere, unde nauigarint: quòd omnes ab Aquilone uenientes, sine discrimine Normannos uocitent. Sed has res quia in Noruagiam seposuimus, hoc loco transimus.

Noruagiæ lib. 2.



¶ Siuuardus Rex Daniæ, à Ringone pro Iutiæ dominio impetitur: cuius crudele edictum, consilio Regneri mitigatur, pugna post Siuuardus & Ringo ambo pereunt. Caput. v.

Siuuardus Rex. II.

SIVVARDVS cognomento Ringo Gotrici ex filia nepos, filius Noruagiæ Regis æquè Siuuardi nomine, Regnum Procerum fauore auitæ claritatis memoria promeretur: præsertim Scanis ac Sialandensibus annitentibus. Nam & Iutiæ Proceres alium Ringonem, æquè ex filia nepotem, huius consobrinum, Regem susceperunt. Ita ciuili dissensione Regnum diuiditur. Cùm igitur domesticis intus malis Regnum laboraret, facilè cecidit in contemptum uicinorum.

rum. Vuandali igitur perpetui Danorum hostes, lacessere cœperunt Prouinciales. Quos Siuuardus maiore odio, quàm Regni æmulum insecutus, peregrina bella ciuilibus præferendo, quinquennio toto periculis patriæ, defensionem suam opponere perseuerauit. Elegit enim uulnus tolerare domesticum, quo promptius mederetur externum. Quamobrem Ringo Iutiæ potiundæ, dominationis eius occasione suscepta, uniuersum Imperij ius in seipsum transferre conatus, foris excubias peragentem, intus lacerare non erubuit. Prouincias siquidem, quæ à Siuuardo posidebantur inuadens, communis Patriæ defensionem ingrata mente pensabat. Igitur ex Sialandicis quidam Siuuardi studiosiores, quo sinceriorem absenti fidem gererent, filium eius Regnerum, uixdum prima adolescentiæ rudimẽta tangentem, Regis nomine censuerunt. Non quòd ipsum Regimini intempestiuum nescirent, sed ut tanti pignoris ductu, aduersus Ringonem, torpentium sociorum animos excitarent. Audiens ergò Ringo Siuuardum interim ab expeditione regredi, Sialadenses magna manu petitos, in se dedentes, ferro perituros, edixit. At illi, quibus aut rubor, aut periculum imperabatur, uiribus ob paucitatem diffisi, deliberandæ rei inducias poposcerunt. Quibus impetratis, cùm nec Siuuardi gratiam colere liberum, nec Ringonis amplecti uideretur honestum: diu inter metum, pudoremq; solliciti iactabantur. Qua in re ne senibus quidem consilio suppetente, Regnerus tunc fortè Concioni præsens, Breuis inquit arcus, subitò spiculum iacit. Ego & si puerili ausu, Maiorum consilia præcurrere uidear, ignoscendũ erratis, ueniamq; immaturè editis precor. Quia ut desertores & transfugas notari turpe: ita supra uires audere, temerarium est. Simulata transitione petẽdus est hostis: idemq;, cùmprimum facultas obuenerit, desertione linquẽdus. Huius & si puerilis consilij salubritate, effluctuantium ciuium cunctationem discussit, & hostilibus castris noxiũ robur adiecit. Concio quoq; adolescentiæ eius, non facundiæ minus, quàm ingenij mirans egregiæ indolis decretum, habitu annorum excellentius cupidè amplexata est: nec rubori fuit, defectis consilio Senibus, puerilibus obsequi monitis: quæ quanquàm à tenero ore manassent, integerrimæ disciplinæ pondere redundabant. Autorem uerò consilij, instanti periculo obijcere ueriti, educationis gratia Noruagiam transtulerunt. Breui post conserta pugna, Ringonem Siuuardus aggreditur. Quo occiso, ipse inmedicabili plaga perstrictus, paucis interiectis diebus ex uulnere decessit.

Regnerus Sialandiæ Rex.

Regneri consilium.

Siuuardi & Ringonis cædes.



Regnerus succedens Regno, stupri ultionem Regis Suetiæ, in Regias fœminas admissi, etiam puellari conflictu uindicat. Landgertha repudiata, aliam ducit. Iutia recuperatur. Caput. vi.

Regnerus Rex. REGNERVS ab annis iunior, sed animo maturus, patri succedit in Regno. Primitiæ illi bellorũ à pietate manarunt. Rex Suetiæ tum bella intulit Noruagiæ, oppresso Siuuardo huius Regneri auo paterno: Regis fœminas aut constuprauit, aut ludibrio habuit. Gemino igitur percitus dolore, in hunc fertur Regnerus, & ante necis iniuria, & sui sanguinis in dominabus Regijs contaminatione. Occurrunt cum agmine Regi uenienti Fœminæ, uirili animo arma præferentes, uindicem iniuriæ suæ per arma secuturæ. Nec uerò nouum est illi regioni, armatas mittere fœminas: quod superioribus aliquot locis significauimus. Pugnatur in hostem acriter, donec opprimatur. Conspicua fuit uirtus puellæ, cui nomen Landgertha: quæ ut sexũ in uirilibus facinoribus inter arma testaretur, comam passa est diffundi. Virtutem admiratus fœminæ Rex, quærit conditionem. Audit uirginem nobili cretam sanguine. Virtus incitauit Venerem. Sic enim in Pöeticis est figmentis: ut Mars Venerem expetiuerit. Mittit qui sollicitet ad nuptias. Optabile uotum fœminæ: sed uirgineus pudor tardius responsum imperabat. Potitus optato Rex, geminas ex ea filias, & filium sustulit Fridleuum. Interea Iutiæ Proceres, absentia Regis incitati, ueteris odij meminere in Regis parentem: ac in partẽ euocatis Scanijs, Regi rebellant: qua in fide soli Sialandici permanerent. Moram enim Regis extra Prouinciam, contemptũ sui interpretantes, Regem alium constituere sunt annisi. Sed Rex Noruagiorum uiribus ter centum naues expediuit: ac uicissim hostibus sepositis, congressus, facilè superabat diuisos: & in Regno permansit, ad Iura cohibitis qui desciuerant. Interea Rex nuptias perosus impares, Suetię Regis filiam, forma præstantem ambiebat, ac monstris perdomitis obtinuit.

Vltio stupri Regiarum mulierum.

Landgertha puella militaris.

Iutia recuperatur.



Haraldum Iutij & Scanij diligunt. Landgertha Regnerũ bello adiuuat. Is post Britanniam, Scotiam, Noruagiam, & Iutiam perdomat. Caput. vij.

SED Iutij atq; Scanij ubi Rex externis intẽdebat rebus, sua ipsi odia prosequuntur, Regem sibi facientes Haraldum, Regij sanguinis uirum. Iam Regnerus ex Suetica uxore multos sustulit filios: & in bella proruens, paterni Regni Noruagiæ uires acciuit. Landgertha prior illi coniunx, iniurię immemor, cum altero marito naues centum ac uiginti perarmat: mulier bellicarum artium scientissima, singularem in prælio Regi operam nauauit. Nam ubi inclinatam

natam suæ partis aciem uidit, in medium prouolans uirago, hostem grauius imminentem perculit. Cuius exemplo incitati cęteri, simul etiam pudore stimulati, quòd muliebri superarentur audacia, hostibus se opponunt. Pertinaciter pugnant, donec in fugam uerterent aciem hostilem. Interea cùm Regina fato functa, Regem ad summum mœrorem perpulisset, dolorem auertere constituens, negocio belli se implicabat: præcipiens, ut ignauissimum quem quisque domi aleret, in militiam Regi conscriberet. Quorum exercitationi Rex insistens, dum pudorem quisque studeret abstergere, promptissimū militum agmen ex suo constituit. Quo instructus, classem parauit, externam aliquando militiam pertentaturus. Inuadit deniquè Britanniam, à multis Patrum suorū attentatam, & à multis possessam. Regem gentis Hamam cum exercitu occurrentem, congressu pugnæ occidit: prouinciam tributariam reliquit, adnauigans. Scotiam inde aggreditur, ac reliquas in mari insulas: quæ in eo tractu multæ feruntur: occisisque illorum Ducibus, Siuuardo, ac Rachbordo filijs contribuit gubernandas. Noruagiam quoque suo Principe exutam, Fridleuo filio deputauit. Interea Proceres Haraldum secuti, dum Rex foris agit, ipsi intus tumultuantes, Haraldum suum reuocatum Regem sistunt. Ad quos constringendos, Regnerus cum Insularium Danorum classe profectus, rebellium agmen elisit: Haraldumquè superati exercitus Ducem, fuga in Germaniam actum, honorem improbè partum, pudenter abijcere perpulit: captiuos quoque simplici morte abijcere non contentus, tortos necare maluit. ut qui ad deserendam impietatem suasione abduci non poterant, ne spiritum quidèm, nisi per summam pœnarum uiolentiam deponere sinerentur. Fundos eorum, qui cum Haraldo profugerant, militantibus sibi diuisit. Ita in filios profugarum uindicans, quod peregerant crimen. Sed tum in Saxones uolēs uindicare, quòd hosti eius perfugium essent: ibi tum reperisse Carolum, testatur Saxo. At quomodo potuit ab Regnero Carolus offendi in Germania? qui proauo eius Gotrico Anno salutis Octingentesimo decimo, ut certa ratio supputat, acies opponendas comparauit: & anno post quarto concessit in fata Carolus: succedente Ludouico, tam in hæreditate paterna, quàm Romano Imperio. Post Gotricum in Dania aliquot annis regnauit filius Olauus: quo uita functo successit Hemmingus: qui, ut fateris Saxo, cum Ludouico fœdera pepigit. Huic uerò successit Siuuardus nepos ex filia: & huic puer Regnerus subrogatur, iam in eam perductus ætatem, ut filios genuerit, quibus, ut ipse testaris, Regna commendauit. Ediuerso autem Haraldus iste profugisse, etiam tuo testimonio fertur ad Ludouicum, & apud Mogunciam bap-

Superat Regnerus Britanniam.

Noruagiā.

Saxonem taxat.

 tisatus.

tisatus. Id erat Anno Christi octingentesimo uicesimo sexto, quandò iam Carolus ante annos duodecim excessit, & filius eius Carolus ante ipsum fato functus est. Nec est, quòd Carolum Ludouici filium dicamus exercitui præfuisse: qui ea ætate uel necdum natus, uel in cunis erat. Quis est ergo iste Carolus, cui uis conflictasse Regnerum? Ego non uideo. Nisi quòd aut somnia dicas, aut de Imperatoris nomine erres. Quod ipsum non credo. Nam Ludouicum in Saxoniam post patrem arma retulisse, nulla commemorat historia, confisum, ut tu fateris, fœderibus quæ pepigit cum Hemmingo. Nam quòd Haraldum iubebat inuehi, postea attingemus. Sed tum Regnerum in Saxonia uictorem ait, imposito Saxonibus tributo, in Regna rediisse.

Regnerus Duello uno octo sternit. Biornem filium Suetia donat. Ex stupro nascitur Regi Vbbo. Hellesponticos cum Scythis subigit; illusus Magia Biarmorum, à Phinnis inermibus, sagittis in fugam arcetur. Caput. viij.



ROXIME autem Sueticum bellum auspicatur: in quod filiorum fultus auxilio, alacer processit. Constiterant acies ex aduerso. Tum Rex Sueonum, pugilem cum filiis septem iubet ad aciem consistere: ut faceret arbitrium Regi Danorum, aut totis exercitibus, aut paucorum manu in Duello cõfligere. Magni animi Rex Danus, uerecundum ducẽs recusare Duellum, ipse cum filiis tribus subiit pugnæ periculum: quartus ipse, aduersus octo cõflicturus. Sic enim comparatum est Maiorum sententia: ut pater cum filiis, unius personæ locum implebat. Qua in re Suecus pugil prole fœcundior, pugnatorum numerum in Regem geminauit. Sed tum is erat pugnæ exitus: ut superatis octonis, Rex ipse cum Biorne filio incolumis superesset. Quẽ uictor, pro uirtute donauit Suetiæ Regno. Regnerus aũt Rex ut manu promptus, ita libidine mollis erat: amabatquè primarii uiri filiam: quem euocatum, magno sessionis honore suscepit. Miratus ille, quid sibi uellet indebitus honor: non ignarus tamen Regiæ libidinis, conIicere cœpit quod erat, filię se gratia honoratum. Igitur animo indolens paterno, filiam arctius inclusit. Vbi Rex ea uia non profecit, muliebrem sumit uestem, & inter ancillas lanificio insistens, intromittitur ad minorem dominam. Illi se per occasionem insinuans: noctemquè nactus, uterum eius impleuit. Post legitimos dies, ubi tumentem filię uterum deprehendit, indignabundus, unde sit incuria, ille quærit. Filia

Duello quaterno, octo superat Regnerus.

Biorn Suetia donatur.

Filiam Primoris Regnerus stuprat.

Filia non alium thoro sibi iurat sociasse, præter pedissequam, quæ lanas tractauisset. Pater cum mœrore rem Regi defert: de flagitio, ut cōfidit, animaduersuro. Ille in risum solutus, suum esse quicquid nascere tur, respondit. Ita puellam ab infamia pariter, & periculo uendicauit. Natus est Vbbo filius, auido postmodum ingenio ad Regnum aspirans. Inde in Hellespónticos bellum cōtulisse, commemorat Saxo Regnerum, à Russis arma mutuantes. Cui etiam Scythæ interfuisse memorantur. Magnū profecto bellum, quod aduersus tam longinquas nationes, & tam populosas sit actum. Sed Regnero tamen uictoria prouenisse dicitur. Huic autem Prouinciæ Vuicsertum fertur præfecisse filium. Inde Biarmos, gentem Suetię uicinam, contulit arma, parum imperata facientes. Sed illi maleficijs quàm armis securius pugnaturi, ita feruntur aëra commouisse, ut tempestatibus & imbribus uexati, inde magno æstu excæpti, per uires nihil proficerent. Difficili tamen nauigationi Rex ad Sembos, Curetesquè peruenit: quibus populis pro Regia dignitate, proquè magnitudine nominis, Regem suscipientibus, paucos dies recrëatus, nauigationem renouauit: peruenitquè ad destinatam Prouinciam. Sed Dux gentis armis diffisus, ad Phinnos confugit. Secutus Regnerus, inermem populum, sed cursu per niues, per glaciem, per fastigia montium terribilem expertus, maiorem ibi laborem exhausit, quàm apud armatissimos exercitus. Siquidèm infinita uelocitate per stipites allapsi, tela miserunt, & incredibili celeritate conuersi, extra ictum constiterunt. Ita Rex uictoriosus, qui multos ac magnos repulisset exercitus, tum inermibus dare terga compellitur.

Vbbo nascitur.

Hellesponticos, cū Scythis subigit.

Biarmorū rebellio, & magica peritia.

Fīnī Regnerum fugant sagittis.

¶ Daniam Vbbo, absente patre Regnero ambit. Qui rediens Hesbernum cum exercitu punit: atq; captus Vbbo. Vuicsertum Daxon dolo superatum, igne perdit. Cuius uindictam Regnerus tributo imposito rependit.

Caput. ix.



PER ID tempus Vbbo, quem Hesberni filiā, per Regnerum furto cognitam, genuisse diximus, auita inspiratione Regnū Daniæ inuadit: dum patrem longe agere, interquè multa pericula cognouit diuersari: sperans semel occupatum Regnum, patre aut saluo, aut interempto, posse tueri. Hesbernus adolescentis auus, Proceres Gotiæ in societatem belli sollicitat. Illi se de Regis sui Biorni pendere

uoluntate affirmant: nec aliud quàm ille iusserit, facturos. Mittit Oratores ad Biornum. Ille, quòd in parentem sollicitaretur nephas iudicans, Legatos malè mulctauit. Iuuarus Iutiæ præses, filius & ipse Regneri, ut bello abesset, profectus est in longinqua. At Regnerus Rex regressus, iam publicè bella parantem Hesbernum aggreditur: fusumquè exercitum eius superat: ipsum captum exanimat, caputquè in hasta sublimè defigit. Vbbo filius fuga sibi consulens, bella renouat: quo in prælio stupendam ipse manu multorum cædem peregit. Ad extremum captus, uix ullis potuit uinculis cõerceri, tantum erat roboris. Iuuarus audito belli exitu, reuersus est. A parente collaudatus: quòd in neutra parte constitisset. Interea Vuicsertus Regneri filius, quem diximus Orienti à patre uictore Præfectum, ab eius Prouinciæ Rege Daxone, magis circumuentus fertur, quàm uictus. Ad urbẽ enim in qua commanebat, rhedis inuectas merces immisit: sed arma, uiriquè inclusi erant. Quorum magna multitudine inuecta, Vuicsertus nihil tale ueritus, capitur, & Regi defertur. Ille adolescentis & formam & ætatem commiseratus, dimidium Regni, cum uxore filia pollicetur, si illi militare uelit. Ille generosi spiritus, indignatione ne uerbum quidèm reddit pollicenti: indignum responso, qui non uiribus, sed fraude uicit, iudicans. Cunquè uitam in contemptu duceret, sciscitatur Rex ex ipso Vuicserto. Quid ipse uictor, sibi uicto foret impensurus? Ignem, inquit ille. Tum refert Daxon. Eo consumere, quod mihi impenderes. Itaq; rogo immissum consumpsit. Hæc cùm perlata essent Regnero, filij miseratione uehementer primò indoluit. Ad animum rediens, statuit necem eius uindicare. Igitur cõparato exercitu, traiecit in Russiam: & hostes aggressus uicit: comprehensumquè Daxon, cùm in potestate haberet, humanitatis respectu, uindictam temperauit, contentus exilio. Qua moderatione seipsum uicit: quod est maius omni Regno. Eundem quoq; in gratiam breui accæptum, tributa pendere cõegit, hoc ordine: ut. xij. hominum paria, nudatis plantis pensitarent imposita tributa.

Hesbernũ cum exercitu Regnerus fundit.

Vbbonis robur & captiuitas.

Vuicsertus captus.

Vuicsertus igne perit.

Mira Regis clementia.

¶ Biorn Noruagis, & in locum eius Ericus frater, Suedis præficitur. Multis interim uictorijs potitus Regnerus, ab Hella Gallo captus, dira morte perit: uindicta secuta Hellæ, à filijs Regneri. Caput. x.



NORVAGIAM deinde tumultuantem compescuit: Biornem Suetia translatum, illi præficiens Regno. Ericum uerò alium filium, Suetiæ reddit Regem: quorũ ope fultus, nauigauit in Scotiam, Orcadesq; populatus est. Sed in Scotia geminos filios, dùm incautè

incautè pugnant, amisit. Interea Iuuarus Daniæ ab illo præfectus, Regno pellitur à Gallis, Regem suæ gentis inuehentibus Hellam quendam. Sed reuersus Regnerus, pugna instituta: quæ tanto animorum ardore peracta est, ut in triduum extraheretur: tum Galli cessere. Ibi Regnerus extracto anno, duxit in Hiberniam: metropolimq́ eius oppugnans, Dufflinam cœpit, opibus refertam: unde militem suum locupletauit. Inde in Hellesponticos fertur nauigasse, & multis locis per egisse uictoriam. Mirum, qua audacia tantum itineris ingressus: ut omnis Hispania, Italia, Græciaq́ præternauigata, ad confinia perueneriт Europæ, atq́ Asiæ: qua etiam uirtute penetrauerit. Cùm ætate illa Sarraceni mare tenerent infestum, Hispaniæ, Italiæ, Siciliæ, Græciæ etiam incursantes. Interea Haraldus Regij sanguinis uir, bis magno uictus prælio, contendit ad Ludouicum Imperatorem, tum Moguntiæ Conuentum Imperij habentem: armaq́ rogauit in Regnerum, ut Regno restitueretur: pollicitus Imperio perpetuam subiectionē. Annus erat Salutis Christianæ Octingentesimus.xxvi. cùm Ludouicus conditionem illi faceret: si Christianismū acciperet, futurum quod posceret. Ille annuit, ibidem cum uxore, & quos secum habuit Proceribus baptisatus: & rediens, sanctum secum duxit Anscharium, in Regno prædicaturum. Quod in Metropoli exequemur. Sed tum Regno restitutus per arma Saxoniæ, sacra inchöauit. Reuerso autem Regnero, cùm bella renouarentur, iterum uictus, aufugit. Igitur cum Haraldo cœpta etiam Religio exulabat. Duplici ergò se malo Rex uictor inuoluit: & quòd salutiferum Christi Religionem abigeret: & quòd superstitiosam erroris sectam renouaret. Sed pœnas breui dedit. Nauigans enim, incidit in manus Hellæ, quem ille Dania à Gallis inuectum exturbauit: & coniectus in carcerem, atrocissimis pœnis cōsumptus est: adhibitis serpentibus, qui hominem affligerent immaniter. Morte eius comperta, filij uirilem uultum non mutarunt: uindicaturi magnificè. Comparata classe quadringentarum nauium, Angliam inuadunt: & expositis in terram copijs, bello premunt regionem. Hella obuiàm egressus, capitur: exquisitisquè tormentis, in uindictam paternæ necis occiditur. Quo patrato, Iuuarus ex filijs eius unus, Britanniam annis duobus gubernat.

Dufflinam Hiberniæ cœpit.

Haraldus baptisatur. Anno Christi 826.

Regneri mors horribilis.



¶ Siuuardus Daniæ Rex, Angliam inuadens, parentis necem ulciscitur, Iuuarum fratrem Hellæ substituens. Rebelles Dani sedant̄. Erici & Agneri mors. Cap. xi.

SIVVARDVS unus ex Regneri, quos multos habebat, filijs, cū ceteri alijs præessent, aut fato functi è uita trāsissent, Daniæ Regno potit̄. Huius int̄ alia p̄cipua laus est: quòd pater

Siuuardus Rex, III.

næ necis uindicem egit acerrimũ. Erat autem uir ut animo acer, ita uiribus robuſtus. Cuius fortitudinem & acrimoniam una ex re uel maximè poſſumus perpendere. Nam paternę necis accæpto nuncio: haſtile, quod fortè manu tenebat, altius pedi ſtupefactus inmerſit: mœroris magnitudine, corpoream negligente moleſtiam. Vt enim animi uulnus patientius ferret, corporis partem grauius affecit. Quo facto, ſimul fortitudinem, mœroremquè detexit: fortunam ſuam inter calamitoſum filium, conſtantemquè uirum partitus. Nec minus animo uindictam perſecutus, cum fratre Biorno quadringentarum claſſe nauium Angliam inuaſit: bellum Regi manifeſta denunciatione inuehens. Comprehenſi autem hoſtis dorſum, plaga Aquilam figurante affici iubet. Memor, quibus parens eius ab illo ſit cruciatibus excarnificatus: ſæuiſsimum hoſtem, ferociſsimi alitis figura excruciare gaudens. Nec uulnera impreſſiſſe cõtentus, laceratam ſaliri iuſsit carnem: quo acrius torqueretur. Perempto autem hoſte, tum fratrem Iuuarũ Regno præfecit. Ipſe, atq; Biornus in ſua quiſq; redire curãt. Sed dum ille foris agit, Dani perſeuerantiſſima factione bellum complexi, quando Haraldum amiſere, Siuuardo cuidam, atq; Erico Regia gente creatis, publicam detulere adminiſtrationem. Quos Regneri filij memorati, mille ſeptingentarum nauium claſſe apud Sleſuicum adorti, ſemeſtri bello deleuere. Colles indicio manent: nec minus apud quem belligeratum eſt ſinus, Siuuardi funere inclaruit. Exinde Biorno, atq; Erici fratribus domum reuerſis, Iuuarus, atq; Siuuarus itidem fratres, quo tenacius rebellibus fręna imponerẽt, Danię reſederũt. Agnerum alium germanum Angliæ præfecerunt. Qui Anglorum repulſus armis, opitulante Siuuardo, contemptricem ſui prouinciam, incolis uacuefaciendo, tenacia ſitu iugera cultore carere, quàm inſolentem alere maluit: pinguiſsimaquè Inſulæ rura, teterrima uaſtitate perfundens, deſertæ, quàm ſuperbæ regioni malens imperare. Ericum autem fratrem, apud Suetiam regnantem, cùm audiſſet fraude circumuentum oppetijſſe, ulciſci cupiens: dum alienæ uindictæ arctius incumbit, ſuum hoſti ſanguinem erogare compellitur. Nam dum cæſi fratris pœnas auidius expetit, proprium fraternæ charitati funus impendit.

Siuuardi robur.

Mortis Hellæ ſpecies.

Rebelles Danos domãt Siuuardus & Biorn.

Agneri & Erici mors.

¶ Ericus Haraldi frater Dania potitur, cum Friſia. Rex Chriſtianus, piratas infeſtans: bello tamen contra Gutorinum exitiali moto, ambo pereunt.

CAPVT XII.



RICVS Haraldi frater, Siuuardo succeſsit in ſceptra. Paruulum quem ille filium reliquit, Regno depulit: fretus eorũ uiribus, qui Regneri genus perosi, Haraldo ſemper, diuquè inhæſerunt. Hic cum memorato Haraldo apud Moguntiam CHRISTI ſacris initiatus, ab Imperatore Ludouico in Friſia locum promeruit: ut inde nauigans, Piraticam, quæ multiplex in hoc noſtro mari ab antiquo fuit, prohiberet. Cui rei quamdiu Siuuardus ſupererat, fortiter inſtitit: & prouidè Friſiam Imperatoris permiſsione gubernauit. Quo iure, Danorum Reges longo tempore, illam regionis partem uelut ſuam, repopoſcerunt. Sed Siuuardo facto de medio, Daniæ, ut diximus, Regnum inuaſit: quod tamen non diu tenuit. Nam inter Gutorinum Haraldi filium, æmulatio emerſit ad illum: utroquè contendente ſe Regno propiorem. Verumquè probarunt: quòd Imperio rara ſit conſenſio. Totis ergo uiribus in arma ruentes, undecunquè arma contraxerunt: ac tam acri prælio, tamquè inſigni odio ſe contuderunt, ut omnis Regia ſtirps interiret, & uſq; ad infantem Ericũ, quem diximus, nemo ſupereſſet, qui ex natalibus Regno ſuccederet. Ergò mutua cæde, prælioquè confecti, Regnum paruulo uacuarunt. Ericus Rex II.

Friſiæ præficitur.

¶ Ericus Siuuardi filius ſuccedit, in Piratas & Chriſtianos ſæuerus: at tandem Chriſtum profeſſus, cum toto Regno conuertitur ad fidem. Caput. xiiij.



RICVS Siuuardi filius, Regneri nepos, penè ſolus ex Regijs Proceribus ſuperſtes, Regnum ſine contentione promeruit. Vbi adoleuit, per auitæ fortitudinis ueſtigia decurrens, terra mariquè ſtrennuum militem, ac ſæuerum egit Regem. Adhuc in ea gente durauit Piraticæ permiſſa improbitas: quo militiæ genere primam ætatem imbuerunt. Sed quod eſt execrabilius, Chriſtianæ religionis cultum, iam à temporibus Haraldi, per Anſcharium tunc monachũ, poſtea Pontificem, in Iutia, & omni Regno diſſeminatam, acri animo inſectatus, uſq; ad tyrannicam crudelitatem deſæuit: multos Chriſto fideles per tormenta conſumens. Sed hanc Adoleſcentiæ temeritatem, in ætate uirili egregia uirtute compenſauit. Nam beati Anſcharij iam Hamburgen. Archiepiſcopi monitis, ſacrilegæ mentis errore depoſito, quicquid per eiuſdem inſolentiam commiſerat, expiauit. Tantumquè in excolenda Religione ſe geſsit, quantum egerat in aſpernanda. Itaq; non ſolùm ſanioris diſciplinæ hauſtum, docili animo traxit, uerumetiam primæuas maculas finali puritate deterſit: non ſolùm ipſe baptiſatus, ſed per omne Regnum edicto propoſito, liberum fecit, ſa-

Ericus Rex III.

Supra cap. 10. b.

Perſecutor fidei.

Conuertit.

cræ

cræ religioni deuinciri. Quâ occaſione lætus acceptâ, Anſcharius & in Regno prædicauit, & alijs immiſsis Prædicatoribus, uerbum uitæ latè propagauit. Extat ad lacum Slyæ hodiè Eccleſia, quam diui An-ſcharij honore præditam, eius titulo inſcribunt: in qua ipſe prædicare Danis, & in uicino lacu gentem baptiſare conſueuit. Ericus autem Regno feliciter functus, iam Chriſto fidelis, cùm ad meliora emigraret Regna, filium Knutum ex Gutorini filia, eademquè Haraldi nepte progenitum, ſuperſtitem moriens dereliquit.

Anſcharius Hamburg. Archiepiſcopus.

¶ Knuto paruulus per tutorem regnat. Sub cuius tutela ex Danis aliquot Regij ſanguinis, multa paſſim deuaſtarunt. Caput. xiiij.



Knuto Rex. I.

KNVTO Erici filius admodum paruulus, patri in Regnum ſurrogatur. Opus erat adminiſtrante tutore. Verùm quoniam huiuſce muneris aduocationem præſtare, pleriſq; uel inuidioſum, uel arduum uidebatur, ſortitione uirum legi placuit. Prudentiſsimi nanq; Danorum, in tam excellenti negocio, arbitrario delectu uti pertimeſcentes, plus alienæ fortunæ, quàm ſuis ſententijs, permiſere electionis euentum. Quo euenit, Domino ſortem regente, ut quidã integerrimæ uirtutis deligeretur: qui permiſſam obiens prouinciam, omnia pro dignitate adminiſtrabat: talem ſe gerens ad omnia, ut Regis prouidentia non magnopere depoſceretur. Vbi uerò adoleſcentiam Rex tranſijt, legitimos nactus annos, ſubijt adminiſtrationem ipſe Regni ſui. Sed circa hæc tempora, cùm Regis adoleſcentiam Regij ſanguinis uiri cõtemnerent, latè excurrebant in uicinas prouincias. Iam enim uſq; adeò temeritatis prouecti ſunt, ut per maiores fluuios è mari aſcendentes, terras popularentur. Per Albim Hamaburg uaſtarunt, Anſchario Pontifice in Ramſolam fugiente. Per Rhenum uecti, Moguntiam obſederunt, & euerterunt. Per Sequanam ad Pariſios tranſierunt. Per Ligerim Turones adierũt: Carolumq; Franciæ Regem, Ludouici Imperatoris iuniorem filium, ex nouiſsimo eius matrimonio, adegerunt: ut terram eis ad inhabitandũ cederet, quæ erat in littore maris: quam de nomine ſuo Dani cum Noruagijs, Normanniam uſq; hodiè appellauerunt. Equidem Gallici Scriptores non diſcernentes inter Regnorũ populos, omnes ab Aquilone adnauigantes, appellauere Normannos. Hæc autem, ut noſtri annotauere Annales, poſt natũ Chriſtum Octingenteſimo ſexageſimo peracta ſunt anno. Knuto uerò Rex Daniæ, cuius hæc ſunt tempora, per omnia in Regno fortunatus permanſit, nulla domeſtica clade affectus, neq; externo

Is erat Ennignuphus.

Hamaburg uaſtatur.

Moguntia item.

Normannia unde dicta.

Anno Chriſti 860.

terno magnopere bello pressus. Hoc uno tamen magis deflendus, quàm accusandus, quòd absq; Christianæ religionis insignibus è uita transiuit: cùm tamen ad bonum modum iam in Dania, Suetiaq;, annitente Pontifice Anschario, cui erat à summo Pontifice super omnia Aquilonis Regna imposita Legatio, Christi religio excreuisset.



¶ Froto prouincias olim Daniæ subiectas, restituit: in Anglia baptisatur, at uita cedens priusquam Christianismo ad plenum instrueretur. Caput. xv.

FROTO huncfilius Regno insequitur. Cuius adolescentia armis, belloq; alita, eò felicitatis excessit, ut prouincias quæ bellis ciuilibus à Danis quondam defecerant, pristino adactas iugo uetustatis alligaret obsequijs. Et cùm iam per mare, per terras uaria fortuna circumtulisset arma, in Angliam incidit, auitæ ditionis insulam: in qua ditionem renouans, partem eius occupauit. Erat enim ab olim Anglia multis partita Regnis: ut paucos Reges, uel indigenas, uel exteros totam possedisse Angliam reperias. Sed tum Froto per eam uictoriã id maximè lucri reportauit: quòd in Christiana iamdudum prouincia, Christianis sacris est initiatus. Cæterum regressus in Daniam, priuatam salutem suam in publicum exuberare cupiens, ab Agapito, qui tunc Romanis sacris summus Pontifex præerat, Daniam missis Prędicatoribus erudiri petiuit. Ignorabat enim religiosus Princeps, propiorem esse eius rei curam, quòdq; Episcopis Hamburgensibus perpetua Legatio decreta esset in Regna Aquilonis. Sed quem habuerit exitum, illa ad urbem Romam postulatio, non expectauit Rex bonus: sed translatus ex hac uita, ad meliorem, ut confidimus, migrauit.

Froto Rex VI.

Anglia olim partita



¶ Gormo Regno potitur, sub quo Anglia desciuit. Dani cum Normannis Christianos persequuntur. Caput. xvi.

GORMO huic filius successit: cui quòd in Anglia extitit oriundus, Anglici cognomen incessit. Patre enim extincto, promptiore fortuna, quàm diuturniore apud insulã Regiam adeptus est arcem. Dum enim Daniam, accæpto paternæ necis nuncio, disponendę eius rei gratia petisset ex Anglia, longam paruuli secessus iacturam passus est. Quippe Angli libertatis suæ fortunam, in eius absentia reponentes, publicam à Danis defectionem moliendo, præcipitem rebellandi fiduciam induerant. Sed quo eum Anglia inuidentius spreuit, hoc Dania fidẽtius coluit. Itaq; dum ad duarum Prouinciarũ utranq; obtinendi, auidas Imperij manus porrexit, altera potitus, alterius irreuocabiliter dominationem amisit; nihil unquàm fortiter pro ipsius

Gormo Rex II.

Anglorum defectio.

ipsius recuperatione conatus. Adeò difficilè grandia continentur Imperia. Per quæ tempora, cùm hostiliter Dani cum Normannis maria omnia & littora infesta tenerent, cùm comperissent, fortissimum Regem Ludouicum, Ludouici Imperatoris filium, qui Germaniam in pace regebat, alios armis, alios submouens fœderibus, iam fato functum, sine discrimine terras omnes uastauerunt. Progressiq; in Saxoniam, cùm obuium haberent Brunonem Prouinciæ Ducem, cũ multis Episcopis, & terræ Proceribus, in loco Ebbekstorp concurrerunt: magnoq; inito conflictu, omne agmen Christianum prostrauerunt, Christiani trucidantur preciosos CHRISTO martyres consecrando. Causa enim Religionis in medio erat. cùm uindicandi Christianismi gratia, quem in Dania crescere cernebant, atrociter sæuiebant in omnes ubiq; Christianos. Quo tempore Rembertus Hamburgeñ. Archiepiscopus, rebus Christianis præerat in Prouincia. Cuius mirabile factum in Metropoli nostra, aduersus hanc gentem, tum Frisię incumbentem, in qua tunc ille erat, recensuimus.



¶ Haraldus. V. nomine duntaxat clarus. Sub eo Arnulphus Rex persecutorum Christianismi ex Danis & Normannis centum milia fundit. Caput. xvij.

Haraldus Rex. V. HARALDVS post hunc filius, Regni gubernacula suscepit. Cuius præter nomen nulla res præclarè gesta, aut insignis clades sub illo perpessa, in Fastos est relata: non rerum penuria, sed Scriptorum incuria, quæ huic regioni quotiens & alijs per interualla prouenit. Erant tamẽ illa secula magnis rebus insignia: cùm Normanni cum Danis omnia Germaniæ & Franciæ littora infestarent: & iamdudum, ut suo tempore meminimus, à Carolo, quem Caluum cognominauere, Ludouici primi filio, in littoribus Galliarũ terram accæperunt habitandam. (Carolus Caluus. 874.) Sed cùm illi adnauigantibus alijs eius nationis uiris: aut quòd prædæ inhiarent, in ulteriora Galliarum longè lateq; dilapsi, omnem regionem flãmis & ferro uastauere. Erat tum in Imperio Arnulphus ex gente Caroli Princeps in armis strennuus: qui audita Danorum, Normannorumq; insolentia, collectis armis, illis statuit occurrere. Bellum tum cœlitus administratum creditur: in quo Dani & Normanni ab Arnulpho Rege usq; ad internitionem sunt deleti. (100000. ex Danis & Normannis cæsi.) Siquidem centum milibus ex ea gente prostratis, uix pauci de Christianis cecidisse sunt reperti. Godefridus & Sigefridus Reguli, ibi perierunt. Et ita ad tempus restincta est ista persecutio Danorum, Normannorumq;, Domino uindicante sanguinem seruorum suorum, qui iam per annos. lxx. est effusus. Erat autem Annus Christianæ salutis, cùm tam insignis uictoria perageretur, Domini, Octingentesimus (Anno Christi, 888.)

gentesimus.lxxxviij.cùm etiam Principes in Dania CHRISTO crederent, cum multis è populo. Sed tanta fuit efferatę gentis insolentia, ut etiam inuito Rege, Regij Proceres nauigabant: patiente interim Rege, ut qui in Regno tumultuaturi uiderentur, foris arma suo periculo experirentur. Hæc tamen omnia plenius explicanda seruamus Noruagiæ.



¶ Gormo Christianismi tyrannus, ex Thira geminos excipit filios. Kanutus alter Dufflina capta, iaculo uenefico perit. Slesuicum Saxonibus per Henricū Imp. subijcitur. Caput.xviij.

GORMO filius hunc Regno insequitur, crudelissimus uermis (sic enim uernacula Germanorum lingua nomen sonat breuiatum) hoc dignus cognomento: qui implacabili odio, CHRISTI religionem insectaretur. Templa, ac basilicas à Patribus institutas subuertit: fideles exquisitis supplicijs discruciabat. Filiam Edelradi Anglorum Regis, puellam singulari prudentia, & Christianismi amantissimam, accępit uxorem. Cùmq; suo captum amore maritum, prudens puella persentiret, orabat quàm instantissimè, ne se contingeret triduano spacio. Distendere uoluit amantis animum: ut per impatientiam expectationis, aliquid illi de Christi Religione suggereret. Ille, ut erat uirili animo, etiam imperare sibi pertentabat: nolens mollioris in se Cupidinis uitium deprehendi: adiecit etiam maritali toro nudum gladium: quem suo, atq; puellæ lateribus interposuit: ut & illa secura promissi foret: ille quoq; nihil imperante libidine pertentaret. Interiecto autem tempore, geminam ex ea prolem procreauit, Haraldum, atque Knutonem, Regiæ atq; insignis proceritatis pueros. Qui uixdum adolescentiam ingressi, paternas artes arripuere: maris imperium exercentes, & excursionibus usq; adeo fidentes, ut Angliam, auitam insulam infestarent. Viuebat Edelradus maternus eorum auus, & iuuenum insolentiam ridebat potius, quàm castigabat. quippè gentis suæ propensiorem naturam agnoscebat. Secum tamen reputabat: industrios rebus gerendis uiros, talibus armorum rudimentis instrui oportere. Tantam uerò in nepotibus indolem conspicatus, testamento scripsit hæredes, matris eorum, quæ uno gradu propior uideretur, nullam habens rationem. Quo euenit, ut Thira mater, filios suos, paternorum bonorum hæredes, non inuidenter exhæres ipsa conspiceret: prælationem filiorum honorabilem sibi magis, quàm contumeliosam fore arbitrata. Aucta fiducia, cùm res ad uota succederent, ausi sunt iuuenes Hiberniam bello lacessere, Dufflinamq; urbem regionis metropolim obsidere. Rex autem gentis, cùm paucos speculādi magis gratia, quid

Gormo Rex.III.

Christianismi tyrānus max.

Gormonis gemini, Haraldus, & Knuto.

hostis moliretur, quàm alia causa expeditos misit milites in uicinum nemus: qui firmata iam obsidione, cùm Danos terendi temporis gratia, ludis etiam uacare conspicerent: noctis tenebris fisi, propius accessere. Quorũ unus sagittandi arte peritior, cùm Knutonem inspectandis ludis ociosum cerneret astare, iaculũ ex insidijs misit, iuuenẽq; letali uulnere pcussit. Ille clam habito dolore, ilicò præcepit muros scandere, omni conatu oppugnare mœnia, ne sui uulneris dolorem hostes persentiendo, fiduciæ aliquid, aut læticiæ assequerentur. Nec ante se uulneratum prodidit ad mortem, quàm mœnia à suis capta conspiceret. Neq; diu lucis fruitur solatio, concedens ad manes. Quis autem extinctum non plangeret, cuius disciplina militum suorum uictoriæ consilio, quàm spiritu diuturniore suffecit? Salus nanq; Danorum in ultimas angustias deducta, quia morientis Ducis iussui paruit, breui quos timuit superauit. Per idem tempus rebus Germaniæ Henricus Rex præerat, primus inter Saxones coronam meritus: qui tutandis Regni finibus, uigiles oculos circumferens, cum intelligeret Danos ex consuetudine Maiorum in Saxoniam excurrere, duxit in eos limitibus etiam transcensis ultra Eydoram exercitum; & expugnatam urbem tunc florentem Slesuicum, fecit Saxonum coloniam: cõstituto ibi Marchione, qui rem administrans, fines Imperij tutaret. Durauit huius Principatus per Henrici tempora. Quo mortuo, Marchionem Dani oppresserunt. Saxones fugarunt. Vnde natum est bellum Ottoni Henrici filio. Quod infra dicemus. Quo tempore Gormo ad ultimum ætatis suæ finem prouectus, ingentem annorum seriem luminibus captus exegerat, senectam ad ultimos conditionis humanæ terminos prorogando: magis de filiorum uita & incremẽtis, quàm reliquo spiritu suo sollicitus. Tanta autem Knutonis præcipua erat charitate: ut à se occidendum iuraret, qui prior ipsius exitum nunciasset. Cunq; fortè Thira mater, haud dubium de illius exitio nuncium accæpisset, nemine id Gormoni palam insinuare audente, præsidium calliditatis amplexa, casum quem ore prodere timuit, opere explicauit. Maritũ nanq; Regis cultu exutum, tetriore circundedit, aliaq; doloris insignia, per quæ causam luctus aperiret, admouit. quòd Antiqui talibus in exequiarũ actionibus uti consueuerant: acerbitatem mœroris, habitus asperitate testantes. Tunc Gormo cùm tactu persensisset, En mihi inquit, Knutonis fatum publicas? Et Thira, Idipsum ait, tuo potius, quàm nostro declaratur augurio. Quo dicto, marito mortem, sibi uiduitatis causam præbuit: nec ante filium, quàm coniugem planxit. Miserabilis conditio Christianę fœminæ: quæ in obsequio perfidi mariti consenuit: nec illum exemplo Religionis, aut blandimento suasionis ad Christi cultum

Knutonis cędes.

Dufflina capta.

Slesuicum urbs florẽs, per Henric. Imp. captũ, Principatus fit; unde adhuc Reges Danorum titulum sibi usurpant.

tum prouocare potuit.

¶ Haraldus hic potentissimus, Iulinum Vuandalorū oppugnauit. Iutiam Henricus Cæsar bis deficientem, Christianæ fidei reddit. Slesuuici Præses à subditis opprimitur. Ottonis uictoria, Snius & Insula. Rex Danorum cum filio baptisatur.

Caput. xix.



ARALDVS alter ex filijs Regno surrogatur. Qui hereditariæ dominationis fortunam, conspicuæ fortitudinis operibus prosequi cupiens, traiecta in Orientem piratica, circumpositum lacessiuit oceanum. Ibi dum classe uictricia signa circumtulit, maternus auus Angliæ Rex, rebus humanis excessit: filiusq; illius Adalstenus, paterno testamento sanguinis iura opposuit: armisq; uendicauit, quod patria uoluntas uidebatur abstulisse. Serius re ad Haraldū perlata, prius audiuit Noruagiæ Regis cum auunculo pactionem, quàm potuerit ulla parare arma, ad inuadēdum Regnum. Quam rem quia in Noruagia sufficienter expressimus, hoc loco transibimus. Tanta autem erat Haraldo in solis Daniæ armis potentia, ut & Noruagis laborantibus suppetias, & Suecis nihilominus inuocantibus, copioso præsidio nō deesset. Vnus erat sua ætate Rex præstantissimus, in quē omnium uicinorum Regum oculi, præcipua mitterentur obseruantia. Deniq; & Australem plagam, quam Vuandali tenuere, nō liquit intentatam: quin ad oppidum Iulinum, quod illa ætate in Pomeranis erat præcipuum, oppugnauit, gentemq; perpulit imperata facere. Inde cùm magnos belli faceret apparatus, in Suetiam auxilio uenturus Regi Sturbiorno, Teutonicæ irruptionis nuncium, quæ à Cæsare Ottone Primo, gerebatur, accæpit. Quæ illum res auersum Suetia, suis cōegit intendere. Equidē Gormone eius patre rebus præsidente, Henricus Cæsar, quod diximus, Ottonis item parens, cùm audisset, malè Christianos Iutios, dimidiatam Christi religionem, animis non synceris percolere: suscepto pietatis negocio, ut erat Christianitatis amantissimus, expeditionem fecit in Iutiam non uulgarem. Occurrentemquè Regem, armis perpulit subire conditiones: ut si non ipse uellet, liberū faceret, in Regnō Christianam Legem seruari: sineretq; uerbum uitæ dissem inare. Qua occasione Vnni tum Hamburgensis Archiepiscopus, strennua Dei uerbi prædicatione per Daniam, perq; Sueoniam laborauit. Cui etiam peregrinationi bonus Pontifex uitam impendit: tumulatus apud Biream Suetiæ. Henricus autem Cæsar circa Slesuicum Marchionatu constituto, præsidem ex suis fecit: qui etiam rebus gerendis per tempora Gormonis & Henrici fortiter prēfuit. Sed Re-

Haraldus Rex. VI.

Noruagíæ lib. 5. cap. 3.

Iulin[um] Vu[andalorum] oppug[natum]

Iutia fit Christi lege imbuta.

gnis iam morte Regum alteratis, pertesum est Daniæ populo, Teutonicum iugum sustinere. Igitur congressi populi, Præsidem suum oppressere. Quam rem Otto Rex adhuc Germaniæ, uindicaturus, magno exercitu duxit in Daniam: eius præcipuam partem Iutiam oppugnans, & uastationibus implens usque ad extremam eius in Aquilonem partem. Inde lanceam in uicinum mare iaculatus, æternum mari nomen reliquit: ut Ottonis sinus usque hodiè uocitetur, Ottoniaque dicatur insula non longinqua. tam celebris genti fuit Germanici Regis uictoria. Sed iam terram agmine exiturus, obuium sensit Haraldum Regem: qui opportuna locis præsidia collocauit: aut exitu prohibiturus, aut iusta cum illo dimicaturus acie. Non detrectauit quod erat in hostem penè necessarium certamen Otto. Collatis signis, diu fortiter præliatum est. Post primam autem pugnam, quæ æquo marte digesta est, uisum est utrique Regum, de rerum summa conferre colloquium. Igitur post longa utrinque uerborum certamina, in eas utrinque conditiones est conuentum: ut Haraldus cum Suenone filio, sacram Christi subiret religionem, Regnumque Romano subderet Imperio. Et prius quam discederet Imperator, Rex Haraldus cum Suenone filio baptisatus est. Filium autem de sacro fonte Otto suscipiens, de suo nomine Suenottonem appellauit: ut & gentis suæ nomen seruaret, & Ottonianum adijceret. Crediderim in has leges multum cöopertam Haraldi matrem Thiram, christianam fœminam: quæ Gormonem maritum inclinare non potuit, filiumque diu sensit reluctantem: nunc autem Ottone Rege accedente, gaudenter adiuuisse tam ualidum salutis præsidium.

Præses Slesuici occidit. Saxoniæ libro.3. ca.25.

Sinus & Insula Ottonis.

Haraldus Christi fide initiatur.

¶ Sturbiornus bello cadit. Ab Haraldo Aquinus Noruagus descíscit, Daniæ partem infestans incendio & prǫda. Piaculum horribile perficit. Iutiam Thira Vallo munit fortissimo. Aquinus Sembiam insulam deuincit. Caput.xx.



SED DVM ista geruntur in Iutia, Sturbiornus Suetiæ Rex non expectata Haraldi auxilio, pugnæ se credidit: & oppressus est. Aquinus quoque Noruagiæ Rex, quem iste Haraldus in Regno nuper tenuerat, pulsis hostibus, & perinde tributa pendere iussus Daniæ: audito, quòd Otto Germaniæ Rex, Haraldum teneret bello implicitum, forè prospexit, ut aut opprimeretur Haraldus, aut diutius bello teneretur: defectionem præsumpsit. Simul & Iulini Vuandalici oppidi ciues, pressuræ à Danis nouissimè ulturi iniuriam, expedita classe, Daniæ partes prædis & incendio uastant. Quod promptum est adnauigantibus: ubi nulla sunt arciũ atque murorũ prǫsidia. Vtrisque occurren-

Daniam incendio & prǫda uastat

occurrendum pariter fuit. Nam Vuandalicæ urbis bellum Ducibus mandauit: ipſe in Noruagiam ducturus. Igitur iam expedita claſſe, in Noruagiam mouens, expertus eſt miram in mari tempeſtatem, quæ aduerſaretur ſupra modum eunti. Nam Aquinus Noruagius cùm armis diffideret, ad maleficia, quæ plurimum adhuc in ea regione ualuerunt, duos filios Dijs ſuis immolans, cõfugerat. Impius pater, intimos affectus ſuos, pro quibus per terrarum orbem ſolent acerrima bella ſuſcipi, & ſuſtineri, ille pro uictoria iugulauit. Quã rem in Noruagia noſtra ſumus executi. Dum his rebus foris Rex implicaretur, mater eius Thira, iam bis recolens Germanorũ factã terreſtri itinere in Iutiã irruptionem, præuenire ſtatuens in reliquum, magnum opus aggreditur. A Sleſuuico in mare Britannicum Vallum grande iecit, foſſaq; præcipiti cinxit. Cuius hodiè cernitur labor à mari Baltico, in mare, ut diximus, Britannicũ. Cui primus Vualdemarus murũ ſuperaddidit, portarũq; clauſtra firmauit. Hodiè quoq; in cõſpectu arcis Gottorp, opus Danorum appellatur. Et cùm Sueci per abſentiam filij, Scaniam infeſtarent, illa collectis armis, regionem defendit, uirile negocium amplexata fœmina. Duos iſte Rex ex uxore Gyritha ſuſtulit filios. Aquinũ, atq; Sueuonem: quorũ maior natu ita uirtute germanum ſuperauit: ut quamuis ille præcipuus ad omnia gerenda haberetur, fratri tamen collatus, obſcurari uidebatur. Iſte Aquinus cùm adhuc ſub parente ageret, ſuis auſpicijs nauigaturus, claſſem inſtruxit: Sembiam Orientis inſulam, ſub Pruſſia, eſt aggreſſus: & quo fidentius milites in pugnam duceret, claſſem incendit, ut ſpe redeundi præciſa, aut uincendum, aut moriendum noſſent. Effecitq; Ducis fiducia: ut deſperatione ſalutis ex fuga, pertinaciores in hoſtes experiretur milites. Nec illũ fefellit opinio. Nam inſulam expugnatã ſui iuris fecit, fœminasq; maritis in prælio occiſis, ſibi coniugio ſociarunt Dani, repudiatis quas domi liquerant uxoribus.

Piaculũ dirũ Aquini.

Vallum Thiræ.

Stratagema Aquini.

Semi[illegible] ſulam [illegible] pugnat.

Inglorum repudium.



Thiræ mors, & monumentum inſigne, occaſionem dedit Coniurationi ſubditorum in Haraldum; quæ mortis cauſam tandem poſt uariam belli fortunam Haraldo attulit. Caput. xxi.

PER quæ tẽpora Thira Regis mater rebus exceſsit. Eam fœminam pro ſua uirtute, omnis Regio deſyderauit. Filius autem Regio funere tumulatam, inſigni monumento apud patrem honeſtauit. Interea Rex uarij generis delectos pugiles fouebat. Erat in eis qui gloriaretur tam inſigni arte ſagittandi eſſe, ut ſignũ quàm minimũ cõtingeret: cunq; omnes gloriabundus hac arte contemneret, iubet Rex, ut proprium ſiſtat filium, cuius de capite malũ ictu teli traijciat: magno

Toko ſagittarius peritiſsimus.

ſui periculo artis iactantiā onerans. Denicꝗ quod Rex iuſſerat, imple-tur. Siſtit filiū: præcipiēs, ne qua ſe moueat. Interim ſagittarius tria elegit tela, capiti circūponens: & primi quidèm iactu, malum à capite filij deiecit. Rege cū cæteris inſpectante, mirantibusꝗ fiduciā. Tum Rex, in quos uſus reliqua duo prouidiſſet, interrogat? Ille nihil moratus, Quando ait, in id me diſcrimen, imperio Rex tuo cōartaueras, ſi me manus fruſtrata fuiſſet, proximū tu excepiſſes præcordijs: & deinde qui primus ſe cōmouiſſet tertiū. Rex fortis uiri iuſtū dolorem impunitū eſſe iuſsit. Cupiens aūt idē Rex matri pro ſua uirtute, perenne monumentū inſtruere: quod Daniam uallo cōmuniſſet: ingens ſaxū in littore repertū, multarū manuū ope uix eruendū, aggreſſus eſt. Ibi fodiendo, leuandoꝗ diu milites cum agricolis fatigati, fruſtrato labore, ad impatientiā uerſi ſunt. Interea filius Sueno, perſentiēs multos ex Proceribus indignè ferre iugū Chriſtianæ religionis, cui nūc accederet durus ille labor erigendæ molis: primū muſsitatione pluriū, inde aperta indignatione coniuratū eſt in Regē: filiusꝗ eius Sueno non ſolùm inerat, ſed etiā prerat factioni, Rex appellatus à conſortibus. Rex omnium ignarus, laborabat molē educere. Aduentantē ex amicis quempiā, ſciſcitatur, ſi meminiſſet ſimilem unquam mortaliū laborem? Ille ſubinfert. Maius aliquid breui cōperies, cùm tibi ò Rex, Danię Regnum adimet, moles longè iſtā exuperās. Territus Rex, ordinē quærit. Conſpirat inquit ille, omne Regnū cum Suenone filio. indignantur enim de proiectis patrum ſacris, deꝗ labore quo exhauris uniuerſos. Igitur amolitione ſaxi dimiſſa, exercitū parare contendit. Sed hic etiam militē expertus eſt auerſum: quòd tam indigno labore, pecudū more damnatus, manū capulo aſſuetā, trahēdis funibus occupaſſet. Qualemcunquè tamen tempus dabat inſtruens exercitū, occurrit filio. Sed conſerta manu, uictus aufugit in Iulinū Vuandaliæ oppidū: ubi pridem collocato ſuorū prēſidio, certiſsimū ſibi ſalutis profugiū conſtituerat. Inde uerò claſſe expedita, armatoꝗ milite, bella renouauit. Sed non melior exitus priore. Tertio etiam belli fortunā expturus, renouauit uires. Sed tū indignū uiſum eſt Proceribus, tam impia bella uel pmittere, uel adiuuare: interuentu quorundam, Induciæ fiūt. Quibus fretus Haraldus, ſecurius ambulauit in littore. Vicinę etiam ſyluę inter rubeta concedens, ex inſidijs miſſo iaculo, grauiter uulneratur. Igitur in nauium deportatus, cum uniuerſa claſſe Iulinum repetit. Ibi Rex bonus, in fide Chriſti, inter medios dęmonicolas ſpiritum Deo reddidit. Et ſi cauſa, non pœna martyrem facit, quis dubitat, Chriſti conſertum agminibus? qui pro eo deſtitutus eſt, & oppugnatus: quòd Chriſtianam religionem & ipſe coleret, & in ſuos propagaret.

[Margin notes: Monumentum Thirę. — Coniuratio filij, & ſubditorum in Regem. — Filius contra patrem. — Toko Haraldū ſagitta interimit.]

¶ Sueno



¶ Sueno Rex impius, impiæ genti Daniæ acceptus, cùm tertia captiuitate à Vuandalis bello capit, Matronarũ clinodijs liberatur. In cuius beneficij gratiam, illas iure successionis hæreditariæ donauit. Caput.xxij.

SVENO filius, Regnum quod uiuo parẽte occupauit, iam uita functo, quasi legitimũ tenuit: fidem Christi iamdudum proijciens. Cuius sacrilegij merito, & Rex inter suos est habitus, & paternæ fuit persecutor religionis. Sed hanc in parentem suum, inquè omnium parentem Christũ iniuriam, infelicissimi successus uindicauere. Siquidèm bello Vuandalis Iulinensibus indicto: quòd parentem eius profugum excepissent, quàmuis uita functũ, remiserint Regali tumulo in Roschildia condendum, nauali prælio gentem inuadit. Illi uerò non segnes, bellum denuncianti alacres occurrunt. Consertaq; manu, non solùm profligant exercitum, uerùmetiam Regem capiũt. Et cùm aliquandiu captus teneretur, precium redemptionis ad pondus proprij corporis aptant: ut semel auro, bis argento æqui ponderatus laxaretur. Incaluit in eo dolor cum pudore: quòd ab una urbe tantum dedecoris accæpisset, cuius uniuersæ genti Maiores sæpè sui imperassent. Itaq; bellum renouat, mouitq; in Iulinos. Illi prioris uictoriæ fiducia animos attollunt, pugnantq;: eundẽ sortiti pugnæ exitũ quem prius. Captum enim Regem abducunt. Ille sciens, qua sit mercede laxandus aurum atq; argentũ expromere non potuit, uacuatis iam Regijs thesauris. Extorsit tamen apud Proceres: ut filijs datis pro Rege obsidibus, ea se auri & argenti summa soluendi obstringerent. Et cùm iam Regno redditus, unde obsides liberaret, in rationibus Regijs non haberet, saltus & nemora, agros cũ cultoribus oppignorabat, his qui filios redimerent. Sed nec sic quiescere poterat bis uictus Rex, quo minus per omne Regnum uires renouaret. Iulinenses quoq; non impigri, classem expediunt, & imposita iuuentute ducunt in hostem. Stabant in anchoris utræq; classes: nocturnis excubijs uigiles impositi, utrinq; funguntur officijs. Deprehensum est à Vuandalis, Regiæ classis uigiles redijsse ad quietem, cùm adhuc tenebræ perdurarent. Igitur scapham Vuandali in expedito tenent: cui impositum cum necessaria manu uirum, qui linguam percalleret Danicam, iubent specie uigilũ, prætoriam Regis nauim adire. Aduectus, Regem ex nomine uocat: adesse rei benè gerendę in hostes occasionẽ, quam Regijs auribus secretius aperiat. Nemo aliud suspicatus, quàm excubiarũ esse Pręfectũ, qui cõfidenter Regẽ inclamitet. Rex nihil moratus, caput educit propius inclinandũ: ne quis exaudiat rem magni ponderis, ille contendit. Itaquè pectoretenus naui suæ prominet. Arreptũ Vuandalus Regem

Sueno Rex I.

Rex impius impijs acceptus.

Sueno primo à Vuandalis capit.

Secundò capitur.

Stratagema nauale.

Tertio capitur.

attrahit:& impulsa celerius scapha, in suorum castra portauit: iam ad pugnam stante Vuandalorum classe, si quis se commoueat. Igitur tertiò iam Rege capto, prius ascendunt, quàm per omne Danorum agmen clamor capti Regis perueniat. Iam Regijs opibus exhaustis, etiam pignore pridem obligatis, quæ promptiora æri faciundo uiderentur: plus tamen pudoris quàm damni inesse rati. Proceres tertia captiuitate: præsertim, quòd tam facili dolo circumuenti, Regem de sui medio passi uiderentur abduci. Sed in tantis rerum angustijs, ubi uirorũ defuere consilia, matronæ iocalibus suis & ornamentis diuenditis, magnum æris thesaurum contulere, cuius impendio, Rex tertia captiuitate sit laxatus. Sed hoc Matronarum beneficium, Lege lata, de illarum, quam prius non habebant, legitima successione, egregiè compensauit Rex, Regno redditus:& tamen prius quàm abire paterentur, iam toties rebellantem, iureiurando Vuandali adegerũt, ne bella in eam gentem quoad uiueret renouaret. Nã successores constringere nõ potuit.

Lex Matronis cõcessa, De legitima eorum successione in bonis hæreditarijs.



¶ Sueno Dania per Ericum Sueciæ Regem, pellitur. Multis circumactus miserijs, post septennium tandem pœnitentia fractus, Christo se mancipat, & Regno restituitur. Caput. xxiij.

INTEREA Ericus Suetiæ Rex, memor, quòd Suenonis pater Haraldus Regno suo grauis, incubuisset, in filium uindicaturus, copias suas in DANIAM educit. Augebat fiduciam, quòd totiens à Vuandalis uictus Sueno, facilis ad inferendam iniuriam uideretur. Congressus ergò magno in Scania prælio, fudit, fugauitque Suenonem, ac Regno cedere cõegit. Multa circumspicienti apparuere profugia. Ante omnia tamen Noruagia illi, & opportuna loco, & meritorum debitrix uisa est. Contendit ad Olauũ, non Regem quidèm, sed tamen functum administratione. Ille iacentem contempsit, precantemque repulit. Inde in Eduardum Angliæ Regem respexit. Ille quoque insidiari magis, quàm precari reputans hominẽ, à se inconsolatum dimisit. Nihil intentatum relinquere uolens, ad Scotiæ Regem peruenit. Ibique inexpectatum salutis præsidiũ accæpit. Quis putaret humanitatis obsequium, quod in regionibus benè moratis non accæpit, in ultima barbarie reperire? Sed tum Sueno per quietem omnia circumspiciens, secum uolutabat, quanto ex fastigio decidisset: quàm crebris iactatus infortunijs, cessisset hostibus ante sæpè uictis: quàm etiam contemptus haberetur inter eos, in quos & parens eius, & ipse, crebra beneficia contulissent. Descendit aliquando, miserante DEO, in animum eius: hanc tantam illi suo demerito infelicitatem prouenisse, quòd sanctissimam CHRISTI Religionem abiecisset:

Sueno Dania pellitur.

Suenonis discursus & pœnitentia.

ciſſet:& parenti impiè rebellans, cùm cauſa religionis in medio uerteretur, illum ad necem fuiſſet perſecutus. Igitur tantorum cauſam malorum iam inuentam, expiare conſtituens, totus in Deũ conuerſus, Impietatem abnegabat, ſacrum Baptiſma, quod accæperat, ſecum recolens, Chriſtianũ hominẽ agebat. Nec aberat diu cõſolantis Dei miſericordia. Nam cùm per id tempus curreret Annus exilij ſeptimus, de repente mortuus Ericus Suetiæ Rex, Daniꝗ uacuam illi poſſeſsionem dereliquit. Religionem tamen Chriſti, quam reſumpſit, diſsimulanter ſeruare compulſus: ne initio hos à ſe repelleret, per quos Regno reſtitutus, poterat uniuerſæ in ſalutem prouinciæ conſulere. Egit tamen priuatim Rex apud eos, quos cordatiores agnouit, ut CHRISTI ambirẽt myſteria. Sed nõ eſt eiuſdẽ ingenij, Armis præeſſe & Sacris. Fit Chriſtianus.

¶ Poppo candentis ferri miraculo, Danos ad fidem Chriſti conuertit. Sueno Syritham Suetiæ ducit uxorem, & Regem & Regnum, cum Anglia ſibi ſubigens, tandem felici ſenio uitam finit.

Caput. xxiiij.



IGITVR permanſere diu in perfidia ſua, donec Poppo uir religioſus indigena, qui diu in Italia, & apud ſummum Pontificem peregrinatus, in Chriſti religione iam ſolidatus erat, adueniret. Is annitente Rege, apud Portum, cui frequentia glaciei nomen pepererit, in Danorum cœtu publicè concionatus, uir doctrina & ſanctitate perſpicuus, longa ac ſalubri oratione genti ſuaſit, perfidiam deſerere, ſynceram Chriſti religionem, iam in omni penè mundo celebrem amplecterentur. Et ubi hæſitantes inter utrunqꝫ conſpexit, ut neqꝫ promptè antiquam Religionem ponerent, neqꝫ quod uerbis eius opponerent haberent: percunctatus eſt, Quid ſi ad candentis ferri tactum, manus eius cernerent intactas? Vellent ne ſubire quæ hortaretur? Cunctis ſucclamantibus, Velle. In chirothecæ formam iuſsit ferrum aptari, idqꝫ ignitum afferri. Rubuit igne ferrum. Ille tamen intrepidus, manum immiſit ad cubitum, deportauitqꝫ ad locũ conſtitutum. Ibi cùm ad pedes Regis proieciſſet, uicta manus dedit concio, ſpontè ſubiens Lauacrum regenerationis. Tum max. Pontifex Hamburgen. Adaldagus, Epiſcopos per Daniam ordinauit: memoratum Popponem Aruſij, Haricum Sleſuici, Leſdagum Ripę, Gerbrando Roſkildiæ Eccleſias commendauit, conſecratis Epiſcopis. Iam ſacris per ſua loca cõſtitutis, res omnes Regni in melius profluere cæperunt. Inſtitit per hoc tempus NORVAGIAE Rex Olauus, relictã SVETIAE Reginam coniugio ſibi ſociare: quo SVETIAE uires ſuis adiungeret. Sed hoc SVENO perſentiẽs, non eſſe ab re ſua exiſtimauit. Poppo uir ſanctus. Candẽs ferrum geſtat. Olauus Suetiæ Rex.

Igitur

igitur hominem optato constituit auertere. Subornauit enim ex suis duos, qui specie perfugarum Olauum peterent, multa mala in caput Suenonis congererent: Cęterum filiam eius Thiram, auiæ nomen referentem, insigni laude celebrarēt. Cunq; laudem puellæ crebrius per occasionem apud Regem perfugæ repeterent, usqueadeò irritauerūt concupiscentiam eius: ut missis ad Suenonem Oratoribus, filiam eius coniugem deposceret. Sueno ita legationem accæpit, ut spei plenos à se dimitteret Oratores. Exhilaratus Olauus accæpto nuncio, Syritham Suetiæ Reginam, annis adolescentiæ suæ imparem, iam contempsit: non contentus, ut ferūt, eam coniugio præterire, sed & addita contumelia grauiter affecit. Nam specie colloquij accersitam iussit adesse: & ut gens illa nauigio ferè omnia peragit, naue propinquantem Reginam, ad se per nuncium orat introire. Illa fœminea uerecūdia aliquandiu reluctata, Regio tandem cessit imperio. Struxere dolos qui interuenere. Nam tabulam inter utranq; nauim uestigio defigendam, ex altera parte ubi Regina inscenderat, pensilem submisere. Illa cum assectis mari demergitur. Sed assistens fida suorum manus, cum proprio periculo Reginæ aderant, ne extinguatur. Vix ergò abstractam profundo, reddidere littori. Id an Regis uoluntate, an perfugarum dolo factū sit, in incerto fuit. Nisi quòd creditum est, Suenonem non ignarum extitisse. Cùm enim Olauus à se Syritham Reginam tali indignatione repulisset, ipse quoq; filiam pernegauit: ita utroquè insistentem, neutrius compotem fieri passus est Sueno. Nam Syritham ipse sibi coniugem asciuit: uires quibus nudauerat Olauū, sibi consciscens: ex qua postea filium sustulit Kanutum. Sed Olauus non ignarus omnium earum rerum, Suenonem extare autorem, qui & filiam dolo ostendisset, postea retractam: & Suetiæ Reginam à se auersam, proprio connubio præuidisset: tantam statuit ulcisci iniuriam: expedita classe mouens in Danos. Sed Sueno accitis in opem Suecis, quibus priuignus eius præerat Iacobus, facilè uictoriam retulit: oppressoq; Rege, in suam Regnum redegit potestatem. Nec eo cōtentus, uictrices turmas conuertit in Angliam: & expositis in terram copijs, Regem eò perpulit ad Adelstenum, ut firmaret, se decedēte non alium Angliæ Regem futurum, sed in Suenonis manu Regnum permansurum. Sueno autem ad senilem perductus ætatem, iam armis relegatis, solis institit sacris. Siquidèm omni humana concussione uacuus, in ipso perfectissimæ uitæ fulgore decessit: Exemplar uniuersis Regibus in se præfiniens. Quandiu enim Religioni repugnauit, infelicissimis successibus, ad extremas peruenit calamitates: at ubi conuersus in Deum, sacram agnouit ueneranter religionem, ex infimo gradu ad splendo-

Dolus sexui incongruus.

Sueno uxorem ducit Syritham.

Suecos uincit, Rege oppresso.

Angliam subdit.

ſplendorem ac felicitatem, uicinis Regnis conſpicuam, peruenit.



¶ Kanutus, Vuandalos, Sembos, & Anglos, ultor paternæ iniuriæ deuicit. Olauum æmulatione procaci tentans. Caput. xxv.

KANVTVS filius, cui ex magnitudine rerum geſtarũ Magni nomen acceſsit, patri ſucceſsit in Dania. Cæterũ Noruagici, atq; Anglici Reges ex ſuis elegerunt Proceribus: Eduardum Angli: Olauum, qui poſtea in Sanctos eſt relatus, Noruagi ſubuexere. Sed Kanutus diſsimulata interim iniuria, uires primùm exercere, inde augere conſtituit: tum rebus plenius conſulturus. Et quoniam Vuandalorum multiplices in parentem iniurias Sueno ſacramentis aſtrictus, uindicare non potuit: pium exiſtimauit, inde militiæ ſuæ rudimenta ſumere. Sembi quoq;, Aquino patruo per mortem abſumpto, Daniæ iugum reiecere. Vtriſquè uindicandis ſe Kanutus aptauit. Et quidèm totis Daniæ uiribus, diuiſim utriſq; incumbens, facilè perpulit: ut imperata nedum detrectarent, ſed & Danorum Regi ſubiecti, annua tributa penſitarent. Inde ubi uires iam duabus claris auxiſſet uictorijs, par animo cœpit eſſe Anglis inuadendis. Sed tamen ne hoſtem à tergo relinqueret, temporariam pacem cum Noruagiæ Regibus Olauo, atq; Haraldo fratre pepigit: ſocietatemq; gerendi in Anglos belli inter fœdera comprehendit. Iunctis ergo uiribus ducunt in hoſtem. Expoſitis in terram militibus, acies ex aduerſo conſiſtunt. Pugnatum eſt acriter, diuq;. Sed in medio pugnæ æſtu, Signifer Danorũ fortè, an uirtute obtritus, Signa inclinauit: Angliq; rapuere. Erat inter gregarios milites Tymmo, uir & proceritate et robore inſignis, quem fors obtulit, is uirentem ramum haſta ſuſtulit in ſublime, Hæc inquiens, ſigna noſtra commilitones: ſequímini qua præeo. Itaq; ducens in hoſtem felix Anteſignanus, aciem iam de fuga meditantem, reſtituit. Demum cùm uictoria apud Danos reſideret, Rex clara uiri uirtute delectatus, Primipilum fecit in omne tempus Militiæ ſuæ: multis prætereà agris, & inſigni de reſtituta acie per ſigna, cognomine decorauit. Olauus Noruagię Rex, cum ſuorum agmine Danis militabat. Fœdera autem quæ tum icta ſunt inter Angliæ, Daniæq; Reges, ut quo adnueret, Eduardus dimidio Regni contentus, partem alteram Kanuto mox permitteret, totam habituro poſt Eduardi fata, nullam Olaui rationem habuere. Adiecit alteram Olauo contumeliam: ut mulierculam, qua ille interdum ad ſolatia uteretur, ab illo abſtractam, ſibi deuinciret. His rebus percitus Olauus, cùm indignatione plenum ſpiritum gereret, nauigauit in Patriam: cogitans, quonam pacto, & iniuriã contemptus, & contumeliam affectus, uindicaret.

Kanutus Rex. II.

Vuandalos & Sembos ſubijcit Danis.

Anglos ſubijcit.

Aluuinam nomine.

¶ Nun-



¶ Nunciatur Regi, Angliæ Regnum uacare. Suspendio demandans nuncios, Angliam mox possidet. Affinitate se iungit Normannis. Olauum rediens, Dania expulit. Caput. xxvi.

SEPTEM in medio anni decurrere, cùm quidam ingressus tricliniũ cum socio, quo Rex accumbebat Kanutus, totius Angliæ Regem salutauere. Ille incertum habens, an exprobrationem dimidiati Imperij cum Eduardo, inuersa salutatio, irrisionem præferret, Nihil se eius gratia pudere respondit. Illi ubi Regem rubore perfusum intumescere uiderunt, iam palàm locuti, se eius obsequio, quo celerius toti Angliæ regnaret, Eduardi fata peregisse testantur. Tum indignationem effundens, parricidas appellauit: iussitq; consumi suspendio: quo Regij sanguinis pœnam, turpi supplicij genere perageret. Non tamen potuit Rex consciæ mentis crimen apud omnes abolere: interpretantibus nonnullis, quo scelus magis tegeretur, ministros scelerũ de medio sublatos. Cùmq; Angliæ iam uacuam possessionem intraret, nectendam cum finitimis affinitatem putauit. quo Regnum longinquum, magis ac magis in fide permaneret. Igitur Normanni Ducis in littore Gallico ditionem regentis, Immam filiam matrimonio sibi deuinxit: germanamq; suam Estritham, eius fratri Richardo coniugem dedit. Sed ille, ut dicemus, repudiatam, Regi remisit. Ex Imma Rex Kanutum, Gunildamq; prolem sustulit. Olauus interim Noruagiæ Rex, iniuriarum memor, infesta Daniȩ per Kanuti absentiam bella intulit. Sed adnauigans ex Anglia Kanutus, facilè illum repressit, cõegitq; in fugam. Petijt autem Olauus, Orientales Vuandaliæ partes, Geritslauum socerum adiens.

Suspendit nuncios Angliæ.



¶ Kanutus Noruagiam paternum Regnum occupat. Sororium Normannia expellit. Olauus Suetiæ redditur iustiss. Rex. Locatas insidias Kanutus classe dirimit. Caput. xxvij.

INTEREA Kanutus uictor, Noruagiam paternæ ditionis Regnum recepit: & confirmatis ibi rebus, reuersus est in Angliam. Audito autem, quòd sororis suæ maritus, qualibuscunq; ex causis repudiũ indixisset uxori: protinus hominem fugauit ex Normannia Galliæ, germanam reducens in Daniam. Richardus autem uoto suscȩpto, peregrinatus est in terram sanctam: ibiq; mortẽ obijt. Cunquè per id tempus Olauus, qui & Iacobus, Suetiæ Rex, rebus excessisset humanis, Olauus Noruuagiæ exul, spem concȩpit, patriam ditionem repetendi. quod Kanutus fraternis destitutus auxilijs (erant enĩ Kanutus, & Iacobus uterini fratres) illius Regni prȩsidia sibi confidebat

Sororium Normannia expulit.

bat

bat accedere. Igitur soceri, atque Sueonum armis, Olauus Noruagiæ restituitur. Ibique Legibus editis, & Religione propagata, Rex iustissimus atque sanctissimus, ab his qui Kanuto fauerant, domestico bello est oppressus, ac in Sanctos relatus. Quæ plenius in Noruagia diximus. Estritham uerò germanam, Vlfoni Duci Anglicano tradidit uxorē. Cuius de origine fabulosa memorantur: occasione fortè sumpta de auito nomine: quòd auus illius Vrsus diceretur. Solebant autem Principes illa tempestate cognomina uendicare de generosis beluis: ut alius Vrsus, alius Leo, alius etiam Catulus diceretur. Vnde & idem ille Vlfo, uicinum Lupo nomen præfert in lingua Germanorum. Is autem uir fortis, fortissimi nihilominus & optimi Regis Suenonis pater est, cuius gratia illius cum honore facimus mentionem. Subortis tamen simultatibus inter illum, Regemque Kanutum undecunque: quia securus in Dania non uidebatur, in Suetiam confugit: Emundo Suetię, & Olauo Noruagiæ Regibus operam in Kanutum promittens. Erat uir fide præcipuus in Kanutum: qui cùm ista de Vlfone comperta haberet, Kanuto Regi quamprimùm curauit nota fieri. Coniunctis autem copijs, Sueci à Scania, Noruagi à mari inminebant. Sed Rex Kanutus cum ualida classe superueniens, fugauit utrosque. Cuius pugnæ ordinem & exitum in Noruagia sumus executi.

Olaui sancti mors.

Noruagiæ lib. 3. cap. 6.

Procerum agnomina à beluis.



¶ Kanuti quinque Regnorum Regis, potentia, uirtus, & æquitas in Legum latarum obseruantia: exemplo per se homicidio perpetrato præscripta. Caput. xxviij.

HAc uictoria potitus Kanutus, iam quinque Regnorū tenebat Imperium. Nam Daniæ suæ, per huius belli uictoriam, coniunxit Suetiam, cum Noruagia. Emundus enim Suetiæ Rex, fortunę cedens, ad tempus delituit in angulo. Olauus autem, ut diximus, intestino bello perijt ab his, qui Kanuto fauerant. Frater eius Haraldus potentiam fugiens Kanuti, in Constantinopolim se contulit: ibiquè permansit Kanuto extante. Cæterum Angliam iamdudum tenuit in potestate. Sed & Normanniam in littore Galliarum, pulso nuper Richardo Duce germanæ suæ contemptore, ditione tenebat. Nec his contentus ditionibus, eximio sui fulgore etiam Romanum illustrauit Imperium. Equidem eius Principi Henrico, qui fuit eius nominis tertius, Conradi Imperatoris filius, filiam Gunildam nuptam tradidit. Eundemque paulò post Italica consternatione perculsum, auxilio profectus, pristinę fortunę, pressa rebellium conspiratione, restituit. Magnū erat cernere, in comitatu Imperatoris, quinque Regnorum moderatorem Regem. Inde reuersus, natu maiorem Haraldum filium Angliæ,

Kanuti potentia.

Knutonē Daniæ, Suenonē Noruagiæ, quē ex Aluina coniuge ſuſtu-lerat, ſine ulla Maieſtatis ſuæ diminutione præfecit. Quamuis enī tres Prouincias, totidem filiorum Regimini tradidit, nihilominus tamen ſibi commune trium Imperium reſeruauit: neq; rerum ſummam pe-nes alium conſiſtere uoluit. Eſtritha autem ſoror cum marito in Sue-tiam profuga, filium eſt enixa Suenonem, poſtea REGEM illu-ſtriſsimum, ſobolis interuentu uiro fratris gratiā reparauit. Cæſar quo què ex Gunilda filium æquè fortuna & uocabulo magnum ſuſcæpit: à quo illuſtrium Teutonicorum imagines, ſplendidaq; Germaniæ lu mina ſucceſsionis ſerie pullulaſſe produntur. Kanutus autem Rex, cu ius inclyta per uniuerſam terram erat fama, & inſignis gloria, eadem conciliante ingens robur militum contraxit. Nam qui erat fortitudi-nis robore præſtans, huius intereſſe Regis militiæ præclarum duxit. Quo factum eſt: ut fortiſsimorū militum, ad illum undecunq;, ex om-

Gothſcalcus Sclauus Vuandaliæ lib.2.cap.1. & ante lib.1.

ni natione, magna ſemp frequentia confluxit. Aderat inter alios Goth ſcalcus, uir in noſtra Vuandalia cum multa laude memorandus: qui fortiſsimis apud hunc Regem operis, Regij ſanguinis coniugem, un-de ſuſcepit Henricum filium æquè memorandum uirum, promeruit. Longū eſt commemorare, quo ſplendore familia, qua honeſtate om-nis eius militia fuit: ut inter diſſonas multorum linguas mirabilis con-ſenſio cerneretur. Ea fuit optimi Regis diligentia: ut optimis Legibus patriam, ciues, milites, intra honeſtatis præſcriptum contineret. Tulit Legem de ſingulis rebus: omniaq; præuidit, quæ ab optimo Legum latore ſunt prouidenda. Et cùm inter alia Homicidio quoq; pœnam decreuiſſet, accidit: ut ipſe ſuæ Legis præuaricator, occiſo milite, inue-

Patere legē quam ipſe tuleris.

niretur. Cunq; factū Maieſtatis reuerētia tueri potuiſſet, militari ſe ani maduerſioni ſubſtrauit. Illi concione lachrymantes egreſsi, deliberati-one inita, triſtem de Rege ſententiam ferre, ut minus honeſtum, ita pa rum utile peruiderunt: non ignari, ſine eo, eſſe ſe uacuum ſine ſpiritu corpus. Igitur in tam ardua re ſententijs dubij, proprio Regem arbi-trio mulctandum ſubiecere: ex reo Iudicē ſtatuentes: ſatis graues eum delicti pœnas dediſſe arbitrati, qui ſe in tanto fortunę faſtigio, tam ſup

Regis homicidij ultio & pœna.

pliciter abijcere ſuſtinuiſſet. Rex culpam ære redimendam conſtituit. Cùnq; aliâs homicidij crimen quadragenis nummi talentis expiari ſo leret, ipſe ſibi trecenta talenta mulctæ nomine indixit. Huic ſummę no uem auri talenta adiunxit. Totius uerò pecuniæ partem Sacris primam, alterā militibus, tertiam interfecto ſanguine con-iunctis adiudicauit. Egit humanum Iudicem, Reum liberalem, atq; optimum ſuarum Legum confirmatorem.

Nor-



¶ Normannos Kanutus obſidet claſſe. Caſtris teſtamentum lecto ægritudinis, militibus præſcribit: dein pie mortuus, Rothomagi ſepelitur. Caput.xxix.

OMNIBVS in Regno Daniæ cæteris cõpoſitis, Normanni in Galliarum littore ſedentes, quòd nuper Richardum Ducis germanam, ſuæq́; germanæ repudiatorem armis exegiſſet, grauius ferentes, imperata facere detrectabant, aperta iam rebellione in eũ concitati: magna in eam regionem claſſe traiecit. Vbi paulò poſt triſte de Haraldi fato nunciũ cùm accæpiſſet, propior publicæ expeditioni, quàm priuato affectui, agmen eadem qua prius celeritate promouit: neq; animo, aut officio, quò minus inſiſteret cæpto, remiſsior fuit: ſed neq; oculos ad ſingularẽ luctũ, à generalis militiæ contemplatione deflexit. Adeò rerum, ac temporis ſtatũ inter fortem patrem, ac ſtrennuũ Ducem, egregia animi moderatione diuiſit. Nec minus in toleranda filij morte, quàm hoſtium appetenda, perſpicui roboris ſpectaculum præbuit. Interea Kanutus, ob graues militiæ labores, aduerſa ualetudine preſſus, cùm ſe corporis firmitate defectum, ac mox ſpiritu cariturum animaduertit: conuocatos Proceres, non niſi bello confecto, domos reuerti iuſsit: haud dubiè uictoria potituros, ſi funebri eius lecto humeros in acie ſubieciſſent: atq; inter primos præliantium globos, Ducis nomine corpus ſuum exanime prætuliſſent: idq́; fugato hoſte, quo clarius cinerum ſuorum monumentum extaret: apud Rothomagum, permiſſa indigenis libertate, ſepulturæ mandarent: facilè uſuros conditione Normannos, iam Gallos, ſi ilico hoſtem finibus ſuis exceſſurum cognoſcerent. O imẽſam morituri Regis induſtriam: quæ ſuis in ultimas rerum anguſtias deuolutis, diſciplina quàm ſpiritu uiuidior fuit. Equidèm ſuperſtitum ſalus, decedentis ingenio ſtetit. Nam corpus eius funebri lecto à militibus in acie perlatum, ad Danorum uſq; uictoriam, ueluti uiua adhortatione profecit: ut non minus extincti, quàm ſuperſtitis fortunæ pondus ineſſe crederes. Cui mox ſepulturam diſceſſuros ſe pacti, à Rothomagenſibus expetiuerunt. Rapuere conditionem hoſtes, cineribusq́; eius in ſua urbe adquieſcendi locũ dederunt. Ita milites ſuſcepti monitus ratione, pugnam, pactionem, ſepulturam, atq; exequias proſecuti, fato functum humeris ſuis Regem in aciem pertulerunt: uictoresq́; funerato eo, ſumptis tantùm commeatibus, ad propria redierunt. Hunc Kanutus exitum habuit: quo nemo Danicorum Regum, tametſi plura alij uictorijs illuſtrauerint, ſplendidior fuit. Adeò enim operum eius magnitudinem propitiæ famæ fides auxerat: ut quos rerum geſtarum gloria pares habuerat, claritatis amplitudine excellat: Cunquè aliorum

Normaños obſidet.

Kanuti decretum ultimum.

Kanuti mors, & ſepulchrum.

ſplendorem, ignorantię obſcuritas, ac uetuſtatis rubigo perederit, hoc decus longa famæ uſurpatione ſubnixum, perpetuis memoriæ fructibus reuireſcit. Equidem ſanctitate, ac fortitudine inſtructiſsimus, non minus Religionem, quàm Regnũ proferre curę habuit. Quippe cùm bellicis latè titulis inclaruiſſet, placidiore ſtudio uſus, ex fiſco ſuo, com pluribus in locis, priuatorum Clericorum conuictu inſtituto, cellarũ frequentiã nouis auxit conuenticulis: ſacrorumq; uenerationẽ quàm maximam ſemper exhibuit. Regiarum opũ impendio ſtipendijs multiplicauit. Monachalem quoq; ordinem uberiorem reliquit. ne ferocię propior, quàm pietatis officijs uideretur: æquam ſibi utriuſq; laudem aſciſcere cupiens. Cuius ſtudij induſtria, ad tantũ claritatis lumen acceſſit: ut cùm fortiſsimorum Regum bellica uirtus antiquitate exoleuerit, eius famam gloriæ quæſtu opulentiſsimam, tenaciſsima poſteritatis agnitio comprehendit. Hæc ſunt ferè omnia noſtri Saxonis ad uerbum de Rege clariſsimo teſtimonia.



¶ Kanuto Magno, ſuccedit Knuto filius. Regna Anglię & Noruagiæ icto fœderæ ſuis partitur. Donec hære de orbus decederet. Caput. xxx.

Knuto Rex II.

KNVTO filius, iam uiuo patre Danię Regno pręſidẽs, in eius per mortem poſſeſsione firmatus eſt. Interea Sueno ex ſorore Kanuti nepos, Vlfouis Ducis & Eſtrithę filius, Angliam pro conſobrino tenebat, defendebatq;, poſitis in opportuna loca militum præſidijs. Sed non eadem fortuna Noruagię. Nam Suenone Kanuti filio, ante patrem rebus excedente, in fide Regis illo extante permanſere. Vbi uerò certum de Kanuti exitu nunciũ accępere, Magnũ Olaui ſancti Regis filium, & paterno reſpectu, & ſuæ uirtutis meritò erexere Regem, Danię rebellantes. Knuto autem inter primordia Regni, utriſq; ſatis eſſe non potuit confringendis: fecit quod neceſſe fuit, ne maioris Angliæ Regni, damno afficeretur, minoris defectionẽ pactione excipiendam putauit. Euocato enim Magno, pepigit cum illo: ut uter eorũ ſupereſſet, utriq; Regno præeſſet: pactionemq; iureiurando ab ipſis, & utriuſq; Regni Proceribus præſtito fœdere firmauerũt. Adeò enim Daniam, Noruagiamq; unius eſſe Regiminis affectabat Knuto, ut alteram alteri ſubijci, quàm utranq; ſeparatum Regnum gerere præoptauit. In hanc pacti fidem, rebus cõpoſitis, in Angliam expedita claſſe mouit. Cunq; cuncta Suenonis induſtria pace pleniſſima comperiſſet, Eduardum fratrem uterinum, quem eiuſdem nominis pater ex Imma communi duorum matre ſuſtulit (nam Eduardo uita functo, Immam Kanutus uxorem accæpit) in Regni ſocietatem aſciſcit. Non quòd fraternum in illo affectum magnopere percoleret, ſed ut

Pactũ Knutonis cum Magno.

eius

eius ambitionem, largitate & munificentia præcurreret: Regniq; parte potitum, totum corpore prohiberet. Itaq; non tam ueneratione charum, quàm popularium ambitione, paterniq; generis autoritate suspectum, consortem Imperij facit. Verùm Eduardo humilior origine animus fuit. Equidem obtusi admodum cordis, obscuriorem indolis experientiam præbuit. Knuto cùm biennium regnasset, diem sum obijt, nullo relicto ex se hærede. Ita stirps illa magnifici Regis breui consumpta est: filijs, quos multos genuit, ante patrem excedentibus: solo Knutone, quem diximus, superextante. Quo etiam absumpto, nemo Coronæ propior Suenone uisus est; si non illum excluderet pactum iuramento firmatum.



¶ Magnus ex Knutonis pacto Daniam tenet. Eduardus Danis dolo cæsis, Anglia potitur. Hunc Haraldus interimit. Vuandalis à Magno Iutia deuictis, fortuito casu uita decedit: in cuius locum Sueno surrogatur. Caput.xxxi.

MAGNVS Olaui martyris filius, pactione quam cum Knutone inijt, Regnum etiam Daniæ assequitur. Sueno quidèm ex Germanis Kanuti editus, adolescẽs incomparabilis, & si magno iuris uinculo contendere, multorũ fauoribus niteretur; qui & sanguini & uirtuti eius deferrent plurimùm: peruicit tamen apud uiros graues, & Religionis sacræ cultores: ut pactio sacramento firmata, sanguini præferretur. Angliam quidèm sibi saluam manere confisus est: quòd multis Procerum, partim paterno sanguine, partim suis meritis esset charissimus. Spemq; eius uehementer adauxit, consortis Eduardi socors ignauia. Securus ergò de Anglia, Daniam sibi conciliare tentauit: sed exclusit illũ uis, ut diximus, pactionis. Igitur dum pariter Regnis duobus, Sueno inhiauit, utroquè destitutus est. Nam Haraldus Guduini filius, Suenoni artissima sanguinis cõiunctione deuinctus, Angliæ Regnum Suenone nauigante inuasit. Nihil certè tam sanctum, quod Regni cupido non subuertat. Nam Danicis militum præsidijs, quæ Sueno distribuit in ordines, per cõuiuia exceptis, ubi uino pro gentis consuetudine, abundãtius hausto percaluere: inmissis percussoribus, omne nomen Danicum per Angliam extinxit. Ea nox paruulo temporis momento, uetustam dominationem, Maiorumq; uirtute elaboratum finiuit Imperium. Sed neq; postea Danis fortuna restituit. Ita Anglia dominandi ius, ignauia perditum, scelere recuperauit. Sed Haraldus nomen quidèm Regium Eduardo reliquit: sibi uerò ius administrandi Regni usurpauit: ut ille nomine, iste re haberetur Rex. Contentus Maiestatis inani nomine, multa interim aluit in Regni uisceribus scelera.

Magnus Rex.

Suenonis fiducia.

Danorum fraudulenta cædes per Anglos.

Eduardum Haraldus obtruncat.

lera. Sed non diu passus illũ regnare Haraldus, Regem oppresit, Regnum inuasit. Interim Sueno cùm utroq; pariter Regno destitutus haberetur, cum Magno de Daniæ rerum summa, bello fortunam tentare statuit. Maritimis uiribus congressus, uincitur Sueno. Inde equestri agmine concurritur in Iutia. Victus & ibi Sueno, suis contemptui, hostibus ludibrio fuit: Inde in Sialandiam, Scaniamq; traijciens, Suetiam adire decreuit: spem constituens in nonnullos, quos ea Regio aluit ex paternis amicis. Sed interim Magno nunciat, Vuandalorũ in Iutiam irruptio. Nam uir eius gentis primarius, cùm nuper inter Danos duodecim filiorum solatio esset destitutus, uindictam peragere decreuit, sui etiam sanguinis impendio: ut qui se potiori uitæ suæ parte spoliassent, aut ipsi pœnas meritas darent, aut quod ipsum superesset modicum uitæ ac sanguinis, pariter haurirent. Magnum uerò inter binos hostes agentem, quem sequeretur dubitantē, populares precibus aggresi, peruincunt: ut externum Vuandalorum prior agmen aggrederetur: ubi gloriæ amplius, & inuidiæ minus esset in uictoria. Quippè & Sueno non carebat amicis, qui illi consultũ rectè uellent. Fecit Magnus quod monuere populares. Nam in Iutiam comportatis copijs, Vuandalos aggreditur: spe certus, quòd somnio monitus, uictoriam consequeretur. Non defuit exitus, quem nocturna uisio demonstrauit. Solet quippè uel ipsa diuinitas, uel uis de cœlo, se quiescētibus infundere, & futura insinuare. Fugatis ergo Vuandalis, charior & commendatior esse cœpit Danis, Rex externæ gentis: qui tantum in tutione Regni positum credidit, ut domesticũ hostem negligeret, dùm publicum auerteret. Inde ad insequendum Regem æmulum conuersus, in Sialandiam, Scaniamq; arma portauit. Sed ille reparandarum uirium in Dania, spe destitutus, in Suetiam se contulit Sueno. Gothscalcus autem uir clarus, Vuandalici sanguinis, diu Suenonem secutus: quem abusq; memoria Kanuti Magni in militia cognitum, ueneratus est: ubi uidit iam spe uacuũ, se in Suetiam recipientem: patriam & ipse quæsiturus, dimisit. In qua qui illi successus, quiq; fuerint rerum apparatus, & quis illũ exitus expetierit, in Vuandalia nostra recensuimus. Sed Magnus Rex, dum adhuc agmen insequēdi Suenonis gratia duceret, fortè leporem conspectũ equo insidens secutus, extantem de terra, frigoreq; duratũ stipitem, equo sublabente excipiens, in latere mortalem perpessus est ictum: unde breui consecuta morte, Suenonem angustissimis fortunæ casibus implicatum, ex profugo Regem fecit. Ita omnium mortalium ope defecto, præsidium supernæ pietatis affulsit: Regnumquè, quo illum fortunæ iniquitas spoliauit, eiusdem beneficium restituit.

Vuandali in Iutiam irrumpunt.

Magnus uincit Vuādalos.

Gothscalcus.

Vuandaliæ lib. 2. ca. 47. & lib. 3.

Magni mors.

Sueno.

¶ Sueno ter ab Haraldo Angliæ Rege uincit. Suppetijs Noruagiorũ auctus, rursum cum illis superatur. Tandem Normannorum manu Anglum sternit. Regno Daniæ redditus, libidinatur; incestu notatus, ad pœnitentiam redit. Caput. xxxij.



SVENO Kanuti Magni ex sorore nepos, Vlfonis Ducis filius, omni posteritate Kanuti subtracta, Magni casu, morteq́ uacuatam Regiam occupauit. Sed illi diu fuit laborandũ, quo inter Proceres redintegrato affectu, pristini belli aboleret memoria. Diu enim semel haustũ penitus odium inhæret: & nisi aut magno, aut diuturno uirtutis facinore aboleť. Prouenit aũt Suenoni superna miseratione fidele consiliũ in Vuilhelmo, natu quidem Anglico, sed iam Danicis rebus ita insueto: ut à magno Kanuto, cui proximus scriba esset & scrinarius, in hos usq; dies Daniam percoleret. Is autẽ suo merito sedem Roschildensem Pontificis accepit: cuius ad eos usq; dies tam lata ditio uigebat, ut omnis illi Scania subderetur. Sed ex illo tempore melius rebus consuli cœpit: ut amplissima Scaniæ prouincia, duobus suis Pontificibus crederetur, Lundensi, atq; Dalbiensi. Sed ex his alter postea cœpit in abolitionem transire, solo Lundensi, qui nunc est Archiepiscopatus, permanente. Sueno autem non modò Dania contentus, etiam Noruagiæ per Magnum uacuatæ, cœpit inhiare. Reuersus autem Constantinopoli Haraldus Olaui frater, Regnum inijt: sed à Suenone bello nauali impetitur. Victus tamen apud Iutiam Sueno, concessit in Daniam: ubi renouatis apud Sialandiam, Scaniamq; uiribus, ad bella redit. Nec impiger Haraldus, occurrit. Vbi in conspectum mutuum alternæ uenere classes, prospiciens Sueno longè se hostiũ multitudine uinci: quod numero deerat, ab ordine mutuatus est. Equidem collocatis in subsidia nauibus, non totis ab agmine uiribus statuit concurrendum, sed ubi opus euenerit, subsidiarias iussit adesse. Magno animorum impetu concursum. Magnis diu uiribus fortiter pugnatũ. Obnixiquè in alterutrum, certi erant non cedere. Eam pugnam fecere insignem, paucorum ex Dania militum miracula. Conspectus est, qui enodi trunco correpto, hostilem in naue spe plenus assiliret, unus homo turmã agens, omnes propugnatores à puppi in proram detrudens, & ab illis sine uulnere decessit. Nox prælium diremit. Cuius beneficio Scanij iam uictoriæ suæ partis diffisi, agmini se clam subducũt, flumen repetentes: inde terrestri itineris cõpendio in sua dilabuntur. Reddita luce, Rex Sueno damnũ sensit subtractæ partis Scanicæ. Indignatusq; desertoribus, fortunã armis, quã fugæ dedecus inire maluit: pensante numerũ uirtute. Igitur diu fortiter præliatum est. Sed cùm

Sueno Rex II.

Vincit Sueno ab Haraldo.

A flaci admiranda uirtus.

Vincitur secundo Sueno. Noruagij numero alternantiũ pugnã uariarent, defatigati Dani, multos amisere, partim cæsos, partim captos. Tertio deinde fortunam pertentare ingressus Sueno, maiore conatu copias congerit. Nec Haraldo defuit prouidentia nouarum uirium. Ibi Sueno tertiò etiã uictus, uictori concessisset: nisi ille auocatus, maioribus rebus animũ adiecisset. Equidem Haraldi, quem in Anglia diximus occupasse Regnum, fratres natu minores, pertesi ferre germani insolens imperiũ, ad Haraldũ Noruagiæ confugiunt, præsidium ab illo postulantes. Ille sublatus animo, operas pollicetur. Nam pacti erant, se, ac Regnum Noruagiæ Regi subijcere. Ille Imperij auidus, classem instruit: ducitq; in Angliam, Haraldo occupatori occursurus. Per idem tempus, Normannicæ in Galliarum littore Dux, & ipse spe propagandi Imperij tractus, duxit in Angliam. Geminis ergò hostium petitus agminibus Angliæ ductor Haraldus, secũ deliberabat, cui primùm occurreret: prospiciẽs tamen, ne iunctis copijs unà incurrerent. Igitur dum ille dubius pendet: Noruagij cunctationẽ eius à timore profectam interpretati, expositis in terram copijs, passim sine ordine sparsis armis populandi incedebant. Quod obseruãs Haraldus, in eos quadrato duxit agmine. Itaquè palantes, ac longè sparsos, facilè superauit: multis eorum trucidatis: ut iam nihil illi formidandum uideretur ab illo agmine. Inde maiori fiducia Normannos, iam è Gallia ducentes aggreditur. Sed illi cautius in ordinẽ actis militibus confligunt cum Anglis: illosq; superant. Nam Rex ex fuga delapsus, agresti tugurio deprehẽditur. Cuius duo filij confestim in Daniam, cũ sorore migrauerunt. Quos Sueno Rex, paterni oblitus in se facinoris, consanguineę pietatis more excipit: puellamq; Rutenorum Regi Vualdemaro, qui & ipse Iarislauus à suis est appellatus, nuptui dedit. Quo tempore Daniæ Regnũ sub Suenone pristinæ fortunæ statum demutans, ad bonũ modũ refloruit. Nam inter suos illustris, apud exteros celebris habitus, in diuina Religione zelosus atq; feruens habebatur: ita ut sacras Ædes multas suis sumptibus aut erigeret, aut illustraret. Hanc autem uirtutum claritatem sola libido infuscabat. Multis enim concubinis per tempora uariatis, multos exinde filios sustulit: quorum aliquot Regnum meruere post patrem. Complurium enim illustrium puellarum castitate delibata, sicuti nullum ex matrimonio, ita plures ex pellicibus filios progenuit. E quibus fuere, cum Gormone Haraldus: cum Suenone Omundus. His accessere Vbbo, & Olauus, Nicolaus, Biorno, atq; Benedictus, paterno quàmmaximè materno quàm minimum sanguini respondentes. Consimilis copulæ obscuritas, KANVTVM, & ERICVM, maxima DANIAE lumina et ornamẽta progenuit. Sed & filia

Noruagos Haraldus deuincit.

Superatur à Normañis Anglus.

Suenonis libido.

Item tertio.

filia Syritha, quæ postea Gothscalco Vuandalo coniunx accessit, inde orta proditur. Crebrioribus tamen suorum querelis monitus, legitimi matrimonij thoros quærebat: frenis licentiosæ libidinis in posterũ cõercendis. Sed dum alterũ malorũ euitat, incidit in alterum. Nam inconcessam Venerem fugitans, maiori flagitio Gutham Suetiæ Regis filiam, arcto sibi sanguinis uinculo cõstrictam, duxit uxorem: crimen crimine fugitans maiori. Sed non siluere Pontifices Eginus atque Vuilhelmus, sacrorum interdicta Canonum illi crebrius repetẽtes, opportunè, importunèque: ut aliquando indignationem Regi exprimerent. Nec ueriti sunt boni Pontifices, Regis iram pro ueritate subire. Non enim siluerunt. Vbi autem obserasse suis monitis aures perspiciũt, ad Hamburgensem Archiepiscopum, qui tum erat Adalbertus, legationis & administrationis iure, prouincijs illis præsidentem confugiunt: rem aperiunt: orantque, ut Regem, pro suæ legationis officio commonefaceret: quando apud illum minus ualuit autoritas suorũ in Regno sacerdotum. Fecit ille quod debuit: missis Oratoribus, Regem paternè admonuit, abstineret ab illicito coniugio. Vbi non attẽdit, comminationẽ censurarũ adiecere. Ille arma uicissim sua comminatus est: gladium Ecclesiæ, suo gladio uindicaturus. Non destitit tamen Archiepiscopus literis Regem crebrius commonere. Sed contumacem perspiciens, gladio suo distrinxit, excommunicans utrosque. Præualuit tandẽ apud bonum Regem perseuerantia Pontificum. Nam sano acquiescens consilio, consanguineam suam dimisit. Illa uerò fœmina illustris ac prudens, uiduitatis habitu sumpto, secundum castitatis gradum arripuit: solerter emendans quòd deliquisset: Deoque seruiens in sanctitate & iusticia, coram omnibus religiosa domina, in pauperes & basilicas multa bona erogabat. Inde conuersus Rex, fœminæ exemplo, in diuinam religionem excolendam, magnum undecunque in Clero, bonorum ordinem uirorum contraxit: in quibusdam scientiæ acrimoniam, in alijs religionem ac uitæ sanctitatem ueneratus.

Matrimonium incestuosum.

Adalbertus Hamburg. Archiepiscopus.

Gladiũ gladio Rex obijcit.

¶ Rex Suenonem quendam, Pontificem licet indoctum deligit. Audita tum in se coniuratione, duos ex Proceribus æde sacra transfodi iubet. Antistes Regem à templo arcet, donec pœnitentia ductum receperit. Mortuo tandẽ Rege, Vuilhelmus Episcopus eidẽ consepelitur. Cap. xxxiij.



ERAT inter alios eius ordinis uiros, quos religiosa uita Regi commendauit Sueno quidam Noruagicus, literis minus pollens: quem tamen pro sua uirtute & uitæ sanctitate, ad Pontificium Rex prouexit. Inuidebãt doctiores simplicitati, & ubi diuinũ coràm Rege ab illo peragendum fuit officium, clam subducto ante codice, locũ era

Sueno Pontif. simplex.

ferant:

ferant: unde simplicitatem apud Regem irriderent. Ille quod reperit, putans emēdatum, recitauit: aliorū perinde calumnijs expositus. Sed Rex inspecto codice, dolū deprehendit. Vir ille bonus, & si ætate maturus, hunc tamen in se defectum singulari diligentia atq; industria superauit. Nam elongatus paucis annis à suo grege, literis institit: & multis irrisoribus suis, doctior est reuersus. Huius deinde uiri, atq; Vuilhelmi consilio Rex cuncta gerebat. Primus tamen ad omnia Vuilhelmus Roschildiensis Pontifex semper erat, Regibus diu assuetus, & fide conspicuus. Interea cùm peruigilio Dominicę Circūcisionis (quod eius, atq; uicinarū nationū more, cōuiuialitar agit̄) duos ex Procerib. inter pocula licentius de Rege locutos cōperisset, Rex ipse linguæ inter conuiuia libertatem arbitratus, aliud præferre Coniurationis indicium: feruore iracundię correptus, misit satellites, qui duos illos in ęde sacra sanctæ Trinitatis confoderent. Quod cùm scelus Pontifex sacra facturus comperisset, ingemuit: nihil tamē ad circumstantes locutus, sacris iam indutus, arrepto baculo, cùm tempus esse cōspiceret aduenturi in Ædem Regis, stabat ad fores, & uenientem non de more, in occursum prodiens excępit, sed propinquantem baculo pastorali Æde prohibuit, stimulū pectori adijciens: Indignum, ait, sacrario uirū, qui humano id sanguine polluisset. Oblitus paulisper Regis familiaritatem, dum seuerū ageret Pontifcem. Stringere gladios uidebantur qui aderant: Ille ceruicem adhibuit. Rex autem uim fieri uetat. Regressus in Regiam, secum perpendit suum, atq; Pontificis factum: seq; ipsum reum constituens, Regalem posuit habitum: pœnitentis assumpsit: & nudis pedibus, capiteq; detectus, redijt ad Ecclesiæ fores. Quod ubi Pontifici nunciatū est, properauit ad illum, pœnitentis faciem accipiens: cumq; flente pariter flens, flentem plorans reduxit in Ecclesiam, ac solenni reconciliatione loci de more interposita, diuinum peregit officium. Magis Regi conciliatus per eam, quam peccanti obtenderat sæueritatem. Laudis plenum utriusq; factum celebratur: in illo Pontificalis officij sęueritas, in isto Regalis fastigij digna factis exinanitio collaudatur. Ea res inextricabilem Regni, Sacerdotij q; concordiā est operata. Quippe Rex Antistitem nō solùm in eodem amicitiæ gradu habuit, sed etiā maioribus dignitatis incrementis donauit. Rex aūt in satisfactionē muneris loco, Stiffnyæ prouinciæ dimidiū æris à se conferri publicat. Inter multos aūt quos, ut diximus, ex concubinis Rex habebat filios, Kanutus eminebat, & ingenij acrimonia, & rerū gloria gestarū. Quippè nauibus cōparatis, Orientaliū Sembonū, Estonūq; piraticā repressit, nullos pro patria recusans labores ipse pegit, quorū pro ætate uix spectator esse potuisset: effecitquè, ut fratres natu maiores,

Coniurati in Regem trucidātur.

Regis pœnitentia.

Kanuti prę stantia.

res, ſplendore ſuo penitus obſcuraret. Suenonem tandem Regem ultima ſenectute apud Suddathorp Iutiæ oppidum, febris repentina corripuit: ac indies inualeſcens, futurum, nec longinquum uitæ ſuæ exitũ demonſtrauit. Ipſe pro Chriſtiana conſuetudine, Sacramentis Eccleſiaſticis ritè munitus, cùm corpus Roſchildiam deferri mandaſſet, exhalatum Deo ſpiritum remittebat. Præcurrens autem nuncius, Vuilhelmo Pontifici, Regis exitum nunciabat. Tum ille datis amico Regi lachrymis, ſepulchrum iuſſit effodi corpori Regio, nec minus aliud uicino loco mandauit excaueri. Mirati miniſtri, quid uiuentis ſibi monumentum effodi iuſſum uellet: ſtupentibus, præceptum ingeminauit. Non auſi detrectare, miniſterium implent. Inde ſumpto pro itinere comitatu, obuiam funeri pergit: in uia ſpeculatus, qui ligna ſcinderent, iuſsit proximo miniſtro: ut inde comparatis tabulis, ſui corporis capacem proſcindat, formetq́ ſarcophagum. Stupidus miniſter, non audet recuſare miniſterium. Implet ergo iuſsionem. Vbi uentũ eſt in conſpectum Regij funeris, iubet ſtare utriuſq́ ordinis multitudinem. Ipſe equo delapſus, orantis in morem ſuper inſtratam culcitram ſternitur, diuq́ ſuſpirabundus expectatur. At ubi ſe deſijt iam commoue re: ab his qui affuere ſacerdotibus, admonetur temporis, ut ante ſolis occaſum perueniant in urbem, Impulſus, iam riguiſſe ſentitur. Quid multa? diligentius intuentibus, uita functus inuenitur. Iam opus erat, quam paulò ante formari iuſsit, tumba. Venit in mentem cõſcijs, quid ſibi uellet iuſsio ſepulchri iuxta Regium. Itaq́ iuncta Regis, & Pontificis funera, in urbem deducuntur: unis exequijs concordium dum uiuerent Principum memoria peragitur: amborum corpora coniunctis tumulis demandantur. Hæc ſunt ueneranda Amicitiæ ſtipendia. Sueno Noricus Sacrorũ ſuſcipit curam. Regiæ ſucceſsionis diu ſors pendebat ambigua.

Rex Sueno moritur.

Vuilhelmi Epiſcopi mors.

¶ In electione Regis, oritur diſſenſio. Haraldus eligitur, qui Leges ſancit, quas labefaciens poſt biennio decedit. Caput. xxxiiij.



HARALDVS inter Suenonis filios natu maior, ſola annorũ ſuffragante cõmemoratione, patri ſufficit. Nam maior Procerũ numerus, & ſi Kanutũ, animi, corporiſq́ dotibus præſtantiorẽ non ignorarent: memores tamen, quantis ab illo laboribus, periculiſq́ iam ſub parẽte adhuc militante eſſent impliciti, in Haraldũ inclinarũt. Non deerant tñ, qbus habendus inter fratres uirtutũ delectus uideret: ut eũ Regno pręficerẽt, q Patriæ decus, ciuibus pacẽ, militibus gloriã pareret. Igit ubi res in diſſenſionẽ reſpicit, indicit Regni Cõuentus apud Iſorã portũ. Ibi qcquid Daniæ Procerũ eſt confluit, ſuiſq́

Haraldus Rex. VII.

Diſſenſio in electione.

ſuisq́ partibus ſuffragaturi. Et quanquàm Regij filij numero plures haberentur, ceſſere tamen duobus cæteri. quòd alium ætas, alium uerò rerum geſtarum ſplendor, conſpectaq́ uirtus commendabat. Diuerſis ergo conuentus Regni partibus, Haraldus, atq́ Kanutus inter ſuos concionabundi inceſſerant. Haraldus primitiuum ſibi ius eſſe ab añis: quòd & ſi Kanutus armis exercitatus ſit, ac bellis implicitus: cùm ſit ipſe quietus, & tranquillitati deditus: meminerint Proceres, quid ſuis rebus ſit commodius. Senſiſſe iam illos, quibus ſumptibus, quibus laboribus et periculis obiecti ſint à Kanuto, cùm adhuc ſub parente militem ageret. Æſtiment, quid ſperandum ſit illis, cùm ad ſceptra peruenerit. Ediuerſo Kanutus ſuis quoq́ ante oculos ponebat, cum ſumma tamen uerecundia (ut gloria inuidiam non mereretur) quæ ille iampridem, pro purgando piraticis improbitatibus mari, pro illuſtranda apud uicinas nationes patria, pericula pertulerit, labores exanclauerit. Sibi, ſuisq́ rebus in poſterum conſulant. Non eſſe modeſtiæ ſuæ, in maiore fratre ſuo quidquam carpere. Eſſe illis liberũ de rebus iudicium. Si maioris habeant fratris rationem, ſe nõ deſerturum, quæ pro gloria Danicæ nationis inceptauerit. Illorum nunc ſententijs de ſumma rerum pendere arbitrium. Se in utramq́ partem æquo ſtare animo. Cùm iſta inter ſuos Kanutus loqueretur, iam magna pars Procerum, accurrente illi multitudine populi, Haraldum Regem declarauit. Compertum eſt: quod alijs ad ſuffragia ſolet opitulari, clarum eſſe rebus geſtis, id Kanuto nocuiſſe. Mira res. Ita ſunt hominum iudicia: ut quod minus expectantes, crebrius eueniat. Haraldus fratri nuncium facit: nequaquam illi de Regni ſumma eſſe contendendum, niſi armis eligat decertare: ſe eſſe iam Regem Procerum ac populi ſuffragijs declaratũ. Kanutus iam cernẽs rerũ inclinationem, tribus ſolis roſtratis nauibus abijt in anguſtiſsimas Scanici maris fauces, Regno carere iuſſus, cuius ipſe incolumitatem capitis ſui periculo ſæpe conſeruauit. Vbi fraterna legatione Regni communionem ſpondenti, reuerti eſt monitus: ſpretis pollicitationibus, cùm non ignoraret, quid Regni cõmunio periculi contineret, abijt in Suetiã. Haraldus in dies octo conſilio inter ſuos habito, quibuſdam Patriam legibus, ut erat pollicitus, adiuuabat. De Prouocationis iure: deq́ cæteris iuſticiæ diſtributionẽ continentibus. Duelli uſum abſtulit. Sacramenti religionem cunctis teſtimonijs antepoſuit. Quę res initio complacita, magnã multis perniciem importabat. quòd æternæ ſalutis immemores, pro rerum commodo temporalium deierabant. Rex autem ſacrorum ritibus deditus, Legum à ſe latarum executionem poſthabuit. Ignarus, plus Deo ſynceram Regni adminiſtrationem, quàm inanis ſuperſtitionis momenta placere.

Haraldi ad Proceres Oratio.

Kanuti oratio.

Haraldus Rex declaratur.

Haraldi Leges.

ta placere. Seueræ iusticię cultum, superuacua precum adulatione gratiorem existere. Diuisa esse, Regis publici administratoris iusticiæ, ac priuati cuiusquàm sibi uiuentis officia. Diuinum plenius à Rege numen propitiari, Iura quàm thura incendēdo. Vnde factum est, ut Haraldo Rege nusquàm inuigilante commodis subditorum, multorum sit alita audacia, impunita nequitia. Quod crebros pauperum clamores excitabat. Sed consuluit rebus diuinitas, Regem sibi soli intendentem de medio faciens, ut Kanuto ad res gerendas uigilantiori locus fieret. Igitur regnando biennium emensus Haraldus, concesit in fata.



¶ Kanutus Haraldo fratri succedens, Sembones, Curetes, & Estones, Danis tributarios facit. Christianæ religionis, Legumq́ ciuilium obseruator maximus. Caput. xxxv.

KANVTVS etiam fratris morientis, cæterorumq́ superstitum suffragijs in Regnum accersitur: bellumq́ quod adolescens inchoauerat, iuuenis prosecutus erat, iam Regno sublimatus, finiendum putauit. Maiore nunc quàm prius accedente causa. quòd pridem Patriæ claritatem quæritabat: nunc uerò publicis rebus præfectus, etiam salutem eorum curandam debuit suscipere, quorum prius tributa depoposcit. Vt ergò Christianam religionē, iam in Dania diuina miseratione firmatam, Orientalibus etiam populis communem faceret, maiore quàm prius apparatu bellum auspicatur. Mouensq́ in illos, Sembonum, Curetū, Estonumq́ prius Regna extinguere, quàm contumacem populū posset ad sacra compellere: ubi se frustrà niti uidit, imposito illis tributo, in patriam est reuersus. Primamq́ curam fecit, circumspiciendi Matrimonij, quòd parentis in ea parte non probasset errata, Ethlam Flandriæ Roberti Comitis filiam accæpit uxorē. Magnum deinde laborem inter Proceres creauit Haraldi dissimulatio. Nam libertatē, impunitatemq́ delinquendi sub Haraldo permissam, etiam nūc requirebant. Et illo reluctante, non mediocris illi labor quotidiè creuit, cupienti Legum sanctitatem opere impleri: nulli deferens aut sanguini, aut honori. Sacro deinde cultui illustrando uigil accessit. Aris atq́ Ædibus sacris stipendia prouidit. Pontificum honori consuluit. Qui cùm à rudi populo, non illo quo par erat loco haberentur, sciens illos Christi & Apostolorum uices in terris gerere, inter clarissimos illis locum deputauit: ut essent consilio intimi, & sessione proximi. Cleri deinde ordines distinxit. Ignarus sacrorum Canonū, & Imperialium Legum sanctionibus, illum Ordinem iam suis ritibus, suisquè priuilegijs & exemptionibus communitū. Sed necdum satis uulgata ista fuere in cæteris Christianæ communionis prouincijs: quo

Kanutus Rex. IIII.

Tributarij Danis.

Ethlam ducit uxorem.

magis excusata sit Danica religio. Instituit deinde Rex optimus, Decimarum ius sacris persoluendarũ populo persuadere. Sed ibi primus eius conatus uani fuere, apud insuetum eius rei populum: qui Regijs exactionibus, & multis expeditionibus in militiam grauaretur.

Decimas recusat populus.

¶ Narratur Visio, Regis liberalitas & magnanimitas. Caput. xxxvi.



PER quæ tempora Sueno Roschildensis Pontif. templi primarij extructionẽ à Vuilhelmo inchoatam, perseueranter implere conat̃. Ex opportunitate uisum est, Vuilhelmi busta transferre. Quod cum ageretur, nocte insequẽte uisus est quidam Pontificio habitu assistere Sacristæ, qui iuberet illũ Suenoni referre. Nisi uitæ puritas illũ tueret̃, animaduersum fore in personam: nunc structuræ demolitione pœnas esse sumendas contaminati sepulchri. Necdũ uisio expleta cernebat̃, & templũ à fundamentis corruit: & quod miraculum auxit, ipse æditùus inter ruinas permansit illæsus. Mane facto, cùm rerũ euidentia fidem faceret nuncianti: stupentibus cunctis, quòd qui in media ruina fuisset, uideret̃ illæsus, Sueno respondisse fertur. Viuentis seueritas, etiam uita functo inhæret. Restitutis inde cineribus suũ in locũ, templũ denuo instaurauit. Fuere etiam posteris seculis, quibus res superstitiosa est uisa: itaq; busta contingere non ueriti, Vuilhelmi primùm fragrantiam miram sensere. Sed necdum moti, institere proposito, donec malè omnes mulctarentur: alius morbo Regio percussus, alius paralysi solutus, alius etiã membris defectus. Lundensi quoq; Ecclesiæ Rex incredibilẽ munificentiã ostendit. Nam quartam æstiuæ pensionis portionẽ Altari dedit. Clericorũ deinde sua deputauit stipẽdia: ut non præterita populi cura, aliã quoquè de sacrorũ ministris præcipuã impleret. Vtrobiq; uigil: in Ecclesiasticis tamen ultra hoc erat præcipua religione deuotus. Magnam fratrũ turbam Prouincijs onerosam, in suam euocauit curiã. Præter unũ Olauum, Slesuuici Præfectura suffultum. Cæteros, constitutis stipendijs, splendido apud se loco habuit. Regios Proceres primis honoribus, uberibusq; impendijs impleuit. Sed aliquando in animum eius descendit, paterni auunculi Magni Kanuti insignis gloria, ac latũ Imperiũ: recolensq;, quantũ ab eius memoria Danicis rebus decessisset: quòd præter Daniam, & paucas Oriẽtis Prouincias, nihil ille ditione teneret: cùm Magnus auunculus quinq; Regna uno tenuisset Imperio: cunctis in Dania rebus pace florentibus, respexit in Angliam, armis recuperandam: quæ sola plus gloriæ uideretur importatura.

Egregium commentũ.

Operatione satanæ.

¶ Expeditionem in Angliam Kanutus parat: quam Olauus frater impedire conatus, uinctus in Flandriam relegatur. Da-

niin



ni in Regem coniurant. Blacco proditor in ipso templi porticu pœnas luit: caditq; tandem Rex pius, in sacrario lanceo transfixus à suis.

CAPVT XXXVII.

GITVR magnis apparatibus expeditionẽ suam constituit: luisq; in Angliam edixit. Tum nihil omittens quod ad instruendam classem, ad arma comparanda, ad conscribendos milites pertineret. Identidem Ducibus faciundum imperauit. Sed non erat æqua per omnes ad res uigilantia. Primùm quidèm de rerum summa cum Olauo fratre consilium habuit, super ordine rerum gerendarum. Ille iam transuerso in fratrem animo, quod Regnum impatienter expectaret: uerbo quidèm assensus est, laudabatq; Regis institutum. Sciens tamen, quàm iniquo animo multi ex Proceribus, populoq; iam longa pace tabescentibus essent ad arma: speransq; in Regem exardescere, uel inuidiam, uel indignationẽ: ita decessit à fratre, quasi rebus instruendis paratissimus. Cæterum ille omnino uoluebat, cuncta subuertere. Iam Rex Conuentui tempus & locum constituit, quo admota classis, uno momento uentis impellentibus Angliæ inferretur. Conuenerant ad eum multæ ex uarijs Regni partibus copiæ. Olauus, magna pars fraternarum uirium, cum alijs paucis expectabatur. Cumq; elapsis aliquot diebus non adesset expectatus, Rex illi nuncium facit: approperet, nec longius moretur: in anchoris stantem uniuersam Daniç uirtutem, Pollicetur quàm proximè se uenturum: nec uenit. Miratus Rex, quæ causa tam longas necteret moras: cùm nuncijs nihil proficeret, ipse ibat uisum, quid apud Olauum ageretur. Veniens, quietũ reperit, & qui nihil minus quàm expeditionẽ moliretur. Regio de more residens, causam audit. Vbi nihil dignum tanta mora, sed solùm audit tergiuersationem, qui fratrem, qui Regem, qui Dominum fraude petisset: iubet uinciri. Detrectat miles sæuerum ministerium. Regiũ enim sanguinem in Olauo uenerabatur: nephas existimans, illũ probro afficere, quem communi cum Rege dominatione ad Regnũ pertinere iudicabat. Apud eam tamen gentem, magnum contumeliæ genus habitum carcere hominem includi. Nam libertate assuetus populus, uincula quàm mortem ducere solet grauiora. Ericus autem communis frater, cæteris Imperium detrectantibus, exequitur: perfidiã accusans in omnes, multomagis in fratrẽ. Olauus ergò uinctus, in Flandriam, ad Regis socerum seruandus mittitur. Interim Classis expectatione longæua in fastidium perducta, simul quòd commeatus defecerant, impatienter demorabant̃. Qui uerò cum Olauo ex Proceribus senserant, occultis rumoribus ferũt, non ausi aperta concione populũ

Olauus uinctus in Flandriam mittitur.

auertere. Regē longè, diutinecꝙ abfuturū: melius existimari, si quisqꝫ domum repetens, denuò ad Regis asit imperiū, quàm ibi demorati, si ne fructu cōmeatibus deficiant, omniumcꝙ afficiant̄ incommodo. Valuit in populo dissemi̇natus rumor: Itaqꝫ sine autore dilapsi, in propria quiqꝫ redierūt. Rex populi contumaciam consternatus audiuit, ignarus occultæ in se Procerū coniurationis. Occasionem tamen melioris rei natam arbitratus, ex ea re mulctam, quam optimo iure potuit irrogare, in Decimarū solutionem cogitauit retorquere. Igitur ex commodo aduocata concione: docuit, quanta gloria Maiores sui, uictricia Signa circumtulissent, sola militū alacritate freti. Qua una re incredibilia memoratu peregissent: diuqꝫ res Danica militari disciplina constitisset. Sibi post hominū memoriam irrogatam contumeliam, quę nulli Regū: quam etiam nulla posit ęris magnitudo compensare. Defectionis autores, non facilè reperiendos: quando populariter ea sit facta dilapsio. Impunè tantā rem transire, grauius sibi morte uideri. Si pergant, ea in suos Reges esse contumacia, omne Danicū nomen interiturū. Permouit tristis Regis oratio milites: igitur militiæ nomine, quidquid imponeret erogaturos. Rex grandem in singulorum capita mulctam, pro graduū tamen qualitate edixit. Graue quidèm, sed pro magnitudine pudoris, ut Regiam indignationē complacarēt, alacres subierunt. Quos ubi Rex cōperit, tempus esse ratus sese aperiendi, Quid inquit, si hanc mulctam iam à uobis suscæptam, in lęuiora quędā commutemus: ubi & alio uos debito exoluatis, & Regiā nihilominus iniuriā aboleatis? Si uestra sponte, quod diuinū uobis ius imponit, Decimas Ecclesiæ persolueritis: ego libens Regijs thesauris debitam summam remitto. Deliberandi tempus exposcunt, Quo accæpto, secū expendunt, quid horū tolerabilius censeatur. Vno quidèm impendio, geminam laxare obligationem, perutile uisum. Sed si una tantùm pensione res consisteret. Nunc quoniam annuam Decimarū solutionem res ipsa requirit, perpetuam generi suo impositam seruitutē arbitrantur. Nec erant in ea gente, qui non Regis institutionē, necꝫ Ecclesię impositionē, sed diuini Iuris esse intelligerent. Igitur solidū fit, in ea Conuentione dandi Regi responsi decretū: Regiæ se Maiestati debitores agnoscerent, ut noxam abolerent, mulctam se non recusare: cæterum Decimarū annuam, & perinde perpetuam solutionē horrere, quæ illos perpetua seruitute, cum filijs filiorū contineret. Rex ubi accæpit, docere uoluit: sed stolidus populus, iam indurata fronte non audiuit. Igitur quod subiere, Mulctam exigendi constituit exactores. Maligni homines, qui optimi Regis modestissimam exactionem, uertere in iugum ferreū: ut populi in Regem suū cumularent indignationē. Ea igit̄ instituta

Soluitur clasis.

Kanuti ad populum oratio.

Mulcta imponitur.

Decimas recusant Dani.

instituta æris solutione, qui prȩerant collectæ, omni curabant diligentia, ut Coniuratione occultam, quam cum Olauo fratre nonnulli Proceres subiere, ad quammultos propagarent. Facilè serpit indignatio, ubi æris exactio grauius intentatur. Primum quidèm Regis Amici rem ut erat in Quæstores deriuabant. Sed ubi nihil ab his temperatū est, in Regem uersa est indignatio. Coniurationis autē conscij rem adiuuabant. Rex tumultū prȩsentiens, Slesuuicū concessit: uxorem cum filio in Flandriā ire præcipiens, si grauior motus insolesceret. Tumultuantes autem Regis secessum, in malè sibi consciū animū interpretati, auxere per absentiam motū suū, Iutij primū, & ante omnes Vuenzuli incessere, sinistri rumoris dissem inatores, non nisi armis reparari posse libertatē. Quid enim esse aliud, impositum iugū grauius premere, nisi de uoluntaria seruitute, subiectis insultare? Rex autem ut tumultuantibus non cedere, sed occurrere uideretur, Fioniam petit iusulā. Sed semel in motum concitus populus, quiescere non potuit. quippè malè sibi de gemina defectione conscius, quòd expeditionē liquerit, & nūc malè motū conciuerit: impunitatem sibi, nisi de Regis nece, prospicere non poterat. Secuta plebs incondita, Regem in Fioniam, nihil qui euit. Rex etiam in Sialandiam firmioribus præsidijs excipiendū prospexit. Sed Blacco uir primarius, Regi quidèm ad oculum obsequiosus, cæterū cor eius proditionis erat plenum, Quin tu, inquit, Rex optime, fugam omittens, placando populo insistas. Degenerem opprobrat animū fuga præceps. Ego ad plebem, si iubes, exeo placandam: tu interim bono esse animo memineris. Quòd si tumultus suaui oratione sedari haud possit, commonitū in tempore faciam, ut etiam tum fugæ præsidiū in manu sit. Interim proditor egressus ad populū, non placandȩ, sed incitandȩ in Regem, multitudini dedit operā: hortatus, ut quàm celerrimè malorū caput auferant, nec fuga sinant elabi. Regressus ad Regem, nunciat pacatiorē esse plebis animū: spem fore, ut omni deposita tumultuatione conquiescat: si Rex quoq; conceptæ indignationis in populū exuat procellam. Laudatur perfidus ille latro: conuiuioq; exceptus, etiam Regio munere donatur. Postridiè renouatam à se operam pollicetur. Egressus, ut consueuit, ad populum, ardentem inflamauit: utrobiq; perfidus, qui neq; Regem populo, neq; plebem Principi conciliari pateretur, sed utrunq; in alterutrum concitauit. Rex aūt sacram Albani ȩdem petijt: ibiq; precibus Deo suam causam commendauit, stratus in pauimentū supinus. Creuit interea clamor in Regem populi. Armati sepsere sacram ædem. Militū etiam Regis non contemnendus numerus accurrit, Regis periculum auertere, aut si minus id possent, unà mori. Benedictus frater Regi semper aderat.

Tumultuantur Iutij, & Vuenzuli.

Fioniam insulam Rex petit.

Blacconis perfidia.

O proditorem.

q iij

rat. Ericus non longè in alia æde reclusus, expectabat quid fieret. Cùm infinitam hominum multitudinem, paucorum manus sustinere non posset: cunctis irrumpendæ sacræ ædis, qua Rex orabat, nemo præsumeret audaciam, Blacco malorũ incentor, cœpit ex occulto hoste manifestus ductor fieri: & præcedens in ædem cum ingenti frementium multitudine, in ipso aditu trucidatus, meritas perfidiæ pœnas luit. Benedictus quoque frater, fortissimè pro Rege dimicãs, cadit. Ericus cùm opitulari non posset, per medios hostes, dextra læuaque cædens, uix saluus euasit, Rex interiori sacrario conclusus, sacræ pœnitentiæ munus impleuit: tum Christiano ritu confessus, sacrisque munitus, se proiecit ad aram expassis manibus supinum. Hoc loco per fenestram immissa lancea confoditur: ligneus qui dirimebat paries confringitur, multorum gladijs impetitur: martyrque Deo preciosus consecratur. Hæc audiens Regina, patriam cum impubere filio petit: geminis post se filiabus relictis. Ex quibus Ingigeres Folconi Sueticæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum, Kanutumque filios habuit. Ceciliæ autem matrimonio Ericus Gothorum Præfectus, Kanutum, cum Carolo procreauit. Interea Iutij à se occisi Regis quasi oppressi, tyranni gloriam præ se ferebant. Sed rerum Deus arbiter, qualis fuerit Rex uiuens, in morte declarauit. Nam irrefragabilibus factis, sanctitatem eius crebra sunt testata miracula: quæ aut negare, aut obscurare, aut omnino in aliud detorquere conati parricidæ, ipsa rerum luce, & clarissimis attestationibus confusi, coacti sunt erubescere. Non enim potest diuinus splendor humanis tenebris obscurari. Ita perenni gloria fulgens Kanutus, etiam in Sanctorum meruit referri Catalogum, Rex sanctitate & iusticia incomparabilis.

Iudæ negocium.

Rex à populo interimit.

Regis proles.



¶ Olauus uinculis liberatus, ad Daniæ sceptra uocatur. Sub quo ad decennium fermè Annonæ inaudita caritas. Proditionis fraternæ conscius, pœnitudine moritur. Caput. xxxviij.

OLAVVS frater, quem Rex sanctus pro demeritis, catenis uinctum, in Flandriam misit, à Iutijs Regis trucidatoribus in Regnum euocatur. Persuaso Nicolao fratre, ut obsidem se uinculis præberet fraternis: donec grandi, quæ promitteretur pecunia persoluta, ille quoque uinculis abscederet. Fecit ille quod optabant Proceres: gratiam iniens utrobique, & apud fratrem Regem, & apud Proceres, qui illum euocarunt. In hunc quidèm ex germanis consensere uniuersi. nam cęterorum fidem, in occisum Kanutum integerrimam, ducebant suspectam.

Olauus Rex, III.

ſuſpectam. Itaquè apud nullum, quàm Olauum, nefandiſsimi ſceleris impunitatem peruiderunt. Ericus autem alius ex fratribus, illam rerũ inclinationem proſpiciens, fuga in Suetiam ſibi conſuluit: memor uinculorum, quæ mandante Kanuto, iniecerat Olauo. nec enim impunitam illam promptitudinem in Olaui Regno ſperare poterat. Viro autem forti, omnis quam incolit regio, eſt pro Patria. Interim Olauus uinculis expeditus, & ære magno redemptus, in Regnũ uenerat. Nec tamen quieuit blaſphemia in Kanutum: meritò illum cæſum, meritò peremptum dicentium: qui fratres ignominia, Proceres periculis, populum exactionibus innumeris ſubiecerat. Parum erat improbis illis, innocentiſsimo Regi manus inieciſſe, niſi & cæſum infamarẽt: ut plauderent auribus iam regnantis. Parum erat, euidentiſsimis rebus, ſanctitatem eius in omni regione clareſcere: maiore tangendi erant acrimonia. ut perſentirent maliciam ſuam. Igitur ad Olaui inchoatũ Regnũ, tanta Daniam aëris intemperies corripuit, ut nihil frugum, aut parũ ualde naſceretur per omne tempus Regni eius: quod duo penè luſtra tenuit: æquans annorum numerum, quem optimus Rex impleuit Kanutus. Verna ſiccitas ſemina non prouexit: Æſtiuus calor ſi quid natum erat arefecit: Autumni abundans humor, quicquid fortè uallium beneficio cõaluit, abſumpſit. Temporum iſta uicifsitudini, non ultioni diuinæ tribuenda uiderentur, ſi uicinas etiam Prouincias ea lues cõtigiſſet, ſi aliqua intercapedine per annos decem uariaret. Nunc cùm Suetiæ atq; Noruagię ſua ſatis annona proueniſſet, Daniamquè continua duorum luſtrorum fames preſsiſſet, quis aliud potuit arbitrari, quàm uindicem diuinitatem, in calumnioſum Daniæ populum animaduertiſſe. Conſumpſerat ea fames omne uulgus per inopiam: locupletes ad ægeſtatem perduxit. Rex ipſe OLAVVS multa prædia diſtraxit, ut militem ſuum paruo uictu produceret. In ea Regni calamitate Sueno Roſchildien. Pontifex, uir ſanctitate memorandus, inter ſuos concionabundus, ſæpè repetiuit: luere populum piaculare ſcelus, quod in ſanctiſsimum Regem commiſiſſent. Interim ſacris ædibus, aut inſtaurandis, aut à fundamento erigendis, magnam ille operam impendit. Inde Hieroſolymam profectus, in ipſa Rhodo ſpiritum exhalauit. Olauus autem tanta in omni Regno laborans inedia, contemptum ſui in hoſtes uindicare non poterat. Erant tamen ex conterminis, qui etiam famelicum laceſſere, pudori deputabant, ſatis magnis anguſtijs domi laborantem. Die feſto cùm REGIAM apparari menſam cerneret, anguſtiasquè rei familiaris uideret: ſciens quis eſſet conuiuarum numerus accubiturus, ingemuit: altiusquè ducto ſpiritu, omnium Autorem DEVM, ſi quid iræ aduerſus

Ericus fugit in Suetiam.

Annonæ caritas in Dania.

Sueno Pontifex.

populum concepiſſet, ſuo, non populi periculo ſatiaret, orauit: infeliciſsimum patriæ ſtatum, difficilimum temporis habitum æſtimans. Quippè tam inops epularum conuiuium, quo famem irritare potius, quàm pellere uideretur, Principum oculis ſubijcere erubeſcebat. Nec difficiles numinis aures habuit. Equidem fati uiam, non longum dilatus obtinuit: ſibiq; mortem, ſalutem Patriæ (ſi qua modò parricidis uirtus ineſt) pia prece conciuit: ingenuoq; uiuendi pudore, maximæ cladis pœnam auertit. Itaq; memoriæ eius ſpecioſius depoſita uita, quàm geſta aſcribi poteſt: qui fatum Patriæ finiendi ſpiritus cauſam habuit. Porrò quantum charitatis ergà ſuos cordi inſitũ haberet, aperuit: cùm & eorum mala, proprio capite luere uellet, & commune periculũ ad ſe ſolum redundare depoſceret. Nempè quia ſuam pro Ciuium ſalute deuouit, pij animi titulo fraudandus non eſt. Fortuna ſiquidẽ famem cum autore ſuo pari funere extulit, inediamq; ſatietate mutauit.

Olaui mors

ALBERTI KRANTZII HAMBVRgen. Chronographi, in Hiſtoriam rerum geſtarum Daniæ LIBER V.

¶ Ericus à Suetiæ in Daniæ Regnum uocatur. Princeps animi & corporis uiribus præſtantiſsimus. Sub quo maxima Annonæ abundantia redit. Vxoris eius mira patientia. In Vuandalos bellum parat. Caput. I.

Ericus Rex IIII.



RICVS Princeps miraculo dignus, nouo nos ordiri iubet principio. Itidem priorum frater, Suenonis filius, magnis Procerum ſuffragijs, è Suetia reuocatus, Regnum ſubijt: & mox cum Rege nouo, Regni facies innouatur. Quippè tempeſtiua aëris qualitate, tanta frugum exuberabat abundantia, ut facilè prioris inediæ populum faceret obliuiſci. Vir animi, corporisquè dotibus inſignis erat. Tanta proceritate omnes excellens, ut ab humero ſurſum emineret: ipſo membrorũ robore magnitudini reſpondente. Tantis enim erat uiribus: ut funem quaquè manu prehenſum, quatuor fortiſsimos iuſſerit tenere uiros: eos adductos, qua uellet circumageret: nec ab illis loco poterat commoueri. Specioſiſsimus illi pro corporis dignitate, ſonorusq; erat uocis

Annonæ abũdantia.

Erici Proceritas.

Robur.

uocis habitus: ut tubam audire, non hominē credas, cum loqueretur. Tanta denique humanitate: ut abeūtibus è cōcione popularibus, quenquè domesticos suos, uxorē, & liberos sub eius nomine, consalutationis officio prosequeret. Verùm tantū uirtutū eius cumulū, una Veneris inconcessa licentia maculabat. Et quàmuis uxore frueretur insigni forma & pudicitia, moribusque probatissimis, uaga tamen Venere abripiebatur: nec ullo poterat aut uxoris obsequio, aut amicorū cōtubernio reuocari. Quam eius infrenabilem libidinem, contuita Botilda (id erat coniugi nomen) egregia materfamiliâs, exemplū ingressa est inimitabile, & quod nostræ ætatis nulla probet fœmina. Nam quas Regi placuisse puellas puiderat, ipsa suis comabat manibus: ut obsequio placaret, quem alia uia, à sua lubricitate reuocare non potuit. In omni adhuc reliqua gente incōperta uxoris erga maritū uirtus. Fuere illi, filij Haraldus, Kanutus, & Ericus: sed primus pellice, secūdus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur. Ea tempestate Vuandalorum insolentia creuit, aucta per socordiam priscorū sub Olauo temporum. Nam impunè in mari digrassati, præcipuos quosdā è Dania uiros intercæptos, quia capi nō sustinuere, occiderūt. Quam rem in concione populi, querulantes agnati & affines occisorum, publicæ Autoritatis decreto, bellū suscipi placuit in Vuandalos. Auxerat indignationem populi: quòd qui è Dania sceleribus noxij, meritas pœnas declinarēt, profugiū habuere Iulinum, præcipuum Vuandaliæ oppidum. Qua occasione iampridem insigni maleficio notati nonnulli, è Daniæ Regno ad id loci concessere.

Humanitas

Erici Libido licentior.

Botildæ mira zelotypiæ remissio.

Erici proles



¶ Danus populus Iulinum Vuandalorum obsidet. Transactio fit. Puniunt perfugæ Dani. Rege Romā adeunte, eximi petit à iure Hamburgen. Archiepiscopi. Caput. ij.

IGITVR populi placito, decreta est expeditio in Iulinum: quod caput gentis haberet, & certum asylū omnium perditorū. Ad id enim temporis eò licentiæ procesit populi autoritas: ut Rege pmittente, suis auspicijs bellū susciperent, ac sustinerēt. Visum est Erico Regi, sine Regio nomine rem posse expediri. Igitur cōquieuit. Populus aūt electis Ducibus, in ordinē militibus cōscriptis, classem conscendit: nauigatquè in Iulinum. Nulla erat fiducia Vuandalis prodeundi, munitioni suæ ciuitatis plurimum fidentibus. Sed & grauis & diuturna oppugnatio cæpta: nec minor obsessorum fortis defensio in longum tracta. Eò tam exiuit: ut deditis noxijs qui eò profugerant: punitisque iuxta factorum qualitatem Piraticis: imposito tributo, redirent Dani domum. Insigni tum supplicio animaduersum est in transfugas Danos: quòd patriam oppugnassent. Nam ad palū deligati,

Populi licentia.

Transactio.

Pœna à patria desciuẽtium.

deligati, superne manibus reuincti, uiscerum profundere molliciem, scisso uentre, cogebantur, ut iam spirantibus sua corda ingererentur oculis. Per quod tempus causa extitit, qua Hamburgen. Archiepiscopus, prouinciarum Aquilonarium perpetuus Legatus, in Regẽ Anathematis sententiam distringeret. Liemarus hic erat, ut certa temporum monstrat supputatio, qui ad annum Christi M. C. q; peruenit. Rex Ericus iam hoc futurum prospiciens: fortè, quia Monitio, ut par est, Canonica præcesit: ad Prouocationis beneficium respexit: causam deuoluens ad sanctam Sedem Apostolicam. Tantum autem erat sapientissimo Regi ea causa cordi, ut ipse iter arripiens, cum soleñi comitatu Romam inuiserit. Causamquè prosecutus ipse suam, cùm pariter Christianæ deuotionis ad Apostolorum limina peregisset obsequium: summum Pontificem prece sollicitauit, ut Daniam, insignem multis Episcopatibus & Ecclesijs prouinciam, iuri eximeret Hamburgen. Archiepiscopi. ne simili aliquando ludibrio haberetur. Pontifex pollicetur, missurum se breui Cardinalem legatũ, qui inspecturus regionis qualitatem, faceret, quod ex dignitate ad Regium uotum uideretur. Hac promisione subleuatus Rex, alacrior redibat in Regnum. Sed ea res in tempora Nicolai Regis dilata est.

¶ Musicæ uim Rex experitur. Caput. iij.

Musici professio.



CUM Ericus interea iam reuersus in Regnum, soleñi Curia uteretur, multorumq; militum, simul & artificum industria delectaretur: aderat inter alios Musicus, qui artis eam peritiam tenere se diceret, ut homines in quoscunq; uellet affectus uocaret: ex mœstis lætos, ex alacribus tristes, ex indignantibus placatos, ex placidis indignantes, & usq; ad furorem insanientes se facere iactaret. Atq; is quo faciebat ista maiora, quæ se posse diceret, Regem experiundi fecit cupidissimum. Iamq; pœnitebat artificem suæ iactantiæ: uelletq;, non tam de se magna prædicasse. quippè in Rege ista expendere, non sine periculo esse. Insuper, si minus quæ dixit facto probasset, mendacem se, futilemq; haberi, non sine discrimine formidabat. Orabat quos potuit, Regem ab eo desyderio auerterent. Sed nihil egit. Quo enim magis recusauit artis experimentum, eo magis Regẽ accendit. Vbi uidit, non se euasurũ, quo minus impleret quæ iactasset: orat exportari arma omnia, & quibus læsio posit inferri. Deinde, ut extra sonũ citharę consistant noñulli, qui posint adesse uocati, curauit. Ereptamq; manibus citharã, capiti iubentur illidere canentis. Omnibus iam rite instructis, Regem cũ paucis in aula reclusum, cithara aggredit. Primùm graui sono mœrorem quendam audientibus ingerebat. Inde succinendo plausibilius, in lętitiam uertit: ut

paulum

pauiũ abeſſet, quo minus iocabundi diſſultarent. Tum modis acriori bus intentatus, indignationem quandam concitabat. Quæ ubi inualu it, furere Regem, aſtantesq́;, cernere erat. Mox ſignũ dedit deliteſcentibus, ut introirent, Regemq́; iam ſæuientem continerent. Illiſa primũ ex condicto cithara, Regem deinde aggrediuntur. Sed tantum fuit ro bur uiri, ut pugno quoſdam exanimaret. Inde multis obrutus puluina ribus, ardor ille conquieuit. Sed cùm ſe iam in ſe recepiſſet, uehementer indoluit ſæuiſſe in eos, quos habuit ante fidiſsimos.



Terram ſanctam inuiſurus Rex, omnibus rectè ordinatis, cum Regina & delectis, Hieroſolymam proficiſcitur à Pont. Rom. priuilegium expoſcens Daniæ Regno ante aſſenſum. Caput. iiij.

Vdierat multorũ uoluntariam Principum in terram ſanctam peregrinationem. Tempus enim illud erat, quo Godfridus cum cõmilitonibus ſanctam terram, urbemq́; Hieroſolymã in Chriſtianorũ redegerat poteſtatẽ. Igitur religioſo uoto intra ſe concepto, ſtatuit inuiſere Dominicũ ſepulchrũ. Tum uerò mœſtis omnibus, qui audiere Regis conſtitutũ, quòd tantũ Principem in id diſcriminis mitterent. Primũ precibus inſtitere, ut propoſito deſtitueret. Inde polliciti ſunt, facta ſolenni collecta, militarem manũ non contemnendam pro Rege ſubmittere. Sed nihil erat, quod religioſum Principẽ uoto amoueret. Igitur de Regni interim gubernatione conſiliũ habuit, quem per abſentiam præficeret. Viſum eſt Proceribus, ut id in Regem reijceretur, quem ille negocijs præponeret illi parituros. Tum Haraldũ maiorem natu filiũ, ex uoluntate Principũ, Regno Procuratorem fecit. Optimo cuiq; blanditus, ut Kanutum ex legitimo thoro natum filium educarent. Ericum autem iuniorem, etiam alijs commendauit. Delegit autẽ in profectionẽ uiros eximiæ proceritatis uiæ comites: quo minus con ſpecta illius granditas haberetur. Tali profectus comitum apparatu, Reginam illo agmine tranſeuntem uoti conſortem habuit. Interim miſit in urbem Romam, qui Pontifici renouaret poſtulata. Is facilè im petrauit: ut Legatus à latere miſſus à Pontifice in Prouinciam, abſente Rege, urbes Regionis inſpiceret. Complacuitquè uenienti, ut in Lun diam honorem collocaret metropoliticum, in perſonam Aſceri iam PONTIFICIS. Nec ſolùm exemit à Saxonia, hoc eſt, Hamburgenſi ditione, ſed etiam SVETIAM, Noruagiamquè prouincias eius ditioni ſubeſſe iubebat. Hæc eſt illa Hamburgen. ſedis prima & maxima minoratio. Nunquàm enim illi tantum barbaricus furor, qui creber illam peruaſit, nocuit, quàm ea pacis tempora. Ex illo die Pontifices iamdudum Bremæ commorantes, poſthabere cœperunt titulum

Regni prouiſio.

Danorũ exemptio ab Hamburg. Eccleſia, &c.

titulum Hamburgen. metropolis: qui illis præstitit amplissimam Borealium Prouinciarum Legationem.

¶ Constantinopolim Ericus nauigans, ab Imperatore summo honore excipitur. Reliquias sacras auro commutat & præfert. Cyprum ueniens, febre correptus, uitam cum Regina soluit Rex pius.

Caput. v.



INTEREA Ericus petitam nauigio Russiam, terrestri permensus itinere, magna Orientis parte decursa, Bizantium, quæ est Constantinopolis, ueniebat. Quem Imperator Orientis nequaquam in urbem excæpit: iussitque publica fide interposita, manere in suburbio. Erant tum militantes Imperatori ex Danis, qui audito Regis sui aduentu, non mediocriter exhilarati, Imperatorem in suspicionem duxere, aliquid moliturum Regem sub Religionis uelamine. Igitur custodiam rebus imposuit. Milites autē Imperatoris Dani, quàm sanctè rogabant: sineret Imperator, Regem ab illis suum consalutare. Nec difficulter annuit, ubi rebus consuluit: adhibuit tamen clam hominem fidum, linguæ peritum, qui sermones Regis cum militibus exciperet, referretque. Igitur ubi uenere Dani sub aspectum Regis sui, consalutauere. Illeque uicissim illis gratulatus est: quòd splendidæ ac longinquæ se militiæ deuinxissent: hortatus grauissimè, ut illam fidem & constantiam suo exhiberent Imperatori: quæ illis honorem, Patriæ nomen afferret cum gloria. Sin minus, non esse illis in Patria locum. Polliciti sunt milites operas. Cunque audisset ex conscio, quem adhibuit Imperator, sermonis huius uicissitudinem, magnopere exhilaratus, Regi solennes mittens nuncios, inuitat non modò in urbem, sed in Palatium. Ericus primùm sacra loca ex more christiano uisitat. Inde Imperatorē adit in Palatium. Ibi perbenignè accepto, Imperator cessit de suo loco, permittens hospiti quam ipse consueuit frequentare mansionem. Varij per occasionem inter Principes sermones per interpretē conferuntur. Miratus Imperator, corporis proceritati animi respondere magnanimitatem: miratus uocis sonū incomparabilem: sed & oculos in omnem comitatum eius circumtulit, homines gentis suæ mortalibus longè elegantiores. Tum Rege permittente, pictor adest, qui corporum magnitudinem, membrorum ordinem, coloris dignitatem exciperet: parietibusque Imperatoriæ domus, pro rerū miraculo adpingeret. Iussus inde, ab Imperatore dono postulare quod magnopere desyderaret. Ille gratias quàm humanissimè peregit: auro se, iocalibusque non indigere: si de Sacratis aliquid oneribus, Sanctorumque reliquijs mereretur, amplissimè cumulatum accipere. Imperator illi Sanctorum quas

Bizantium uenit.

Inuitatur ab Imperatore

Iconibus pictor Daniæ Regem & suos deliniat.

posceret

poſceret Reliquias permiſit. Dominicæ quoq; Crucis partem erogauit. Quæ rex in Patriam remittens, Eccleſiis Lundienſi, & Roſchildienſi impertiit. Nataliq; loco in Slanganthorp, ubi baſilicam iuſsit erigi, loco quo partu ſit fuſus, Dominicæ Crucis particulam uoluit collocari. Igitur & ab Imperatore donatus auro: tantum reſtitiſſe perhibetur, ut penè indignationem ab interpretatione contemptus mereretur. Vix igitur perſuaſus, ut acciperet, ex ſuis Imperatori reddidit rebus: quibus precium fecit non ipſa rerũ dignitas, ſed incomperta nouitas. Abituro Imperator prouidit Nauigiũ. Quo delatus in Cyprũ, febrem incidit. Vnde uicinam ſibi mortem conſpicatus, ex more Chriſtiano, Eccleſiæ ſacramẽtis imbutus, præcepit: corpus, quemcũq; permiſſum haberent loco inferre. Regina quoq; eodem peregrinationis labore conſumpta eſt. Sed hanc Regis necem diu ignorauere Dani: intentis, qui cum ipſo ierant, militiæ terræ ſanctæ: ut ante biennium expletum, nemo rediret, qui certum nunciũ de Rege afferret. Stirps Suenonis ad tres deinde filios, Nicolaum, Vbbonem, Suenonemq; peruenerat. Inter quos natu maior Sueno, tãto Regni amore extitiſſe perhibetur: ut in Iutiam Conuentum edicens, magno itinere iſthuc contenderet: ueritus totius Regni cætũ, ne conſciæ ſibi ignauiæ rubor occurreret, ſed Iutiis quàmmaximè fidẽs, eo magnis itineribus properauit. Equo uectus, corporis firmitate deſtituitur. Exceptus uehiculo: etiam ſic conquaſſati corporis imbecillitas uiſa eſt. Poſtremò lectica delatus, ita properauit: ſufficere ſibi teſtatus, ſi Regium nomen ſibi inditũ, uel ſemel audiat: nihil penſi faciens, etiam in ipſa concione ſpiritũ ponere. Sed dum properat, ſibi letum, quàm Regnum propius aſciſcit. Nam antequàm in locum perueniret, rebus exceſsit. Ad Nicolaum ergò, & Vbbonem res peruenit. Nam Haraldus Erici filius, quem pater Regni Procuratorem liquit, tam inſolenter ſe geſsit, ut omnium ab illo auerſis animis, nullus de illius Regno cogitaret. Nicolaus omniũ natu minor, Vbboni fratri ſe maiori, etiam ſuffragatus eſt: ut nihil iam controuerſiæ uideretur, ſi modo ille ad Regnum non dico aſpiraret, ſed aſſumi pateretur. Modeſtiſsima autẽ ratione ſarcinam declinans, Nicolao permiſit Regnum. Tanto utiq; dignior faſtigio, quo magis recuſaret. Proceres uſi fratrũ concordi ſentẽtia, in Nicolaũ cõſenſere.

Rex cũ Regina moriuntur in Cypro.

Apud Vuibergum.

Suenonis mors.



¶ Nicolaus aliâs infracti animi Rex, ſpoliato tamen Henrico hęreditate ſua, bello à Vuandalis laceſsitus, ipſi equitum inſultu repetitim, ex Danis plures ſternuntur. Caput. vi.

NICOLAVS Suenonis filiorũ natu minimus, & inter fratres Regno poſtremus, ſuſcepto Regno, adeò animum ab omni faſtu

Nicolaus Rex.

fastu auersum habuit: ut nihil ex pristina sua mansuetudine decerpe-ret, totamq; uitæ præteritæ consuetudinem retinens, cum fortuna animum, ut solent cæteri mortales, non mutauit. Equitaturam suam pau-

Aliâs, Sueonum.

corum numero comprehendit: ne grauis Prouincijs incūberet. Vxorem autem duxit Margaretham Ingonis Suecorum Regis filiam: quæ res prima illi bella ingerebat in Noruagios temeratores nuptiarum. Quę inde faciliores exitus habebāt: quod Sueticis pariter armis tunc ad auxilia uteretur. Ingonem filium per prima adolescentiæ tempora amisit: quem cùm pædagogus equo incedere consuefaceret, præcipitatum mors immatura subtraxit. Magnum ex filijs ad prouectos annos tenuit: melius aliquanto, illum in cunabulis amissurus. Ad eam enim cædem, quæ ipsi Magno, & patri Nicolão mortem peperit, cùm Kanutum incomparabilem uirum tulisset de medio, non esset peruentū. Filias honestis matrimonijs mater Margaretha sedula in Daniam collocabat. Inde sacris altaribus perornandis multum intenta, mulier religione præcipua. Sed inter hæc Nicolaus Rex, Henricum Vuandalum, Gothscalci filium, ex sua natum germana, maternæ hæreditatis portione fraudabat. Indignum ratus: quòd uir alienigena, & quasi inter hostes assiduos commoratus, in Dania teneret hæreditatem. Hen-

Henricus exhæres.

ricus & in persona, & per amicos iusticiam repetens, contemnitur, Igitur ad arma respexit, de more militantium: ditionemquè Daniæ omnem, quę Slesuico suberat, armis infestauit. Nam Aldenburgū, Vuandalorum præcipuam ciuitatem, aut subiectam habuit, aut fœderatam Henricus. Itaquè Rex indignum arbitratus, ab impari se hoste contemni, classem instruit: Vuandaliam petit. Elino Slesuicensium Præfecto mandat, à terra adsit equitatu. Ipse Lubecam, quæ Henrici mansio

Zuartoto oppidulū superat Rex.

fuit, appellit. Paruulum tum eo in loco Zuartoto oppidulum Regi resistere non potuit, primo aditu captum est. Henricus autem peditum, equitumq; copias tenens opportunis locis, Daniæ exercitum, qui se ad populandum contemptim diffudit, aggreditur. Dani adunati redeunt in ordines inter dimicandum. Equites frustrà expectati à Slesuico, non assunt. Erant, qui præscium insimularent, de occulta cum Henrico intelligentia. Fieri potuit, ut oppositis illi ex Aldenburgo copijs, egredi non permitteretur. Sed tum ea fuit Danorum suspicio: ut pecunia corruptus, auariciam suam pluris faceret, quàm Regis imperiū. Igitur Dani pedites à Vuandalorum equitibus circumacti uexabantur: nec poterant pares esse cursu. Vuandali uerò totis aciebus confligere nihil esse opus ducebant: quando hostes solo equitatu satis affligerent. Itaq; summa difficultate conflictati Dani, multis amissis, tumulum uicinum petiere, ab alto despectis hostibus. Postera luce, indignū

est uisum

est uisum Danicæ gloriæ, hostibus sæpè uictis, nunc metu cedere: descendentes ergò in planum, pugnam integrant. Sed is qui pridem fuit exitus: cùm incurrentes equites, auersiq; ad arbitrium hostes cęderēt, nihil ipsi passi. Tanta tum erat uincendi pertinacia, ut diu in acie consistentes, fortissimè dimicarent.



¶ Renouatur belli congressus. Rex cum suis periculosa fuga, nauigio Daniam redit. Molestat interim Regnum Henricus. Kanuti thesaurus mari mergitur. Caput. vij.

HARALDVS Erici filius in acie perstitit, donec accęptis uulneribus in clypeo, referretur. Kanutus frater uulneribus quoquè debilitatus, fortè in manus hostium peruenisset, si non promptissimi militis opera seruaretur. Is enim Domino uulnerato, quasi manum daturus, Vuandalo propinquauit: sed fræno equi adducto, uirum deturbauit, iumentum Domino adducens: ut illo sublatus, ex acie ferretur. Itaq; in tumulum regressi, secū Dani deliberant, quo modo equitatu uacui, in naues redeant. iam enim commeatus accępti defecerant. Publico uoto, communiquè consilio in omnia capita suscepto, statuerunt: Laurentij diui uigiliam, quæ tum agebatur, annuo celebrare ieiunio: ut Sancti meritis, periculo eximerentur. Sed iam regressuri accipiunt, aduentasse Scanienses: quibus recentibus ad pugnam id datum est negocij, ut imminentem à tergo hostem sustinerent, quoàd Rex ipse cum copijs ad naues concederet. Progressi, incidunt in difficilima gressu loca. Nam paludum fusa planicies iter inhibebat: urgebatquè hostis ex latere. Ibi multi dum ingredi tentant, pereunt: multi ab incursantibus ex omni latere uiarum peritis perimuntur. Peruicit tamen fortium uirorum labor: ut summo licet discrimine, ad naues regressi, Daniam repeterent. Rex inde Slesuici Præfectū ære mulctauit, & præfectura destituit. Sed Henricus uictoria recenti fretus, insolentior Holsatis, Frisonibus, ac Thetmarsis in opem uocatis, magnas sæpè prædas ex Slesuici egit Præfectura: ut locum illum formidabilem faceret Ducibus: nec erat, qui facilè ambiret eum locum præsidio regere. Kanutus autem Erici Regis filius, cùm paternos thesauros, quos abiens tutori ad usum filij commendabat, ex Fionia iuberet offerri: medio mari qui attulere, conspectis piratis, cùm euadere haud fiderent, fune demissum aurum diu trahebant. Sed propinquantibus piratis, arenæ potius, quàm improbis hominibus permisere. Vidit Rex ista Nicolaus cùm traijceret: sed longè absistens, opitulari non potuit. Cùm autem Kanutus, quid de patrimonio suo factum sit accipe-

Cæduntur fuga Dani.

Thesaurus Kanuti mergitur.

ret, nihilipendens contempsit. Correptus à Rege, quòd magnorum Regum thesauros tam facili animo perisse ferret. Respondit. Res inemendabiles quo facilius, eo leuius ferendas: præstitam sibi liberalitatis occasionem amplecti. Vt enim hactenus nihil ex paternis bonis ad eum peruenisset, ita quæ obuentura uiderentur, liberalius erogaret.

pum egregius contemptor.



Kanuti probata liberalitas, fratrum dissensiones componit. Haraldus improbè agens, sedatur. Magnus, uix publica fide seruata, Suetiæ Regis filiam uxorem ducit. Caput. viij.

Hoc tam liberum ab auaricia responsum, facto probauit Kanutus. Nam à multis recusatã Slesuici Præfecturam, promptus à Rege postulauit: & ita accæptam gubernauit, ut primùm prælijs fortiter cum Henrico gestis, deinde summa animorum consensione illi deuinctus, perq; illũ Imperatori conciliatus Ludero, coronam Obotricorũ meruerit. Sed hæc in Vuandalia nostra plenius commemorata, nunc transibimus. Interea cùm Haraldum, Ericumq; fratres, Kanutus summa animorum, armorumquè contentione, de paternis bonis acciperet diffidentes: cogitauit, quonam pacto rebus inter eos compositis, ad integritatem reduceret. Haraldus quidèm omni improbitatis genere familiam aluit, quæ furtis ac latrocinijs domum eius impleuere. Non longè à Roschildia arcem erigens: unde egresi latrunculi, & urbem furtis, uiamquè latrocinijs infestarent. Sed ab incolis exturbatus, fugam per mare inijt. Ericum fratrem, parte sua uti non est passus: quòd adulterio natum, indignum diceret succesione. Itaq; armis rem dirimere cœperunt. Sed Kanutus euocans utrunquè Slesuicum, sub interminatione omnium malorum, pacem illis indixit: discreuitquè, quo quisq; contentus alium sineret in suo quiescere: qui uerò primus ad cõtentiones redijsset, eum se suis uiribus infestaturũ. Cunquè Magnus Nicolài Regis filius, Suetiæ Regnũ adeptus (ut in ea dicemus) ad nuptias respiceret: Polonorum Ducis Bokisclaui filiam despondit. Interim uerò, Vuarcisclauus Vuandaliæ Rex, cùm in Polonos, Danosquè asiduas ageret inimicitias, à Nicolào classe impetitur. Obsessa urbs Cosna, ære redemit obsidionem. Vuartisclauus abequitans, Danos infestat, Iulinum obsidens: inde Abituros iam Danos. Cùm uerò paciscendi gratia colloquium postulasset: prætoriam in nauim receptus, militũ malignitate, captiuus retentus est. Quæ res supra modum Kanuto displicuit: eamquè in Concionibus accusabat, futurum aiens, ut nihil sanctum, nihil postea constans ac fidele habeatur: si publicè interpositam fidem uiolent. Ea apud omnes gentes certisima fit consensio:

Vuandaliç lib. 3. cap. 30. & seq.

Haraldus raptor improbus.

Cosna ære se redimit.

consensio: ut de pace tractaturis, publica fides seruetur inuiolata. Peregitque Kanutus, ut Vuartislauus suæ libertati permitteretur.

¶ Magni nuptiæ ad Ripam celebrantur. Henricus isthic Kanutum ioco amarulento intentat, uestem illius Saxonicam taxans. Oriuntur simultates: quas Regina prudentiss. languens sedat: tum spiritum efflans. Caput. ix.



VM proximè Magnus sponsa à Polonis petita, apud Ripam urbem nuptias Regio ritu perageret, Kanutus inter alios aderat, Saxonica ueste conspicuus: quę res incredibiliter Magni animum perturbabat, nihil tamen inter tori festa pronuncians. At Henricus Suenonis filius, quòd uxorem adulterio nuper abductam, in Kanuti ditione recepisset, nonnihil de illo suspicionis præferebat, inter acerba ioca Kanuti uestem irridens. Nihil ait latus ostro, quàm panno simplice aduersus gladios esse munitius. Ille refert. Sed ne ouillis quidem pellibus. Iocum ioco retundens. Per quæ tempora Kanutus piratas persecutus in Suetiam, cùm inde nonnihil prędæ retulisset, unde laudem speraret, Reginæ increpationem promeruit: quòd amicam prouinciam inuasisset. Magnus uerò cùm idem in simili opere perageret, etiam laudatus abibat. Nam ille insulam, quam Iouialem appellant aggressus, malleos retulit, quos fabricata Antiquitas, tonitrua imitari uolebat. Sed Christiano ritu detestatus Magnus superstitiones, dæmonicolis instrumenta perfidiæ ademit. Vtinam talis in reliquum, qualis in primordio conspectus. Interea Margaretha Regina, fœmina omni uirtute conspicua, simultatem inter adolescentes persentiens exortam, extinguere percupiens, cùm se non diuturnam cõspiceret, sed ad mortem intercutis uitio urgeri: inprimis Kanuto admonito, obsecrat, ut ille sanioris semper consilij interpres, concordiæ studeat: Magni, Henricique fratruelium suorum, uincat prudentia inscitiam. Hac spe si decedat, alacrem se in morte futuram. Ita sanctißima fœmina, futuri pręscia, præmonebat eum, apud quem maiorem locum sermo pacis inueniret. Operam pollicitus Kanutus, in pace illam quiescentem dimisit. Superstitio Malleorũ.

¶ Insidiosam Henrici apud Regem delationem, audita prius Nicolai in consessu Procerum accusatione, Kanutus facundißima oratione proterit. Caput. x.



ED HENRICVS, quem diximus, nihil pacatum cogitans, cùm illum ureret uxoris contumelia, quam in

Accusatur Kanutus. fonti imputabat Kanuto: accitis quos rei putabat idoneos, apud Regem ambiti Regni reum facit Kanutum. Rex delatoribus aurem commodans, Conuentum indixit Regni: in quo Regios inprimis iuuenes adesse præcepit. Kanutus inter primos uenienti patruo accurrens, descendenti ab equo ministerium, ut semper, sedulus impendit. Tum contractis in consilium quos uoluit, præsentibus his, qui simultatis capita uiderentur, orsus est loqui, Regni sarcinam sibi tum impositam,

Regis oratio. cùm ea carere maluisset: fratrem Vbbonem, cui ipse quoque pro ætate detulisset, obnixè illam recusasse. Postquàm tamen subierit, ea semper usum esse modestia, ac æqualitate, ut neminem putaret Regni sui pertesum: longè autem se opinione falli cerneret: Iuuenes etiam se uiuo de rerum summa contendere: consuesse Suenonis filios, inuicem sibi ab annis deferre: quocirca ille omnium natu minimus, postremo ad Regnum peruenisset: expectans, non præripiens oblati Regni occasionem. Ea si tu modestia Kanute uitereris, non tam crebrò aures meas super nomine tuo querimoniæ pulsassent. Iam inter tuos Regem te memorant, Regia appellatione delectatus, à tuis consalutari Rex amas. Consultius ageres, si sub qualicunquè Rege fortunam demorareris: non in tuorum assentatione, sed Procerum iudicijs Regni successionem cõstitueres. Kanutus autem iamdudum humi defixum uultum tenẽs, cùm altè duxisset suspiria, exorsus est loqui: simul oculos lachrymis suffusos circumferẽs in circumstantes. Ego me apud te Pater, multorum in te benefactorum testes habiturum sperans, longè ut uideo fallor expectatione mea. Nam pro rerum rectè gestarum testimonio, criminationem excipio, & illam uoce Regia. Sed peccant Pater in te: peccant in me, qui moderationem tuam, supra quod aut ætati, aut Maiestati conueniat, exasperant: quiquè pacatissimæ mentis tuæ seruum, mendacijs obnubilant. Sed grauitatis tuæ fuerit, nugarum autores reijcere. Herum me mei, non Regem appellant. Inter Vuandalos quidèm nuper insolito honore affectus, nihil Regno tuo detractum esse uolui. Si me alienigenæ illo dignantur in sua parte honore, illorum obsequia refugere non oportet: quando & tibi nihil nocitura, uerùm in tempore etiam possunt profutura uideri. Regem nuper filium tuum Magnum, Goti appellauere. Mihi quoquè, si apud Vuandalos compar obtigerit ueneratio, gratulari oporteret, geminis te uti Regibus in omne obsequium. Quæ pro tua, Regniquè incolumitate peregerim, non ignoras. Ipse an efficaciter militauerim, nosti. Littora Dani, si placet, excolite: æquori ædes quantalibet uicinitate iungantur: ipsi undas cauete. A maritimis ego uos prædonibus præstabo securos. Quos prius infestos habueras, nunc in tributum acti, tuo per me famu-

Kanuti purgatio.

famulantur obſequio. Ita quarum ego rerum ſementem ieci, tu fru-ctum ſine ulla recuſatione ſuſcipis: & tamen ſic de te meritum, ſuſpicione & querimonia cauſabundus aggrederis. His ne ergo operis merui, ut aduerſum me æmulationem tuam in concione diſtrigueres? Hęccine ex labore præmia, ex militia ſtipendia decerpam? Verùm hanc in ſimulationis uim ab inuidia profectam, non tuæ, ſed tuorum malignitati imputandam exiſtimo. At in Regni faſtigio collocatis, difficiles accuſatoribus aures præbere conuenit. Diu paternum hoc Imperium agere, feliciterquè & nominis, & Regni inſignibus utere. Si tam diu dabitur, donec à Kanuto auferantur, ſempiterna tibi ſpondeo futura. Hæredem tibi quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego uerò me in quocunquè fortunæ habitu continuero, nunquàm celſitudinem tuam fide, uel obſequio colere ſuperſedebo.

Permulſus Oratione Rex, placidiorem oris habitum induens, offenſam falſo inſtinctu concæptam, in ipſa repente Concione depoſuit.



¶ Magnus Regis filius, in Kanuti necem coniurat. Vocatum ad inſidias, nihil mali ſuſpicantem, cum ſuis miſere obtruncat. Caput. xi.

HENRICVS autem malorum incentor hic fruſtratus, necdum quieuit, Regem per occaſionem adortus. Quid inquit mirum, ſi Kanutus tibi præſenti blandiens, Maieſtati ceſſerit? Sed de filij tui Magni rebus agitur. Quòd ſi populari iudicio res agenda ſit, noſti blandimenta Kanuti: nihil Magno ſperandum eſt. Si hæredi caues: nihil præſtantius, quàm ut æmulo dirempto ſecurus agat. Hæ uoces Regem in aliam duxere cogitationem: non quidèm ut Kanutum tollat, ſed ut Magnum ſucceſsionis faceret certiorem. Magnus hanc patris ſollicitudinem peruidens, Patrem cura ſuo periculo ſtatuit eximere. Itaq; aduocatis qui ad rem uiderentur idonei, coniurationem inire uolens, iuſiurandum ab omnibus depoſcit, ne quouis pacto profluat. Si tamen aliquo diffluat: curabat, ut integrum ſibi ſit ſacramentum, nullo ſe loco ſtantem, aut ſedentem de Kanuti nece deliberaſſe. nam accumbebant cùm iſta tractarent. Aderat Aquinus, uir ab æmulatione uirtutis, ut uidebatur, KANVTO infeſtus, uerùm ſororius eius: qui audita re, quòd de nece KANVTI ageretur, ſeſe ſubduxit. Admonitus tamen, ne quouis modo adiuratus rem propalaret. Neq; fautorem, neq; proditorem CONSILII ſe

Coniuratur in Kanutũ.

 futurum

futurum respondit: quanquàm satius esset, inmerentis periculum insi-nuare, quàm silendo tolerare. Vt autem familiaritatis uelamine proditionem tegeret, ad sacra Dominica Natalis Kanutũ inuitat: esse quod cum illo secretius agat. nam peregrinaturum se, quærere quem domi suæ tutorem relinquat. Conuenere Roschildiam: ibiquè sacris quatriduo, conuiuioque peractis amicissimè, discessere. Kanutus ad Ericum Falstricæ Præfecturæ uirum, se recepit. Erat interea, qui apud Kanutum commisso homicidio, ad Magnum perfugeret. Sed illum pristinæ familiaritatis uinculo, speculatorem magis, quàm perfugam reputans, à se ablegauit. Interea secedens Magnus in locum sceleri destinatum, apud conscios renouauit sacramentum. Mittensquè qui Kanutum euocaret, locum designat apud Citimum uillæ nemus. Erat genere Saxo, qui nuncius ibat Kanuto, arte cantor. Kanutus tam syncera fide profectus est, ut ne gladium quidèm lateri deligaret. Admonitus à famulo, uix accæpit. Verùm inter eundum, cùm magnopere cuperet nuncius Kanutum proditionis admonitum, ne sineret iusiurandum: occinere cœpit Carmen, quo similis rei proditio memoraretur. Sed cùm horum nihil Kanutus attenderet, propius adequitans Saxo per occasionem sermonis, dissimulanter arma sub ueste latentia prodidit. Sed nequè sic admonitus Kanutus: quòd fidele cor hominis, nihil minus, quàm proditionem potuit cogitare: sic se partitus est ille, inter fidum arcani, & pium innocentiæ seruatorem: sed innocuus animus fraudem non timebat. Preuenitur in locum quem Magnus tenebat. Deiecto insidens robori armatus, uix assurgit uenienti. Kanutus, quid arma uelint, interrogat? Ille, militaria membra illis assueta, difficile carere posse contendit. Interea qui in insidijs erant milites, paulatim propinquare. Quid ea sibi manus uellet, Kanutus petit? Esse sibi refert Magnus, cum contumaci agricola causam, quam uadit dirimere. Obsecro inquit, solennes istos dies, luctifica armorum ui ne obscures: facturum alioqui hominem quod sit ex æquo: se uadem fieri, nisi ille fecerit, se facturum. Bene inquit Magnus, mentionem infers, te facturum quod æquum est: hic ergò Regni successionem ęquo iure partiemur. Diu, refert ille, Parens tuus regnet. Intempestiuus sermo quẽ dicis. Hæc dicenti, manum infert Magnus. Kanutus autem uidens, manum, & ipse capulo iungit: sed ante mediũ Magnus educentis gladium distrinxit caput, quàm ille gladium nudaret. Cæteri prosiliere: quisquè manum infert iacienti. Ferunt exilijsse fontem eo loco, quo uir eximius cæsus corruit. Rumor de morte eius, citissimè multa impleuit loca. Exciti Primores, quibus mors ea luctuosa fuit, Regẽ adeũt. ROSCHILDIAM illi permittat tumulari.

Vocatur in insidias Kanutus.

Magnus Kanutum latrocinio perimit.

tumulari. Ibi Rex, funeris pompam, populi futuram refert inflammationem: ut temporum quieti consulat, quocunque, præter eo loci, permittit tumulari. Apud Ryngstadium monumentum reperit uir sempiterna dignus memoria: cuius quanta fuerit in multis amor, Exequiæ declarauere. Rarus fuit, cui non excusserit lachrymas, uel amor cæsi, uel odium parricidæ.



¶ Populo Kanuti trucidatio molestissima, ob id Magnum Regis filium exilio proscribit. Quem pater reuocans, Regno destituitur. Caput. xij.

MAGNVS cæde peracta tripudiabat, iam nunc æmulo Regni sublato, de successione securus. At fratres Kanuti Haraldus, atque Ericus, cæterique Proceres, quibus ea res maximum dolorem incussit, in omni populi conuentu, concionibus crimen agitabant: uestem uulneribus conscissam oculis ingerebant. Incredibile memoratu, quantam populi indignationem concitauerint in parricidam: ut etiam ultimis terris deportandum decerneret. In Regem uerò pristina adhuc fortuna uenerabilem, tanquàm de eius consensu incertus, seuerius agere non patitur: ne noxam & innocentiam in æquo ponere uideretur. Rex autem ablegato filio, Ryngstadium, quo frequens populus conuenerat, ire contendit, ne in absentem grauius aliquid statuatur. Adire autem concionis locum non præsumens, oppidum petit. Interea tumultuatus grauiter populus, Regis præsentiam quæritabat: accusans, quòd tam uicino loco adsistens, aditum populi cōtemneret: igitur petendum, qui adesse nollet? Rex huius tumultus certior factus, Ascerum Lundensem Archiepiscopum præmittit, qui populum placans, Regi conciliet affuturo. Procedens Pontifex ad populum, Ericum habuit obuium. quem equo delapsus, precatur pro Magni facinore, decreta Lege correctionem: pro patris innocentia, statam defensionis iusticiā promittebat. Quinetiam detracto pileo, consternatæ multitudini, capitis sui Maiestatem opposuit. Tantum autem eius apud Ericum præcatio ualuit: ut Regi non modò salus, sed etiam in proximo petendæ concionis licētia deferretur. Itaquè Rex concione petita, non aliter sibi defensionē conciliare admissus est, quàm ut Magni se præsentiā uitaturū: eumque domo ac patria excessurum: nec ante receptam à populo licentiā reuersurū, iuraret. Ita pacato populariū motu, Rex Iutiam, Magnus Gotiam exilij speciem præbiturus petiuit. Eo aūt tumultu populari quiescente, facilè Regem pœnituit iuris iurādi: quòd unico filio, & in spem Regni edito, careret. Accessere cōsilio, qui Magno erant facinoris impulsores: indignū rati, quòd populari tumultu Rex in iuramentū cōactus, illo distringeretur: illatamque esse

Populi tumultus.

Magni proscriptio.

esse uim Sacramento, quam necessitas excusisset. Igitur non longo interueniente tempore, Magnus reuocatur. Id autem quanta sit populi indignatione exceptum, non facile dictu. Conuenerat frequens populi multitudo ad Haraldum, Ericumquè fratres: qui Regem ipso suo facto se prodere interpretantes, conscium Kanutonianæ necis æquè reum statuunt cum filio: nequè Regno dignum in reliquum, qua poterant æquitate Regno destituerunt.

Nicolaus Regno destituitur.

¶ Ericus populi & Procerum communi suffragio Rex creatur: sed regiũ nomen detrectans, Ducis induebat arma, in uindictam miserandæ Kanuti cædis parans. A Ripensi Episcopo persuasus ea deponit. Sed falsus ab Episcopo, hostem experitur. Re per Lotharium composita, Magnus fidem frangit. Caput. xiij.

Ericus Rex V.



ERICVS Kanuti frater, licet adulterio natus, Erici prioris filius, populari suffragio, Nicolão destituto, Rex acclamatur. Siquidèm Haraldus maior natu frater, superba insolentia populum iamdudũ à se auerterat. Accessit libido intemperans, quę multorum toros polluebat: ita, ut odium meritus, Regno minus idoneus iudicaretur. Ericus quoquè Regium à se nomen tollens, Ducis officia pollicebatur: quoad uindicta fraterni sanguinis perageretur. Itaq; composito agmine, Regem petens incedebat Ericus. Sed Toko Ripensis Episcopus, hominis dextrã apprehẽdens, quamsanctè iurat, Regis innocentiam se ostensurum: optimasq; leges pacis se iam habere compositas, quæ Erico non displicerent. Tantum effecit suasionibus, ut Signis reuocatis, ardorem pugnæ remitteret. Cumquè ille pacis Legatos operiretur, Rex instructo agmine superueniẽs, facilè dissipauit sine ordine copias Erici. Serò se delusum promissis Ericus conspiciens, in fuga tum constituit salutem. Deinde iustiorem sibi belli datam materiam arbitratus, in Sialandiam, Scaniamquè peruenit: Regium nomen, quod ante recusauerat, Procerum consilio assumpsit. Misit quoq; ad Imperatorem Lotharium: qui Kanuti lachrymabilem doceret cædem, ipsumq; ulciscendæ necis suæ uocaret præsidem. Lotharius Regni subiectionem Imperio quæritaus, concessit cum exercitu Slesuicum. Quem in locum Ericus quoq; mouens cum exercitu, uires iungere Romanorũ armis properabat. Sed pręuentus est à Magno: q multis ad arma uocatis, congressum Imp. & Erici distinebat. Interea Nicolaus quoq; magno exercitu cõtracto, per Iutiã mouit. Cuius cũ copię citra uallũ cõsistentes, maiores Cęsari uiderẽt, ex alia

Erici humilitas.

Tokonis Episcopi, illusio.

Lotharius Imp. Anno 1125.

alia parte tendenti, quàm quæ ab ipso, uel tuto oppugnari, uel etiam possent sustineri: neq; securum uideretur, quod optabat Ericus, copias nauibus impositas Slesuicum deferri: igitur temporis necessitati cedens, cum Nicolao atq; Magno, quo honestior eius discessio uideretur, pepigit. Pactiq; forma fuit: ut Magnus Imperatoris uasallus haberetur. Itaquè specie ueneratus Cæsarem, supplex illi fuit, re autem uera dolos nectebat. Nam ubi Cæsar copias suas trans Eydoram recepit, secutus Magnus extremum agmen, quod Adolphus Holsatię Comes ductabat, lacessiuit, ipsumquè proiectis armis, nando salutem quærere adegit. Magni insidiæ.

¶ Christiernus Erico suppetias ferens, à Magno terrestri capitur pugna. Nauali Ericus uincit. Quem Nicolaus celeriter insequens, multos antequàm naues conscenderent intercipit, & trucidat. Caput. xiiij.



RICVS autem hac spe destitutus, alia circumspexit auxilia. Nam aderant Legati Noruagiæ, qui filiam Kanuti, Regi suo coniugem quærebant. Sponte pollicitus Ericus, ipse sibi Regis matrem uxorem asciuit. Nicolaus Occidentis Daniæ partes, Ericus Orientis tenebat. Erat tum inter Iutios uir primarius Christiernus, qui Erico operam polliceretur: cuius fiducia fretus, sola Scandiæ, Sialandiæquè partes muniebat. Haraldus autem inter utrosq; dubius, nec Nicolaū Magni odio, nec Ericum Regni æmulatione ex integro secutus est. Cęterùm pudor illum corpore magis, quàm animo iunxit Erico, cum duobus spectatæ uirtutis adolescentibus. Christiernus autem, quem diximus, uir inter Iutios primarius, contractis uiribus, partes Erici, contra Nicolaum pugnans tutabatur. Magnus classe comparata, Erico obuiam pergit. Sed non eadem utrobiquè uictoria. Nam terrestri pugna uictor Nicolaus, Christiernum captum in arcta uincula Slesuico relegat. Ericus aut sparsa nauigia, uelut ociosus per mare ductans, incedebat. Sed ubi uidit ex aduerso Magnum ui magna adnauigare, iacta interim ancora nauim firmat, edito signo suis, ut conueniant. Ericus circumiens suos, quos præsertim suspectiores ducebat, animauit ad pugnam. Nam Haraldus frater, & Petrus Roschildiensis, languidè partes eius adiuuare uidebantur. Tùm uerò multitudine superans nauigium Ericus, hostem circumducens, uelut obsessum intercipit. Vbi cœpta est pugna, fortiter quidèm dimicatū est utrinq;: sed Iutij, qui Magno aderant, periculum eius de sua metientes paucitate, Miaparonem, qua Magnus uectabatur, denso agmine sepientes, educunt inter hostium odia: ipsumquè sinunt nauigare. Illi ad pugnam reuersi distinebant; donec ille fieret extra periculum. Tum & ipsi fugam ineunt.

Christiernus capitur.

Vincit Ericus.

Ericus

Ericus autem uictoria sublatus, ignarus tamen, quid apud Christiernũ accæpisset detrimenti, Balticũ mare petit, Iutiam ingressurus: ubi Copias exponens, didicit amici casum, & Nicolai cum copijs aduentum. Mari tũ securior futurus, naues repetit. Sed ea celeritate Rex superuenit, ut multos prius quã naues repeterẽt, & interciperet, & trucidaret.

¶ Ab Erico Haraldus declinat: ob id Vallo suo pellitur. Ericus à Nicolao superatur. Saxones naribus ab Haraldo deturpantur. Tandem insigni uictoria Ericus Nicolaum deuincit. Caditq; Magnus cum multis. Caput. xv.



HVNC euentũ secutus Haraldus, à fratre transit ad Nicolaum: pridem magnis conditionibus, & ab ipso Nicolao, & à filio Magno inuitatus. Tantum ualuit fraternæ ęmulationis inuidia: quòd sibi Regno prælatus haberetur. Igitur præsidio, quod Haraldus iuxta Roschildiam firmauerat arctius munito, insederat: incursitans quoties uideretur urbem. Sed Ericus expugnaturus obsedit: Machinis à Saxonibus, qui Roschildiæ erant, mutuatis. quippè Dani illa ætate minus calluerant huiuscemodi apparatibus oppugnare. Cunq; ualido adacto saxo quateretur domus; Haraldus diffisus præsidio, noctu per Valli partes minus obseruatas, æquos præmittens, pedes cum suis est secutus. Cunq; Erici milites transitum eius sentirent, secuti ut interciperent eum, ipse prior clamauit. Capite Haraldum. Quo clamore creditus est, non ipse Haraldus, sed Haraldi insecutor. Hoc modo elabitur. Cùm tamen nonnulli ex Saxonibus gloriarentur, illum suis se iaculis confecisse. Peractis hybernis, Nicolaus ex Iutia mouẽs, apud pontem Vueram Erico conflixit: magnoq; fusum prælio, compulit fugere in Noruagiam, priuigni auxilia quæritantẽ. Interea Nicolaus Roschildiam aduentãs, Haraldo permisit, de Saxonibus sumere supplicium: quòd Machinas commodassent Erico. Nares omnium præscidit per contumeliam: rogitans, an Haraldum confecissent? Erat inter eos, qui se doctum assereret. Cui ueniam impertiens, cùm sederẽt ad mensam, iussit uerbis sacris benedictionem impendere. Ille se suendi, non consecrandi doctum respondit. Comitati dedit Haraldus impunitatẽ. Dum autem Ericus apud priuignum ageret, Nicolaus misso clam nuncio, magnum auri pondus pollicetur, si Ericum tollat. Promittit ille operam: sed à Regina commonitus Ericus, insidias euadit. Nam naue ex Hallandia quàm celerrimè comparata, abit, nemine persentiente. Qua uerò custodes arte fefellerit, in Noruagia latius retexentes, inde Lectorem petere monemus. Ericus itaq; in Hallandia comparatis quas potuit uiribus, cùm audiret Regem Nicolaum Lundiæ Natalem Domini per-

Haraldi uallum oppugnatur.

Ericus à Nicolao superatus, fugit.

Saxonibus Haraldus nares præscindit.

Noruagiæ lib. 5. ca. 5. b.

ni peracturum, omnem apparatum Regium præueniens occupauit: firmatis per Scaniam uiribus. Igitur NICOLAVS proxima æstate armis denuo contractis, quibus potuit uiribus Erico statuit occurrere. Omnes copias ad Fotam sinum exposuit. Sed Ericus superueniēs equitatu ualido, & qui expositi steterant infestauit, aliosq; ne exponerentur impediuit. Nicolaus autem iam naui receptus, pugnam intermisit. Magnus uerò suos in ordinem digerens, fortiter pugnans, cadere, quàm turpiter hosti cedere præoptauit. Itaq; diutissimè pugnans, cùm ingentem circa se stragem fecisset, ipse cumulatus cæteris accessit. Maior fugientium pars comprehensa, per foros nauigia conscendere cupiens, ingenti quadam mole mergebatur. Vincit Ericus Nicolaum.



¶ Narratur gloriosa Erici uictoria: diuina item ultio in Nicolao per Slesuicenses. Pontificum quoq; aliquot eo bello strages. Caput.xvi.

IGITVR qui primi introrsum euaserant, tardiorum manus nauigijs insertas præciderunt, absq; societatis respectu truncantes: ferociores in suos, quàm in hostes fuere. Calamitosa siquidèm illa facies erat: cùm pendulis nauigia brachijs amplectentes, hinc hostis urgeret, inde ciuis repelleret. Quo experimento, quantum quisq; salutem suam alienæ præferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulantium uoces, quæ spiritum amicorum, proprio chariorem astruere non erubescūt. Crediderim hanc uictoriam, humanis parum uiribus partam: sed DEO pijssimi uiri interitum uindicante cōcessam. Neq; bellum aliud crebriorem Pontificū cruorem absumpsit. Quippè Petrus Roschildien. & Henricus Sueticarum partium Pontifices, omnesquè Iutiæ (præter unum) Antistites, hoc prælio oppressi traduntur. In cuius apparatu, Magnus Saxonis filius, Erici miles, singulare fidei specimen edidit. Nam cùm Nicolaus maritima Sialandiæ loca, ne quis ad Ericū transiret, à militibus obseruari iussisset: per Stethinensis promontorij prærupta, à satellitibus fune demissus, noctu scapham conscendit: eaq; Scaniam petens, gratam Erico opem attulit. Nicolaus fugiens, Iutiam peruenit: & ne sine Rege prouincia uideretur, Haraldum post se cunctis Regem declarat. Inde Slesuico propinquans, quamuis infesto oppido, ob Magni cruentum facinus, senectam tamen suam tutā credidit, & pristini Regis reuerentia, & quorundam è populo primariorum autoritate fretus. Igitur patefactis ad eius introitū portis, Clerus Regi cum sacris obuiàm pergit, omni honore suscipiens: sed populus in eum etiam dentibus frendens, exitium minitabatur. Erant qui suaderent, in ædem Petri sacram eum concedere: tutiorem ibi, quàm in Regia futurum. Sed ille, si moriendum esset,

Anti... bell... pu...

Fugit ... Nicolaus.

s non

non polluere locum sanctum cæde, sed paternis statuit potius in laribus sibi demorandũ, quæcunq; fortuna minitaretur. Itaq; in Regiam proficiscens, ualida militũ statione defendit. Sed crescentibus in diem ciuiũ odijs, quotidiè oppugnatur: passimq; consumptis militibus, ad extremũ Rex ipse cæde ciuiũ mactatur: diris execrationibus in caput eius replicatis: quòd uirũ fortissimũ, iustissimum, sanctissimũ Kanutũ perire uel passus esset, uel iussisset. Secutus classe in Iutiam Ericus, cùm Nicolai casum accæpisset, rebus ritè compositis conquieuit.

Nicolaus à ciuibus trucidatur.



¶ Haraldi filij à se patre, transeunt ad Ericum Regem. Suspecti, clam Regis mandato submerguntur. Dein Haraldus cũ reliquis filijs (uno dempto) pereunt. In Vuandalos classes maximas parat. Caput. xvij.

QVO tempore Ericus & Bero Haraldi filij, patrem deserentes, ad Ericum transibant: felicius acturi apud illum, si modò suspicionem præuidissent de se natam. Nam pater eorum audita transitione, mittit nuncium: percunctaturq;, quid sibi agendum uideatur. Nullum eius rei indicium illi ad Ericum pertulerunt. Intellexit tamen Ericus missum nunciũ: Incertũ, quid cum filijs Haraldi egerit. Igitur Rex longius re dilata, si fortè sua spontè rem deferrent, ut synceram monstrarent transitionem: ubi nihil detulerunt, euocatos percunctaẽ, quid pater apud eos nuncio suo peregerit. Illi liberè responderunt. Percunctatum à filijs, quid sibi suaderent agendum. Respondisse, ut exularet in Noruagiam. distulisse eius rei indiciũ, quoad paritũ consilio intelligerent. Et quanq; uera esset eorũ responsio, minus tamen creditũ est: quòd non tam spontanea, quàm extorta uideretur. Iubet Rex eos carcere asseruari apud Slesuicum. Nec diu post in eum cùm se locum contulisset, compediti iuuenes, genibus eius prouoluti, uincula laxari precabantur: quòd innoxij rerũ & consiliorum haberentur. Ericus compertum iam habens de fuga patris eorum, precantes benè sperare iubet: & ut erat mero percalefactus, etiam compassioni lachrymas dedit. Postera luce Christiarnus ex aulicis quidã, obuiam factus, cùm sacrarium Rex petisset. Hesterno inquit uespere Rex, mirificè munificum te risimus amici: cùm potione percalefactus uiderere. Rogantẽ Regẽ, quid eo tegumento diceret, explanaret. Cùm inquit Adolescentibus illis, fraternis nepotibus impunitatem dederas, quid, nisi tuum, atq; nostrum sanguinem donasti? Credis, posse quiescere Iuuenes, patris quàm tui amantiores? qui filij Regis, quàm milites dici præoptant? Visus est uera dicere. Igitur mandatum dedit: ut quamoccultissimè aquis mersi pereant. HARALDVS horum pater NORVAGIAM petens, benignè excipitur, in odium Erici. Inde egressus, Iutiam peruenit:

Deficiunt à patre Haraldi filij.

Haraldi filij merguntur.

peruenit: ubique cœtum faciens amicorum, in Vrnica Rex est declaratus. Ericus ista comperiens, quamuis gelu sub littore mœre esset concretum, per summam tamen difficultatē eductis nauibus, copias trans posuit: & antequam opinaretur superueniens, apud Sluperorp uicū, Haraldū intercępit: extractumque cum filijs, sine respectu fraterni sanguinis, perdi iussit. Solus ex filijs Olauus, muliebri ueste tectus elabitur in Noruagiam. Alius interim Haraldus Noruagiæ Regis filius, à Magno pulsus, confugit ad Ericum: odioque Magni, quòd uxorem Kanuti filiam repudiasset: quòdque ipsius Erici periculum intentasset capiti, benignè excipitur, spem bonam ferre iussus. Reduxissetque illum, nisi domesticis bellis implicitus distineretur. Nam Vuandali hostes assidui, fœderibus ruptis rebellarunt. Igitur omissis amici rebus, proprijs curam adiecit: classem instruens, atque perarmans, numero Centū Milleque nauium, quaternis in quanque equis impositis. Primus Danicorū Regum iumenta per mare trahens. quòd equitatu Vuandali polleret. Memor, quantis incommodis Nicolaum Patruum affecisset Henricus Lubecæ Dominus.

Haraldus cum filijs interit.

Ericus primus equos per mare traduxit.



¶ Archorenses Angli se dedunt: Christi quidem fide initiati. Ericus Antistitem illis reliquit. At Erico discedente, pulso quem dederat Antistite in pristinam idolatriā relapsi sunt. Caput. xviij.

IGITVR in Angliam ducens, urbem Archon, ualido aduersum se firmatam inuenit pręsidio, magnoque uallo diremptam ab reliqua Rugia: ne incursationibus uexaretur. Huius Valli cura data est Halladensibus. Egressi noctu per uada Vuandali, obsidentes infestant. Sed ab reliquo exercitu repelluntur. Cunque arctissimæ obsidionis Rex apparatū faceret: territi Archonenses, deditionem pactis conditionibus fecere. Fuerunt autem hæc. Vt reiecta perfidia, Christi fidem amplecterentur. Baptisati, Antistitem reciperent sacrorum. Tributaquè pensitarent annua. Erat in urbe Simulacrum horrēda superstitione ab uniuersa natione cultū, Suantouit appellauere. Nam à sancto Vito occasionem idololatriæ cœpere. A memoria enim diui Ludouici primi, cùm operante Anschario Corbeiensi primū monacho, deinde Hamburgensi Archiepiscopo, fides in Dania plantaretur: eodem Cœnobio egressi & alij fratres, exemplum Anscharij secuti, in Vuandalis uerbum uitæ disseminauerunt: ubique patronum loci sui uitam commendantes, nouæ plantationi. Ex qua occasione cùm postea fidem reijcerēt, patroni memoriam seruare: sed illa abusi, statuam pro numine, matrem pro Deo habere cœperunt. Quod si modo Ericus in pactis comprehendisset Suantouitum tradere, firmior res constitisset.

Archon Angliæ se dedit pacto ut Christū induant.

De hoc supra lib. 4. ca. 13. in fine.

Tum autem baptiſatis ad mare multis, Antiſtitem illis reliquit, reuerſus in Daniam. Sed qua mente Religionem amplexi ſint, ſtatim apparuere. Nam ubi hoſtis declinauit, pulſo Præſule, fidem cum Religione reijcientes, ad Simulacrum percolendum redierunt.

Angli defectores Religionis.



¶ Aſylo urbe capta, Magnus Noricus oculis & teſtibus orbatur. Rex Leges renouat. Sialandiam amiſſam recuperat, Pontificem ære magno mulctans. Odio in Ericum contracto, Plogi Lancea transfoditur. Caput. xix.

SPEM deinde Haraldo promiſſam perſoluit, ducens in Anſlo. Qua capta Haraldum impoſuit. Nam ultra progredi tunc neq; conſilium erat, neq; ex amici uſu. Anno tamen proximo uniuerſam Daniæ claſſem illi miſit auxilio. Qua inſtructus, cùm in hoſtē mouiſſet, cœpit Magnum: oculis ac teſtibus ademptis, in tenebris & ſterilitate cōcluſit: & ex ſceptrato cucullatus euaſit. Interea Rex Ericus Legibus in Patriam renouatis, errata Maiorū emendauit. Popularibus perinde percharus, quòd ſine ordinum diſcrimine, iuſticiæ ſuæ quenquè compotem fecit. Sed non potuit ea res ſine multorum odio fieri. Quibus enim peccandi licentiam ademit, iniquo in illum eſſe animo cœpere. Numinū tamen fauore conſpicuus habebatur. Nam nocturna uiſione ſatellitis præmonitus, periculū uitauit. Viſum eſt homini, per altos ſe montes equo uehi: ſed præcipitio delapſum, in profundam uallem decidiſſe: ibiq; confodi ungulis noctuarum. Cunq; Rex fretū è Sleſuico traijceret: & ſatelles quæ proxima nocte uidiſſet, in ſuorum collegio retuliſſet, curauit, ut diuiſo ab illo nauigio uectaretur. Euenitquè: ut naue qua uectus eſt ſomniator pereunte, Rex ſaluus euaderet. Orta deinde ſimultate inter Regē, Eſcyllumq; Roſchildienſem Pontificem: in tam excellens res peruenit diſſidium, ut Eſcyllus Procerum fauore, tota Regem Sialandia pelleret. Sed claſſe regreſſus armata, fauore ſuorum ſubnixus, inſulam recepit: pertinaciores hoſtes extinxit: Pontificem graui ære mulctauit. Sed incidit interea caſus, quo Regis in Pontificem animus cunctis innoteſceret. Nam Anſcero Lunden. Eccleſiæ Archipreſule abſumpto, erant qui Eſcyllum in ſublimiorem gradum deuocarent: Rege renitente. quòd uiuebat in memoria defectionis in ſe pertinacia. Igitur cùm in concionem res deduceretur, aderat Rex, Rikoni Sleſuicenſium Pontifici ſtudens. Ibi tum exardeſcūt odia, quæ in Regem pridèm erant concæpta. Plogus autem quidam in militiam Regis conſcriptus, ſed Coniurationis munus in ſe ſuſcipiens exequendū, Regi concionanti reſtiterat. Erat nonnihil cauſæ, quo populariū quidam in Plogū euectus, eum coram Rege accuſabat. Ille defenſionis

Magnus Noricus capitur.

Renouat Leges.

Somnium ſatellitis.

Eſcyllus P. ære mulctatur grandi.

Plogus coniurator.

defensionis specie progressus in Concionem, hastam manu uibrauit. Rex causæ dirimendę intentus, cùm subortum in populo tumultum, eleuata manu sedaret: Plogus diligenter attendens, Regem inermem astare, lancea stricta Regem perfodit: & uociferans, facinus suum conscijs publicauit, sua manu iacere Regem, in Regios inde satellites, liberum esse sęuire. Ericus Aquini filius, qui in Regnum postea peruenit, super assistentes Regium corpus, ulteriore uindicauit iniuria.

Ericus Rex transfodit.

¶ Ericus Aquini filius, præ cæteris Regij sanguinis eligitur. Eskyllus Sialandiæ Præsulatum ambit: at Rex fauorem populi secutus, Rikonem nominat. Caput. xx.

ERICVS Aquini filius, ex Kanuti sorore, Erici magni nepos, hoc ordine peruenit in Regnũ. Nam qui sanguine proximi uiderētur. Sueno Erici, Vualdemarus Kanuti, Kanutus Magni impuberes adhuc filij, gerendo Regno minus uidebantur idonei. Placuit Regnũ commendari uiro de omnibus benè merito, & qui Regio sanguini nō alienus uideretur. Aquini enim, qui filiam primi Erici, sororē diui Kanuti coniugem habebat, erat filius. Hic est ille Aquinus, quem cōscium fecere Coniurationis in caput Kanuti: sed ille abiens, consors esse noluit: hoc ipso culpandus, quòd in Lęuirum suũ taciturnitate peccauit. Siquidèm in malè promissis, rescindenda fides. Sed Christiarnus inter Iutios primarius, filiũ Vualdemarum renitenti abripuit matri, produxitq́ in Concionem: merita Patris commemorans: quòd fortitudine, iusticia, sanctitate præcipuus habitus: non solum decus: sed & nunc salus esset populo, patronus apud Deũ assiduus: cuius cōmemoratione filium illis commendabat. Mota multitudo, lachrymas dedit. Erant qui Suenonem proximi Regis filium attollerent, legitima successione à patre in filium esse Regnũ propagandũ. Sed & Kanutus Magni filius, Nicolai nepos, suo nixus patrocinio, inuenit qui se populo commendaret. Cùm autem esset trium penè par ætas, Regno minor administrando, in Ericũ memoratũ ab omnibus consensum est, ut ille administraret. Hic præter animi fortitudinem, parũ à natura dotis accęperat: sicut prudētia uacuus, ita parum amœnus eloquio. Cæterum adeò salutis suæ prodigus esse consueuerat: ut bellum commissurus, ne singulariter in hostem excurreret, artius à suis soleret obseruari. Tunc Escyllus cognito, Regē apud Iutiam decessisse, repente in Scaniam maioris Sacerdotij affectatione prouehitur. Ericus uerò infectum antecessoris propositum circa Rikonem explere cupiens, Pontificalis ei dignitatis incrementa prouenire cupiebat. Scanienses autem ultima quæq́ perpeti, quàm Pontificium in nouã familiam transferre præoptantes, bellũ aduersus Regem

Ericus Rex VI.

Erici. V. ortus.

Erici electio & fortitudo sola.

Eschylli ambitus.

decernunt. Ignorabat populus, Domum Domini, & sanctuarium eius, non hæreditario iure transire ad posteros: sed in rudi populo, uis erat pro lege: & ut uerum fateamur, hac ætate nondum erant uulgati Canones, qui nunc ampullosè circumferuntur. Rex cognita populi pertinacia: ne unius uiri familiaritate, multorū in se odia conciret, proposito cesſit: Eſcylloq́ sedem mutare permiſſo, Rikonem Sialandiæ Præsulem, interuenientibus Cleri suffragijs, creat.



¶ Olauus Daniam iure hęreditario reposcit: qua negata, Scaniæ Rex à populo acclamatur. Insidias dein Erico frustra locans, bello Eſcyllum Pont. Regis uice Ducem, bis superat. Caput. xxi.

RAETEREA Haraldi filius Olauus, Noruagia reuersus, patrimonium suum, inter ciuilia bella à patruo occupatum, hęreditatis titulo reposcit. Cuius petitioni Ericus illam Antiquitatis Legem opposuit: qua reis Patrię bonorū pœna decernitur. Patrem enim eius peregrino milite aduersum Patriam usum, decretam hac lege sententiem incurrisse. Igitur Olauus perinde ac iustum belli titulum accæpisset, cupidius seditionis oblatam causam amplectitur. Siquidèm accæptam repulsæ contumeliam, ad nouarū rerum transtulit licentiam: deq́ priuati patrimonij repetitore, totius Regni inhiator euasit. Verùm diſsimulato odio, per insidias Regem opprimere statuit. Quem in Arnolindensi hoſpitio diuersantem, noctu adortus, primùm à uigilibus clamdestinum eius aditum speculatis excipitur. Qui mox reflexis equis, sepultos somno milites, ad arma concitauit: primiq́ portas tueri parant. Auxilijs deinde superuenientium sociorum adiuti, hostilem repulere conatum. Olauus deinde ac suo proposito uictus, in Suetiam contendit: sed mox Erico Scania excedente, redit: Concionemq́ in ualle Arnensi sub Edicto contractam, liberioris uitæ promiſsis aggressus, Regium sibi nomen, illecto Populariū fauore; cōciuit. Quod indignè ferens Eſcyllus, bellum ei Lundensi manu cupidius, quàm felicius infert. A quo superatus Pontifex: in acie primum: mox in urbe, ad quam ex prelio confugerat, obseſſus: postremò neceſsitate uictus, obsidibus datis, fideq́ sacramento promiſſa, pacem paciſcitur. Sed indignum ratus Pontifex, primam fidem irritam facere, arbitratus est, iusiurandum metu extortum, non præiudicare priori: Igitur contempta obsidum salute, quàm primū potuit ad Ericum in Sialandiam regreditur. A quo collaudatus, quòd integritatem Regi seruaſſet, uicis & agro insigniter muneratur. Olauus autē Scaniam in potestate iam tenens, opportunis præsidijs omnia firmauit. Rex reparatis uiribus, Scaniam adnauigat, exercitu instructus copioso. Portus autem quem tetigit,

Olaui in Regem insidię.

Eſcyllum Pon. Olauus superat.

tetigit, quibusdam superstitiosorū infamatus erat opinionibus: quòd Rex illum attingens, annum uix superuiueret. Mouet Ericum uulgatus sermo (cuius generis etiam nunc quædam in Dania feruntur loca, quæ solent Reges uitare) tum expositis copijs, Archipresulem Eschyllum, Ducem fecit. Ille aut sacrorum quàm armorum peritior, mouēs in hostem, conflixit infeliciter: rebusq; ad Olauum inclinatis, uix sibi fuga consuluit. Ita Rex fabulis auscultans, dum pugnæ de longinquo spectator, quā ductor esse maluit, hosti uictoriā cessit. Olauus gemina Pont. perfidia motus, eo per uim destituto, aliū suæ partis surrogauit.

Superstitio.

Eschyllus Pont. secundo superat.



¶ Ericus Scaniam ui recuperat, laqueo Pont. strangulans. Ter bello fugatur Olauus. Vltimo Roschildien. Episcopum, simulato colloquio, capite per fenestram exerto, truncat. Caput. xxij.

IAM securus Regni Olauus, remissius agebat. At Ericus clam armis, copijsq; contractis, traiecit è Sialandia in Scaniam: facileq; præsidia, nihil tale expectantis Olaui deiecit. Constitutum ab illo Pontificem, turpi nece, sacrorum inuasorem, consumpsit. Nam laqueo appensum, Iudæ proditori æquandum uideri uoluit. Nondum erat Canon ille, de non tangendis Domini Christis promulgatus. Et solēt ista etiā uulgata apud militares uiros cōtemni, arbitrantes æquū uideri: ut qui se armis inmisceat, armis pereat. Olaui primores amicos comprehēsos, mari dimersit. Arma multa Olaui partibus profutura, occupauit, gratam militibus prędam. Olauū deinde agmine expedito occurrentē, diu præliatus sustinuit: ad extremū etiā uictū fugauit. Ille concessit in Gothiam. Reuersus deinde p Blekingiā, Erico denuò occurrit. Sed eadē qua prius fortuna. Victus enim, terga dedit. Sed insequētes hostes, insidijs collocatis, per montiū fauces excępit, multosq; consumpsit. Quo prælio magna uis cecidit Scaniensiū, pręsertim Lundensiū, Renouatis iterū uiribus, Scaniā minus sibi felicem ad uictoriam, euitat: bellumq; transfert in Sialandiam. Cuius Pont. Ribo, contractis quos potuit ex amicis ad arma, Erici partes fortiter tutatus est. Nam conserto prælio, fugauit Olauū. Ille tum Hallandiam concessit: ibiq; reparatis uiribus, quia aperto prælio par esse nō poterat, insidijs egit. Speculatus enim cùm transisset in Sialandiam, quo se loco Pontifex contineret, eò cum expedito agmine noctu quā occultissimè contendit. Vicus erat Ramlosa, quo se Roschildien. Episcopus cōtinebat. Per lumen aūt, quod nocturno officio Pont. succēdi iusserat, proditus oppugnatur. Primū quidèm armis se tutatur. Inde, quòd multitudine uinceret, obserandas fores curauit. Coniecere Clerici sarcinas omnes:

Erici uictoria.

Pontif. Scanien. laqueo strangulat.

ut aditu prohiberent hostem. Hanc uia submotus, ignem iniecit Olauus. At Pontifex ferro quàm igni, quando id necessitas imperabat, decertare malens, colloquium petit Olaui. Caput tēdens è fenestra. Nec mora, adest Olauus, & caput prominens ense secuit. Ita compensans Pontificis sui necem, quem in Lundia perdidit Ericus.

Pont. capite in fenestra plectitur.



¶ Excommunicatur Olauus à Rom. Pont. Renouato tamen bello, rursus ab Erico fugatur. Rex in Vuandalos infelicius mouet. Febri tandem correptus, Regnum cucullo commutat. Caput. xxiij.

AT Rom. Pontifex horrēdis execrationibus ob eam rem petiuit Olauū: præcipiens omnibus Daniæ Pontificibus, ut prophanatorem sacrorum, omnibus censuris, grauissimisqꝫ sui gladij pœnis onerarent. Contendit autem in Hallandiam, hoc patrato in Pontificē scelere. Rex illum nauigio secutus, parum aberat quin caperet. Ille se in fugam conijciens, pontem, qui insequentibus erat transmittendus, deiecit. Ita ad tempus assecuratus. Milites eius magna parte pereunt in fuga. Erat inter milites Erici, qui capitis sui discrimen subijt, quo Regem suum faceret tutiorem. Nam transfugio ad Olauum simulato, occasionem quæsiuit eius perimendi. Ibant per uiam equis uecti: tum miles transfuga, lanceam omnibus uiribus contorsit in Olauum, equi sui celeritate fretus auolabat. Sed Olauus ictum inclinans declinauit. Tum sibi nihil arbitratus tutū miles, aufugit. Compendia fugæ quæritans, paludem transire constituit. Sed ibi demersus perijt. Palustre enim cœnum, equum demissius accępit, equitemqꝫ pariter equi motu conuoluit. Iam Ericus nuptias circumspexit. Accepit autē uxorem Hartuici Hamburgen. Archiepiscopi germanam. Erat is Marchio Stadensis: qui Comitatus tum, etiam Thietmarsiam complexus est, satis conspicuam Nobilitate fœminam: sed erat, ut aiunt, quod in moribus eius, et uita desyderaretur. Cuius instinctu Rex pręedia multa & latifundia distribuit his, quorum opera usus est in hostem: quo sibi in reliquū tempus faceret deuinctiores. Cumqꝫ audisset æmulum Regni Olauum uiribus renouatis bellum reparare: nihil cunctatus Ericus, illi occurrit: & congressus apud Thiutam amnem, cum maiore copiarum suarum parte deleuit. Verùm non eadem uirtute externa, atqꝫ domestica bella peregit. Expeditionem enim fecit in Vuandalos. Sed is erat ei exitus, ut aliquanto melius uideretur, non tentatum, quàm turpiter relictum bellū. Non enim tam timori, quàm ludibrio fuit hostibus. Adeò enim apud eum in ea expeditione inertia fuere omnia, ut ne à uiro quidèm edita putarentur. Infirmi enim cuiusquè in soluenda militia arbitrium sequebatur: sæpè lixarum redeundū clamantium, clamorem secutus, classem

Excommunicatur Olauus.

In Olauum insidiæ.

Olauus uincitur quinto

In Vuandalos infeliciter mouet Ericus bellum.

classem dimisit. Quæ res contemptum eius, & inter domesticos, & inter hostes peperit. Nam Vuandali eò temeritatis processere, ut impunè nauigarent in Daniam: nonnunquàm enim Regiam nauim consecuti, prædam ex ea petiere. Quo tempore uix in terram elapsus, eorũ euasit manus, armamentis, & quæ secum uexit omnibus in prædam hosti relictis. Nec magnum aliquid in reliquum uitæ tempus peregit. Interiectis annis, cùm apud Sialandiam febri se implicitum persentiret, Fioniam usq;, unde erat oriundus, concessit: salubriorem ratus aërem inclinato iam corpori, quē natalem primùm hausit. Illic desperato languoris remedio, quia corpori nō poterat, spiritui consulere cupiens, Regiam uestem cucullo permutat: uocataq; militum cohorte, palā Regno renunciat. Tunc Elinus à uico Vuisingo, qui & ipse ęgro cum alijs asſidebat, cunctos de creando Rege, circūspectis esse suffragijs iubet, utpote præsenti iam militia liberos. Quæ uox uitam Regis, quantulacunq; restabat, absumpsit: ægreferentis adhuc uiuo sibi successorem requiri. Quod sua uoce denunciabat, ab alijs tamen audire peræquè non potuit. O Regem fatuum.

¶ In Rege eligēdo magna contentio. Sueno, Kanutusq; uterq; Regnũ ambit. Eschyllus max. Daniæ Pont. in Kanuti partes declinat, ideò à Suenone capitur, sed mox dimissus, muneribus etiam exornatur. Caput. xxiiij.



SVENO Erici filius, qui ante proximũ regnauit, quem Plogus cæcidit, quiq; patrem habuit Ericum Regem in peregrinatione terræ Sanctæ deficientem, fratrem uerò Kanutũ Ducem, sanctitate insignem, cuius etiam uindictam peregit, in Regno successit. Duras uerò partes Regni, illi Kanutus Magni filius, patre Nicolāo nati, fecerat: quòd eodem penè tempore, Sueno in Sialandia, Kanutus in Iutia Regnum inibant. Durauitq; contentio ad necem usquè Kanuti. Apud Sialandiam, quæ insula meditullium Regni, & Regiam ipsam tenere uidetur, legitima Sedes, & creandorũ Regum locus esse uidebatur. In eam concurrêre, qui Suenoni, ob patris, patruiquè Kanuti recordationem studebant. Cunquè properanter illi Regium commendare nomen, amici contenderent: negabat Olauus, cognomine Balbus, Regiam appellationem, nisi populo, cui ius esset decernere, prouenturam. Sed Stenus uir item Primarius, & quem multis pro misśis Sueno cumulasset, nihil expectandũ duxit: sed magna Concionis parte in assensũ uocata, primus Suenonē cōsalutat Regē, & in uulgus proclamat. Secuta cōcio, plausu Regē oēs Suenonē cōclamauere. Et ut suffragijs maioribus, uiribusq; suā cumularet electionē, Iacobũ quendā cũ Suenone mitit in Scaniā: q uocato in concionē populo, ait Sialan-

Sueno Rex III.

Contenditur de Rege eligendo.

Pro Suenone Sialandenses.

Sialandenses & si de more ueteri in deligendo Rege, sibi primas possent iure optimo uendicare partes: modestiori tamen usos ratione, nihil in ea re uoluisse tamen constituere, sine Scaniorum assensu: suum tamen in Suenonem propensum affectum fratribus insinuare uoluerunt. Itaq; si Suenonem Scanij Regem uelint, omnium se rerum, & corporum uiribus annisuros: ut quod cum Scanijs Sialandenses constituerint, id perpetuum sit. Patris eius in omnes merita, eorum in illũ obsequia commemorat. Commendat filium paternis meritis: ut humanitatem, qua parentem præuenerunt, in hæredem prosequantur. Ergò affectum insinuat: factum autem Sialandensium abscondit: & perinde Scaniorum in eum inclinant suffragia. Kanutus non segnius inter Iutios, Magni patris, Nicolai aui memoriam renouat. Accusatq; Suenonis temeritatem: qui inconsultis cæteræ nationis partibus, immatura ambitione Regnum præoccupet: indignatione magis sui contemptus, quàm quæ de affectione Kanuti procederet. Iutij quoq; Kanutum Regem appellant. Sialandiam adnauigat: paternos in ea amicos sollicitat: mittens qui maximum Daniæ Pontificem Eschyllum, qui iam aduersarum partium uidebatur, pertentet. Ille audita Legatione, cùm corpore magis, quam animo sequeretur Suenonem, operas pollicetur Kanuto: quærens occasionem, quomodo conserta sermonum altercatione, ab eo discederet. Erat ea tempestate Lundiæ Sueno: quem colloquij de pace simulatione aggreditur. Verùm in longũ ducens sermonem, præmissus ab illo nuncius, adesse littori nunciat Kanutum: ut erat constitutum. Tum Eschyllus sermonem rumpens, indignatione concæpta abibat: conscensoq; iumẽto, cum militibus quos habebat expeditos, contendit ad littora, Kanutum excæpturus. At ille cùm in littore neminem conspiceret: arbitratus sibi data uerba, nauigans declinauit. Itaq; uterq; delusus est: nec Kanutus cõspiciens cùm ueniret Pontificem, nec ille Kanutũ reperiens. cùm paulò serius constituto uenisset. Sueno autem cùm esset colloquium amaritudine solutum, nihil iam pacatum cogitare reputans Eschyllum, occurrit illi: conſertaque pugna, capit illum, & in Ecclesiam recludit uinctum, ex Sacrario faciens ergastulum. Sed execrationem ueritus, statim relaxat: & ut fidiorem sibi faceret, magna parte Insulæ Bornholm donat.

Pro Kanuto Iutij.

Eschylli Pontificis nequitia.

Eschyllus capitur.



Kanutus à Suenone superatur. Interim in Vuandalos apostatas, expeditione per Papam edicta, conciliantur illi mutuo. Danorum classes à Rugijs exuruntur. Caput.xxv.

PER longum tempus in medio, cùm audisset Sueno, Kanutum in Sialandia copias parare, adnauigat: manuq; conserta, cruento prælio

to prælio uincit, ac fugat. Victor in Scaniam, Kanutus in Iutiam laceras uires colligit. Tempestate illa summus Pontifex, uicinos oẽs Christianos, largitate munerũ suorum de thesauro Ecclesiæ, inuitat: ad oppugnandos Vuandalos Christi fidem toties reijcientes. Ad eam expeditionem pietati plenam, exciti Saxones à terra oppugnare contendunt, Danis à mari occurrentibus. Ea res conciliauit Regni æmulos: ut interim positis intestinis odijs, communi ope hostem publicum uno animo adorirentur. Kanutus Iutiorum, Sueno Hetbyensium nauibus aduehuntur in hostem. Scanij ac Sialandenses à tergo imminentes, agmina claudunt: Interea Dobinum oppidum, terra Saxones, à mari Dani obsident, oppugnantq́ꝫ. Sed interim Rugij cernentes, expositis in terram militibus, naues uacuas, opem sic laturi cõgentilibus bello socijs, si hostilem classem (spem reditus) lacerassent. Itaq́ꝫ oppugnant, paucis propugnatoribus defensam. Et multis iam nauibus pessundatis. Iutij qui aderant, non magnopere moti, tacitis etiam uotis hostes adiuuabant. Viuebat in eis uetus odium, recensq́ꝫ de Regno dissensio: ita ut nõ integris animis res gereretur, quo minus etiam prosperata est oppugnatio. Quæ cùm longæuam deposcere uideretur obsidionem, uno animo soluunt, reditum in Patriam properantes. quòd formidaret alter ab altero. Igitur cùm Suenonis nauigium hostili impetu esset conquassatum, exhibuit illi Kanutus Liburnicam suam. Sed suspectũ ab hoste beneficium non accepit. Igitur Sueno Slesuicum concedens, prius tamen in Sialandiam, Scaniamq́ꝫ redijt, quàm ab hoste occuparentur. Roschildiam oppidum, iam mœnibus uallóq́ꝫ uacuum, communiuit. Inde in Scaniam, ut illam quoq́ꝫ communiret, transiuit.

Superatur Kanutus.

Papa in Vuandalos irritat.

Danorum classes adiuuntur.



¶ Caductus quidam Kanuti Suno, Roschildia captus, à Suenone excæcatur. Oppidum Kanuto deditur. In Sialandia tum inito prælio, à Suenone Kanutus superatur. Caput. XXVI.

INTEREA Kanutus multorum in Sialandia familiaritate fretus, adnauigat: ut eam sibi conciliet Insulam. Roschildiam ubi iam audit in partes cessisse æmuli: mittit uirum eloquio magis quàm militari splendore conspicuum. Ille obequitans, deditionem Kanuto multis uerbis suadet. Dum autem ille sub mœnibus lasciuit, mittit occultè ciuitati Præfectus, qui Suasorem capiant. Nam dum intentus sermoni, suaderet auscultantibus à muro, non respicit à tergo uenientes. Captus ergò, in oppidum trahitur: & breui superueniente Suenone, suasionis suæ merita præmia tulit, excæcatus ab illo. Nec longum tempus, obseruato temporis cõmodo, cùm iam nemo Kanutũ adesse putaret, nauigans à Iutia, Roschildiã noctu petit, ab ea parte qua maris sinu alluitur:

Suno orator Kanuti capitur, & cæcatur.

alluitur:& ab amicis adiutus, oppidum capit. Ebbonis Præfecti, qui iam ad Suenonem cōfugerat, domum direptam incendit. Sialandenses publico decreto, alimentorum illi stipendia decernunt. Scanij non minus propensi in Suenonem, Collecta etiam insigni peracta, Principem suum collato ære locupletarunt. Interea causa extitit, qua ex Iutiis Primores duo, & in re bellica singulari præstantia, duabus liburnicis ad Suenonem transeunt: quorum accessio magno illi fuit rerū momento. Contractis ergò auxilijs, & inter alios assumpto Eschyllo, traijcit in Sialandiam, belli fortunam tentaturus. Kanutum autem sui, prælio pro ætate interesse non passi, spectatorem statuerūt. Congressis ergò paribus odijs utrisquè, diu anceps prælium conseritur. In quo cùm Sueno iam terga dare uideretur, à suorum ualidissimis in aciem reuocatus, uictor ex penè uicto constituitur.

Kanutus superatur.

¶ Vualdemarus diui Kanuti, Suenonis partes secutus, Slesuicensi Ducatu donatur. Rex in Holsatos moturus, penuria scapharum plures ex Danis perdidit. Caput. xxvij.



PER quæ tēpora Vualdemarus diui Kanuti filius, iamprimum per ætatem armis habilis: ut adolescentiam præclaris militiæ rudimentis imbueret, Suenonianas in partes concessit: quòd paterna facinora in Kanuto reformidaret. Cuius fauor plurimum Suenoni uirium conciliauit. Paterna illum Præfectura, hoc est, Slesuici Ducatu Sueno donauit. Erat Kanutus alius Erici filius, sub Kanuto militantis: qui ad eandem, beneficio Kanuti, Præfecturam anhelabat. Qua ex re crebra inter Vualdemarum, Kanutumq́ pugna fuit: nec minor inter illos de parte contentio, quàm de rerum summa Regibus incedebat. Semper tamen congressis illis, inclinabat ad Vualdemarum uictoria. Interea Sueno hostem persecuturus, in Iutiam traijcit exercitum. Ibi à perfuga quodam Ethlero instinctus, ut bellum in Holsatiam transferret. quòd inde fortassè auxilia mutuatus esset Kanutus: præbiturum se spondet scaphas ad traijciendum exercitum copiosas. Nam pontem nicolæ conuulserant super Eydoram. Paruit Sueno stimulanti: & cum exercitu Eydoræ propinquauit. Ibi binas tantùm scaphas reperit. Ardebat primus, uel inter primos traijci Sueno: sed à suis meliori consilio, magnam suorum partem præmisit. quòd hostes in uicinis latibulis occultati, facilè erumperent, cùm tantum cernerent esse uirium traiectum: quantis occupandis ipsi sufficerēt. Nec illos fefellit opinio. Nam Holsati cernentes ex hac ripa, Danos incurrunt, manus conserunt: ad unum omnes Dani pereunt. quippè quibus nulla fugæ spes. Nam scapharum magistri medio se amne continuerunt, periculum suum co-

Dani ab Holsatis trucidantur.

um cogitantes: ne aut traiectos reducerent, aut plures traijcerent. Ita bona pars exercitus, sub oculis Ducis perijt.



¶ Ab Iutijs Kanutus humanissimè excipitur. Pedes Suenonis exercitui obuiàm uenit. At equitũ incursu ualidiore, in fugam tandem uertit. Caput. xxviij.

ISDEM temporibus Kanutus uacuam hoste Iutiam aggressus, tantam hominum expertus est humanitatem, ut congestis pecunijs, Duci ærarium faceret ad militiæ stipendia. Sueno aũt laceris ab Holsatia uiribus, aggredi illum non fidebat. Sed reuersus in Orientales Prouincias, reparabat exercitum: & post temporis interuallum, cùm iam hostem petiturus Fioniam aduentaret, Ebbonem uirum sibi amicissimum, cuius consilio cuncta gerebat, audit uita excessisse. Curato, quòd Sialandia in fide retineretur, mouit in Iutiam. Vuibergenses pactos Regiorum uectigalium immunitatem, primos sibi conciliauit. Kanutus autem cùm ualidum undecunq; contraxisset fortissimorum militum exercitum, hosti se prębet obuium. Grauissimo prælio ab hominũ memoria conflictatus. Sed erat Procerum eius consilium: ut quando equitatus superioribus pugnis parum illi prosper fuisset, omne robur exercitus in pedites haberet coniectum: æquato periculo. quo minus fugæ fiderent, sed omnes propè intelligerent, aut uincendum sibi, aut moriendum. Mouit in hostem: medius autem cum equitum cohorte Kanutus incessit: ut pugnæ spectator potius, quã ductor esset. Sueno hoc alacrior factus, cùm equitatu plurimum polleret, monente Vualdemaro, manũ non contemnendam, & ipse peditum peditibus opponere. In quibus Vuibergenses equis insueti pugnare: sed alis equitum omnem suorum permuniunt exercitum. Kanutus hanc ineundi prælij rationem ab hoste conspicatus, in celeritate rem posuit: ne ab equitatu circumueniretur. Igitur mouet in hostem, pedites peditibus stataria pugna obijciens. Graue, ac diuturnum pręlium: ubi diu certatur. Pertinaciter utrinq; resistitur: certi non cedere. Facilè uictoria apud Kanutum erat: cuius omne robur in peditibus erat. Mox in equites conuertit agmen. Sed malè fidebat Sueno acie confligere cum armatissimo peditum exercitu: lacessendum ac fatigandum putauit equitatu. ut paulatim absumptis uiribus, pertinaciam deponeret uictus pedester exercitus. Nec aliter euenit. Kanutiani enim cùm tota die prælianțes, nullum ab æquitatu respirandi tempus accæpissent, exhaustis uiribus, quadrato agmine incedentes, prelianțesq;, uestigia torquent in uicinum oppidum. Interea quidam Suenonianæ partis cùm acrius incurreret retrogradientibus, ab hostibus cingitur: ualidaq; pugna unus in multos decertat, multos prosternens.

Ebbonis mors.

Stratagema

Stratagema

t Sed

Sed Vualdemarus amici casum miseratus, succurrendum putauit. Igitur immisso equo aduolat, illum erepturus. At ille iam sudore oculos tegente, non discreuit inter hostem & socium: itaque librata securi in caput amici, si intra ictum ille stetisset, mox confecisset. Ereptum ergò extrahit, ignarum socius, an hostis sit qui uim faciat. Vbi autem amicissimum conspicatur hominem, gratus quidèm, sed necdum indignatione posita, rogat, quonam pacto se periculo immerserit, quo id casus præstare potuisset, quòd utrisque ingemiscendum esset? Kanutus equo præcipiti in fugam lapsus, eripitur.



¶ Kanuti exilium describitur: quamque infeliciter contra Suenonem, tandem Rege & uictore nominato, militarit propè Vuibergam. Caput.xxix.

SVENO autem uicum cui hostes inerant, facilè irrumpens, obuium habuit Heliam Ripensem Episcopũ. Iam tibi, Sueno inquit, hortulani consilio utendũ: qui noxijs extractis herbis, locum utilibus uacuefecit. Salutare monitum, si illo tunc uteretur. Sed ille sine discrimine multis tum pepercit: alios redemptioni subijciens: alios sacramento interposito sibi conciliat. Duo soli insignes latrocinijs, gladio ab illo sunt cæsi. Sed multi ex his præstitæ sibi ab illo salutis inmemores, ad Kanutũ rediere. Qui interim rebus in Dania desperatis, ad Suerkonem Suetiæ Regem uitricum suum concessit. Sed ibi primùm benignè exceptus, inde uilior haberi, postremum contemni cœpit. Nam Suerkonis filius Ioannes strennuus, sed insolentia superbus, ignominioso Carmine calamitatem eius cepit insectari. Inde ergo comparato nauigio, ad auunculos in Poloniam respexit. Eoque cõtendẽs, satis hospitaliter excipitur: sed speculator magis habitus quàm exul, in nullam urbẽ admittitur. Ad Hamburgensem inde Archiepiscopum confugit: infensum Daniæ, quòd legationem suam, ab olim Ecclesiæ suæ debitam, in omne Regnum Aquilonis Danici reiecerit. Ab eo quidèm auxilia mutuatus, fidem pertentat suorum, qui nouissima pugna à Suenone capti, à se transierunt. Vbi comperit quàm ocyssimèredituros, spe plenus Saxonum uiribus, mouit in Iutiam. Ilico sine respectu iurisiurandi, contemptis etiam quos præstiterant obsidibus, ad illum magna Procerum pars redibat. Quod ubi Sueno persensit, diffisus uiribus in prælium, Vuibergam nuper à se munitam ingreditur: ibi obsidionis incommoda laturus. Sperabat enim, externas uires hosti non diu affuturas. Kanutus fortunam loci ueritus, oppugnationem non intentabat, sed castra fixit opportunis locis: ut inuectionem commeatuum impediret, futurum sperans, ut fames hostem perurgeret. Sed dum circumageretur Kanutus, Sueno Vuandalis bellũ intulit.

Hartuicus Hamburgen. Archiepiscopus.

intulit. Magis tamen hostis ludibrium, quàm terror fuit. quippè non totis uiribus incumbebat, animo semper respiciens in Regni æmulū. Cùm ergo nunc urbe clausus teneretur, famem prospiciens, audendū aliquid censuit etiā cum periculo. Igitur egressus noctu tendebat cum expeditis in castra oppugnanda Kanuti. Ille iam nihil tale ueritus, mane primo diuinis institit audiendis Officijs. Comperto hostium accessu, trepidi in tali re, alij arma capere, alij circumspectare fugam. Erat medius utrorumque riuus, quem iam uado meabilem Kanutiani agnouere, Suenoniani ignorauere: quæ res multis fuit exitio. nam equis gurgitem tentantes, perierunt. Saxones in Kanutianis castris, ostendendarum uirium gratia, uadum ingressi, ad Suenonianos irritabundi transierunt. Aduertit Vualdemarus, & obseruato loco, paucis secum extractis, uadum prior ingreditur. Occursant densi ex agmine alio, transitum remoraturi: sed peruicit fortis adolescentis instantia, ut pertransiret: locumquè capiens, pugnam cum paucis orditur. Plures inde secuti, iam iustam aciem instruētes, fortiter instant hostibus. Sed Kanutiani necdum terrorem superioris prælij posuere. Vbi acrius instare hostes uident, terga dant uicti. Saxones autem, quibus exercitatio militaris familiarior erat, equestri prælio usi, crebro equorum reiectu uictoribus insultabant: ita fugam moderantes, ut eam non sine ordine & regimine dirigere uiderentur, in fuga pugnantes. Conuenit iam edicto uictoris, ut nemini parceretur capto: propter perfidiā proximè rebellantiū. Itaque siue in fuga capti, siue in diuerticulis deprehensi, iuxta perierūt. Vnus ex Saxonibus iam ante accæpta uenia à Duce suo Kanuto, ut in Ripam urbem secederet, deprehensus, Suenoni offertur: is quoniam uir fortis erat, & pristina militia Suenoni notus, libertati datur. Quæ res illi exitio fuit inter suos. Nam proditionis accusatus, quòd conscius futurorum secessisset: cùm diem ei indixissent, ita se purgauit, ut multis fidem faceret innocentiæ: sed tamen ab æmulis interceptus, insidijs perijt. Sueno iam iusti Regis, toties uictor, nomen meruit. Igitur tutandæ patriæ curā adiecit. Nam duo, locis opportunis, in littore maris firmauit præsidia, aduersus incursiones Vuandalorum, alterum in Fionia, in Sialandia alterum. Sed utrunque hostes demoliti sunt. Compertos tamen in mari, celeri expeditione occupauit: & iuxta Fioniam conserto cum illis prælio, ita retropulsi sunt, ut diu cladis meminissent. Sed ut Sueno Rex liberius in hostem armaretur, instituit mari Præfectum Vuethemannum, qui Piraticam curaret: Lege data, ut nauibus ubiquè repertis uteretur, octaua quæsitorum parte Dominis pro naulo soluta. Commeatus necessarios, & arma uectitabant, nihil prætera: quo expeditiores essent. Noctibus per trans-

Vualdemarus Kanuti sancti filius.

Edictum militare.

Sueno Rex declaratus.

Piratarum Leges.

ſtra ſomnum cœpere. Ingreſſuri mare, accito Sacerdote, uelut morituri, ſe Eccleſiæ Sacramentis apparabant: quo fidentiores ferrentur in hoſtem. Aggreſsi hoſtes, Piratas facilè oppreſſere, ſeptem & octoginta uaues ex his breui cæpere: cùm ipſi uix.xx.iacturã ſint perpeſsi. Chriſtianos captos in nauibus, laxauere; breuiq; perfecerunt, ut mare pacatum haberetur.



¶ Friſios Kanutus in auxilium adſciſcit: quem Sueno Rex exercitu forti inſequitur, uincit, duraq; obſidione in deditionem Friſios impoſita mulcta, compellit. Caput.xxx.

INTEREA Kanutus è Saxonia, quæ illi magna in re liquum auxilia polliceri noluit, in Friſiam Sleſuici pago cõterminam, deflectit. nam & illa Danicis Regibus ſemper paruit. Laxationem Tributorum pollicetur: qua gens illa promiſsione accæpta, magno ſe prælio implicuit. Eſt autem regio paluſtris, ſitu humilis, ſolo aggere mare excludens: quo rupto, inundat, fitq; nauigabilis quę aratrum paſſa eſt terra: ſed inundationem fertilitas ſequitur. Penates editis locis extollunt, aggeſtis in tumulum ceſpitibus. Hos è Friſonum gente conditos, nominis & linguæ ſocietas teſtimonium eſt: quibus nouas quærentibus ſedes, ea fortè tellus obuenit: quam paluſtrem ac humidam primùm, longo cultu durauerunt. Ea gens tum Kanuto uires promiſit. Quoquè illum faceret tutiorem, mœnia cinxere, oppidumquè ad Mildam fluuium fundauere. Sueno Rex è Sialandia, Scaniaquè nauibus impoſitas copias, tranſmittit Sleſuicum. Iutios iubet equitatu inſtructos adeſſe. Naues inſigni labore, terreſtri itinere tranſponit in Eydoram: ut hoſtibus fugam impediant. Inde copias ducit ad cingendum nouum oppidum, cui hoſtis inerat, natura quàm arte munitius. nam amnis placidis aquis præterlapſus ab una, inmeabilis palus ab altera cingit. Firmatis ergò caſtris, opportunè oppugnationem intermittit. Interea Friſica iuuentus pugnæ auida, hoſtẽ laceſsit amne trans miſſo. quotidiana enim exercitatione uaria pugnatur fortuna. Creſcit per tempora Friſiorum audacia, magis magisquè hoſtem laceſſunt. Interea erant inter primores Danorum, qui Friſicæ temeritatis non ignari, totis agminibus erupturos proſpiciunt. Iubent in caſtris exercitum ſtare in ordine ſuo: ut dato ſigno prodeat. Ergo ad Ripã irritantur à Danis Friſij. Cedunt paucis: ut omnes educant. Illi toto agmine proruunt amne tranſmiſſo, imparatum opprimere geſtientes. Tum in ſuo ordine prodibat exercitus: & conſerta manu, profligant Dani Friſios: tantam multitudinem opprimentes, ut contextis uiminibus ad tranſitum paludis, penè opus non eſſet: cùm ubiq; cadauera cæſorum pro

Friſiæ minoris deſcriptio.

Friſiorum fuga.

rum pro ponte illis uiderentur. Kanutus id cernens, cum paucis equitibus in fugam se conijcit. Superstites Frisij ægrè in urbē se receptant. Rex fortiter oppugnat, arbitratus caput belli inesse Kanutum. Vbi multo sudore, sanguineq; oppidum diu oppugnauit, ad deditionem compulit. Regis clementiam implorantes, etiam ultra ac rati sunt inuenere. Plogus inerat, qui Regis patrem Ericū Regem confoderat. Non sperabat impunitatem sceleratus: & tamen meruit, dum plus Rex deditionis iuri, quàm proprio affectui indulgeret. Cæteros Kanutianos milites, toties fidefragos, dimisit: præfatus eorū odia, ac fidem in ęquo ponere, cui toties peierassent. At Frisones mulctæ nomine duo milia etiam libras Regi, cum obsidibus pendunt. Plogus servatur.



¶ Fridericus. I. Imp. Suenonem Regem, & Kanutum certis conditionibus reconciliat. Caput. xxxi.

KANVTVS interea ad Imperatorem Fridericum, recens ad Imperium assumptum, contendit: pollicitus Regni subiectionem, si illius ope reducatur. Ille auidus ampliandæ ditionis, Suenoni nuncium mittit consalutatum: oratumq;, ut se inuisat: magnum sibi inesse uidendi Regis desyderium, quem iuuenis iuuenem apud Imperatorem Conradum agnouerit: se quoquè concitò properare ad Suenonem, nisi Regni negocia præpediant. Mouit Suenonem tam familiaris ab Imperatore salutatio: Regio apparatu se Teutonicis uidendum ingerit: pergitq; in Merspurgum Misnæ oppidum, quo tum Imperator Curiam, Conuentumquè Principibus indixit. Excipitur initio perbenignè, Regioquè fastu collocatur. Posteris diebus cum causa Kanuti in medium ueniret, Imperator se medium constituens, in hanc legem res inter dissidētes componit: ut Rex ab Imperatore Regnum recognoscat: Kanutus Regia spe posita, miles sit Suenonis, Sialandiam accipiens, eaq; contentus sit. Qui has recuset conditiones, in eum se copias missurum, ut alteri accedant. Sueno circumuentus, quod necesse fuit, paterna bona, quibus in Sialandia abundabat, tanquàm peculiaria, conditionis tenore sublegit, excepitq;: ne uiolandæ pactionis, omnis domi deesset occasio. Quod quia Germanico Iuri familiare erat, admissu facilè fuit. Kanutus pacti sponsorem Vualdemarum deposcit. Ille sciēs, quàm sit difficile parere conditionibus, ualde recusat. A Rege rogatus, hac annuat conditione: ut nisi ille pareat pactis, se accessurum Kanuto. In has conditiones disceditur. Reuersus in Regnum Sueno, Cæsari rescribit. Suorum Procerum consilio, non placere conditiones: quas nemo ante se Danicorū Regum subijsset. Kanutus etiam cùm pacta in Sialandia posceret, Re-

Barbarossa hic Frider. I. Anno Christi [illegible]

Saxoniæ 6. cap. [illegible]

Sueno & Kanutus cōditionibus componuntur.

gios ſe penates à cætera conditione ſecreuiſſe dicebat. Fruſtratus ergò ſpe Kanutus, uadem depoſcit. Qui cùm Regem deſerere, aut ſponſioni deeſſe, æquè turpe duceret: utrobiquè famæ periculum contemplatus, mutare pactum, quàm euertere maluit. ſtatuens, ut cùm Rex Sialandiam commeatui ſuo neceſſariam duceret, aliud pro eo Kanuto ſtipendium aſſignaret, nec fructu parcius, nec honore defectius. Aſſenſus conditioni Rex, tripertitam Kanuto Præfecturam conſtituit: eiquè in Iutia, Scania, ac Sialandia peculiare beneficium tradit: interciſam loco dominationem minus ſolidæ poteſtatis geſturã exiſtimans. Huius rei gratia, Kanutus denuò Vualdemarum predem depoſcit. Quem uelut ante repugnantem, Sueno ſponſionem iterare cõegit: negans ſe, ſi pacto obuiam iſſet, eius in Kanutum defectionem ægrè laturum.

Suenonis mutati & improbi mores, & nuptiæ. Caput. xxxij.



GITVR Sueno, perinde ac bellorum metu ſolutus, ſuperbè cœpit agere, patrios ritus proijcere, Germanicos habitus ſibi ac familiæ inducere: Epulas maiori luxu inſtruere. Quippè quem recens conſpecti ritus Germanici oblectarunt. Sed ea res in oculis Procerum uehementer notata, honores Nobilibus ademptos, hiſtrionibus ac ſaltatoribus addebat. Illuſtribus à ſe uiris reiectis, leues ſibi ſociauit & effœminatos. Nec Auariciæ imperauit. Proſcriptiones Nobilium, quorum ambiebat patrimonia, multiplicans. Paruulorum exhæreditationes, ut patrimonijs fiſcus ſuccederet, increbreſcere fecit. Prouincialium onera ingrauauit: quod ſumptuoſus ille apparatus epularum, ueſtiumquè extorſit. Controuerſias iure dirimi ſolitas, ad antiquas pugnæ diremptiones, & ad duella reuocauit. Populariũ alloquia refugiens, non ſe paſſus adiri, de more permiſit. Concionaturus, non leni cõtentus tumulo, ſed grandi cumulato ſuggeſtu conſcendit. Hæc & horum ſimilia faſtum inſolitum teſtificantia, multorum à Rege animos aliquando parentium abalienauere. Sed tum iuſta cauſa erat belli gerendi in Suecos: Regem tamen nuptiarum ſuarum implicuit. Equidem Conradi inter Germanos inſignis Principis filiam coniugem ducere parabat, ducebatquè. Cui fœminæ falsò imponunt, quòd patrios ritus Daniam inuexerit: cùm etiam ante Sueno illis ſit uſus. Vidit enim in adoleſcẽtia Curiam Conradi, & nunc Rex, recẽti memoria Fridericum adiens, antequàm coniugem duceret, Teutonum ritus amplexus eſt.

Suenonis nuptiæ.

Pon-

¶ Pontificis Romani legatus Metropolim in Noruagia constituit: idem facturus in Suetia, si inter Gotos & Suedos ea in re conuenisset. Legatus Daniam petens, in se parum amicam illam reperit, quod Lundensi Archiepiscopo nonnihil de dignitate detractum uideretur creata noua Metropoli Noruegiæ, uerum odium illud in se conceptum facile extinxit. Sueno expeditionem parat in Suedos, quæ ob popularem tumultũ non successit. Cap. xxxiij.



PER quæ tempora Nicolaus urbis Romæ Cardinalis, à Pontifice missus, ad inspectandam Noruagiam, quæ etiam Metropolim deposceret. Venit, uidit, & Trondemsni ordinauit Archiepiscopum. Idem facturus in Suetia: nisi Goti cum Suecis, de loco & persona discordassent. Itaq; relicta ea prouincia, cùm iam brumale tempus ingrueret, nauigationem ueritus, Daniam terrestri petit itinere: infensam, quòd Noruagiam eius ditioni subtraxisset. Sed placare cõstituit Archiepiscopum Lunden, quòd polliceretur, arbitrium constituendi in Suetia Metropolitani, apud illum collocaret, & in perpetuũ de manu Lunden. Archiepiscopi sumeret Sueticus, ab urbe Roma missum pallium. Quam rem Apostolicis literis firmandam pollicetur. Facileque fuit impletu. Nam rediens in Vrbem Nicolaus, mortuo Anastasio, creatus est Pontifex sub nomine Adriani: perfecitq; publicæ religionis Præsul, quod priuatæ legationis minister annuerat. Et quid contulit? Reuera manũ (ut dicitur) splendoris plenam. Tam facilè placãtur ab Italicis nostri, sua magnificantibus. Quo etiam tempore dum adhuc in Dania moraret Nicolaus, Regem qui parabat expeditionem in Suetiam, tentauit auertere: multis rationibus contendens, non esse tanti, cui proprij sanguinis impendium, & multorum subditorum sanguinem daret in periculum, laboremq; infinitum. Quid enim continere Suetiam, nisi inuios montes, & saltus nemorosos: pro quibus teneret Daniã agris, pecoribusquè fœcundiam? Sed surdo narrabat fabulam. Quippè semel concæptum Regni desyderium excutere non potuit. Tam autem certa iam Daniæ Proceribus erat de Suetia spes uictoriæ, ut inuicem iam agerent de Coniugijs inde ineundis: cùm ille eam, iste alteram sibi puellam generosi sanguinis ascriberent: Igitur Rex magno apparatu, infinitisquè sumptibus expeditionem instituens per terram agere, quo marina fugeret incommoda, Suecisquè classe plurimum fidentibus, eam adimeret opportunitatem belligerandi. Interea Suerco, belli metu crebras ad SVENONEM de pace Legationes misit. Sed nullis conditionibus ad eam impetrandam peruenire potuit. Quanq;

Nicolaus Pont. Max.

Sueno Suecos inuadit.

autem magno inprimis instinctu parata esset expeditio, infinitisq́ laboribus exercitus transportaretur in Suetiam: uana tamen fuit omnis ea molitio, ut in Suetia nostra explicuimus. Effecit tamen ea expeditio, ut onerata plebe grauibus in eam impensis, tumultus magnus consurgeret. Quē Rex ipse accurrens, placare haud poterat. Exactio enim tributorum solitò onerosior, plebem ad indignationē pertraxit. Concurrebatq́ armata in Arnam uallem, magnis concionibus in Praefectos & Regem inuecta. Cuius rei gratia Rex è Sialandia in Scaniam traijciens, inermis ipse, armatam duxit cohortem: ne qua uis intentaretur. Igitur plebe foris discussa, ad interiorem cætum penetrauit: manuquè porrecta, cùm silentiū posceret, lapidibus aliquot peti cœpit. Cedens autem furori, Tokonem uirum primarium, eloquio pollentem, misit: qui reddita ratione, Præfectos, & Regem purgaret: plebemquè pro tempore tumultuantem placaret. Sed Rex indignatione plenus, multos Scaniæ uicos iussit uastari: & tumultus principes, aut ære, aut uita mulctauit. Nec Tokonem, quem diximus, prætermittit. quòd illum ab initio commouisse plebem arbitraretur, & perinde excitatum à se incendium, facilius extinxisset. Quæ res Kanuto nouandorū motuum animū fecit: dum præcipuam Regni partem aduersari Regi cōspiceret. Sed tum Vualdemari Ducis cum Rege consensio, adeò molitionibus eius obstitit, ut nihil proficeret. Quantum enim in Regem odiū, tantus erat populo in Vualdemarum uenerationis amor.

Suetiæ lib. 5. cap. 20.

Tumultus plebis in Regem.



¶ Connubium nouum Vualdemari cum Kanuti Germana, & Regi suspicionem, & Vualdemaro defectionis ansam præbuit. Caput. xxxiiij.

[Q]VOD ubi uidere Kanuto studentes, Vualdemarum à latere Regis dimouendū sunt arbitrati: alioquin res Kanuti non eualituras. Submittunt, qui Vualdemaro, iam nuptias circumspicienti, miris laudibus formæ ac pudicitiæ Sophiā, Kanuti germanam, efferant. Ille autem paupertatem moribus obesse respondit, non facilè à Rege passus diuelli. Kanutus ubi id intellexit, tertiam totius patrimonij se germanæ dotis nomine daturum asseuerat. Igitur flexus ea re Vualdemarus, affinitatem inijt: tantaquè consociatus est Kanuto charitate, ut ex illo die, nulla unquàm dissensionis offensa intercederet: passus puellam sibi adhærere, cuius parens infandissimo proditionis genere, suum patrem, uirum sanctissimum, pariter ac fortissimum peremisset. Ea res plurimùm Regi suspecta esse cœpit, molestaq́: quòd fidissimo Vualdamari auxilio cariturus uideretur: sed tamen in primis cauit, ne Vualdemarum ea de re durius cōargueret: ueritus magnam uirium suarum partem cum illo abituram. Sed adolescentes

Sophia Kanuti soror.

Supra cap. 11. lib. eod.

ſcentes Regiæ diſsimulationis non ignari, accæpta commēandi ab il-
lo uenia, Sueciam, prædia ſua uiſuri, petere conſtituunt: Re autem ue
ra, cum Suercone acturi, Suerconis filiæ, pro Kanuti connubio poſtu
landæ, negocium fuit. Reuerſi, Regis in ſe indignationem auxerunt.
Sed tum Rex Vualdemarum uerbis aggreditur: quòd ęmulo iunctus
ſe deſerat: literis à ſe cōfectis, quaſi datis ab amico, ſuæ inſcriptioni pro
latis, initam cum hoſte Suercone, aduerſum ſe cōiurationem accuſat.
Vualdemarus ea libertate ſuam purgat innocentiam: quòd magnis la
boribus, & pro Rege ſubitis periculis, opponat falsò confictam crimi
nationem. Qua uerborū acrimonia, tantam in Rege indignationem
concitauit, ut capi protinus iuſsiſſet, niſi ueritus eſſet militum in ea re
contumaciam. quòd Vualdemarum omnes & diligerent: & uenera-
rentur. Sed tamen Vualdemarus eam in ſe Regis efferueſcentiā, apud
Iutiam magno Procerum concilio queſtus, multorum in Regem odia
conciuit. Nec multo interpoſito tempore, magno militum numero ſti
pati Kanutus & Vualdemarus. Sialandiam adnauigant: non bellum
illaturi, ſed ut ſe purgarent Regi, ſecuri tamen ab impetu feruoris eius.
Triduano inde colloquio, de pace conuenit inter omnes. Eaquè con-
ſtituta, Rex concubia nocte Roſchildiam redit.



¶ Vuandali Daniam infeſtant. Exactione noua iterū data,
pax fit. Rex Vualdemaro inſidias locat: monitus tamē per
amicos, ſeruatur incolumis. Caput. xxxv.

NTEREA Vuandali nouo excitato motu, bellum Daniæ intulerunt. Cuius is fuit exitus: ut Rex pacem pe nè ab illis mercari putaretur. At plures genti hoſtes exuſcitans, Henri co Saxoniæ Duci, tum rebus florenti, pecuniam grandem conſtituit ſe daturū: ut Vuandalis à terra infeſtatis, ille à mari pacem ab illis nan-ciſceret: quo acrius motus, ab æmulo caueret in Regno. Quingentas argenti libras à Rege paciſcitur & mille Dux memoratus. Quam ille ſummam publica collatione expleuit. Sed parū profuit ea in militiam Ducis ſubarratio. Quæ res etiā populariū ab Rege animos auertit: de forme ducentiū, pacē nō armis, ſed cenſu exquiri: Sueno aūt cū Vual-demarū magis, quā Kanutū formidaret, tollere illū cōſtituit. Sed neq; armis, neq; uinculis petendū in Dania cenſuit. quòd ab omnibus ama ret. Inſtituta ergo profectione ad ſocerum Conradū in Germaniam, Vualdemarum uiæ comitem depoſcit: ut ibi uinculis eum commanci pet. Quam rem & ſi occultiſsimè ageret, tamen prodīt literis detecta Vualdemaro ab amicis. Qui operā pollicitus Regi, ante tamē pericu-lum ſuum per amicos detectū, obtēdit. Memorat, quantā Regi manū conciliauerit, quæ pericula, quæ uulnera pro eius incolumitate excæ-perit;

Sclauorum irruptio in Daniam.

perit: & nunc se comitem itineris, si fallat, non astum, sed nequitiam sciat præualuisse. Rex quam sanctè iurans, suspicionem tegit. Neque enim ad deponendum perfidiam, tanta fidei commemoratione moueri potuit. Perueniunt Stadium, excepti ab Hartuico archipręsule perbenignè. Cùm ulteriorem conductum ab eo Rex peteret, non annuit Pontifex: petendum asserens ab Henrico Duce terrarum Principe. Sed Rex Vualdemarum submisit, ut instantius pro Rege posceret à Pontifice conductum. Ille euocans docet Vualdemarū, quòd suo periculo rem petat: itaq; eius gratia negare, quod illi futurum esset periculo. Ille suā perniciem minoris pendens, instat precando. Tum Hartuicus, Quando inquit perurges, Regis, ac tuo nuncio tertium adiungam: qui Henricum adeuntes, rem expediant. Cùm peruenissent nuncij tres, seuocauit Henricus eum, qui Vualdemari nomine uenisset. Nescis inquit, quanto de domini tui periculo agatur? Accæpta autem ibi diuertendi occasione Suenonis nuncius, duobus comitibus relictis, ad Conradum Principem procedit: nuncians Regem in itinere esse ad se, habereque è ex propinquis suspectos, quos pridem inimicitias exercentes, recens affinitas fecerit in suam perniciem concordes. E quibus unum ei fraudulenter accitum, in comitatum cessisse, quem apud ipsum, nouarum rerum molitorem, uinctum habere cupiat. Quęrente Conrado, quo pacto Regem æmulus comitaretur? Fidem eius secutum asseruit: Tum Conradus, generi sui consilium execratus, dedecere senem se, inquit, quod iuuenis fugisset admittere: malle ergo se, generum, filiamquè cum nepote ex eo suscępto, cruce suffixos uidere, quàm fidei & synceritatis opinionem tot annis seruatam, extrema ætatis infamia corrumpere: alienæquè fraudis propositum, impijssimi sceleris assensu iuuare. Tum demnm affuturum se, subsidiaq; laturum: si gener omissa fraude, palam quos metuat impetat.

Conradi Imperatoris prudens responsum.



Sueno iustè à socero notatus, insidias Vualdemaro rursum parat, sed frustra: nec Sunonis abitum, nec Petri consilio uel curans, uel utens.

CAPVT XXXVI.

VIVS sermonis ad se relati Sueno rubore perfusus, ulterioris uiæ tutatore negato, in Regnum redit. Breui morarum processu, Kanuto, & Vualdemaro Vuibergæ agentibus, Rex quàm occultissimè traiecit, occupaturus incautos. At ubi insidiæ patuerūt, euitatæ sunt: Rex tamen se non intercæptionis, sed colloquij gratia uenisse testatur. Illi autem euidentissimis argumentis dolum tenētes exploratum, iam defecerant, expresse Regi rebellantes: suffragijsq; Iutiorū, ambo sibi Regium nomen adsciscunt. Tum Rex eo comperto, apud Othenas

Othenas(nam eó loci fortè diuerterat)contractis in Regiã militibus, nunc uniuersos, nunc singulos arctius cœpit percunctari: qua fide pręsens bellum ineant. Respondentibus alacriter: Non simplici promisso stetit, sed fidem sacramento duxit renouandam. Inter agendum Sueno, uir fortitudine præcipuus, egreditur: misitq; Rex qui illũ percunctaretur, quid abiret? Mœstus paternę uillę queritur ereptionem. Rex certior factus, restitutionem pollicetur. Ille seram esse iusticiam respondet: qua cùm florentibus rebus potitus non sit, non se usurum in aduersis. Vualdemarum paterno, auitoq; fretus militię titulo, petit transfugio. Cunq; Sueno firmandis rebus Sialandiam peteret, Eschyllum maximum Pontificem, consilij atq; præsidij gratia euocat. Tum Petrum quendam, uirum primarium, & prudentem, cuius consilio res multas agebat, sciscitatur, quid illi uideretur agendum. nam æmulos, uiribus à Iutijs mutuatis, sequi Regem in Sialandiam ferebatur. Ille uerò pro sua in Regem integritate, liberè locutus, Ego tibi inquit, ab initio Rex suggerebam: ut equitum, peditumq; Ductoribus ita indulgeres, quatenus aduersum æmulos tutior esses: aut ab his saltẽ ad propinquos placendi studium transferres: eosquè tu, sola contentus specie, reuera regnare patereris. Si neutrum egisses, breuem tibi Regni fructum futurum. Tu uerò neutram in partem inclinans, quem in locum res tuas deduxeris, ipse primus experiris. Excandescens Rex, Quamdiu sibi unum esset scutum, Petro se oppositurum minitatur. Tum ille. Meum pro te scutum semper excubauit, & quatenus patieris excubabit: sed uereor, ne citò cunctorum tibi tuorum opus eueniat scutorum. Quod Rex auarè dictum existimans, Num adhuc satur esset, percunctatur? Esse respondit ille: sed uereri, ne talem saturitatem cruda sequatur digestio. Tum quid facto opus esset, rogatus. In Scaniam inquit eundum. Nam huc loci uereor, ne pauciores amicos, quàm hostes habeas. Scaniam si occupaueris: memores illi pristinæ uirtutis, facilè Iutios exterrebunt. Sin æmulis permiseris occupandam: formidandum, ne magnis illic in te uiribus confluentibus, hostibus fias contemptui. Ille fortis uiri consilium, aliorsum detorquens, quòd fidere illum Vualdemari fauoribus diceret, contempto salutari monitu, suam secutus frontem, hostem Roschildiæ statuit demorari.

Sueno à Rege abit.

Petri libera in Regem increpatio, & consiliũ.

¶ Suenonis Regnum declinat: Rex in Falstriam fugit. Præter duos ex Proceribus, reliqui omnes ab illo desciscunt. Caput. xxxvij.



ARESCENTIBVS alimentis, quòd magnũ militum aleret REX numerum, uicos multos distraxit: quorum

quorum precio accæpto contineret agmina. Sed neq; sic diu rem pertractaturus, exercitum dimittere cogitabat. Quod ubi Eschyllus persensit, rem sui Regis inclinare iam cernēs, simul, ut ferunt, pactis cum aduersarijs defectionis præmijs, cum Primis suorum Regem aggreditur: Dimittat quos pascere nequeat, præsertim pietatis ac necessitudinis iura uiolaturos: si in ciues ac propinquos depugnaturi essent. Rex iam quid moliretur intelligens, cùm in descendentem cum sua cohorte animaduersurus uideretur, à proximis retractus est: ne bellum à sacrilegio in Pontificem ordiretur. Paulatim autem exercitu dilabente, Rex & ipse fugam circumspexit. Ac iam dimissa urbe, in Falstriam respexit, nemine ex proximis quid cogitaret sciente. Vbi uerò consilium fugæ manauit ad milites: illi orant, ne illis diffidens, sine prælio uinci patiatur. Victoriam spondent, si annitatur. Meminisse iubent, se esse, quorum forti semper opera usus, ubiq; uictor euaserit. Ante pugnam pudendam esse fugam. Monent, ne ex forti Rege, timidus militum desertor euadat. Vbi nihil profecere, uersi ad conuitia, deteriora quæq; facta, & infecta in contumeliam proloquuntur. Illoq; elapso, seipsos hortantur, ut magnis animis in hostē ferantur: sparsum militandi genus consecutos non esse: facilè concludi paucos à multis. Nam esse illis equos, & arma, & dexteras uincere suetas. Vnius pauidi Ducis facile damna compensaturos. Hæc locuti, hostem expectant. Sed ubi diu nemo paruit. Petrus, quem supra diximus, soluendum agmen, saluti q; consulendum admonuit: perquàm stultum testatus prælium, sine certaminis præmio subire. Iutij aūt Suenonem de industria cessisse rati, tardius incessere. Sed Sialandienses quòd indigenæ essent, commilitones ductu ac commeatibus prosequebantur. Nulli autem eorum transitio fraudi fuit. Cùm noui Reges pacati, in fidem reciperent omnes uenientes. Duo inuenti sunt ex Proceribus, qui Regi præstitam fidem seruantes, domi comprendi, quàm hostibus se dedere maluerūt: missi ad Suerconem Suetiæ Regem in uincula. Qui præstantius duxere cum fide carcerari, quàm cum perfidia regnare.

Eschylli Pont. consilium.

Regis fuga.

Milites ad Regem.



¶ In Iutiā nouo cōparato exercitu redit Sueno sęuiēs. Quē cùm Vualdemarus & Kanutus expeditione maxima insequuntur, Christiana pietate ad tempus à pugna sibi temperant. Caput. xxxviij.

Sueno exul

INTEREA Sueno ad socerum perlabitur in Germaniam: apudq; illum emensus triennium, cùm humanis ille rebus decessisset, Henrici Saxonię Ducis (quem Leonem cognominauere) pacta ingenti mercede, pro qua obsides dedit: Hartuiciq; Hamburgen. Pręsulis armis in Iutiam reducitur. Cumquè peruentum esset ad grande Vallum,

Vallum, quod Danorum opus dixere, præmisit qui claustrorum custodem ingēti pecunia corrumperet: ut reseratis portis, sine oppugnatione transitum permitteret. Ille pactus pecuniam, iusto se Regi ministerium præbuisse ratus, pecuniam accæpit. Sed tum Pontifex, dignū esse ait, quòd cum ipsa proditionis mercede, autor uno portis laqueo figeretur. Slesuicensibus extrema minatus, extorsit censum Sueno. Russorum merces eo loco copiosè aduectas, diripuit: stipendiumquè militibus persoluit. Vrbi autem perpetuum perinde insticiū induxit: quòd mercatores inde auersi, alia deinceps emporia requirerent. Saxones prędabundi diffunduntur. Australes Iutij ad interiora delapsi, Borealibus, ubi maior erat rerum, hominumq́ꝫ copia, se coniunxere. Interim Vualdemarus apud Sialandiam audito Suenonis reditu cum Saxonum uiribus, concitò traijcit in Iutiam, robur exercitus inde contracturus. Vbi uisus est, tanta accendit alacritate Iutios, ut omnes uno animo arma pollicerentur. Misit iam è Sialandia Kanuto nunciū, qui à Suetia reuocatum, doceret quæ agerentur. Ille non segnius cursum cōuertit: reuersusq́ꝫ in Daniam, nauigationem in Iutiam maturat. Sed tanta erat uis tempestatis, ut per multos dies inuium mare esset. Interim in agmine Kanuti exoritur sermo, Vualdemarū cum hostibus pactam rem omnem pace diremisse. Id ne militum mendacio compositum, quòd nauigationis illos tæderet: an aliunde sit confictum, incertum est. Rusticum hominem dissemiuasse rumorem ferebant. Kanutus ubi audiuit, ægrè tulit, integerrimi uiri famam, loquacitate tentare. Parcite inquit milites, linguas huiusmodi cōtaminare mendacijs. Ego Vualdemari integritatem noui. Interea Vualdemarus in Iutia subauscultans, quid apud hostes ageretur, nihilominus exercitum ualidum contraxit. Vbi audiuit adesse Henricum quendam, cui nuper familiariter in militia cognito, consobrinam dedisset uxorem, quàm occultissimè nuncium mittit: pro ueteri familiaritate deprecās, ne sinat, quod in eo sit, Ducem suum retrocedere, nisi pugna commissa. Fama uolat, magnum à Vualdemaro parari prælium: cuius rumoris gratia Dux Henricus, Henricum quem diximus militem suum, percunctatur ioco, quid Regulus suus agat? Ille non minus cachinno reddito, percunctatur & circumspectat latibula: sed ad seriam petitionem conuersus, Dic inquit per sacramentum quod Romano debes Imperio, quid tibi super belli mole compertum sit. Tanto admonitus pignore, Rem inquit ueram Dux audisti. Nam tanta mole bellum instruit Vualdemarus, quanta nullus ex hominū memoria ante illū in Dania. Quid igitur censes? Expectandam hostium molitionem? Omnino inquit. Nam terga dare, meticulosorum est. Non eius gratia introiuimus ut

Custodum corruptio.

Rumor pacis uanus.

u fugia-

fugiamus,sed ut pugnantes uincamus. Ita uir prudens & Vualdemaro poscenti satisfecit, & Duci suo requisitus, quale debuit uir fortis responsum edidit. Sed ea fuit temporum qualitas, ut ingruente Vere, solenne, statumq; Ecclesiæ ieiunium immineret: in cuius obseruantiam, parum, aut nihil commeatus Dux ipse prouiderat. Igitur aut properè redeũdum, aut religiosum tempus prophanis esibus fuit uiolandum: quorum in altero militiæ pudor, in altero Christianæ pietatis transgresio fuit. Sed preponderauit in agmine Christiano, obseruãtia Religionis. Itaquè redibant: sed tanta, ut ferunt, celeritate, ut iter ingredientium semestre, triduo reuersionis adequarent: multis etiam sarcinis post terga relictis: quæ res timoris significationem ingerebat. Interea Kanutus iam nuncium de Vualdemari rebus speculandis missum recepit. Omnia diligenter perspecta; nihil aut pactionibus, aut prælijs attentatum.

Religionis obseruantia



¶ Vuandali Fioniam molestissimè opplent, quorum suppetijs Sueno Rex suscipitur. Vualdemarus populi miseret, ne deuastet; fitq; colloquium inter Regem & Vualdemarum utcunq; de rerum summa. Caput.xxxix.

PER eam tempestatem tanta Vuandalorum manus se in Fioniam diffudit, ut si altera talis clades immineret, actum de Insula uideretur. nam cultu uacua remansisset. Sueno autem cùm peruincere precibus apud Henricum Ducem, ut maneret, non præualeret, orauit: ut nihil Vuandalorum uiribus qui parerent Henrico, reduceretur. Ea fuit non parua manus eorũ, qui ab Aldenburga in Trauenam per Vuiagriam maris littora incolerent. Idquè impetrauit. Nam classe eorum in Fioniam reuectus Sueno, tanto populi accursu suscipitur, ut nemo unquàm alacrius. Spondent rerũ, corporumq; præsidia. Multi cùm audissent reducem, uisendi eius gratia uiri ac mulieres, ex cæteris Daniæ partibus adnauigarunt. Ita enim calamitosi iacentis fortuna, miserationem extorquet: cuius florentis promeruit inuidiam. Kanutus atq; Vualdemarus comportatis in Fioniam quas contraxere uiribus, facile Fioniam oppressissent, etiam multorum uiribus exterorũ fulcitam: sed reliquiarum commiseratus Vualdemarus, populo parcendum, pro Rege quondam suo fideliter agenti. Nam autore eo res in colloquium uersæ: condictumq;, ut Sueno cum adscripta sibi clientela Lalandiam concederet: ibiquè propemodum solitarius degeret: quoad inter ipsum & Duces, de pace plenius conueniret. Die postero Othenas Fioniæ urbem lauandi gratia repetens Vualdemarus, Kanuto ob insidiarum metum balnea communicare non auso, à Suenone, eius amicitiam ambiente, elatis obuiam Sacris, religiosæ Procesio

Parcitur Fioniæ.

his ordine excipitur. In Albani deinde ædem ab ipso perducitur, arbitrorum nemine, præter Absolonem admisso. Tum Sueno intra Sacellum sedēs, Sinistra mihi inquit, iampridem Vualdemare fortuna, consortium tuæ familiaritatis inuidit: quanquàm & animū de te semper benè gesserim, & à patris tui interfectore, ensis meus nō solùm uindictam exegerit, sed etiam suscæpto aduersus patruū bello, parens meus, salutem tuam inter parricidales manus, sine cuiusquā prçsidio cōstitutam, plenis pietatis armis ab exitio uendicauit. Post quem Ericus iunior, ne parentis mei, cui diu militauerat, cæptum excidere pateretur, ut Regni, ita quoq; tui curam arripuit. Tertius ego pueritiæ tuæ propugnator accesi. Nec mea parcius, quàm priorum opera seruatū te scito. Pro capite tuo necdum in ætatem perducto, aduersus hunc, cuius fidem, societatemquè exoscularis, arma suscepi: quæ nisi felicius auspicatus fuissem, filio Magni immerens pœnas luisses. Qui nisi me tertium extimesceret, haud quaquàm te secundū pateretur. Dum uiuo, uitam tibi aduersus eius insidias prorogo: extinctus, ut meum, ita tuū quoq; diem finio. Igitur eo tutius ad opem tuā decurrerim, quo plus eam beneficio meo debere cognouerim. Et nunc charitatis fiducia, arbitrum te pacis in me faciendæ constituo: cōtentus, qua me cunq; sorte donaueris. Tantū apud exteros calamitatis perpessus, ut priuatus, aut egens intra patriæ fines degere, quàm exul denuò censeri malim. Arbitror quoq;, ut cùm singula iustius æstimaueris, inter probra ducturus sis potius parentis tui interfectore, quàm ultore procreatum excolere. Hæc & similia replicantem, Vualdemarus interpellare non dubitans, Frustra meam inquit, & Kanuti amicitiam conuellere pergis. Cùm & ipse paternæ culpæ affinis non fuerit: & mihi in eius expiationem olim iusta persoluerit. Quòd autem ulterius tibi militare non tuli, non meæ leuitatis, sed tuæ perfidiæ crimen reputa. Nonne olim me peregrinationis tuæ comitem, in carcerem necandum socero statuisti? Atqui nisi prauitatem tuam, eius honestas uicisset, inter uincula moriturus abieram. Quoties meam, quoties Kanuti salutem per insidias attentatam, fraudulentis consilij nisibus obruere uoluisti? Qualiter autem pares ferre poteris, quos milites habere non es passus? Verùm, ne cum reprehensione propinquum auertere uidear, res tuas aduersus caput meum restaurare tentabo: plus miseratione fortunç tuç, quàm crudelitate promissionis inductus. Quam humanitatem, cùm scelere & fallacia repensaueris, simplicitatem nostram artibus tuis circumuentam ne existimes, sed potius fidem, pietatemquè periculis locum dedisse. Tunc Sueno uerbis in simulationem compositis, perfidè se acturum negare, sincera fide eorum amicitiam expetiturum promittere:

Sueno ad Vualdemarum oratio.

Vualdemari responsio.

præſertim, cùm nec ſibi, qui ex morbo ſuperuiuere uix poſsit aut liberis, quos nullos habeat cõſulturus uideretur. Quid ergò? niſi culpam & ignominiam perfidia quæſiturum. Malle itaq; quantumuis triſtes fortunas excipere, quàm maximo famæ dehoneſtamento, ſceleratam ſui memoriam, per totum terrarum orbem diſijcere, breuesque Regni fructus, extremæ fama turpitudine comparare. Dimiſſo Vualdemaro, Lalandiam ipſe conceſsit, copias undecunquè adaugens: ne per impotentiam, iniquas pactiones ſubire cogatur. Venit conſtituta dies, & in locum præfinitum Vualdemarus & Kanutus cum omni Nobilitate ſe recipiunt. Solebat, familiaritate fretus, Vualdemarus cum paucis adire Suenonem: quo more & nunc properans in colloquium Suenonem petebat. Ille diſpoſitis armatis, ſi uterquè accedat, excitata rixa, mandatum dedit, ambos opprimere Regni æmulos. Sed Kanutus ſe aditu continebat: ueritus quod acciderat. Cùm autẽ ſolùm Vualdemarum conſpicerent, continuere manus. Sed res induſtrium uirũ latere non potuit. Itaq; poſtero die uocatus Vualdemarus ab Suenone in colloquium, non aliter affuturum ſe dixit, niſi ſolus cum ſolo loqueretur: nullius congreſsionem ueritus, ubi uir uirum legit.

Suenonis inſidiæ.

¶ Daniæ Regnum tripartitur. Firmata pace, Suenonem Kanutus hoſpitio excipit. Structis inſidijs Kanutus truncatur: Vualdemarus inguine uulneratus, uix nocte media Abſolonis uicum aufugit.

CAPVT XL.



IGITVR in medium ambo progreſsi, diu colloquuntur. Aduocatis inde Kanuto cum Proceribus, Sueno arbitrium totius ſummæ in manus collocat Vualdemari, ſi idem Kanutus factitarit. Non dubitauit ille. Vualdemarus tanta rerum mole in ſe ſuſcepta, Regni concilium euocat, aliquandiu cum illo deliberat. Inde procedens in medium, pronunciat: Tribus ex æquo nomen Regium decernit. Prouinciarum autem diſtributionem hoc modo facit: ut ipſi Iutia, Scania Kanuto, Suenoni meditullium Regni Sialandia pareat, cum cæteris inſulis. Fides pacti ſacramento componitur: ut Religionis metu perfidia pelleretur. Inde manus tenduntur in cœlum. Autor rerum DEVS in concionem uocatur: Pontifices quoq; cenſuræ ſuæ partibus interſertis his, qui pactum rupiſſent, execrationis ſententiam intentabant. Condictum etiam, delatorum mutuò ſeminaria prodi debere: quo citius in ipſo aditu flamma opprimeretur. Quo tempore Kanutus comitante Vualdemaro Scandiam, quam iam in poteſtate habebat, petiuit, hoſpitio excepturus Suenonem. Qui poſtridiè aduentans,

Regni diſtributio.

tans,Ryngstadium petit. Kanutus obuiam illi profectus, ut inuitaret in Roschildiam, in ipsa profectione conuenit occurrentem religiosæ domus præpositum. Is cernens inermem Kanutum, Suenoni inquit nuncium uenit, properare te armatum. Hausit cum suspicione cautelam: & declinans in concionem populi, quæ illo fortè die non longè agebatur, uitauit congressum. Vualdemarus autem, apud quem bonæ fidei semper fiducia prçponderabat, Suenoni fidentius, quàm cautius occurrit. Stabant utrincp iuxta Suenonem armati: utroscꝫ, si ambo uenissent, perempturi. Solo autem Vualdemaro conspecto, compressere gladios. Quid inquit Vualdemarus ea sibi manus uult armatorum? Sueno quid de Kanuto accçperit respondet. Tum grauius obiurgans Suenonem, Hoc est inquit, quod crebrius experti in te formidare debemus. Sed ille se purgare frustra conatur. Procedunt Roschildiam, Kanuto, cui isthic ius erat inuitãte. Et primam quidèm noctem in urbe Sueno per ludos & comessationem exegit. Diluculo Thorberni uicum, haud procul ab urbe inuisit. quòd paruulam illic filiam, quam inuisere pergebat, haberet. Ferunt Thorberni uxorem, Suenonis familiaritate loquacem, dixisse. Iam Rex tertia parte rerum contentus es, qui totũ tenebas. Descendit sermo fœmineus in cor eius profundius quàm putaretur. Itacꝫ diem extraxit in uesperam: quo aspirante, mittit Kanutus, qui cœnatum accersiunt: de mora percunctantibus. Thorbernus ait, balnearum uaporem caput Regis infestasse, quo tardius ad cœnam iret. Ipse Rex moras purgans, delinitum se ait puellæ blandimentis. Ipsa responsi uarietas, percunctantibus notabilis erat. Venit in triclinium: medius honoratiori loco pro ætate accipitur. Discumbitur. Mensis remotis post epulas, cùm minutioribus poculis passim ac uariè, pro more discurrentibus, conuiuij hilaritas augeretur, aleam poposcit Sueno: quòd ea dum exularet, tempus terrere consueuisset: uno hoc solatij tum genere delectatus. Quæ calamitatis recordatio nonnullos mouit, quòd non boni moris res instituueretur: sed tabulato non suppetente, ne lusui quidem uacatum est. Inter cætera Cantor Germanicus fugam Suenonis, exiliumquè Cantilena complexus, uarias ei contumelias, formatis in Carmine conuitijs obiectabat. Quem ob hoc acrius à conuiuis increpatum, Sueno dissimulata molestia, fortunas suas liberius recinere iubet: quoniam libẽter se post erumnas malorum meminisse confessus. Crepusculo appetente, illatisquè ex more luminibus, miles Suenonis Therleuus, qui paulò conuiuio egressus fuerat, reuersus in Regiam, occasionem edendi facinoris, oculis, animoquè tacitus perlustrabat. Cunquè paulisper attonito, stupentiquè assimilis, constitisset, Kanutus propasso in terram amiculo, sede-

lo, sedere sibi proximum iubet. Ille tantæ eius dignationi gratias habens, æde excedit: euestigioque regressus, exiguo capitis motu Suenonem accersit. Quem, signi tam latentis ignarus Kanutus, à Therleuo euocatum edocet. Cui cùm Therleuus assurgenti paulum insusurrasset, quotquot Suenoniarum partium affuere, eis in colloquium admixti, collatis in orbem capitibus, nemini remotiorum exaudienda tractabant. Tunc Kanutus perinde ac insidiarum præscius, Vualdemarum brachijs attrectatum, osculo petiuit. Causam blandimenti, cùm minimè sic se agere consueuisset, ab eo cuius osculum tulerat interrogatus, suppresit. Interea Sueno relictis in æde militibus, per posticam in conclaue diuertit, præeunte puero luminis gerulo. Mox in Kanutum & Vualdemarum à subornatis ferrum distringitur. Sed Vualdemarus ocyus sede exiliens, manum amiculo obuolutam, non solùm applicatis capiti suo gladijs obiecit, sed etiam Therleuum acrius in se ruentem, pectoris impulsu humi præcipitauit. Cum quo pariter & ipse collapsus, femore quàm grauissimè sauciatus est. At ubi primùm pedibus se excæpit, recepti uulneris immemor, dum perruptis obstantium globis, foribus exiliret, quidam obscuro loco obuius, arrepta cinguli ipsius pensilia, retentare eum conatus, abrupit. Interea alijs, ne noctis errore facinus impediretur, fenestras referantibus, Therleuus humo residens, Kanutum dextram gladio obtendentem, fronte confodit. Excipit semianimum Absolon, Vualdemarum in tanta perturbatione esse ratus: fluidumque cruore caput, manibus ac sinu complexus, inter ipsos armorum strepitus, salutem suam, quàm Regis curam negligere præoptabat, reliquijs spiritus adhuc in eius pectore palpitantibus. Tandem Kanutum à se teneri, cultus indicio expertus, permixtum mœrori gaudium habuit. Igitur noctis obscuro neminem discerni patiente, in eos qui ualuas propius accesissent, stricto ferro proruebatur. quia tenebrarum accesio, hostis ne, an commilitones essent, incertum fecerat. Regum satellites, aut in ipso conamine resistendi, aut in fuga opprimuntur. Absolon obuoluto manu pallio, inter densos elabitur. Nomen rogatus, obstinato silentio non edit. Obuios omnes, aut ictus frustratus, aut uirtute ultus est: donec ad Australes Trinitatis ædes progressus, quorundam amicorum præsidio tectus, urbe etiam elatus, ad uillicum noctu pertransisset. Inde uegetiorem equum nactus, in uicum cui mater inerat, media nocte peruenit: casus edocens occisi Kanuti, uulneratique Vualdemari. Ille uerò duos ex suis confecutus famulos, illorum inhærens humeris, debilem gressum trahebat, uires quas natura negabat, à timore mutuatus. Sciebat enim, de suo capite agentem Suenonem non quieturum. At ille supra uires ambulans,

Marginal notes:

Suenonis insidiæ.

Vualdemari periculũ, & effugium

Saxoniæ libro. 6, ca. 18.

Kanuti mors.

Absolonis periculosa fuga.

Vualdemari fortuna.

lans, donec equo à suis impositus, ad eundem uicum media nocte peruenit, quo illum sui casus nuncius Absolon, iam præcedebat. Quem ex uillico inde recenter ad matrem transisse cognouit, præuijs locorum peritis eò contendit. Adeò corpoream eius debilitatem, duratrix humanæ infirmitatis necessitas confortabat. Illic procurato uulnere, femoreque fascia circum ligato, noctis reliquias exegit. Diluculò Sueno collectis ciuibus, nocturnis æmulorum insidijs appetitum se queri: amiculum, quod de industria confoderat, ostendere: Kanutum, & Vualdemarum hospitalitatis uiolatores, periuros, latrones, homicidas uocare: gratias Deo replicare, quòd amborum facinus, alterius necé propulerit: aduersus superstitem implorare auxilia. Assertis eius, quia fraus in propatulo fuit, nulla habita est fides. Deinde ut Vualdemarum maritima fuga prohiberet, omnes omnium locorum naues perfodi iubet, nec refici. Solitudines, quibus obrepsisse crediderat, diligentius perquirit. Ille autem tribus solis fretus comitibus, per loca minus suspecta reptabat: Esbernum iubens, se aliquot locis Vualdemari specie ostentari. Ille quoq; multis idem locis per alios fieri curat: ut distractus, incertusq; fiat indagator.

¶ Iutiam Vualdemarus, horribilem cum suis tempestatem passus, tandem peruenit: tyrannidem Suenonis concione exponit. Rex illum isthic frustra persecutus, Sialandiam petit: atq; denuò rediens, ingloria cedit fuga. Caput. xli.



INTERIM peruenit Vualdemarus in locum, unde sumpto nauigio transire parauerat. Sed refectione opus erat. Ad fabrum quendam diuersi, eam postulant. At ueritus ille Suenonem, cogi uolebat. Aderat Esbernus, & hominem abstractum ui impulit refectioni. Ita utriq; uidebatur satisfacere: dum hinc obsequium, inde coactio prætenderetur. Naui refecta, mare ingreditur, Iutiam petiturus. Sed tanta coorta est tempestas, ut omnes mallent ferro perijsse. Nimbi tum grandine ita frigore membra contraxerant, ut ne attrectando uelo uis superesset. Interim procellæ nauis latera quassabant. Gubernator temone relicto, uentis nauim permisit. Crederes latrones, & per ditissimos homines nauigare: quibus infestũ cœlũ omnibus uiribus incurreret. Sed tempestas Insulam illis permisit, in quam expositi re- Tempestas maris horrenda.

ficerentur. Nauis autem quia ad anchoram ſtare non poterat, & fortè non erat qua figeretur, roboribus arborum per foros diſtentis firmabatur. Refecti uictores, poſtero die pacato mari, Iutiam perueniunt. Ibi in Concione Vualdemarus parricidium accuſabat: hoſpitalitatis iura conculcata: fide publica falſa, alterum peremiſſe: ſe graui (quod oſtendit) affeciſſe uulnere. Coörta eſt omnium iuſta indignatio, arma in perfidum promittentium. Interea Sueno refectis quæ forarat remigijs, opprimere hoſtem imparatum contenderat: ſed fœminæ Vualdemaro fauentes, noctibus abripi fecerant, quod ille per dies refecit. Peruicit tamen Regium imperium: ut nauibus ad transportandum exercitum coäptatis, Iutiam peteret. At omnes portus iam hoſtis præſidio firmauit: ut nuſquàm aditus eſſet Suenoni. Quo comperto, redibat in Sialandiam: edicto per illam, perquè Scaniam emiſſo, ut omnes arma pararent: totis uiribus petendum Regni hoſtem Vualdemarum. Ille interim Vuibergam petens, nuptias peregit: potiſsimum, ut Kanuti, cuius ſororem duxit, milites ſibi conciliaret: tanto impenſius occurſurus hoſti. Multi prætcrea ex Suenonis militia, facinus eius peroſi, ad hoſtem tranſierunt: & quoniam Sialandia receptaculum & perfugium Regis erat, inuadere ſtatuit: ſed celeritate, & animi magnitudine perfecit Sueno, ut prius in Iutiam duceret, quàm ille exercitum transportaret. In flumine enim Diurſam, ſe contulit: & cum expeditis militibus in terram egreſſus, Vuibergenſium fidem ſtatuit pertentare. Vualdemarus uiros præmiſit primarios ad eius claſſem, quæ erat Sialandenſium atq; Fioniorum: ut ciuili bello abſtinentes, ſceleri nõ aſſiſterent. Perſuaſi Sialandenſes, abiere. Sed Fionia claſsis, magnis periculis, cædemquè perpeſſa, fugere & illa cogebatur. Quam rem egerrimè tuliſſe Sueno putabatur. Sed miſſus à Vualdemaro Randruſium petente, Esbernus, ut hoſtium conſilia ſpecularetur, ad Vuibergam profectus, uidit hoſtes iam certiores de Vualdemari profectione, petere Randruſium. Ille, ut erat magna animi, uiriumquè uirtute præditus, nouiſsimos agminis aggreditur, equo perturbans.

Vualdemari accuſatio, in Regem.

Muliebres ſuppetiæ.

Vualdemari nuptiæ.

Fionij fugiunt.

¶ Esberni heroicum facinus. Vualdemarus copijs maximis inſtructus, Suenoni congreditur. Inita fuga Sueno ſub arbore quadam truncatur. Caput. xlij.



SVENONIANI hoſtes adeſſe rati feſtinant in æquiora loca: ut explicato agmine aciem ſtruant. Quo cùm

peruentum

peruentum esset, uident Esbernum cum paucis. Cuius contemptu multi in eum concurrunt. Ille autem, quo erat militari robore & exercitatione, incurrentes excæpit: multos strauit. Vbi autem ingrauescere pugna cœpit, celeri fisus equo, abibat: nec erat qui, nisi de longinquo sectaretur. Obuios interea de suis nactus, collocat in insidias: quo insequentes se hostes deducere cogitabat: nisi se quidam ex latentibus, moræ impatiens, ostendisset: quo uiso, abibant ad suos. Præcurrens ergò Esbernus per compendia, hostes docet propinquare. Vualdemarus autem necdum copiarum satis contraxerat, quibus ad præliũ uteretur: igitur ducendum tempus statuit, quoad confluerent. Pontem ergò, qui super amnem oppidum iungebat continenti, partim abrumpens, suis tutamentum, hostibus interclusionem fecit. Iuuentus tamen missilibus certabat: nolens animum torpescere desidia. Interim Vualdemaro tantum copiarum affluxit, ut hosti obuiàm in pugnam exiret, amne transmisso per uada, quæ explorata tenebat. Dum aciem explicat, uidet ex latere cuneum armatorum non contemnẽdum. Ratus hostes, constitit: sed statim edoctus, esse commilitones, in aciem accæpit. Tantæ autem factæ sunt Vualdemaro copiæ, ut decima uix pars signorum ordines posset intueri. Sueno autem speculatus hostium multitudinem, recto cõsilio statuit, rem in longum ducere: non acie confligere, sed obequitando multitudinem fatigare. Sed erat in militia eius inter Primarios Ago quidã, huius dissipator consilij: qui spei plenus, pugnæ auidus erat: is Vualdemaro accessuros suos minitatus est, nisi educeret in pugnam: Vnde illi suorum diffidentia obriperet admiratus. Solere illum cum paucis semper multos uincere: Meminerit uirorum, quos in agmine ducit: Circumspiciat hostium inertem multitudinem: numero illos, se uiribus præstare: Cur longius differat uictoriam? Hac oratione, Suenonis consilium salutare dissipauit. Igitur educitur in aciem. Vualdemarus cohortem ferruginea ueste super armis contectam, iubet ex latere dextero depugnare: alios in sinistro cornu præfecit robustissimos Duces: ipse cum reliquo exercitu medius incedit. Suenonis acies non tam lata, quàm instructa processit: primumquè impetum in ferruginatos, quos nouo armorum genere arbitrabantur, fecere. Sed ubi ueste, non armis uidit innouatos, in robur medij exercitus procurrũt. Sepes erat acierum media, quam pro robore palorum equites transire non ausi, pedites Vualdemari conuellentes, primi pugnam ineunt: Hostes retroagunt. Equitum alæ circumuolantes perurgent. Quippè Vualdemari iumenta, proxima nocte nihil pasta, ad cursum agilem circumferebãtur. Contra Suenonici equi uentribus distenti, ad cursum segniores erãt. Vtrinq; ergò urgentibus,

Esberni audax facinus.

Stratagema

Ago ad Suenonem.

Stratagema

urgentibus, de parte Vualdemari, facilè Suenonici cessere. Signifer ubi suorum fugam circumspexit, reuocans, in strepitu non auditur: Signoq́ humi defixo, cùm sinistra teneret, dextram in obuios exerebat: sed à multitudine uictus, cum paucis, cùm fortem tamen operam nauasset, cadit. Iam undiq́ fuga: nusquàm prælium. Sueno & ipse fugæ compendia quæritans, paludem ingreditur, equo mergente dimisso, pedes cum paucis progreditur. Sed neq́ sic armatum, ferente loco palustri, arma etiam posuit. Longius progressus, famulis etiam innixus, uiribus destituitur: ac suis à se dimissis, præter paucos, qui morte tristius duxere Regem deserere, in arborum radice fessus resedit. Superuenere agrestes, prædam secuti: & cæsis qui Suenonem circumstetere, illum quis esset percunctantur. Suenonis scribã profitetur. Equo impositus, inter captiuos seruandus ducitur. Sed à superuenientibus cognitus, ad Vualdemarum se duci orabat. Agrestium quidam, quo feruore incertum, ferro caput eius distringit, penequè præscidit. Hic exitus Suenonis: qui si pares Regni pateretur, pacificus diu regnasset. Sed perfidia illum iterata perdidit.

Suenonis mors.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Daniæ gestarum LIBER VI.

¶ Vualdemarus Rex tandem Daniæ solus acclamatur: in quosdam animaduertens, quibusdam pœnam remittens. Expeditionem dein in Vuandalos, Danis infestos paraturus, retrahitur. Caput. I.

Vualdemarus Rex. I.



VALDEMARVS diui Kanuti filius, primũ cũ Kanuto Rex declaratus, fugato Suenone, deinde cùm Arbiter esset, à consortibus factus ex consilio Primorum, Regium sibi, cõsortibusque Suenoni, & Kanuto decreuit nomen cum honore. Nunc autem oppresso per fraudem Suenonis Kanuto: ipsoquè Suenone uicto atquè perempto, solus DANIAE Regnum accæpit: quod diu ac feliciter administrauit. Primùm quidèm in captos perfidia notabiles animaduertit. Peremptus Vluo manibus Kanutianorum: Therleuus, qui & Vualdemarum uulnerauit, & Kanutum perculit, turpi supplicio affectus: ad quod ibat plorans muliebriter, cùm prçces intentatæ frustrarentur: Magnus, nouissimi Erici

Animaduersio.

Remissio.

Erici ex pellice filius, cū captus extrema formidaret, ab cognato Vualdemaro, non solùm impunitatem, sed etiā honoratam promeruit militiam. Burisium, Kanutumq́ꝫ eius fratrem, Præfecturis donauit. Kanutiani autem milites, non contenti, quam uiderant uindicta, Regem adeunt: poscunt, ut omnes participes super occiso Kanuto consilij, proscriptione damnarentur. Rex autem cernens, quàm latè manaret hoc eorum postulatum: meliori secum consilio parcendū est ratus. Thorbernum enim, Burysium & Kanutum, cùm magna Procerum manu afficere uideretur, quòd Regni rebus obfuturum magnopere prospexit: uictus tamen fortium uirorum instantia, promisit: ut quos illi nominatim dicerent, donec ijsdem precantibus restitueret, proscripturū est pollicitus. Tum paucorum editis nominibus, cæteris pepercere. Facile enim humanus animus ab odio in gratiam deflexus mutatur. Cæteris eiusdem gregis, ut ijsdē potius bonis militibus uteretur, quàm in eos animaduerteret, exoratus ignouit. His iam compositis, ad reparandū Regni statum, animum intendit. Flagrantibus enim intestinis bellis, Vuandali per occasionē grauiores incubuere Danis. Nam crebrioribus incursionibus insulas Daniæ infestantes, tertiā ferè Regni partem uastam & incultam reliquere. Horum insolentiam repressurus, simul etiam in eos Christi fidem per occasionem propagaturus, quàm per partes accæptam, crebrius reiecerant: primam expeditionē in eam gentem post accęptum Regnum decreuit parare. Atq́ꝫ eius rei gratia, in insulā Masnet, uniuersi Regni Proceres, populiq́ꝫ Oratores in Concionem iubet adesse. Ibi uisum est Regni Primoribus, dilatione ad eam rem opus esse: quòd lacerę sint Regni uires, hostiumq́ꝫ omnia in expedito. Nam apud illos Regium uotum esse peruulgatum: qua de re instructissimos esse, quòd si commissa manu, uictoria (quod absit) hostibus cedat, uno prælio esse actū de Dania, nec superesse uires renouandi facultatem, ut insolentissimis hostibus perpetuo rubore Dania seruiat. Minimè ergò uno prælio, tantæ nobilitatis uires impendi debere: dummodo uictrices parum gloriæ, uictæ dedecoris plurimum sint laturę. In hanc sententiam totius concionis consonant suffragia. Cuius arbitrio Rex expeditionem dimittere cōactus, proposito suo cessit. Ab Absolone Rex interrogatus: Cur tam subitò magni propositi uotum destituisset? Respondit. Ne tam multos & fortes uiros in discrimen adduceret. Ergo inquit, cum ignauis & ignobilibus ingredere: quorum uictoria plus gloriæ, pernicies minus damni intulerit. Ita lepidi ingenij adolescens, indignationem suam facetia colorauit: Regem tamen admonens, quid mallet.

Vualdemari prudens decretum.

Vuandali in Danos.

Pietas Vualdemari.

Absolon ad Regem.

¶ Roschil-

¶ Roschildiensis Ecclesiæ Episcopus moritur. De altero subrogando contentio oritur, ad furorem usq; populi. Rex & si eligendi ius, merito sibi arrogare poiset, attamen id Clero permisit. Clerus in gratiam Regis Absolonem Episcopum declarat: qui se in tuenda patria optime gessit.



CAPVT II.

PER quæ tempora Roschildiensi sede, Asceri morte uacuata, diuidua plebis uota de surrogando altero fuere: quæ usq; adeò simultas creuit: ut exactis urbe alienigenis, etiam Regij nummismatis Rectorem fugauere, domo eius penitus abiecta. Ea res Regis animū, ut debuit, grauiter affecit: indignantem, tantum esse licentiæ populo, ut conciues eijcerent, Regium publicæ utilitatis procuratorem malè mulctarent. Instituit exercitum in contemptricem sui ciuitatem ducere: contumacemq; ad parendum compellere. At indignationem eius, missa Legatione, necnon ingentis auri mulctatione complacarūt. Aduentans ergò in urbem Rex, Cleri super electione Pontificis libertatem tutatus est. Equidem & si uideretur Maiorum suorum opibus fundatam Ecclesiam in Patronatu tenere, iurisq; plurimum in deligendo Pontifice sibi posse præsumere: noluit tamen sacrorum Canonum decreta, contemptui subijcere: sed arbitrium deligendi liberum permisit Clero. Ille tantæ Regis dignationi non ingratus, tres uiros uirtute præcipuos è suo numero Regi inferebant. Cui ex Aulæ familia quartum adiecere Absolonem: ut Rex unum quem uellet ex his assumeret. Ille permissa facultate non usurus, iussit in unum in conclaue omnes conuenire: ibiq; scripto quenq; designare quem mallet. Cùm priores suam designationem iam rotulæ inuoluissent, non ignorauere, quo Regia uoluntas propēderet. Cùm tamen Regis modestiam, Iuris formulæ parentem, honorarent. Itaq; accepta charta scripsere: omniumquè uota scripto signata in unum Absolonem conuenere. Is igitur Pontifex assumptus, Regia familiaritate & cognatione iunctissimus, animi, corporisq; dotibus præcipuus eminebat. Animi præstans magnitudo, ingenij singularis solertia, linguæ præcipuus in eloquentia usus. Audierat is primordio Pontificatus sui, uicinum oppidum, incursione Vuandalorum de mari infestum esse. Suorum domesticorum manu armata eò contenderat, hostesquè numero incomparabiliter præstantes, superauit, fugauit, multosq; ex eis cecidit. Defendendæ Patriæ primordia uictoriarum suarum consecrans. Inde Piraticam, quæ increbuerat, auertere adorsus, omnes uires intenderat: neq; tempestate, neq; frigore auersus, quo minus tutum mare, & Patrię incolumitatem

Sæuitq; ignobile uulgus.

Absolonis electi Pontificis uirtutes.

Piratarum osor.

tem præstaret ciuibus.



In Vuandalos Rex expeditionem denuò parat: at febri correptus, rursus abstrahitur. Caput. iij.

EODEM tempore, cùm assidui Danorum hostes Vuandali, Iutiam, Falstriamque infestarent, Falstrenses munitione ad mare firmata, seipsos quibus poterant uiribus tutabantur. Inerat tum præsidio Regius Pincerna, cùm hostes incurrerent: abactisque illis, utcunque tum perstitere. Sed quidam Falstrensium libera uoce pronunciat: Priscos Reges in talis assueuisse calcaribus: hunc uerò prima pedũ parte punctionibus insistere. Cauillatus: quòd non Procerum alicui, sed ministerijs uilibus Rex permitteret tuitionẽ Prouinciarũ. Quod dictum in contumeliam ministrorum, ille retrorsit in Regiam maiestatem. Aures Regias cùm promptas haberet, amarissimam illis indignationẽ in Falstrenses immisit. Accessit, ut fieri solet, accusatori delator: qui Falstrenses, quòd Vuandalis pro sua interdum incolumitate assentari cogerentur, grauius incusauit. Captos ab hostibus ibi carcerari: Regium in hostes decretum, ab illis solere denunciari: cæteraque in eum modum plurima, quæ Regis indignationem pridèm accensam inflammarent. Itaque Sialandensiũ satis esse putauit uiribus in eam ducere, quòd Sialandenses illis pridem infensi, faciles ad eam rem haberentur. Absoloni Pontifici dedit partes Orientis, ipse Occiduas cœpit armandas. Sed hunc Regis in gentem innocuam motum, salutaris ab alto commonitio subuertit. Equidèm apud Ringstadium cõorta Regi febris, expeditionem intermittere, deque extremis cogitare peregit. Nam ingrauescente morbo, Absolon Regi assistens, desperatæ penè salutis mœrorem accæpit. Humana quippe ope defecta, cœleste præsidium instituit implorare. Nam sacra facturus Pontificali more, uota pro Rege nuncupauit: impletisque mysterijs, supremam sacrorum communionem Regi suis manibus afferebat. Qua ueneranter accæpta, sudor ingens totum occupauit corpus: unde morbi uis auersa, spem uitæ restituit astantibus. Sed tum Absolon, uel mœrori, uel uigilijs, uel participatione spiritus contractam ægrimoniam, adeò Regijs celauit oculis, ut laboranti, grauius laborans deesse non pateretur. Attamen breui rerum conuersione, uterque insperatæ salutis munus à Deo recipiens, agnouit, admonitionis loco, cedere illis corporum debilitatem.

In Regem scomma.

Rex febri corripitur.

Vnde Rex auersus, expeditionem posthabuit, & ad gratias Deo persoluendas conuertitur: quòd salutari castigatione corporis, auerterit se ab innocentium insectatione.



¶ Rex omnino Vuandalos, præcipuè aũt Religionis gratia, sibi subiecturos, consilio secretiori inito, statuit: At maris horrida tempestas obstat. Caput. iiij.

PROXIMA uerò ab recepta incolumitate, Regi curæ fuit, expeditionem in Vuandalos institutã, propagandæ potissimum sacræ Religionis gratia intentare: sed paucis in consilium euocatis, reliquæ multitudini rem uult esse incompertam. Ne, ut prius, multitudinis impediatur suffragijs. Et quoniam de Sialandensium alacritate, obsequioq; nihil dubitabat: Scanienses appellare opus uidebatur. Isthuc traijciens, Proceres in concionem euocat: animi sui propositum detegit: Rem esse & gloriæ, & meriti plenam, si assiduos hostes ulciscatur: & ita uindicet, ut ad meliora transferantur. Eschyllus Pont. Max. negat in expedito esse classem rei opportunam. Quippè regionem externis agminibus dissuetam: paucas habere quas emittat naues. Rex subinde. Etiamsi una sola sit, exeundum sibi cum illa: cæterum omnes contumaces suo se tempore uindicaturum. Eschyllus ubi firmatum Regis propositum uidit, operas suas pollicitus est: domesticis se uiribus, & amicorum, Regi spondet affuturum. Lalandensibus autem, ac Falstrensibus non ante denunciat expeditionẽ, quàm sit ille exiturus. Ne ad hostes perferendi copia suppetat. Landeram peruentum est: ubi Rex speculandi exercitus gratia, iubet terram ingredi. Portus autem maris anfractibus curuatus, plurima imperitis pericula minatur: & ob id Danorũ existimatione infamis euitatur. Proximo autem Copiæ in terram progrediuntur. Ibi speculando, exercitandoq; iuuentutem, quindena consumitur: ac perinde magna pars commeatuũ. Inde nauigare orsi tranquillo mari labuntur. Sed ut hostibus latentior sit accessus, non uelis, sed remigijs insistunt. Absolonem septem nauigijs præcedere iussit: ut speculetur hostilia litora. Nihil ille cunctatus paret. Ac propè iam in conspectu habuit hostilia litora: cùm nautis admonentibus, cernit Regiam nauim passo uelo cursum reflectere, cæteramq; classem comitari. Stupefactus Absolon, mœstus cursum conuertit. Quid enim cum paucis in hostico faceret? nisi quòd illos faceret de aduentu Regis admonitos. Rex sub insulam Monæ stationem portus occupat. Mœrens ac tristis Absolon, mœrentes cernit Proceres. Vnà de more, Regiam in nauim contendentes, consident pertinaci silentio, uultibus in terram demissis: Rex tantæ causam mutationis miratus, quid ex alacribus tristes sint rogat? Sub noctem petijsse se portum: quòd opportuna labori dies, nox quieti sit permittenda. Tum Proceres in Absolonem respexere, ut omnium uice loqueretur. Ille autem fiducia familiaritatis effundit Procerum indignationem,

Rex ad Scanien. Proceres.

Mona insula.

tionem:Mœstos meritò uideri eos,qui gloriam tuam, patriæ salutem, honorem Dei his labefactari intelligant:Optimam rei gerendæ occasionem neglexisse: Commeatus pro magna parte absumpti, quid nisi reditum suadent? Hoc quærere nisi leuissimos,quibus auscultet, contempto Procerum consilio:ut cùm illi defecerint, remeandi causam inueniant. Hos esse,quibus in æquo sit constitutum,uictor, an inanis redeas. Altera hæc est expeditio, ut cernitur frustrata, exquò solus regnare cœpisti:cùm prima sit remissa,hæc maiori dedecore intermissa esse iam penè uidetur. Quid si tempestas ingruat? Quid nobis sperandum:nisi ut tu contemptus,nos irrisi,in Patriam,etiam hostibus ludibrio reuertamur? Hæc,& his cõsentanea prolocutus, Regem quidèm exacerbabat sermonum libertas: tamen ne monitorem impudentius auertere uideretur,magnitudinem iræ, quam uultu teste concæperat, moderatione sua ad lene & tolerabile responsum deflexit:dicendo, cõplures operum suorum testes extare,nihilquè tam fortiter ab Absolone gestum: quod si necdum uirtute æquauerit, adhuc factis æmulari non posit. Nec plura elocutus,finem facit,Pontifice subsecuto: Non oportere amicorum monitis grauius succensere. quòd plena sint illa fidei potius,quàm assentationis delinimenta. Nos quæ insecuta est, tantam exciuit tempestatem, ut quàmoptabile uideretur in hostico consistere,potius hostibus,quàm procellis opponi. Quæ tam uehemens incubuit per quatriduum,ut ne in portu quidèm naues cõsistere, quominus disijcerentur,potuere. Primores in littus concessere Absolon, Petrus,Esbernus,Suno,cum quibus Rex omnia secretisima communicare solebat:quos conspectos diuagari Rex,cymba traiectus aduehitur:& militibus longius astare iusis,pridem inquit,animo excitatam uerbis indignationem etiamsi occultare uoluissem,uultus prodiderat. nec immeritò: dum consultorum monita in contumeliam uersa uiderentur. Equidem si ea,quæ post factum irretractabile illata sunt, paulo ante monitionis in morem præissent, magnum quatridui, ac maioris etiam temporis lucrum importassent: Seras monitoris partes esse, quæ rem dum in arbitrio est,negligentius obeunt, exactam sollicitudine prosequuntur. Facta autem infecta fieri non possunt,quantiscunque conuitijs insectentur: Orturæ uerò tempestatis sæuitiam præuidere, absque Cœlestium monitis,quis potest? Neque tamen quin ea delictorũ pœnas luerit dubitare:Omisis præteritorum querelis,ad tempestiua rebus consilia animum, operamquè deuocare par esse. Malle enim se spiritum specioso exitu, quàm expeditionem deformi reditu finire. Excipit Petrus. Etsi futurorum ignari sumus,incertumquè sit,quid crastina uehat lux,præsentibus in omne commodum uersis, æquanimi-

Regis responsum.

Tempestas maris horribilis.

Rex ad Proceres.

Petrus ad Regem.

ter in utrunq; fortes animari decet. Tridui supereſſe commeatus: hoſtile ſolum in conſpectu, quo attacto, armis cedet quod neceſsitas depoſcit: bono eſſe animo par eſt. Nam quicquid periculi eſſe debuit in aduerſos hoſtes, mari expiatũ eſt: Tanto futuros lętiores exitus, quanto ſint primordia duriora. Rex collaudato eo, Abſolonem obſeruare iubet mutatæ tempeſtatis rationem. Proxima nocte, quadam ex parte mitigata tempeſtas, animos fecit nauigandi. Speculator Regi renunciat eundum, uelis pariter & remigijs in curſum intentandis. Rex ait moras fore rumpendas. Ille ſubtexuit, Benè operam nauaturos, ſi unde mane remigarint, eó in ueſperum reuertantur. Rex quoq;, Tum nobis quæ in Vuandalia conſpexeris, renunciabis. Igitur nauigationi ſignum editum ad omnes peruenit. Luctantur remigijs portum linquere. Sub terrarum prætextu quietiora, & quæ ſuperari poſſent maria uidebantur. At ubi libero cœlo Venti deſæuiunt, maior incubuit tempeſtas, ſummaquè ui contendentibus remigibus, uix curſum tenuere. Abſolon, ne fortius dixiſſe, quàm feciſſe uideretur, contra uim nititur tempeſtatis, omnibus remigum uiribus peruincens profectionẽ. Nec ſegnius Rex ſuos inſtare iubet. Sed tantus fuit undarum à uento impetus, ut alioquin ualidiſsimæ rates conquaſſatæ, inimicum haurire cœperint imbrem. Rex cùm nauis qua uectabatur, ſolutis compagum lateribus dehiſcere etiã ultrò timeretur, aduocato proximæ nauis Magiſtro, propius iubet adeſſe: & temerario penè, ſed ſalutifero ſaltu peruenit in aliam, tranſlatis quoq; ſignis. Eſchyllus Pontif. Max. forti & perſeueranti diu animo Regem comitatur: ſed uicta procellis naui, etiam annuente Rege inuitus redit. Tum magna pars claſsis, ſiue errore malo permiſsi reditus, ſiue quòd ita fingerẽt accæpiſſe, retrouerſa, pronis uentis ferebatur. Deniq; ex claſſe. 260. uix. 60. permanſere: reliquæ aut neceſsitatis impulſu, aut contumacis animi temeritate, reditum in patriam tenuere.

Ventorum tempeſtas.

Regis periculum.



¶ Conſilio capto, Dani inſulam Hithym improuiſè obruunt, deuaſtant. Rex Iutios claſſe infeſtans, in fugam cum ſuis uerſus eſt. Caput. v.

Rex iubet magiſtros nauium in terram deſcendere: ut inter Proceres penſato conſilio, quid agendum foret conſtitueretur. Ibi multæ dictæ ſunt ſententiæ. Quibuſdam uiſum eſt, ex re eſſe, reditum maturare. ne paucitate conſpecta, hoſtibus ludibrio ſint. Alijs etiam uiſum eſt populationi inſtandum. quòd gens hoſtium ſecura, nullis adhibitis cuſtodibus, pecora ſineret per littora diuagari. Sed ea ſedit omnibus ſententia: ut ſub noctem uadis fluminum pertentatis, proxima à Rugia diuiſa inſula Hithym peteretur: obſeruatis

Procerum conſilia.

uatis aditibus, ne à congentilibus auxilium inmittatur. Tanta autem celeritate res cœpta est, ut incolæ productis de fenestra capitibus; cùm equitatum audirent, Kazymarus, an Bugisclauus esset, qui uentitaret, rogabant. Sed tela inmissa, docuerunt, non esse suos quos putabant legitimos Principes, sed hostium globos. Terram uerò illam terribili discursu uastarunt ferro, incendijs: predamq; ante se agebant opulentam. Vicem reddentes populationibus, quas crebras ea gens Daniæ intulit. Interim qui relictus erat classis custos, à Rugijs, iam de nauibus sociorum iniuriam uindicantibus, & ut multis cum paucis obsisteret, ex omni classe relictos collegit custodes: paucisq; nauibus perarmatis, fortem operam in tuenda suorum classe impendit, secutus etiam in mare impugnatores. Dum autem abesset REX, & cum cohorte prædatoria in littus ueniret, miratur abesse naues. Videt post paulum è mari suum adnauigare Præfectum, redeuntem ab hostium effugatione. Sed cùm Rugianos etiam tum instare uideret Rex, & ipse cum suorũ manu in naues se recepit, hostibus occursurus. Et quanquàm æquata pugnæ iam manus uideretur, una tamen in re superiores Rugiani erant: quòd maris uias tenerent compertas: ideoq; ad intima lapsi, undecunq; hostem infestabant: Dani ad interiora sequi nõ ausi, quòd profundo non crederent, uariè à circumuectis uexabantur. Absolon quoq; ex præda reuersus, ubi uidet suos in mari laborare, præda custodibus permissa, cum sua quoq; cohorte naues conscendit, & quas à terra uidit opportunitates hostibus ademit. Per singula autem momenta Rugianorum uires incrementa nanciscuntur, allabentibus semper, qui recentes uires afferrent: quo magis creuit Danis labor, iam non impugnationis, sed meræ defensionis. Fatigauit ea res ad extremum Danicas uires: quo factum est, ut magna pugnantium pars, non modò uictoriæ, sed saluti diffisa, quæ prius sub conspectu Regis fortem operam impendit, tum uelis sublatis, fugam inirent: nec pudor desertionis, nec clamor exprobrationis à fuga potuit continere. Tum Vuandali paucitate conspecta remanentium, acrius incubuere. Sed Rex paucis in consilium euocatis, quid faciat consultat.

Rugianorũ potior fortuna.

Danorum fuga.

¶ Absolonis consilio, Rex Scaniam cum septem ex sexaginta nauibus relictis adit; Vires reparat, rediens Rhugios insigni uictoria sternit & fugat.

CAPVT VI.



ABSOLONI uisum est, in proximã Hitym insulam concedere: ibiq; reparatis parũ uiribus in hostes ducere. Petro autem

alia sententia fuit: quòd insignis illa paucitas (erant enim septem solæ naues ex. 60.) nullam laudem, magnam autem cladem posset afferre, defectis commeatibus, socijs dilabentibus, nullo expectato præsidio: cùm interim Vuandalorum uires per singulas horas increscerent. Igitur pandenda uela, & ferentibus utendum uelis, deq; alia prosperiore expeditione cogitandum. Quam secutus sententiam Rex, totis incubuit uentis: patriam non sine magno suorum, qui fugam ante illum inierunt, dedecore repetit. Sed Vuandali iam in fugam hostem uersum insectari, omni nisu conantur aut capere, aut mergere tam paucas hostium naues. Telis autem Danorum fortiter repulsi, ter frustra annitebantur propius accedere: ter repulsi, clamoribus, & insultatione, quando armis non poterant, Danos irridebant. Rex autem obuias sub patriæ limine naues habuit, quibus transitum mutaret. Sed primùm in Scaniam, Eschyllo Pont. Max. uenientem excipiente declinauit. Rex autem huius expeditionis pudorem diu ualere non passus, Autumno proximo uires ex Scanijs & Sialandensibus frequentibus renouauit, raris autem ex Iutia nauibus. Aderant ex his, qui prioris fugæ maculam portantes, nunc Rege ac socijs testibus abolere sunt cōnisi. Quo enim pudentius tum fugerant, nunc impensius in arma ruunt. Perueniunt prospera satis nauigatione in hosticam terram. Arcon urbis subiectam prouinciam inuadunt, populabundi: magnamq; prædam præ se agentes, in littus redeunt, nauibus imposituri quæ cæperant: & ecce hostes de longinquo agmine paruerunt. Suborta autem nebula, ex oculis utrorumquè aspectum eripuit. Qua durante, & Dani stipandis nauibus, & Vuandali propinquandi per caliginem hostibus, uiam inierunt per uada illis comperta, hostibusq; ignota. Prislaus erat Danorum perfugio partes secutus: is regionis peritia paulùm in caligine excurrens, renunciat, è propinquo adesse hostes: & iam sensim sol dissipans nebulas emersit. Rex audito nūcio, inuenire illos respondet uiros, qui fatum fugæ præferant: Iubetq; in ordines coire pugnaturos. Iam sub liquido aspectu stant, ordinibus etiā ipsi instructi. Dant signum pugnæ. Fortiter utrinq; concurritur. Cadunt plurimi. Duo Danorum equites ita infestis incurrunt hastis, ut ante Regem ambo cum equis deciderint. Rex & ipse in pugnam properans, utriq; super incidit tam graui lapsu, ut sinister terræ cubitus infigeretur. Qui aderant ex Primoribus, equis dilapsi, Regem erigunt. Macte inquit ille, hæc ruina hostibus minitetur. Fortes este uiri: & in equum restitutus, pugnam instaurat. Nec diu stetit dubia fortuna. Quippe uicti hostes terga dedere. Dani secuti, multos in fuga cœperunt, aut peremerunt. Fortis Danorum miles, longius insecutus, ab hostibus intercipitur: tan-

Rugij Danos fugaа irrident.

Nebulæ illusio.

Regis periculum.

Rex Rugios sternit & fugat.

tantamquè accedentium ſtragem facit, ut penè ſolus ſubſiſteret. Demum multitudine uictus, ſuper à ſe factam ſtragem occubuit. In ipſo uado trucidati multi: dum uicti, uictoresq; paſsim caderent. Ibi Esbernus Abſolonis frater, fortiter pugnans, dum fidentius hoſtem inuadit, penè periꝫt. Fruſtra illum equites conati ſunt extrahere, unus atq; alter, ac item tertius penè cum ipſo fuerant intercæpti. Peditum opera extractus, examinis aſpicitur: ſed uoluto corpore, dum undam proꝫcit uomitu, oculos aperit. Percalefactus autem, etiam linguæ recipit officium: ſed diu permanſit exanguis. Tali fortium uirorum opera, tum peracta eſt uictoria: effectumq; eſt, ut ex eo die Vuandali in aciem aduerſus Danos non deſcenderēt: ſed leuibus prælijs, aut excurſionibus reliqua bella peregerunt. Hic eſt fructus huius expeditionis. Ingenti autem præda ſtipatis nauibus, in Patriam uictores rediere.

Esberni periculum.

Regis uictoria.



¶ Bellum Rex in Rugios rurſum parat: qui miſſo legato de pace cum Danis agat. at Rugij tum nec pacem adipiſcuntur, nec Dani ſuſceptam expeditionem proſequuntur. Caput. vij.

VERNO tempore aſpirante Anno poſt natum Chriſtū M. C. lxi. Rex iam totis uiribus incubiturus bello, magnas undiq; uires conciuit. Conuenerat q; frequens Iutiorum, Scaniorum, Sialandenſium, Fionenſium q; multitudo: ſtabatq; claſsis in anchoris, nauigationis opportunitatem expectans. Tum Rugiani prioris calamitate commoniti, Legatum de pace miſerunt Domborum, uirum prudentia & facundia clarum. Is cùm ſciret, quanti apud Regem Abſolon eſſet, illum inprimis adꝫt, ſequeſtrum faciens ſuæ ad Regem Legationis. Ille cum Legato Regem adit in loco, quo, ut diximus, frequēs claſſis conuenerat. Simul ut uires Daniæ cōtuitus in armis, quaſlibet conditiones pacis non recuſabat. Sed euenit: ut dum ibi moraretur, Iutiorum commeatus iam penè abſumptus, quòd tempeſtas nauigationem non permitteret, iam illos domū reſpicere cōegit, reditū promittentes: Sed Scaniorum, atq; Sialandenſium abundantia adiuti, perſtiterunt. Fionenſes autem cùm idem facere monerentur, acerbius ſe oppoſuere. Quam rem, cuncta diligenter perluſtrans, Orator Vuandalorum cùm comperiſſet, qui antea pacem ſupplex petebat, comperta diſſenſione in exercitu, æquas pacis conditiones obtendebat. Sed Abſolon rogat, qbus tandē, ſi impetret deſyderata, modis ſanciri, firmarique uelit acceptas conditiones? Ille ſe pro gentis ſuæ iacto in undas lapillo, fœdera ſancire reſpondit: utſi pacto obuiā iſſent, ita perditū iri, mergēdiq; uiderent. Abſolō obſides fore dādos replicat. Domborus

Anno Chriſti 1161.

Domborus Legatus.

Quid diſcordia militum pariat.

uicifsim à Danis obfides repofcit. Tum Pontifex. Vuandalos Danis non folùm obfides, fed etiam claffem cum fupplemento dare confuef fe: nec ulla factum memoria, ut darent Dani illis aut pignora, aut obfi-des. Ad hæc Domborus, fiducia plenus. Qua es prudentia, tria foles expendere tempora: ut non modò præterita, fed etiam præfentia, futuraq; metiaris. Olim quidèm ea gentis noftræ, ueftræq; fortuna tulit, ut noftri ueftris cedentes, acciperent Leges ab illis: Rerum mutata uicifsitudine, nunc alia depofcere uidetur. Noftra Dijs fauentibus florēt omnia: Veftra qualia fint, ipfe confpicis. Fines ueftri armis & exercitibus tutantur: noftri fitu marcidi, culturæq; inopes iacent. Noftrarum diffufio partium, uix alendæ quam genuit multitudini fufficit: & tamen quos omnifariàm potentiores aduertis, non modò fuperiores, fed etiam pares habere contemnis. Tunc demū tributi nos exactione follicita, cùm & fortem noftram fucceffibus æquaueris: & eam malis, quibus tua nunc premitur, affectam confpexeris. Hæc Domborus. Sed Abfolon difsimulato indignationis fpiritu, paucis eum refponfis excipiens, ad Regem quæ accęperat profert. Verùm pertinax freti fæuitia, nauigationem interpolando, expeditionem fecit euanefcere. Legatus autem, pro more quo inuicem Dani cum Vuandalis utuntur, tam diu tenetur, quoäd illum placido refponfo abfoluant. Ne tam fpeculator, quàm pacis arbiter uideatur adueniffe.

Dombori Oratio.

¶ Rex Henrici Saxonum Ducis auxilio, Vuandalos mari & terra adortus, Nucletum illorum Principem capite plectit, fuos trucidat & fugat, Deq; Prislaui huius filio, præclaris actis. Caput. viij.



EX autem debellandæ Prouinciæ maius opus effe reputans, quàm ut folius eius uiribus expediretur: cum Saxonum Principe Henrico, cui Leoni cognomen dederunt, per nuncios agit: ut cōmuni ope à terra, & ipfe à mari Vuandaliam aggrediantur. Non inuitus Dux ille Legationem accipit: iampridem ampliandę fuæ in Vuandalos ditioni intentus. Igitur facta utrinq; pollicitatione, uterq; parat exercitum: Rex à mari totis Daniæ uiribus, Dux à terra aggreditur. Prima illis in Obotritos fuit expeditio. Magnopolenfes nunc uocantur. Nam Rex Polam Infulam aduehitur: expofitisq; copijs, terram populabundus ingreditur. Saxones idem ex alio latere factitauere: ut nonnunquàm amborum agmina fe in campis confpexerant. Primam rei inclinationem pafsi Saxones, pabulatores multos incautius egreffos, ab hoftibus intercæptos amifere. Sed huius rei damnū ftatim pari, aut clade maiori cōpenfabant. Nam milites armis fupernè tectis, uelut pabulandi gratia fparfim gradiūtur. Vuandali obferuato tempore

Henricus Leo Saxonum Dux.

profilie-

prosilierunt. Ibi conuersi, conglobatiquè Saxones, ad unum omnes cæciderunt. Quorum Princeps Niclotus erat: cæsiquè caput palo defixum circumtulere. Hoc cùm in castris Danorum uulgaretur, filius eius Prislaus, qui iampridem odio superstitionis patriam declinans, ad Danos confugerat, cumquè illis militabat, audita patris morte cùm cœnitaret, manum paulisper ab escis retrahit: suspiransquè ait. Non alia debuit ueri Dei contemptor morte interire. nam patrem ille in cœlis, indignum duxit agnoscere. Interea Vualdemarus Rex, Henrico Duci collocuturus de communi bello gerendo, medium in locum occurrit. Ibi in longum ducto sermone, ab Duce Rex deducitur in castra: splendidoq; exceptus epulo, ab illo Regio fastu honoratur. Omnia ad luxum composita: ita, ut Principe dignum splendorem Regijs oculis inferret. Interposita deinde mora, cùm ex uarijs prælijs, quę leuia multa acciderant (nam totis aciebus Vuandali dimicare non ausi, excursionibus hostem fatigabant) casus emergeret, quo opus uideretur, iterum Henricum Ducem interpellare. Cunq; circumspiciēs Rex aduerteret animum, quem perquirendi studio sollicitum mitteret, alterius equus claudicare, alterius effracta arma: nonnunquàm etiam ualetudo obtendebatur: omnesquè ministerium recusarent, periculo plenum: Absolon solus se exequendæ rei cum expeditis offerebat. Legendorum comitum illi permissum est arbitrium. Proximum quenq; sanguine delegit: fideliores ratus in periculo. Sed & Prislaus, quem diximus Nicloti, filius, quem Vualdemarus sorore in matrimonium data, artissimo sibi nexu constrinxerat: iampridem Patriæ, pro superstitione paganica infestus, ducem itineris agere pollicetur. Itaq; conscensis equis, Ducem aggreditur inquirere: inuentumquè Regijs mandatis consalutat. Cunq; Dux illum nocte proxima secum rogaret quiescere: ut exceptus conuiuio, pro dignitate tractaretur: Ille causatus, Regem anxiè responsa demorari, sibiquè esse, quod in ordinanda, collocandaquè classe inprimis curaret: ægrè abeundi ueniam impetrauit. Cunq; inscensis equis abire cæpissent, quidam è Saxonum Primoribus adit Ducem: increpitans, quòd Regios Proceres sine comitatu, per medios hostes, in grande mittat periculum. Reuocati, præsidium Saxonum demorari iubentur. Sed ABSOLON nouis causis moram excusans, nihil illi opus esse affirmat: suo malens, quàm alieno periculo redire. Deniquè tam se pertinacem egit accipiendo comitatu, quàm se egerat in demorando. Alacriter ergò egressi, cùm in patentes campos abijssent, Prislaus succussis frenis accelerare iubet. Ego inquit, si meo res arbitratu ageretur, fortissimorum militum præsidium non recusare uellem. Per medios uadimus

Niclotus truncatur. Prislauus filius eius, christianus.

Prislaui adhortatio.

uadimus hostes, iam per equorum uestigia, de nostro transitu certio-
res. Scio acerba meorum odia, parentem de nobis uindicare: illícque pa-
rentare, ardentissimè cupiunt. Igitur commoneo fortes socios, ut ma-
nu conserta, cadere, quàm capi patiamini. Illa est gentis nostræ in san-
guinem nostrũ sitis: ut non sinant impunè abire. Memores ergo quis-
què charissimorum pignorum, gladijs rem agite. Danica uos gloria
commoueat per terrarum orbem uulgata: ut uirorum more pugnan-
tes, non ut inertia pecora capiamini. Magnis clamoribus, cantibusque,
de more gentis, alacritas testificanda. Minus armatos in medium ag-
men capiamus. Nec tamen fortuna caruit ea admonitio. Territi enim,
uel alacritate, uel inaduertentia delusi, incolume illis iter præbuere ho-
stes. In castra reuersi, Regem anxium, iam de productioribus horis si-
nistrum aliquid cogitantem, exhilarauere. Intromissis quoque, cùm ad-
gratulatum esset de superato periculo, uicinum amnem Rex petendũ
admonetur: ut ad Ducis properet præsentiam. Magnis nauigijs im-
peruius amnis, paruis tentandus erat.

¶ Rex Vuandalos fugat amne licet inclusus, Rostock urbem tum expugnans. Caput. ix.



GITVR defixis per anchoram maioribus, habiles uadosis locis rates inscendũt. Iam hostes hoc ueriti, multis in unum locum contractis nauigijs, restitere. Dani locorum imperiti, sæpius hærent in uadis: sed desiliunt impigrè, manibus promouentes, quæ remis non poterant, in ipsis undis conflictati incurrentibus. Sed peruicit Danorum instantia: ut hostibus fugatis, laxiorem amnis in lacũ diffusi uiam tenerent: dispulsisque hostibus, quacunque uoluere iter tenebant. Suno cum expedita militum manu, uicinam lacui urbem Rostock, nondum magnis, ut nunc est, mœnibus cinctam, facilè expugnat, diripitque. Vnde amnem Vuernoniam nunc dictum, qui tum Gutacra dicebatur, accipere debemus. Quem in locum Henricus Dux cum exercitu uenit: traiectusque Regi colloquitur de summa belli. Interim in litore obequitantes Vuandali, Danis in salutant. Præcipuè Pribislaus, Prislai germanus, fratri maledicit: quòd communis parentis cæsoribus communione societur (iam enim inter Saxones Prislaus agebat.) Illi conuitia referens, Gratias etiam illis se debere contendit, qui se deterrimo parente destituerunt: non illum agnouisse patrem, qui ingratus fuerit omniũ communi parenti DEO. Dum aũt Rex colloquiũ serit, superuenit qui nunciaret, adesse Rugianorũ classem. Veritus Rex, ne se amni inclusũ, classe prohiberẽt, finito colloquio ad exitũ ꝓperat. Quo perueniẽs, nihil hostile conspicatur: sed

Rostock expugnatur.

ſed receperant ſe iam hoſtes,ſubductis nauibus in reconditos ſinus: la tebantquè,ſi fortè Dani terram denuò ingreſsi,popularētur, ipſi tunc claſsi inuehentes perderent,ſpemquè reditus,intercæptis nauibus adi merent. Rex quoquè callidi conſilij non ignarus,artem arte deludere quærit: Mandatum dat uni ex Præfectis,ut accæpta cohorte,uicinum uicum incendat: ut hoſtes conſpicati, arbitrentur uim Danorum in Continentem excurriſſe:interim ipſi nauibus quieti demorentur, adue ctos Vuandalos ita in pugnam excitos, aperta fronte non concurſu ros. Nec Regem ſua fefellit exiſtimatio. nam fumum cernentes Rugi ani,uacuatas naues arbitrati, incurrunt. Sed quidam Regij inſtituti non compotes,citius quàm debuere ſe prodiderunt. Quo conſpecto, retro uerſi,dolos uitauere.



¶ Domborus poſt Rugianorum fugam & depredationem, pro Vuandalis pacem à Danorum Rege uix impetrat. Rex uictor patriam redit cum ſuis.

CAPVT X.

MEDIA dies æſtiuum ſolem acrius incaleſcere fecit: un de Dani productis in ſuperiora nauis uelis, intus ſomno incubuere. Superuenit maximus Danorum Pontifex Eſchyllus, Hiſcine inquit tumulis Milites,corpora iam ſepeliſtis, dum animi exercendi forent? Rex uocem excipiens, Facile inquit hos tumulos eſt diſcutere. Tum uicinarum partium biduò facta deprædatione, ad Orientalem regio nem Rugianos fugientes inſecuti properabant: Iam ſe milites pugnæ aptabant:iam arma telaq; expedientes, cùm nihil præter prælium aut cogitarent,aut cuperent. Hoſtes de pace agebant. Nam Domborus initio expeditionis,ad ſuos reuerſus,iterum de pace acturus,ignem in littore excitat:ſignificandi gratia,quòd colloquium expeteret. Qui eti am clamans de longinquo, non poterat exaudiri. Sed Abſolon cum rate excipiendum negabat:interdixitq;,ne Dani Pacis cupidi uideren tur. Itaq; cùm nemo allaturus aduentaret, propria rate de litore con ſcenſa, Abſolonis Prætoriam expetiuit:obſecrans, ut Pacis ſequeſtrū ageret:iam obſides ſpondens cum obſequijs. Contra Abſolon, quaſi eorum quæ poſcerentur ignarus,deſertas Daniæ inſulas numerabat: memor eorū,quæ ab eodē obiecta fuere. At Domborus ubi auerſum à cauſa Pont. animum aduertit,Non uacat inquit optime Pont. quòd perſonam tuā conſtituendæ pacis ſequeſtrū interpellamus: beneficiū hoc à domo & familia ueſtra, abuſq; aui tui memoria mutuare ſoliti. Ille dum uixit, Prouinciæ patronus eſt habitus: Filiorum eius ſi quis ſupereſſet, legitimum hæredem conſtituendæ noſtræ PROVINCIAE agnoſceremus. Ad nepotem quia res peruenit; ſupplices tibi, quas

Eſchyllus ad Milites.

Pacis ſymbolū,ignis.

Domborl Oratio.

quas auo, patriq; solebamus manus tendimus. Germanum tantùm tuum natu maiorem tibi, posthabemus: cui te dignitas uoluit anteferri. Paruimus dum unum in Dania sentiretis: sed dum in uiscera uersi, domestica bella foueretis, multorum in nostris alita est audacia. Sed tamen hoc præstitimus discordantibus, ut ad concordiam citius rediretis. Cur ergò Pacis portam, quam inter uos reserauimus, ipsi introire uetamur? Si uastationem quæritis: ecce ante uos agri nostri. Nam ita decreuimus, in reliquum uobiscum non armis, sed precibus agere. Repulsi, reuertemur. Si seruitutem quæritis: deditionem cum precibus offerimus. Si sanguinem quæritis: iugulos præbemus. Quid est reliquum quòd à nobis expetitur? Hæc cùm dixisset, Absolone nihilominus Daniæ uastas prouincias numerante, & inter obiecta replicante, quod ille gloriabundus iactauisset, Subiecit Vuandalus. Audio altius tibi insedisse uocem exprobrationis illius, quam non satis digestam effudi. Arbitror nos satis iam dedisse pœnarũ unius improuidi sermonis. Non tam iniuriarum memorem, incidit, dicenti auditorem adesse. Itaq; uenti uerba fuere. Iam sanioribus consilijs, & facta, & uerba pœnitendo retractamus. Igitur quo promptiorem supplicibus ueniam permittatis, plures estis habituri seruientes. Iam clades in hac nostra gente, sine uestrarũ rerum detrimento esse non potest. Quicquid hinc perit, uobis perit. Ergo si Vuandaliæ rebus parcendum non ducitis: Danicæ saltem gloriæ tribuatis, ut quàm multos habeat quibus imperitet. Hac sermonum inclinatione demollitus Absolon, apud Regem effecit: ut accæptis obsidibus, Rex in Patriam uictor, cum incolumi exercitu repedaret.

Obsidibus pax firmat.



¶ Eschylli Lunden. Archipresulis, affectatæ belli mouendi in Danos occasiones, duæ narrantur.

CAPVT XI.

HAC foris parta uictoria, cœpit intus domesticum oriri incendiũ ea de parte, qua minus debuisset. Nam Eschyllus Lunden. Archipontifex, cùm thesaurum suum non contemnendum, in Gallia deposuisset, flagrante ciuili bello, iam pace reducendũ curauit: missis in eam rem uiris religiosis. Qui reuersi Stadium, sedentes ad mensam, uel iactantię causa: uel fortè, quòd pocula deessent multitudini accubantium opportuna, aureum uas protulerũt. Quod nonnulli uidere prædis assueti, ingentis thesauri suspicionem pręferentes, iam de præda cogitarunt. Egressos obseruauerunt: & ut quidam ferunt, Annales in Albim præcipitatos demersere, aurum auferentes: sed ut Saxo scribit, in Holsatiam præcurrentes abstulere. Quo comperto, Eschyllus Regẽ adoritur: Efficiat apud loci Præsides, ut ea res,

Monachorum lauticia causa. I.

magno

magno commodo futura amicis, restitutioni subiaceat. Rex difficultatem obtendit: quòd raptores occulti, præda distracta: si etiam potentes, maiori difficultate recuperabitur. Illo autem impensius instante, urgenteq́, cùm diceret Regi: si anniteretur, facilè futurum pro amicitia, quæ illi cum Saxonum Principibus esset. Eius importunitate uictus, grauatè (quòd res non cessura uotis uideretur) annuit. Cunquè Rex apud Slesuicum ageret, in conuiuio, ut fit, per hilaritatem irrisit hominis iactantiam, qui inter alienos de aureo poculo gloriaretur. Is sermo exceptus à nonnullis, Pontifici ingrauescēter affertur. Qui damni accessione turbatus, irrisum se à Rege putabat: perinde non ignarum, neq́ animo immunem esse rei interpretatur. Hęc prima inter eos amaritudinis causa incessit. Accessit altera: quòd Hocco quidam ante non paucos dies, in Dania Pontificatu, quòd scisma sequeretur, destitutus: nunc recenti rerum diuisione, cùm de summo Pontificatu Alexander, & Octauianus contenderent, ab Octauiano scismatico, accedente Regis fauore, ad Slesuicensem Ecclesiam assumeretur: qua de re Eschyllus execrationis in eum gladiū distrinxit. Qui etiam accito Absolone, querimoniam illi suam de Rege innouauit: quòd nuper damnis eius insultasset: & se, quòd conscius esset prędæ, si non particeps in ea re prodidisset: Nunc uerò scismaticum ad Ecclesiam sublimari, in contemptū sui, Sedis Apostolicę, & omnia gubernantis D E I. Quocirca esse sibi in animo, tantam iniuriam, in Regem, Ecclesiæ contemptorem, etiam armis uindicare: quam in rem multorum incitamentis Amicorum urgeretur. Causa secunda.



¶ Regem Absolon suspicione omnifariam purgat. Eschyllus illi bellum indicens, responso Regis accæpto, pænitudine ducitur. Caput. xij.

ABSOLON Regem suspicione purgare: quòd inscius esset, atq́ innoxius rerum: leue autem uerbum quod ore excidisset, in subsannãda uanitate ostentatoris, non eò respicere, quòd culpæ sit affinis, sed quòd rem alioqui irrecuperabilem, iam perditam cerneret. Hominem uerò scismaticum, non ab eo euectum odio Catholicæ partis, sed quòd importunitas postulantis usa sit tempore. Quos uerò bellorum nunc habeat incitatores, cùm ad rem fuerit peruentū, primos experietur desertores. Se uerò pollicetur futurū interpretem, ut res in integrum reuertatur. Sed Archipræsul iam à consilijs auertens animum, percunctatur: Num sibi belligeranti, in Regem futurus sit socius? Idquè non iam consulentis in morem rogare, sed precantis ritu postulare. Tum Absolon. Me tibi quidèm Sacerdotij tui gradu ad Iusiurandum deuinxisti: quo syncerius tibi uerum à me, non blan- Diluit Absolon causas Eschylli binas. Eschyllus. Absolon.

y dum

dum prouenire debet responsum. Non tamen tibi usque adeò sum obstrictus, ut amantissimi mei hernm, cui cùm fidei, tùm etiam amicitiæ nexibus stringor, neglectis charitatis officijs, deseram, illicque aliquid imponi sustineam. Iampridem intelligere potuisti, Reges de rerum summa contendentes, graue quidèm bello lacessere: at uerò grauius credi debet, hunc unum Regni totius uiribus incubiturũ, deturbare. Quid enim expectandum? nisi ut utricque cum summo dedecore damna temeritatis luamus. Tibi etiam minore dedecore aduersitas erit, qui similibus in Regem conatibus cornua erexisti: mihi autem inexpiabile crimen futurum, tantum Regem, tam fidelem dominum, tam amicum Principem oppugnare. Eschyllus his uerbis ad summum iræ stridorẽ excandescens, per sacram obedientiæ Religionem eum adiurat, mandata ad Regem perferenda suscipiat. Absolon mandatorum perlatione promissa, Responsorum abnuit relationem. quòd inter illustres uires inimicitiarum autor nolit haberi. Huic Eschyllus ægrè legatione credita, Gerhardum Esoromensis domus prælatum associat: sciturũ, an Absolon fidus mandatorum minister existeret. Quorũ tanta asperitas mandatorum erat: ut non solùm simultates augere, sed etiam amicitias odijs conuellere potuisset. Hanc austeritatem Absolon quoàd licuit temperare conatus, specioso uerborum delinimento, truces mandatorum sententias castigabat. Rex audita Legatione, præter morem accensus, Eschyllum superiorum Regum cruorem combibere solitũ, nunc & suum sitire respondit: multaque ei in hunc modũ, per summam uerborum asperitatem remandauit. Quibus Eschyllus per Gerhardũ cognitis, impatiantiam metu mutauit: tantumque illi pauoris surrepsit, quantum prius furoris incesserat.

Eschyllus.

Absolon.

Regis responsum.



¶ Vrbem apud Letricam Rex obsidet. Adulterinis literis urbs dedit, adiectis firmandæ pacis gratia per Eschyllum prædijs cum censibus. Caput. xiij.

IGITVR euitandi periculi gratia, longinquas Vuerundiæ partes accessit: salutem secessu, non bello quæsiturus. Sed Rex indignatione plenus urbem Letricæ paludis in plano sitam, in qua exædificanda Pontifex multa contulit, habiturus certum salutis ibi profugium, obsedit. Qui intus erant turbati, quòd nihil tale præuidissent, deditionẽ in diem pollicentur: nisi pax interea ab Eschyllo componeretur. In quam rem obsidem tradidere nepotem eius, qui apud Esronem educaretur. Rex obside accepto, parumper secedit. Archipræsul cùm audiret: remandauit, ut custodiæ urbis inuigilarẽt: maioris sibi ponderis esse, urbem diuturnam, quàm mortalem nepotem. Rex obsidionem renouat, deditionem exposcens. Illi obaudiunt. Minitatur

nitatur obſidi peiora. Nihil profecit. Interea iuuenis ignotus, literas af fert Gerardo, quem diximus Prælato, in Eſronem, ut urbi inmittat. Quarum erat continentia. Placere ſibi plurimum deliberato, ut deditione urbis conſulant optimæ ſpei, nepoti ſuo: priora fuiſſe minus maturati conſilij, improuida mandata. Autorem ignorabant: Regem tamen de compoſitis multi inſimulabant. Gerardus opem impendit, ut literæ inmittantur. Interim ſublimem trabem Rex erigit, nepotem ab alto ſtrangulaturus, ut ſimulabatur: cæterum à moribus eius crudelitas longè fuit aliena. Audiens Gerardus, cucurrit: Regem orat, ſupplicium ad eius reditum differat: Secꝙ portis, impetrata uenia, poſtulat inmitti. Cùm introiſſet, ſciſcitatus quid literis accępiſſent: Illi pandũt. Nihil cunctandum ſuaſit ille, quo deditione urbis, uitam redimant optimi iuuenis. Itaꝙ Rex urbe potitus, Pontificem maximo cõfecit mœrore. Sed inde præmiſſa de pace Legatione, Scaniam redijt: tam præcipiti uſus conſilio in reparanda, quàm utebatur in ſoluenda amicitia. Nam prædia cum cenſibus, quæ priſci Reges Eccleſiæ contulere, ipſe Regi permiſit: reſtituens unde ſecuris temporibus maxima ſunt orta diſsidia, dum illicitis prophanationibus poſteri Reges inhærendum putabant. Cùm tamen Deo ſemel ſacrata, ad prophanos uſus ſint minimè reuocanda.

Literæ adulterinæ.

Vrbs dedita.



¶ Rex terra ſancta, atꝙ Roma peragrata, in Vualogaſtos Piratas mouetur. Fit pax. Legatio ad Cæſarem ſuper iurgijs aliquot Saxonum & Vuandalorum mittitur. Caput. xiiij.

PER quæ tempora quidam Chriſtiarnus ab urbe Moguntia, Octauiani Antipapæ functus Legatione, Regi penè perſuaſiſſe uidebatur: ſed obſeratas Eſchylli aures reperit. Qui rebus ſuis in Dania non benè conſtitutis, peregrinationẽ ſubijt in terrã ſanctam: ut medio itinere urbem Romã inuiſens, ſummũ Pontif. doceret de his quæ à ſe geſta ferebantur, conſilium eius atꝙ præceptum expectans. Interea cùm Esbernus Sleſuicen. Pontifex, orta ſimultate audiret à ſuis, loci Præfectum occiſum: ceſsit exulans, defecitquè. Qua occaſione Hocco, quem diximus, Octauiani Antipapæ fretus autoritate, ſedem priſtinam iterum occupauit magis, quàm iure inſedit. Tum etiam Rex transmarinam in Vuandalos Vualogaſti incolas, quòd ex eorum portu crebrę piratarum infeſtationes eſſent deprenſę, fecit expeditionem; permittentibus Rugianis fœderatis comitatũ. Nam Vualogaſti Principatus à reliquis Vuandaliæ populis ſemper diuiſus habebatur. Illi uocato in auxilium Bugiſlao Pomeranorum Principe, armis ſe tueri confidebant. Sed aduocatus Bugiſlaus, paci magis, quàm armis indul

Hocco reſtituitur.

 ſit. Nam

sit. Nam inter Regem, sociosq́ ita componit: ut ipsi in reliquum Regi pareant: Piratas, quod in se est, exigant. In quam rem accæptis obsidibus, Rex abire statuit. Sed in concione, quæ erat Bugislao cum Rugianis, iurgia inciderunt inter Saxonem & Vuandalum: quæ eò decurrerant, ut cùm in Principem quisquè suum respicerent, ex hac occasione magna ex parte sit attenuata familiaritas, quæ Regi, atq; Duci Saxoniæ incesſit. Cùmq; per eam tempestatem Danorum Pontifices, nonnulla legatione accæpta, ab Octauiano Antipapa sollicitarentur: eaq; res ad Regem permanasset: uolens ea de re certior fieri, scribam suum Radulphum, hominem Britannicum, lingua quàm prudentia promptiorem, misit ad Imperatorem, eiusq;, ut uidebatur, Pontificem Octauianum. Certabant autem Pontifex & Cæsar, hominem honore præuenire: quo sibi nationem conciliarent. Cæsar audita legatione eius hominis, dolenter se uidere testatur in Ecclesia scisſionem: cuius rei gratia nuper in Italia se habuisse Conuentum grauisſimorum hominum: ibi Octauianum se iudicio Patrum subiecisse, Rolandum uerò refugisse: Quocirca opus sibi esse, Regũ etiam consilia uocare: quorum magnã ex Christianismo partẽ, iam parti alteri sciat accessisse: Sibi uerò prudẽtisſimi ac illustrisſimi Danorũ Regis exponendã sententiã: qui si adesse dignabitur, magnũ rei momentũ sit futurus, multarũ salutem animarũ omni proculdubio facturus: & ne grauis illi tantũ itineris suscæpisse labor uideatur, posse ab Imperio se eam rem compensare: permissa illi, in Italia prouincia, atq; totius Vuandalię Pręfectura.



¶ Rex Cæsarem adire, omnino statuit: multis super hoc cum Absolone conferens, tandem abit. Caput. xv.

NUNCIUS magnis promisſis plenus, alacris ad Dominũ suũ redit, Cæsaris ac Octauiani in illũ desyderium exponẽs. Capit Rex & ipse cupidine uidendi tantũ Imperij apparatũ: nihilominus quæ adiecerat promissor, tacitè expectãs. Prius quàm tamen excederet prouincia, Bernardus quidam Legationis specie ab Octauiano missus in Daniã, Conciliũ edicit Pontificum. Sed pauci adfuere. quòd absentiã Archipræsulis prætẽderat. Itaq; cassa & inanis opera fuit, ludibrio magis, quàm legitimo similis Cõcilio.

Regis & Absolonis dialogus.

Rex aũt iter ingressurus, Absolonem uiæ comitem deposcit. Ille causatur, & commeatus deesse, & turbatam incolumitatem obsistere. Tum Rex. Quamdiu mihi cõmeatus sunt, tibi nõ deerũt. At ille. Incolumitatẽ corporis etiamsi præstiteris, mentiũ synceritatẽ quo modo seruabimus, scismaticos aditu uenerãtes? Tum Rex. Ad hoc inquit ibimus: ut cũcta plenius cognoscẽtes, ab errore deprẽso resiliamus. Absolone aũt ptinaciter publ. Religionis hostes adire recusãte, Hactenus inqt Rex, te super

te ſuper omnes colui: ut hiſce mihi in rebus adeſſes: quibus ſi à te deſe-ror, quid ex te in reliquum commodi ſuſcipiam? Tum ille, exprobrata ſibi ingratæ mentis indicia arbitratus, Ad deſerendam inquit, tui nominis amicitiam, nullis corporis periculis adduci potero: at cùm de animæ negocio agitur, humano timori diuinũ præferre phas eſt. Ego uerò & ſi circumſtantia rerum damna peruideam: tamen ut te in hoc tempore, quo de ſalutis periculo imminet diſcrimen, non relinquam, te Rex ſequar. Alios deinde præcipuos prudentia uiros aſſumit, Esbernum, Sunonem, Buriſium. Illum præcipuè: ne quid per abſentiam nouaret. Iam publica fide interpoſita ab Adolpho Holſatiæ Comite ductum petebat. Aderat ignotus miles ad Eydoram: Interrogatus, an Adolphi nomine Conductum eſſet præbiturus? Ille Dominũ ſuum eius rei gratia proximè adeſſe confirmat. Cæteri addubitabant ire. Rex primus pontem tranſierat, fiducia plenus. Adolphus illũ ue-neranter excipit, Regem conſalutans, & ſi ex priſcis temporibus nonnullæ ſimultates, ut fieri ſolet, inter contendentes de finibus interceſſiſſent: proximo tamen oppido Regem ſuis impenſis humaniſsimè diſponebat accipere. Sed Rex recuſans, ſuo ęre impẽſo cibos iuſsit emi. Adolphus, ne quid uenderent, ſuis edixit. Et Dani primo quidèm elatis domo cibis utebantur. Inde pudore adacti, Adolphi menſam ſepſere, humanitatem eius non auertentes. Rogatus inter eundum, quanto poſſet itinere præbere conductum? Ad Bremam inquit, uſquè ſaluos ſtatuam. Proceres addubitantes, inter ſe muſsitauere: quòd Rex tranſito Albi, extra Adolphi ditionem, nullam ſalutis aſſecurationem in Saxonum gentem haberet: Abſolonique impoſuere, ut Regem admoneret cauere periculũ. Ille in mane tentato diſſuaſu, ubi ſe fruſtra conari uidit, cæteris renunciauit.

Adolphus Holſatiæ Comes.



¶ Esbernus Regi Cæſaris Curiam fruſtra diſſuadet. A Brema Metim ueniunt: ubi ſuperſtitioſo attactu paruulorum matres illum fatigant. Caput. xvi.

ESBERNVS autem rem aſſerit grandẽ, quòd Rex cum Proceribus, exteris terris, ſine ductore, ſe uanæ Cæſaris promiſsioni permittat. Igitur ubi fratrem impellere non potuit: ut commonitionem, quam fruſtra tentarat, iteraret, Ergo inquit adeſte, aures præbituri, ſi linguam intendere non audetis. Cæteri diſceſſere, non auſi tentare quod Abſolon recuſaret. Sed ille fratrem ubi reuocare propoſito non potuit: deſerendum tamen nõ putauit. Aderat ergo dicenti apud Regem. Ille ubi data copia eſt, Nos inquit Rex, in pericula aſſequi te ſoliti, ubi armati armatis concurrimus, ſine timore procedimus: nunc uerò inermes, alienæ fidei parentes, circumſpicere debemus quo pro-

Esbernus ad Regem.

 gredia-

grediamur. In alieno agimus ductorem: qui saluos præstare posit nō habemus. At quo tendimus? Quippe quo Regnum tuum ab æuo liberum, inmeritam seruitutem sine gladio subeat. Quid autem stultius, quàm nullo impendente periculo, ultrò ad deditionem procurrere? Rex paucis iram exprimere solitus, Etsi te inquit adeò perurgeat metus, ut uiæ comes esse non audeas: me tamen trepidationis tuæ socium non habebis. Ingressos Bremam, loci Antistes omnibus humanitatis numeris instructißimus, & liberalitate conspicuus, impensioribus hospitalitatis officijs prosequendos suscepit. Cùm autem de ductu præbendo rogaretur: comitandi sibi Regem, non ductandi phas esse respondit. Complures quoq; Saxoniæ Principes, quo tutius Curiam peterent, Regijs se sodalitatibus deuinxerunt: adeò, ut de Danorum familia ac grege esse putarent. Igitur crescente comitatu, cùm multitudo speciem hostilis exercitus prætenderet: incolæ uirorum basilicas petiere, quo incolumes essent. Rex ubi hæc aduertit, præmisit qui de pacato eius transitu præmonerent. Cùnq; ad urbem Metim uenissent, rerum uenalium precia, ob frequētiam aduenarum meruere: sed prouidentia Senatus effecit, ut huic rei consuleretur. Iam Matres comperta Regis benignitate, paruulos Regi offerebant tangēdos. Omniū eñ Gallicanarū partiū habet existimatio, Regiū tactū uim habere diuinā. Vnde & Franciæ Reges ferūt hodiè curare tactu gutturis uitia.

Asylum miserorum. Metensium humanitas.



¶ Rex Cæsaris Curia excæptus uersutia, Absolonis consilium auertens, Daniam, annuente Rege, Imperio Rom. deuouet. Caput. xvij.

INGRESSO Curiam Rege, Henricus Dux Saxoniæ, magnam ei suorum partem castrorum cessit: hospitalitatem exhibens, quam Danorū genti sciebat esse præcipuam: Regemq; conuiuio excæptum, perbenignè fouit. Postero die Absolon cum Rodulpho ad Cæsarem mittitur, cum obsequij, ut mos habet, exhibitione. Ibi tum Cęsar ad Imperij Maiestatem respiciens, causari cœpit: quòd Rex serius aduenisset, Imperio Romano deuinctus obsequio: quòd Regnum illius de manu recognosceret. Tunc Absolon, Decuisse inquit Cæsaris fidem, ea potius ante itineris ingressum Regi exponere, ad quod eum tantis promißionibus impulisset. Cæsar, per quem Regi promissa fecisset, interrogat? Absolon, demonstrato Rodulpho, Hic est inquit, qui credulam Regis simplicitatem, magnorū promissorum commentis illexit. Eoq; negationem Cæsaris referre nō audente, seriem totius promißionis edisserit. Inficiante, aut dißimulante Cæsare, Absolon reducem Regi dari deposcit. Ille, plus negocij eius reduci tributurum, quàm aduentui impendere negat. Rex ubi se circum-

Henrici Saxonum Ducis humanitas.

circumuentum uidet; tametsi mucronem ceruicibus suis applicatum aspiceret, ante se eam ferro, quàm patriam seruituti subiecturum asseuerat. Æstuante eo, opisq; modum impensius exquirente, Absolon liberationis uiam à se repertam professus: nõ amplius illic Regi, quàm in patria trepidandum asseruit. Siquidèm trans pontem, quo Gallorum Regnum à Germanico secernitur, uenationis specie sæpius illum obequitare iubet: ac demum cùm consuetudine uicisset suspicionem, cum potiore familiæ parte, aliquot è finitimis Galliæ oppidis petere: haud dubitaturum, quin à Rege Francorum ornatius in patriam dimitteretur. Cuius consilij executionem Cæsar arte præuenit. Nam quem præceptis & comminationibus in sua iuga cogere non poterat, promissis obligare tentabat. Vnde omnes Germaniæ Principes sacramento adegit, Vuandaliam Regi subijcere. Quæ res si minus procederet, ipsum ab Italia redeuntẽ rem impleturũ: ut deinceps Rex Romano Imperio iunctus haberetur: non ut in cœtum uocatus accederet, aut in exercitibus ordines dictitaret, Principum aliorum more, sed magis specie, quàm re Imperio sociatus haberet: Filio ex se nato, nulla perinde obligatio maneret: nec in reliquos Daniæ Reges propagaretur, sed in sola Vualdemari persona finiretur. Nec dedecori, sed honori futurum Regno suo. quòd simili ratione Anglorum Reges, Franciæ Regibus deuincirentur. In hanc formam utranq; Cæsari Rex manum porrexit: Imperij membrum inde memorabatur.

Consilium Absolonis.

Cæsaris uersutia.

Dania Imperio mancipatur.



¶ Octauianus Victor super Ecclesiæ primatu certat: Rex Absolonis consilio, scismate se eximit.

CAPVT XVIII.

TVM Octauianus, qui in Pontificatu adulterino, Victoris sibi nomen asciuerat, uocata Concione perdocuit, quam sanctè ac iustè ipse, quanq; irreligiosè Rolandus ad eam sedem peruenisset: sibi per ostium ascendenti, omnia iure parere debeant: Illi aliunde nitenti, quid reddendum sit, ex Euangelio, non sua uoce perdisci: & ut Conuentum celebrem faceret, Pontificesq; deliniret, sanciuit: non ante ad Rom. Curiam esse prouocandũ, quàm sit causa Episcopali audientia ad plenum discussa. Finiente eo, Cæsar Prouinciarũ Reges, huius controuersiæ gratia à se docet euocatos. Eorum sententiæ pariturum se cum Octauiano Victore, absentes non magnifaciendos: quos ideo non adesse compertum sit, quòd in Romani Imperatoris iniuriam, Romanũ Pontificẽ suo cõtendant arbitratu constituere. Raynaldus Coloniæ urbis Antistites, uerbum ex ore Cæsaris ipso annuẽte sumẽs, rem ita prosequit. Quàm iniuriũ uideret Franciæ, Hispaniç, Angliç Regibus, si in eorũ Prouincijs, Romanorũ Imp. deligeret

Octauiani decretum.

Comitiæ Principum.

Raynaldi Colonien. Episcopi Oratio.

ordinandos Pontifices: tam debet sentiri temerarium, ab illis in urbe Roma (quæ titulum, & Imperium præstat Cæsari) illorum uoluntate Antistitem designari. Æquius quidem ex duobus uideretur: ut qui Imperium orbis tenenti succedat Octauiano Augusto, is in omnem Christianismum phas habeat, publica Iura tueri. Nunc autem Cæsarem ea esse modestia, ut sinat quenque in sua prouincia agere. Qua ergo temeritate contendant Reges, in partem deuocati Regiminis, primo culmini præficere Præsulem? Hæc tam glorianter ac iactabunde dictitabat: ut mutata sæpe lingua, de Romana in Gallicam, deque illa descenderet in Germanicam, ut omnibus compertum haberetur, quod tanta ab illo instantia ageretur in concione. Finierat ille: & iam Octauianus, execrationes orsas in Alexandrum, accensis luminibus intentabat: cum Absolon Regem, ut exiret admonuit. Egresso illo, Absolon sequi instititit. Tum Octauianus precibus agere, ne iusticiam desereret. Ille uero Regem suum, cuius uestigia obseruare solitus, deserere se non posse testatur. Ita Regem, ne scismati inmergeretur; seque ipsum, ne sacrilegij particeps esset, seruauit.

Confirmat, at non tribuit Imp.



¶ Ob pabuli defectum, Dani uicum oppugnant; quod Regem male afficit. Redit in patriam.
Caput. xix.

Itvo quidam Othoniensium electus Pontifex, ab Absolone, ne faceret deterritus consecrationem: tamen, ne dicam, execrationem ab Octauiano suscepit. Tum omnis ille Conuentus concessit in oppidum Bisuntium non longinquum. Ibi primo alimentorum defectio fuit iumētis. Rex precio mercari iubet. Vbi deerat, insinuatumque est Cæsari, præcipit, stabuli sui Magistrum curare de Regijs etiam iumentis. Ille secum ductis Danorum militibus, ex oppido non longinquo iubet cuncta petere. Ignari consuetudinis in loco Dani, primum precio, inde prece quærunt. Vbi nihil proficiunt, uis adhibita est. Expugnato uico, etiam incendia miscēt. Quę res comperta Regi, incredibili illum mœrore affecit. Interea Cęsar de Moguntinis, super occiso Pastore suo, quam pœnā irrogaret in Concilio quęsiuit: cum interim Regi pabulorum defectio nūciatur. Suggeritur Cęsari. Ille, quia uicina prædia, dotis illi nomine, tanquam Cæsarianę coniugis patrimonium conferebantur: iubet, etiam adhibita ui quæri necessaria. Rex refugit: præfatus, non se hoc in alieno acturum, quod in suo minime pateretur. Collaudata uirtus. Tum Henricus Dux Saxoniæ, Cæsarem admonet de Rege hospitaliter tractando: eius esse Regnum commune omnium transeuntium hospitium; in quo uirtus ea

Vicus à Danis expugnatur.

præcipua sit. Cæsar autem præsente Rege, cuncta liberius iubet exhiberi. Abeunti Moguntinus Pontifex binis noctibus hospitium instruit. Cæteri quoque moniti, humanitatem detulerunt. Solus Ludouicus Thuringiæ Princeps, dum Regium comitatum admiratur, equum præcipuè Regium collaudat: & ita collaudat, ut se teneri eius cupiditate non dissimulet. Rex munificus, ubi comperit, statim elargitur. Vanum Principem dixerim, qui cùm hospitalitatem liberaliter exhibere debuerat transeunti, etiam spoliare audet, improbè postulando. Cùm in Holsatiam reditum est, interuentu Absolonis, omnis inter Regem & Adulphum Holsatiæ Comitem controuersia sustollitur: & primùm amicus, deinde etiam miles Regis conscribitur. Taxat Thuringiæ Principem Ludouicum.

❡ Rex auxilio Henrici Saxonum Ducis, & Rugianorum, Vuandalos fortiter aggreditur.

CAPVT XX.



ANNVS erat post natum Christum M. C. lxiiij. cùm Orientales Vuandali, iamdudum Danis infesti, à Rege domari cœperunt. Henricum Saxoniæ Ducem belli socium Rex exciuit: qui etiam assiduo bello gentem DEO perfidam infestabat: utque societas belli, magno uinculo necteretur, Henrici filiam in cunis, filio itidem impuberi despondet. Paratur utrinque bellum magno apparatu. Tum Rex Rugiam adnauigans iam fœderatam, classis supplementa deposcit ex formula. Iam quidèm in congentiles bello instituto, uariabant Rugiani: & si paucis adhuc obsidibus res niteretur. Absolon dimissus ad alloquendos Rugianos, cùm in concione esset, iuuenis Vuandalus quidam, unius ex Pontificis satellitibus, equum miratus, grande precium se constituit, si uendatur, soluturum: sed incessus gratia pertentandum postulauit. Traditur equus. Ille insidens auolat. Defertur res Pontifici. Ille in concione queritur, uiolatam pacem abductione iumenti. Indignati uniuersi, publicam fidem uiolari: armantur ad persequendum iuuenem. Interim cognati eius, Pontificis pedibus aduoluti, cum lachrymis precantur, populum ab ultione reuocet, precium se soluturos. Victus ille precibus & lachrymis, reuocari iubet ad uindictam procurrentes. Interim equus reducitur. Absolon de iniuria satellitem increpat. Tetislaus Rex erat Rugianorum gentis: igitur ex fœdere sequi Regem iussus est. Henricus autem Dux de suo latere aggressurus à terra, præmittit expeditioni cohortem equitum ad oppidum Demina: ibi castrorum ut fecerant locum occupaturam. Vuandali autem cum parte copiarum, quàm toto exercitus robore præliandum tutius ducentes, magno animo ducunt in metantes castra.

Anno Christi 1164.

Absolonis equus aufertur.

castra. Conseritur graue prælium. Ibi fortiter pugnantes, Adolphus Holsatiæ Comes, & quidã Raynaldus, nomine quàm ditione notior, cadunt. Guncelinus Suernensis, & Henricus Raceburgen. Comites, correptis Signis, socios de fuga colligunt. Integrant pugnam; & pulchram de amissis commilitonibus peragunt uindictam.



Demina Vuandalorum urbs solo æquatur. Coscouam ciues deserunt. Vualogastum Rex præsidijs firmat. Tandem facta pace inter belli socios, bello parta diuiduntur. Caput. xxi.

Demina solo æquatur.

INTEREA Henricus cum copijs secutus, cùm Deminam urbem obsidere constituisset, uidet incolis fugientibus desertam, solo iussit æquari. Ad Coscouam ueniens, simili incolarum trepidatione uacuam cernit. nam diffisi munitionibus, in inuias paludes cum uxoribus & pecoribus se Vuandali receperũt. Rex interea à mari aggressus Vualogastum per amnem Penum munitam urbem, miratus: quòd illam quoq; incolæ deseruissent: neq; solo æquare, neq; concremare passus, sed præsidio imposito firmandam duxit: imposito Vuethemanno, ab piratica homine notissimo. Postea tamen meliori consilio, ne hostibus denuò pateret, quòd erat opportuna loco, Regijquè ad continendam in fide prouinciam accommoda uideretur, Absoloni seruandam attribuit: eiquè filium adhibuit Christophorum, iam prima Militiæ rudimenta perdiscentem: Burisium, Suenonemq; Arusij Præsulem adiunxit: quo firmiori præsidio seruaretur. Cùm autem nequè in aciem hostes prodirent, nequè pactionis ulla fœdera deposcerent: Rex animi dubius hærebat quid faceret. Commonuit Absolon: ut palis, qui amnem facerent innauigabilem, subductis, cum classe ad interiora procederet. Id cùm tentaretur, circumfusi hostes, iaculis rem impediuere. Petrus quidam Præfectorum, cum sua cohorte in terram descendens, hostibus congreditur. Sed dum ille pugnat, socij abeunt, illum relinquentes in medijs hostibus: qui multitudine magna circumfusi, facile paucos multi oppressere. Igitur Rex cum classe procedens, Henrici exercitum nauibus suis traiecit. Sed tum rebus suis diffisi Vuandali, quòd iunctis exercitibus peterentur, reliquarum etiam urbium excidium formidantes, Regi obsides de pace offerunt: Duci nequaquàm daturi. Ille se sine belli socio non esse pacturum, respondet: attamen misso nuncio, docet Henricum quid geratur. Ille remandat. Non se abhorrere à pactis quæ Regi placeant, dummodo in forma caueatur, ut Henricus quæ à Vuandalis cœpit, teneat. In has igitur Leges fœdera conscribuntur. Vt Vualogastum trifariam diuidatur. Pars una Tetislao Rugianorum Regi: Altera Kasmiaro, Tertia Prislauo

Vualogastum.

Petrus Eliui filius.

Vualogasti partitio.

Prislauo Nicloti filio, Danicarum partium Proceri tradant. Piratis ex portu prohibitis, Rex in sua reuertitur. Sed Kasimarus consortes imperio ciuitatis perosus, agit, ut tędeat illos mansionis. Nam Prislaus non fisus congentilibus: quòd defectionis in eo facilitatem damnarẽt, ipseq́ illorum horreret perfidiam, in Daniam reuertitur: Rugianos his afficit incommodis, ut ne in Patria securi uiderẽtur. Et cùm illi magis in Henricum Saxoniæ Principem, quàm Regem respicerent, animos concæpere in Danos rebellandi.



¶ Rugianorum prouinciam Arcon, & portum Por, Rex depopulatur. Zuuinam regionem ferro & igne Absolon uastat, fugatis bis Vuandalis.

CAPVT XXII.

RES dissimulata ab Duce iniuria: quòd desertores suos susciperet tutandos, classem parat in Rugianos. Primumq́ in prouinciam Arcon excurrit, incendio uastans rura. Inde in portum Por transitum est: & ut diuisis agminibus tenderetur, conuenit. Iussus, noctu Absolon Zuuinam innauigare, Rege protinus secuturo. Sed nocturnum Pontificis transitum, Regij uigiles somno capti, neglexerunt. Solus igitur cum paucis nauigans, milites excursuros exponit. Ibi duo uiri armis & uiribus pares, æmulatione fortium factorum certare uidebantur: cùm hostes cymbis fugientibus cernerent, adactis equis in amnem procurrerunt, immemores, quòd armis graues essent. Igitur ab æmulatione uirtutis, ambo perierunt. Sed Absolon regionẽ permensus, ferro & flammis omnia populatur. Ingentiq́ præda ante se acta, cùm ad naues tenderet, uidet ingentem hostium nauim à tergo imminere. Itaq́ uadum unum atq́ alterum transiens, quo timorem significaret, hostibusq́ difficilem uiam fugæ faceret, lentus incessit. Duo è suis pedites præda onusti, de longe secuti, ab hostibus totidem impetuntur. Illi posito onere, gladios stringunt. Hostes non propinquant: itaquè resumptis fustibus procedunt. Plures numero hostes circumuoluant. Illi grauiter pugnantes se tuentur. Absolon conspicatus, auxilia submittit, Paulatim Vuandali accedunt: & tali initio totis agminibus concurritur. Fugati demum hostes, cessere. Dani cum præda ad naues properant. Obuiam illis fit agmen remigum suorum, auxilio uenturum. Hos de præda donat, uoluntatem etiam sine facto renumerans. Interim Rex cum reliquo adnauigat exercitu, in terrã egressurus: sed præmonitus ab Absolone, nihil superesse quod agatur, gauisus, quòd parte copiarum bellum sit peractum, in Daniam redit. Autumni tamen eiusdem anni tempore, cùm iam agri pabulis abundarent, in hosticum regressus Zuuingianorũ solum, & repetita urbe Arcon, subiecta prædia

Zyudram Saxo uocat.

præda uexauit: incolæ uiribus freti, quòd se pares, hostium conspecto numero, arbitrarentur, in pugnam egrediuntur. Rex simulato timore, quo hostes longius ab urbe detraheret, iubet suos paulum hosti cedere. Inde pugnam ingressi, hostes suos Dani fugant. Illi urbem fuga repetũt: sed in aditu, ipsisq; sub mœnibus periere multi, nec poterant deinde in aciem prouocari.



¶ Rugiani rursum pacem cum Rege, datis quatuor obsidibus ineunt. In Regnum Kanutus conuocatur. Burisius suspicione se purgat in concione.

CAPVT XXIII.

Iasmoda insula.

INSVLA erat eiusdem ditionis Iasmoda: in eam tota classe concessum. Absolon inter excurrentes primarius, inter redeuntes nouissimus, fortem ubiq; Regem operam nauauit. Equitum cohortes sparsæ ad prædam. Rex cum robore exercitus ad Signa consistit. Interim nunciatur, ualidam suorum manum hostibus circumfusam laborare. Rex reuocatis qui propius aberant militibus, eò contendit. Socijs opem tulit: liberatosq;, sibi, ac suis restituit, multa hinc inde præda coãcta. Sed Rugiani expectatam à Saxonibus opem non uidentes, damnata promissorum fide, ad Regis fœdera redierũt. Apud Strelam insulam, quæ ut creditur, nunc urbem ostendit continenti impositam, insignem, quæ Stralessund etiam hodiè appellatur, quatuor obsidibus proditis, pacem à Rege petiuit Tetislaus: impetrauitq;, interposita grandi, qua mulctabatur pecunia. Interea Proceres inter se multa contulerunt. Operæprecium uideri, Regium sanguinem, dum superesset Rex, ad Regni participationem prouehendũ. ne si quid Regi humanitus accideret, iterum de Regno oriretur, ut sæpè aliâs, contentio. Rem Regi detegunt. Ille non reluctatur: accesionem honoris, non detrimentum arbitratus Potestatis. Res in concionem perducta, communi Procerum uoto, & populi consensu perficitur. Vnus inuentus est Burisius, qui in concione, cæteris suffragia promentibus, tacitus astabat. Vbi res annotata est, ad Regem perducitur. Indignatione carere non potuit. quòd pridem de Regni ambitu esset notatus. Purgare se tamen Regi uolens, Nihil inquit optime Rex mireris, quòd tacitus astiterim. Stupor me silentẽ tenuit: admirantẽ rem tantam peragi, de qua neq; tu, neq; aliorũ quisq; uerbum fecisset, quod quidèm ego nossem. Simul & ista me consyderatio auertit, recordantem, plurimas fuisse contentiones de Regni communione. Quòd si inter patrem & filium tale quid (quod absit) oriretur, quàm calamitosus Regni futurus esset status, animo uoluebam. Satisfactum uidebatur Regi, indignationem potius dissimulanti, quàm ponenti. Interea sacramenta nouo Reg

Strela insula.

Kanutus Regis filius in Regnum conuocatur

Burisij excusatio.

uo Regi innouanda erant. Acceſſere cuncti, in Kanuti nomine iurantes: ſolus ille reſtitit. Affirmans ſupereſſe, & faxint Superi, ut diu ſuperſit, cui ſacramento obſtrictus teneatur. Nunquàm ſe Saxonum ritum, de dimidio pluribus præſtito iuramento, probauiſſe. Alterū neceſſe eſt uiolari, dum contentio inter ambos oriatur. Audijt Rex magis, quàm probauit purgationem. Taxat Saxones.



¶ In Hallandiam Rex proficiſcitur. Buriſij libera ad Regem confeſsio. Abſolon Tribuſanam Inſulam deuaſtat. Rex expeditione in Vuandalos, duplici occaſione auertitur. Caput. xxiiij.

INTEREA profectus in Hallandiam Rex, comitem adhibuit Buriſium. Quo etiam itinere nonnihil attētatum eſt, in quo annotari uidebatur. Sed ut ſuſpicioni finem faceret, aperto ſermone Regem aggreditur. Quoniamquidem inquit Rex, dignitatem Regiam, quæ hactenus Procerum electioni ſuberat, hæreditariam facere inſtituis: ſi in proximos beneficio impenſo perpetuitatem induxeris, tibi in reliquū obligatiores efficeres: ut ad liberos quiſq; ſuos accæptam adminiſtrationem tranſmitteret. Noſti tuorum natales: ſcis non eſſe Regno alienos. Fac igitur, tui ſit beneficij, quod aliàs armis poterat uendicari. Mouit Regem tam libera poſtulatio: ſed annitente potiſsimum Roſchildenſi Pontifice, bonam Iutiæ partem accæpit, in poſteros legitimo iure tranſmittendam. Aſpirante Vere, Rex expeditionē in Vuandalos tergiuerſantes mandat Abſoloni, ac cuidā Magno primæ Nobilitatis uiro: Chriſtophoro filio iuſſo inter eos ductare ordines. Igitur Scanienſium, quibus Magnus: Fionenſium, quibus Chriſtophorus: & Sialandenſium, quibus Abſolon præerat, apud quem tamen rerum ſumma conſtitit, nauibus in prouinciam Tribuſanam mouerunt. Tanta tum Vicorum fuit aduſtio, ut diu poſt deſertæ regionis horrida facies remaneret. Iam in littora cū prędis reuerſuro Abſoloni, nunciatur hoſtiū ſuperuentus. Ille parum feſtinans, lentè procedit ad opportuna pugnæ loca. Venientes ita excipit, ut non ueniſſe uellent. nam fugati, uictoriam illi reliquerunt. Tantus autem inopinato algor etiam uerno tempore incubuit, ut iumenta terræ infoſſa, à frigore uix ſeruarentur. Reperta in cauernis anguium iam innocuorum ingens fodientibus multitudo, miraculo fuit. Et quanquàm Scanienſes præcurrere ſocios temerè præſumpſiſſent, orta tamen tempeſtas effecit: ut dilati, ſocios nauigationis comites acciperent. Et quoniam multiplex in rebellionem Vuandalorum Regi cauſa ſuadere bellū in gentem uideretur: proxima æſtate magno iterū apparatu mouet in Vualogaſtenſes, & uicinos populos, quos cognomine Lenticos appella-


Buriſius ad Regem.

Tribuſana à Danis infeſtatur.

Frigus uernale.

Lentici.

uere: communi quidem lingua, & moribus Vuandali sunt, sed hac di scretione diuisi à cæteris. Vbi dum Rex hostes inuadere parat, literis ab Henrico Duce monetur accæptis: caueat intestina dissidia, dum fo ris belligeratur. Nam esse domi, qui Regium sibi nomē requirat. Cui rei signum illi sit futurum: ut redeūti ab expeditione Vuandalica, clas sis Noruagica obuiam sit uentura. Idem ex Noruagiæ Regno Regi proditur. Accesit Vuendilensis Pontificis assertio: qui Burisij milites nouo sacramento diceret obstrictos; ut quicquid ille tentaret, illi perse uerantibus animis prosequerentur.



¶ Burisius Regi traductus, custodiæ traditur. Henricus Saxonum Dux à Rege declinat. Deq; Henrici tu tela dū pupillus esset aliquid narratur. Cap. xxv.

COACTVS tot rerū indicijs Rex expeditionem dese rere, in Iutiam adnauigat: Burisium, super cuius nomine ista nunciata sunt, aperte conuenit. Ille sibi nullius eius rei conscium fo re, quam sanctè affirmat. Iubetur cum Rege commorari, quoad nunci orum talium experimenta sumerentur: incolumem se discessurū, si ua na sint. Durū esse, ille refert, capitis sui salutē, incertis experimentis cō mittere. Quo uerbo etiam suspectior factus, iubetur in custodia, sed li bera seruari. Eius aūt rei exitum, ad Noruagiæ res pertinentē, in ea de signatū, huius rerū multitudine commoniti, libenter hic transilimus.

Noruagię libro. 4. ca. 30.

Sed per hæc tempora cùm Rex in asiduos hostes Vuandalos exerci tū comparasset, traiecissetq;: Bugislaus iam ad fidem, amicitiamq; con uolauit Henrici Ducis Saxoniæ: qui comperto, quòd Rex iam in ho stico solo teneret exercitū, magnis itineribus contendit ad Krempinū fluuiū, iuxta quem Regi colloquiū super rerū summa indixit. Rex nō inuitus eò peruenit. Ibi Dux iam tenuatis pristinæ uiribus amicitiæ, Regem acerbius aggreditur: Cur militem suū Bugislaū: non ante corā se accusatum, bello petat? Rex nihilo mollius respondet: Nullius se re spectu omissurū, quo minus iniuriatores suos bello premat. Si amicus sit Henricus, æquo illi ferendum animo: sin esse nolit, non hoc Regis multū interesse. Ita fide pariter cum colloquio euanescēte, inimicis ani mis inuicem discessere. Ferunt tamen, inter alios Henrico affuisse pri mariū è suis uirū, iam annis grauem, sed consilio & prudentia exquisi tū: ab eo referente auditū memoratur, Henricū cùm puer esset, patris morte multorum iniurijs & damnis subiacuisse: miseratos præcipuè uiros quatuor pupilli iniurias, suscepisse animo, ut illum tutarētur: sed ad altare delatum, uoto se, illumq; obstrinxisse, si unquàm compos fo ret prouinciarū, perpetuū se futurū hostem Christo perfidis: quoad sa cram eius religionē amplecterentur. Vnum ex quatuor iam senio gra uem,

Regis, & Henrici Ducis dissidiū.

uem, in medio sedisse nuper concilio, cùm de rerum summa tractare-tur, stertẽtem dormitasse. Rogatum inter alios, quid sentiret? Ducta̅-dum in Vuandalos respondit. Quod erat in corde, sonuit in ore (cùm ea de re illo tempore ne uerbum fuisset) ipsum se in prælijs aduersus eam gentem duo excæpisse uulnera: si terna denuo posset excipere, quàm iocundum se futurum in die nouissimo: cùm numero æquata uiderentur sua illis, quæ in omnium salutem præferret accæpta, futu-rus iudex uniuersorum.



¶ Rex à Noruagijs, Vuandalis & Saxonibus infestatus, pulchra Gotscalci uersutia, curis eximitur.

CAPVT XXVI.

POST non multos dies, falsò Regi nunciatur eruptio Saxonum in Iutiam. In quam præuertendam, cùm se totis uiribus comparasset, comperta rei uanitate, facile magnum intermisit apparatum. Iam tamen is erat Regni status: ut nihil magnum cona-ri Rex poterat, undiq; circumseptus difficultate. Inde enim Noruagij infestabant: inde Vuandali incurrerunt: Saxones quoq; minarũ ple-ni, non diu uidebantur quieturi. Sed ex his difficultatibus, paruo re-rum momento Dania euoluta est. Erat uir in Dania primarius, multa familiaritate Vuandalorum Principibus insinuatus: quòd linguam gentis callens, nonnunquam communium rerum gratia ad illos com-mearet. Ille Absolonẽ adortus: animo se concæpisse rem non contem-nendam, qua Patriæ difficultatẽ resolueret, afferebat. Callere se Vuan dalorum mores: quòd impetu pleraq; magis, quàm certa ratione con-stituant. Esse propemodum sibi fidem cum ea gente. Transiturũ non Legationis officio, sed proprij instinctus causa prætenta. Effictis etiam alijs, si uidebitur, profectionis causis: & apud Primores gentis, quod speraret, effecturum: ut societatis, quæ illi cum Saxonibus sit, finis fi-at. Admonet Pontifex: si id moliatur, prospiciat, ne quid Regis, aut Regni nomine polliceatur. Syncera enim fide, non fucis & fictioni-bus, rem Danicam semper constitisse. Ille se omnia rectè curaturum spondet. Proficiscitur. Vbi peruenit, sermonis occasionem introducit apud eos, qui rem penè omnem administrant. Mirari se inquit, quo pacto gens illa fortunata, se in fœdera, societatemq;, imò (ut uerius di-cam) in seruitutem cõiecerit, Saxonum superbæ, & auaræ gentis: quæ hoc semper moliatur, ut ditionem occupet, terram imperio premat, Vuandalos suos seruos habeat. Iam Zuerinum, Illogam, Racebur-gam illis abstulisse: non quieturos, donec summam rerum conficiant. E diuerso meminisse illos posse, quæ fuerit eis cum Daniæ Regno cõ-certatio: non de Imperio, sed iniurijs: contentum esse Regem sua ditio

Gotscalci prudens fa-cinus.

ne:nihil quærere,nisi pacem Prouinciarum: cui si gens illa ex fœdere iungeretur, longè illam futuram uideri fortunaciorem. Eius generis cùm multa,ac sæpè replicaret:peruicit, ut moti Primores, omnia Saxonum præsidia,quæ suis locis essent imposita,protinus eijcerent: & ut colorem rebus prætenderent, Daniæ Regis nomine illa intentarunt. Ea cùm perfecisset Gotscalcus,in Patriam est reuersus.



¶ Henrici Saxoniæ Ducis reconciliatio cum Rege. In Vuandalos ambo mouent. At illi uiribus impares, ære se redimunt. Rugiani uerò rursum in bella Regem irritant. Caput.xxvij.

AVDIVIT Rex gentis huius ad Saxones dissidium: miratusq; tam subitam interuenisse causam, audit ab Absolone, suo consilio,Gotscalci uiri fidelis ministerio rem perfectam, bonam deinde spem rerum gerendarū consecutam. Cùm alterutros adoriri,quàm simul iunctos,optabilius uideretur,ac longè facilius. Henricus aūt huius gentis in se rebellione comperta, eadem arte nixus est, ad recuperanda, quæ illi abstracta uidebantur. Nam Henricum Raceburgensem,& Lubecensem alterum,Pontifices,Regi mittit Oratores,redintegrandæ familiaritatis gratia: filiā eius iuniorem, filio Regis iungendam exhibentes. Nam quæ primò illi desponsata erat,iam fatis concessit. Inde ad colloquium in Brammensem Prouinciam, quæ Vandaliæ pars uidetur,prouocarent. Rex audita perbenignè Legatione, cùm ad destinatum locum se accingeret,obuium habuit Guncelinum Zuerini Comitem:qui Ducis ualetudinem aduersam testatus,breui tamen quacunq; ratione posset,ad Eydoram fluuium se Regi ferret obuium:colloquio eius,cuius magno teneatur desyderio,fruiturus. Venit tandem Dux in destinatum locum:initoq; cum Rege amicissimè colloquio, in Vuandalos arma paribus uotis instituuntur. Et quàmprimum potuit Rex,copias nauibus impositas traiecit in hosticum solū. Dux Diminum, Rex petit Vualogastum: firmum oppidum spontè prætergressus,uicina arua populatur.Osne quoq; oppidi, post recentem cladem,malè restituta mœnia,iterum deiecit,incendioq; perdidit renouata.Nec minus à Duce terrarum percurritur, uastationisq; plurimùm infertur.Vuandali nusquàm se in aciem obiecere hostibus, diffidentia uirium:quòd à duobus fortissimis exercitibus intercipi formidarent:sed pactione interposita,ingenti hinc auro persoluto, Regem, Ducemq; placauere. Rex autem in Patriam reuersus, Noruagici belli intermissam operam excitauit: magnaq; classe instructa, duxit in hostem. Sed quoniam huius etiam rei seriem in Noruagia recensuimus; nihil opus est hoc loco introducere. Sed dum Rex longinquę regioni

Pax auro mercatur.

Noruagię libro.5.ca.15.

bella

bella infert, Vuandali Rugiam, in aduersum longius hostem per con-
temptum ducere cœperunt, pactorum capita uiolãtes. Prospexerant
tamen sibi, ut impunè quod facerent esset: uirũ prudentia & eloquen-
tia pręcipuum delegêre, quem in Daniam proficisci, distinendi Regis
gratia iusserant: populi factum benignius interpretando, ut bello Re-
gem auerteret. Ille quidèm operam Patriæ bonam impendit placan-
di Regis. Sed erat res apertior, quàm ut tergiuersatione celari posset.
Vbi se frustratum uidit, sed omni conatu bellum parari: noluit, præ-
currens, infaustum Patriæ bellum nunciare: sed orabat Absolonem,
ut se domesticum pateretur, quoad sua gens operas eius deposceret.
Rex autem magno suorum agmine nauibus imposito, Rugiam adue
hitur: & uarijs quidèm in locis primùm excursiones fieri iussit. Inde
totis uiribus conuersus in Arcon urbem obsidendam. quòd supersti-
tionem loci illius, cunctis eius gentis accolis uenerabilem, euertere in-
primis cuperet.



¶ Arcon urbem Rex oppugnatam, idolo demolito Da-
niæ subijcit, Christi religione populum instruens.
Dequè Rugianorum subiectione.

CAPVT XXVIII.

MAGNIS conatibus Rex bellum instruxit: certus, se-
mel Prouinciæ imponere iugum. ne deinceps annuis expeditionibus
ipse cum populo fatigaretur. Intentauit autem, hosticũ solum ingres-
sus, oppugnationem munitissimæ urbis in ea prouincia Arcon, quæ Arcon op-
caput esset in ea gente totius superstitionis, per abominandum Idolũ pugnatur.
quod ibi coleretur. Eam uerò oppugnationem qua instantia & perse
uerantia Rex peregerit: quo labore & ingenio urbem diu laceratam,
accæperit deditam: quo ardore templum genti sanctissimum subuer-
terit, idolum Suantouiti, frendentibus cunctis, confregerit: populum S. Viti ido-
impositis Sacerdotibus, sacris CHRISTI initiatum, ac baptisa- lum.
tum erudiri iusserit: urbesq; alias simili ardore in deditionem accæpe-
rit, subuersis simulacris: quia diligentius in Vuandalia nostra executi Vuandaliæ
sumus, hoc loco satis duximus, tempora, & summaria rerum capita lib.5.cap.12.
designare. Sed inter hæc stupor est aduertere, quantum possit multo-
rum temporum accessio: quid non mutet æui longæua uetustas. Ru-
gia tum gentis, & omnis nationis (uti ferunt) caput, et omnis Vuanda
liæ decus eximium, urbibus floruit Arcona, & Carentina: quarũ ho-
diè nulla sunt uestigia: aut maris exundatione subuersæ, aut Principũ
ira deletæ, aut tumultuantis populi indignatione sublatæ: aut in no-
uam propinqui littoris urbem, quæ nunc Stralessund dicitur, transla-
tæ. res enim in obscuro est. Nisi quòd de similibus ad similia facimus

coniecturam: ut quomodo cum eadem gente urbs quondam clara & magna, Magnopolis, gentis uocabulo Mekelenburg, in uicinam transijt Vuismariam: ita illius Prouinciæ urbes, & earum habitatores, emigrarint in propinquam Straleſſund urbem. Sunt enim ambarum exordia, non longis temporibus desperata. Militaris generis in Rugia uiri quidam, in ea permansere ad nostra usq; tempora: quidam in continentem transiere: alij etiam cum Regibus in Daniam abierunt, quorum stirps in hodiernum usq; diem permansit. Ex hoc autem tempore, in multos annos durauit Rugiæ, ad coronam Daniæ subiectio: ut semper Regi fideles militarint, & fecerint imperata. Nouissimè autē, cùm omnes Vuandali reliqui, suis Principibus parerent, subduxerūt & Rugiam colla iugo. Cùm mortuo eorum Principe, non relicto corporis sui hærede, dominiū transiret ad Principem Vualogasti: & deinde Pomerani. Nam Vualogastensis Principatus, idem Bardensis dictus, nunc concessit in idem Imperium Ducis Pomerianæ. Vnde factū est, ut Sundensis urbs, prius Bardensi, hoc est, Vualogastensi Principi subiecta, cum Rugia nunc uni pareat Bugslao Principi clarissimo. Cùm Stetinensis, Vualogastensis, Bardensis Duces, sine prole transierint in fata.

¶ Kanutus Sanctorum catalogo adscribitur Dani Regis monitu neglecto, à Piratis bis opprimunt: atq; inibi Esberni, pro seruando Christophoro Regis filio, heroica uirtus. Caput. xxix.




VO tempore nūcius & Oratores rediere: quos Rex ad urbē Romam misit, testificandi gratia de miraculis, quæ ad tumulum diui Kanuti fierent: quo Rex patri posthumus filius natus est. Erat aūt annus post Mille. C. lxxi. Tum apud Ringstadium, ubi paternus erat tumulus, omnem conuentū omniū de Regno conciuit Rex literis à sede Apostolica proditis. Ibi diuus Kanutus solenni precationum genere, de tumulo leuatus, aræ consecratus imponitur. Quo etiam conuentu, Rex filiū nuper Regio nomine insignitū Kanutū, nunc & oleo sancto deliniri, coronaq; iubet insigniri: gemina patris & filij medius ipse solennitate feriatus. Interim uerò qui mare pacatū seruare sunt egressi, cōmonitiq; fuere, cautius quàm fortius cū hostibus dimicandū: quòd callidū genus, ubi insectari se conspiceret, terris se tutaretur, syluisquè reconditū, magno uix labore & periculo adiretur: sed hoc casu curandū, ut nauigia illis adimerentur, aut mersa lapidibus, aut forata protinus inutilia redderentur. Progressi Holandiam peruenere insulā Suecis parentem: & quanquàm ea tempestate inimicitiæ Danis & Suecis (ut ferè semper) essent, quia tamen non nisi piratis infidelibus compri

Anno Christi 1171.
Kanuti sanctificatio.

mendis

mendis exibant, à Christiana gente manus cõtinuere. Admoniti tamen ab incolis super Estonũ, Curonumq; latrocinijs, quibus locis delitescerent, quibus portubus egredi, regrediq; solerent, in illos ducunt. Cernentes aũt memorati Piratæ, hostile agmen mari innauigare, cùm impares se illis arbitrarentur: magis aũt ad prædam quàm pugnam soliti, artibus suis institere, in terram profugientes; nauigia ut poterant subduxere in aridam. Secuti Dani, pars nauibus rumpendis institere: Alij feruore correpti, in hostes etiã terram digressi, pugnam obtulere: inmemores præceptorũ, quæ illis inculcata fuere. Et quamuis fortiter pugnantes, ad unum tamen cæsi sunt omnes. Alijs etiam locis simili conspectu prouocati, fugientes in terram Piratas secuti, graue quidèm præliũ diu consertũ tenuere, sed ad extremũ cæsi perierunt. Conspicatus Christophorus Regis filius, sociorum periculum, terris propinquat: ut socijs suppetias ferat: sed antequàm ille appropinquaret, confecti perierunt. Incesserunt autem de promontorijs Ducem lapidibus grauiter, in periculum obluctantem. nam terris abire nõ facilè potuit, uentis auersus: perijssetq;, nisi Esbernus Absolonis frater, qui curam adolescentis inprimis egit, periculum in se deriuasset. nam interius allapsus, propior fit hostibus, ut interim Christophorus respiraret.

Dani à Piratis bis cæduntur.



¶ Esberni periculum. Lucæ scribæ exhortatio magnanimis. Opprimuntur Piratæ à Danis. In Vuandalos incidit Esbernus, ac stratagemate subito, patriam redit. Caput. xxx.

CERNENTES Piratæ paucitatem hostium, multis ante cæsis, in naues se inijciunt, Esberno occurrentes. Graui prælio cõserto, multi paucos oppressissent, si non uiuida uirtus Ducis se tutaretur. Socij eius aut cæsi, aut desperantes salutem, desilierunt in mare. Mira relatu res est: uno comite se defendit Esbernus. Sæpius lanceis petitus, lapidibus ictus concidit: sed restituente se Christophoro pugnæ, ægrè subducitur nauibus Piratarum iam semianimis Esbernus. Excedit fidem Saxonis hoc loco narratio: ideò transilienda fuit, utcunquè factum est. Tum manibus hostium exuti Christophorus atquè Esbernus, laceras uires ægrè tutati sunt. Sed cùm ea quæ intercessit nocte, uariç Danos exagitabant cogitationes, alijs fugam meditantibus: Lucas Christophori scriba, homo Britannicus, historiarum tenacissimus, cœpit suos hortari uerbis uehementibus: Danicam gloriam ante oculos ponere: quàm frequenter exili manu, magnas ab illis hostium fusas esse copias: in sola perseuerantia stare uictoriam: plurimùm superesse uirium, si pergant in hostes: magnis animis paratam esse uictoriam. Incredibile memoratu, quantam alacritatem adiecerit.

Saxonem taxat.

Lucę scribę adhortatio.

Nam reddito terris sole, nihil præter pugnam expetiuere, paucis in loco relictis, qui & classem seruarent, & hostibus fugam adimerent: ipsi aliquanto diuersius ab hostium castris in terram exiliunt, & quadrato agmine pergunt in hostem. Excurrunt pyratæ sine ordine, prioris diei uictoria alacres: & terribili clamore edito, infirmiores quosque postremi agminis uertunt in fugam. Sed qui in acie stabant, tanta animorum pertinacia prælium ineunt, ut breui hostes in castra repellerent: secuti pugnam continuare, nihil remittentes. Ibi aliquot fortibus priusquàm castra expugnarentur cadentibus, ad extremum castris iam captis, ad unum omnes cęduntur Piratæ, ut nuncius cladis non super esset. Dani interim distributis inter se spolijs, quæ opima repererunt, clarorum ex suis uirorum corpora salientes, in Patriam reuexerunt, ignobiles eo loci tumulantes. Interim apud Ringstadiũ Lundensis Archipræsul, diui Kanuti reliquias in aram euexit, Kanutiq; nepotis Regis consecrationem impleuit. Quod tempus obseruantes Noruagiæ Regis Oratores gemini Pontifices, pacem orantes aderant. Assecutique sunt apud Regem per patris sacram religionem, perq; filij nouam benedictionem exoratum, composita pacis fœdera quæ uoluere: quorum formam in Noruagia posuimus. Sed cùm Esbernus Regẽ Noruagiæ Erlingum, honoris gratia redeuntem comitaretur, ab illo plurimis arcubus donatus, cùm reuerteretur apud insulam Oldam, audit Regem suum iam arma contulisse in Vuandaliam. Rogati ab illo incolæ, si quas Piratarum naues conspexissent? Quadraginta se uela in proximum portum contulisse ferebant: sed Piratæ, an mercatorum fuerint, incertum esse. Statuit sub noctem profundo se credere, littus uitare. ut falleret fortè ad prædam excubantes. Sed proditus, exorta luna à Vuandalis impetitur. In proram progressus, iubet armatos se circumsistere, telis hostem infestare. Diu pugnatur, Vuandalis ab una naue plurimum sanguinis haurientibus. Semel, iterum, ac tertio repulsi, cùm uirtutem mirarentur, rogant, quis nauis Præfectus sit. Frustra inquit Esbernus, de præfecto sciscitatio: quando prędę inminere non poteritis. Captiuorum apud Vuandalos quispiam uocem agnouit loquentis, Esbernum inquit capere non potestis. Tum illi, partim pudore, partim furore inciti, pertinaciter insistunt ut capiant. Fortiter oppugnati se defendunt, donec absumpta penè tela uiderentur. Tum iubet accæpto silice, unum ex suis malum inscendere, inq; summitate, excusso igne, flammam ostendere. Vuandali rati signum dari socijs nauibus, absistunt: sic in patriam tum incolumes reuertuntur.

Piratarum oppressio.

Vuandali in Esbernũ.

Stratagema

¶ Vualdemarus, Vuandalos Christo lucraturus, frustra Iulinum orbem obsidet. Caput. xxxi.

¶ INDV-


NDVXERAT Vualdemarus Rex clarissimus in animum, labori non cedere, quoadusq; gentem Vuandalorum Christianis sacris adigeret: simul etiam prædandi in mari, & in Insulis Daniæ finem faceret: qui genti Vuandalorum, sicut & Danorum, prius quàm Christo crederent, quotidianus erat quæstus. Igitur Rex hoc tempore nouam in Vuandaliam fecit expeditionem: iam faciliorem nactus rationem belli gerendi: quòd Rugia iam illi pareret, & ad auxilia quoties uocaretur, prompta descenderet. Iulinum igitur preclarum illa tempestate oppidum in Pomeranis, statuit Rex oppugnare: quòd crebras inde fieri in mare, & in Daniam excursiones compertũ haberet. Cùm autem in uicina eius urbis uenisset loca, per Zuinam fluuium (Tacitus Zuenum uocat) statuit oppidum oppugnare. Sed pons qui traduxit in eam urbem, non satis uisus est oppugnationi fidus: ideo ad contermina uastanda, diuersis cohortibus Duces excurrerunt: si fortè ciues ad pugnam foras elicerentur. Maior autem belli huius difficultas ibi fuit: quòd Dani lacum illum grandem, quem ante maris ingressum, tria confluentia ibi flumina conficiunt, Panis, Zuenus, Diuina: iam innatantes non haberent qui uada distinguerent, difficilia loca monstrarent euitare (est enim lacus ille plerisq; locis infidus, & innauigabilis) maximis pinde difficultatibus laborarent. Interim à circumfusis Vuandalis lacessiti iaculis. Sed uiuida uirtus Danicæ iuuentutis omnia exuperat. Duces aduersę partis se cum agmine ostentarunt: sed cõgressionem uitauere. Ille tamen fuit eius expeditionis exitus: ut pro rei difficultate satis haberent Dani, si se modo explicarent cassibus, quibus se imprudentes ipsi implicuerunt: hoc ipsum pro uictoria computantes, quòd inter acerba hostium suorum odia, incolumes modo in sua reuerterentur. Quam rem qui plenius nosse uelit, requirat in nostra Vuandalia diligenter explicatam.

Christianũ Regis propositum.

Vuandaliæ lib. 5. ca. 27.


Pomerianæ Principes, in auxilium uocant Henricum Saxoniæ Ducem. Stetinum Rex oppugnat, & prędidijs Absolonis tutatur. Caput. xxxij.

RINCIPES interim Pomerianæ Bugislaus, & Kasimirus fratres, indignati, q Rex in eorũ ditione ista uiolentus pageret: cũ nõ satis fiderẽt suis se uiribus in aciẽ Regi obiectare, potentiss. Saxoniæ Ducẽ Henricũ Leonem implorauêre: ut illius armis, à Rege Danorũ tuti essent: renouare cupiẽtes apud illũ pristinas pactiones, quas plebs incauta, inuitis Principib. uiolasset. Dux amplificandę ditioni ubiq; intẽtus, nõ grauatè añuit postulatis. Vnde factum est, ut fidẽtius arma Regis expectarẽt. Sed Henricus dũ subiectionem

quærit,

quærit, quam illi refugiũt, sola fœdera deposcentes, euenit, ut nihil inde nouaretur. Rex autem quolibet etiam accessore contempto, mouit in Vuandalos: perq; magnum quem diximus lacum, Oderam fluuiũ nauigans, Stetino præclaro oppido copias admouit: & magno diu labore oppugnatum oppidum, accæpit deditum. Sed cùm tempus piscandorum sub Rugia allecum accederet, Rex ipse expeditionẽ libens breuiauit: ne publicis subditorum alimonijs obstaret. Qua in re perpendi debet, temporaneam esse gratiam in memorata piscatione, quæ tum sub Rugia gerebatur: iam uerò ab aliquot etiam seculis sub Scania erogatur. Tum uerò abiturus Rex, præsidia reliquit in ea prouincia: ne reductis quod uerebatur armis, à fide deficerent deditij. Eam curam atq; prouinciam cùm multi recusarent, Absolon Roschildensis Episcopus lubens subibat. Is non modo propinqua reddidit, serua uitq; pacata, sed omne adiacens mare, cum uniuersis Daniæ finibus tu tatur. Quam rem in Vuandalia plenius explicantes, nunc breui temporum & rerum significatione contenti, præterimus: ne in longum ducta narratio, fastidio delicati lectoris sit proxima.

Stetini deditio.

Allecum piscatio.

Vuandaliæ lib.5.cap.27



¶ Mari & terra Absolon Vuandalos fugat. Iulinum oppidum expugnat, miserè in ciues sæuiens.

CAPVT XXXIII.

CVM autem Absolon circumnauigans pro Rege, Christophorum Regis naturalem filium ad arma acueret, multasq; faceret Vuandalis in mare excurrentibus, armorũ congressiones, conflictationesquè: inter multa prouenit, ut Vuagari quoquè Vuandali, qui tum Holsatis parere cõacti, ueterem tamen in mari quæstum non intermitterent cum nauigatione ob oculos. Secutus Absolon, in suos portus confugere perpulit: ausus etiam copias in terram exponere, hostibus illis pedes peditibus ingruebat. Qui uerò tum Holsatiam, pro Comite nuper apud Deminam cæso, imo pro paruulo eius filio administrabat, Henricus de Orlemunde Comes, Danis se de mari ascendentibus opponebat: & tum uaria quidèm fortuna pugnatum est. Cùm Dani se de Vuandalis satis uindicasse uiderentur, ipsi uerò Vuandali cum Holsatis pro uictoria ducerent hostibus obstitisse: ne in interiora penetrarent. Deliberatum tum ferunt inter Holsatos, de bello ob eam causam Iutiæ inferendo: quòd dux Henricus superior dominus longius abesset, Imperatorem secutus. Et cùm uariæ in eam rem sententiæ dicerentur, Bernardus Comes Raceburgen. se inter primos obiecit: ne quid tale per Ducis absentiam tentaretur: non passus uastari terram, in qua iam plura posſideret. Coniectura erat, Regio illũ beneficio ibi iam aliquot feuda tenere, ut solent Reges, uicinarum

Vuagari ar[...]ntur mari

uicinarum prouinciarum Nobiles habere obæratos. Quo etiam tempore Rex Vualdemarus expeditionem in Vuandaliam renouauit, & ducens in hostes, oppido quod primùm incurrerat, inceso, omnes ad unum mares trucidauit. Mirabili autem labore peruenit, paludē transiens intransibilem, & inexpugnabile uisum oppidum oppugnans, expugnauit. Cuius rei ordinem qui nosse uolet, requirat in nostra Vuandalia. Nunc Danicis rebus satis intercidentibus, hoc loco breuiandi sermonis gratia omittimus.

Iulini deuastatio horribilis.



¶ Regis Vualdemari erga Ducem Saxoniæ Henricū humanitas. Piratas Absolon mari prosternit. Caput. xxxiiij.

INTEREA Henricus Dux à Bauaria reuersus, ad Eydoram Regi collocuturus occurrit: sed iam indignatione rerum per eius absentiam incurrentium, pontem transire, Regemq; ut prius conuenire detrectauit: ipso in ponte occursurus, ne superiorem fateretur. Rex tamen dignatione humanior quàm fastu sublimior, occurrit: rebusq; colloquio utrinq; firmatis, pacificè discessere. Absolon interim prænauigans littora calculis frequentia, in nauem iussit comportari, nouo præsidio, quod ad portum Mercatorum erexerat, prospiciens. Nam telorum hoc genus non uile tum habitum. Inde cùm eo loci in Balneis ageret, audiuit, nauis ab Aquilone uenientis, ueluti piraticæ, inter socios fieri mentionem: intermisso quo uenerat lauandi impēdio, uestem inijcit: tubicinem canere iubet: ut remiges nauigio, quod promptum stabat in anchora, aptarentur. Duas euestigio naues perarmat. Ille uelo alternis magister remis incessit. Piratæ uelo deiecto, in obliquum, quo uenientem Absolonem uentus non sineret, remigio flexere cursum. Sed Comes illos insequitur, telis incessens. Illi primùm in aduersam partem consulto concurrêre: quo latius hosti obiectum, altius muri specie obtenderent. Sed expugnati ex his nonnulli, mare insilierunt: alij præcisis capitibus, interiêre: cùm interim figerentur in palos, ad nouum Absolonis oppidum, terrorem piratis illatura. Per idem tempus Esbernus cum Vuetemanno egressus, quatuor nauigijs in septem incidere Piratarum: consertaquè pugna, cùm Mirotus spectati roboris pugil, Vuetemanno cōfligeret, aduncis (ut fieri solet) ferramentis inuicem cohæsere, diuq; fortuna cōflictati sunt: ad extremum Mirotus fiducia uiriū, in Danicam nauim transilijt: cadentibusq; cæteris, Vuetemannum habuit obuium: cumquè illo diu colluctatus, cùm neuter caderet, in suam se recepit nauim. Esbernus præteriens, alijs manus iniecit, suæ fortunæ pugiles permittens. Capti deinde omnes Piratæ perierunt; soli Miroto, ob uirtutem permissum est, ut ære lueretur.

Absolon in Piratas.

¶ Eschyllus



¶ Eschyllus Claræualli se dedit, paci studens. Iulinum denuò captum prędæ datur. Caminum & Osna urbes obsidentur. Biennio treugæ statuuntur.

CAPVT XXXV.

QVO etiam tempore Eschyllus Archipræsul, iam ætate fessus, rerumq́ꝫ gestarũ multitudine conspicuus, cùm ab negocijs iam abhorreret: quod reliquum ætatis erat quieti impendens, ægrè, multisq́ꝫ precibus à Rege impetrauit, ut secederet. Petiuit autem Gallię cœnobium, quod Claram uallem dicunt, Beati Bernardi, iam recens uita functi, nomine percelebre. Interea Vualogastenses, angustias mœnium suorum prolatantes, sudibus in amnem fixis, magnis saxis deuolutis, inmeabilem hostibus amnem fecere. Rex tamen in eam gentẽ ducere, iam annuum cœpit habere. Igitur armata classe Zuinam ingreditur. Iulinũ aggressus facilè expugnat. quòd adhuc pristinæ cladis meminerint. Incolæ diffisi, Caminum magna ex parte commigrarunt. Itaquè captum oppidum, prædæ subiecit, mouens in Caminenses. Sed quoniam ualidior erat oppidi munitio, quàm ut facilè caperetur, in prædam contrahendam agmina sua Rex dimisit. Inde in Osnam urbem duxit: eamq́ꝫ obsessam terrere uoluit. Vbi nihil moti sunt Ciues. Excursione latè facta, in Daniam redijt. Verno tempore expeditionẽ renouauit. Sed Vuandali iam rerum fessi, Oratorem de pace mittunt Pribislaum. Hic in classem incidit iam paratam mouere ex Dania: magnæq́ꝫ pecunię interuentu, Biennij pacem reportauit. Nihil tamen de Christianis sacris regioni inferendis in pactis fuit, desperatione rerum peragendarum. Equidem & si nonnulli ex Principibus iam CHRISTO crediderint, tamen uulgus pertinaciter suis erroribus inhærebat, non nisi in manu forti accæpturum salutis suæ monita.

Clarauallis S. Bernhardi.

Christianismi secta apud uulgus



¶ Concordant Rex & Saxonum Dux. In Regem proditio suorum detegitur. Caput. xxxvi.

INTEREA Henricus Dux Bauaria rediens (erat autem post. lxxxvij. annus Christi Millenus centesimus) Regis colloquium apud Eydoram deposcit. Sæpius (ut fieri solet) de finibus, deq́ꝫ communibus fœderatis simultatum causæ inciderant: quæ res peregit, ut crebris reconciliationibus opus haberetur, utrinq́ꝫ alterutros accusantibus, quòd non integra fide res constiterint. Solent multa intercurrere per ministeriales, quę Principum culpa uacent. Sed tamen Saxonica leuitas à Danis accusatur, Danica inuicem perfidia à Saxonibus cõarguitur: ita (ut fieri assolet) quòd quisquè suarum rerum non æquus est arbiter. Reintegrata grata tamen societate inuicem, Rex atq́ꝫ Dux amicè discedũt. Externis autem bellis, quæ

Anno Christi 1187.

quæ multa Rex gesſit, tũ domeſtica inciderunt, inopinanti ſanè. Nam Magnus Erici filius, cum Kanuto & Carolo, qui Regi paterna neceſſitudine erant obnoxij, in caput Regis coniurarunt: tanto perniciosius: quòd à Magno, quem Suenonis bello captum, non ſolum impunitate, ſed magna Præfectura donauit, nihil tale formidaret. Emicuit autem proditio per hanc occaſionem. Duo ex ſatellitibus Magni per Holſatiam digreſsi, hoſpitio ſubeunt in caſellam cuiuſdã Solitarij: nocturnæq; quietis locum habuere uicina cella ad cubile hoſpitis, ſolo ligneo intercedente pariete, ut totus ſermo peruius eſſet: idq; minimè cauentes, liberè confabulantur: Mirari ſe, Regem tot, ac tantis petitum inſidijs, adhuc luce frui: non niſi diuinitatis deſuper ope protectum, poſſe uiuere. Nominant coniuratos: exponunt loca quibus patrandi ſceleris inſtituta ſit, ſed diſcuſſa molitio: Quoties fruſtrati iterauerint: quoties Rex, non humano conſilio, ſed mirabiliter præter ſuam conſuetudinem agens, conatus eorum neſciens diſcuſſerit. Hæc ubi Eremita diligenter perdidicit: Illis abeuntibus, deque hoſpite nihil ſuſpicantibus, cuidam Monachorum Primario, qui Regis Curiam inuiſere conſtituiſſet, detexit: hortatus, ut nulla interpoſita mora, rem Regi denudet. Rex audiens, obſtupuit. Memorq; locorum, quæ ille ut audiuit retulit, rem ita ut narrauit, accidiſſe ſciens, omnia conſonare perſenſit. Tum apud ſe meditabundus, Abſolonem in diuæ Trinitatis ſacram ædem deuocat: cuius conſilio, utpote fidiſsimi amici, cuncta permiſit. Ibi cùm ſederent, iubet adeſſe ſenem, profariq; quæ ante detuliſſet. Ille Abſolonis uultum reueritus, quòd coniurati quidam, magna illum propinquitate contingerent, Rex præueniens, Hoc inquit, te periculo liberum præſto: nihil hunc offendes ueritatẽ conteſtatus. Tum ſenex repetit ea, quæ ante ſuggeſsit: loca commemorat: dicta & facta recitat. Omnia conſtant quadrantia. Ibi Rex, illo egredi iuſſo, miſeram ſuam deplorat ſortem: quòd nulla benignitatis inclinatione, nulla largitatis munificentia auertere poſsit à ſcelere, quos ipſe aut beneficijs iuuerit, aut impunitate donauerit, aut ſanguine proximos, ſummis honoribus extulerit. Quid igitur faciat? Differre rem, periculo non uacat: præcipitare ſententiam, ſpeciem habet crudelitatis: quando necdum compertis ſceleribus uindicaret.

Proditio in Regem detegitur.

¶ Abſolonis conſilium ſuper audita proditione. Benedicti cuiuſdam ſuſpecti geſtus. Regis item ad milites ſuos adhortatio & præmonitio. Caput. xxxvij.



ABSOLON nec minus ſuſpiria ducens, diuinis muneribus referendum ait, quòd inter tot pericula incolumis ſit: rectè illum ſentire confeſſus, quòd neque præpropera ultio, neque

omnimoda dissimulatio integritatem illius deceat. Munire latus custodibus interdiu, noctuquè: neq; ab armis illos discedere. quo coniurati conspecto, se proditos agnoscant. interim diu latere, quòd tam multos habet conscios, non posse. Rex consilium exequitur. Carolus autem iam antequàm res Pontifici proderetur, illo interposito, prouincialis beneficij à Rege gratiam deposcit: siue tegendæ conspirationis gratia, siue desperatione perficiendæ. Rex primùm de suo fisco stipendia promittit, quoad uberius consulat: tegens uultu, sermoneq; quod iam resciERAT. Cumq; ille Absolonem iam rerum conscium perurgeret: ne ille quidèm conscientiæ signum dat, sed uerbis differt, benè sperare iussum. Interea Benedictus quidam, memoratorū Kanuti & Caroli germanus ex patre, cæterū pellice natus, cùm inter commilitones ad mensam Regis accumberet: cultellum, quem edendi gratia tenuit, sæpè uersabat, quasi uulnus facturus: tum gremio reconditum, per interualla resumpsit, Regemquè terribilibus nonnunquàm oculis designabat. Gertrudis puella Regij filij sponsa, hæc oculis obseruans, allachrymata Regem admonet. Ille Nicolaum quendam dissimulanter accitum, mensæ præpositum, fortem ac fidelem militem, præmonet, Benedicti gestus oculis metiatur, manusq; obseruet. Interim multorum attentio, pudorem incussit furenti, & secum paratum scelus iam agitanti: cultellum loculo restituit. At Rex Absolonis consilium mente reputans, doluit se hactenus dissimulasse. Sed tum euocatis in locum militibus, quibus aderat idem Benedictus, Compertum inquit se habere, caput suum multorum (quos nosset) insidijs peti: armatos semper esse iubet, nec proximo fidere: scire se tamen, multos habere fidissimos milites, quorum opera fidat: illos præmonitos esse iubet, ut ualidissimas insidias excipiant, nunquàm gladijs discedētes. Tum milites inter se frendêre: noxios nudet morituros, etiam si Regi sint cognatione proximi, qui sint sceleris conscij. Illa hactenus dixisse sat esse ducens Rex: uigilare iubet in reliquum. At Benedictus malæ mentis conscientia, proditam ratus Coniurationem, in Iutiam transit, Magno quæ audierat detecturus. Ille ubi audiuit, Lubecam adnauigans, Henricum Ducem petiuit, nullo se Daniæ loco tutum arbitratus. Carolus, atq; Kanutus eodem nuncio fratre perdocti, ad Birgerium Gotiæ Ducem, exilio demigrant.

Benedictus proditor.

Rex ad milites suos.

¶ Eschyllus fugæ & proditionis suorum nepotum certior factus, deprecandi facinus causa Regem adijt: animum autem Regis offensum deprehēdens, ne & ipse in suspicionem ueniat, ab instituto deflectit. Magnus uerò Absolonis fide interposita, se purgaturus, in Daniam redijt.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

ESCHYLLVS maternus Adolescentum auus, ubi fugam illorum accipit, simul & causam audiens festinatæ emigrationis, ad Regem Vuiburgum contendit: Nepotum, si fieri posset, causam emendaturus, et ueniam, si daretur, tentaturus. Rex illũ dissimulata suscipit indignatione: nec Pontifex aliquid signi edit, unde ille in suspicionem deueniret: Eschyllus quoq;, ne & ille conscius rerum uideretur, silentium agere, quàm supplicem se fieri pro Nepotibus, satius duxit. Magnus autem apud Henricum Ducem sedulò agebat, ut reconciliator integritatis apud Regem fieri dignaretur, tegens causam exilij. Ille autem literis ad Regem pro Magno datis, reconciliationem seriò procurabat. Rex non rescribere, sed nunciũ mittere consultius duxit: Henricum stabuli sui Magistrum, Saxonicę uocis gnarum misit: ut doceret, qua in causa Magnus apud Regem delatus esset. Ea cùm apud Ducem præsente Magno exponeretur: ille impudentia armatus, pernegâre: Duellum offert in eam rem deferenti. Hic uerò, se non in eam causam testatur missum, solum autem ut reum moneat, si fidat innocentiæ, patria se lege purget. Rogat Dux, quæ sit lex Purgationis? Ferrum, inquit ille. Tum conuersus in Magnum, Audes illo innocentis animi periculo decertare? Ille uerò, Non semper inquit ea sors miraculum ostendit. Compertum est, innoxios aliquando sic perijsse. Quid ergo inquit Dux præsidij à me petis, si patrijs legibus ipse diffidis? Paulũ meditatus Magnus, addit. Quencunq; exitum res habitura sit, si impunitatis mihi præstetur securitas, Regem adire polliceor. Tum Nuncius fidem suam obstringere, seq; uadem fieri promittit: quòd patrijs legibus etiam conuictis præstetur dilabendi facultas. Ille nullius, quàm Absolonis interposita fide, uerbis se credere ait. Nuncius ista cùm ad Regem retulisset, Rex missa ad Ducem epistola, Absolonis fidem interponit. Gauisus Magnus, tanta celeritate fertur in Sialandiam, ut prius Absolonis domo uisatur, quàm Regi de eius aduentu Epistola nuncia ueniret. Superuenit illò & Pontifex, Magnum bono esse animo iubet. Deinde cùm interposita mora, ad dicendum in Ornsiensi Conuentu causam narrare iussus Magnus, tantum fiduciæ uerbis Absolonis concæpit, ut sine timore iam in Iutiam ad sua transiret. Sed non potuit malè sibi conscius animus conquiescere. Quippè literæ eius deprensæ sunt, quas in Regem miserat: Regiquè allatæ. Ille ubi ex itinerantibus deprensas, & ad Regem perlatas intellexit: apertè queri, Signatorium se pridem annulum amisisse, eumquè ab æmulis repertum, facultatem illis præstitisse Magni calumniandi. Quam rem etiam Absoloni prętendebat, iam Scaniensium, Sialan-

Magni uersutia.

densiumq; optimatibus stipato, in Conuentum eunti.



¶ In Procerum consessu, Rex Magnum coniurationis in se accusat. Consternatus ille, inducias respondendi in crastinum adsequitur. Absoloni tum rem omnem patefacit. Caput. xxxix.

SED defecerat iam Magno fiducia in eundem Conuentum eundi. Tanta enim homini trepidatio incessit, quae moribus pristinis dissimilis uideretur: praesertim, quòd pristinis calamitatibus (ut ferebat) accederet, infelix ista Signatorij amissio: unde adulteratę epistolae, uelut illius circumferrentur. Sed Absolone perseueranter dicente, Etiamsi criminis confessionem iam edidisset, manere illi abeundi libertatem credidit: cum illo profectus. Vbi in concionem peruentum est, Rex omnium rerum in eũ benignitate exposita, reum agere coepit Laesae Maiestatis: pietatem suam, parricidio rependere auidum: quod eius fuga non uiolenter ingesta, sed à solo reatu conscientiae profecta, recenter prodiderit. Ad haec Magnus, Se non delicti cuiuspiam conscientia, sed minacis Nuncij per Benedictũ accaepti, impulsu, dilabendi consilium accaepisse: tutius è longinquo rationem irato Regi redditurum. Mirari, quo pacto Rex cognatum, quem omni solet benignitate fouere, in eam suspicionem adduceret. Tanto, refert Rex, ingratioris in te animi maleficia cöarguo, quo in te semper profusior fui. Inde iubet in medium Literas dari, alteras iam apertas: clausas adhuc alteras. Primis, Scanienses hortatur in Regem consurgere: quòd iam multos per potentiam opprimeret: se libertatis futurum autorem, si quid fortiter audeant. Alteras Carolo & Kanuto consignatas, ut in Scaniam se transferant: nouis rebus studeant: se Iutiam commoturum: futurum, ut maioribus Prouincijs occupatis, facilè Rex opprimatur. Iubet circumferri per manus Pontificum Signacula: ut discernant, si uerè sit Magni signaculum. Res luce clarior ab omnibus iudicata. Sed augebat hominis noxiam causam, quòd tanto silentio iam obmutuit, ut ne uerbum quidèm responderet. Tum Absolon rem interpretatus, Nihil mirandum asseuerat, si magnitudine rerum inopinata territus, fiat elinguis. Igitur iubet paulisper secedere: & amicis quos uelit in deliberationem euocatis, responsa maturet. Gauisus, ac perinde respirans Magnus, secedit: Absolonemquè, & Tukonem Vuendilensium Praesulem, praefatus ueniam, aduocat in deliberationẽ. Is Tuko parenti eius Scriba fuit, atq; Diaconus. Conuenit: ut stupore deposito, uel ipse, uel per interpositum amicum, deliberationis spacium in crastinum postularet: idquè non difficilè impetraturum. Consensit Rex. Et iam cunctis Proceribus Regem deducentibus, Magnus Absolonis latus non

Regis in Magnum accusatio.

Literae proditoriae.

tus non

tûs non deſeruit: percunctatus, quod illi defenſionis genus aſſumen- dum ſecurius uideretur. Nullum inquit, uacat periculo. nam tot indi- cijs rem deprenſam, purgare difficile: patrias leges ſubire duello, an- ceps: confeſsionem agere, quam nulla ueniæ certitudo præcurrit, du- rum. Magnus, ſi ueniam ſpondeat Abſolon, cuncta ſe ex ordine dictu rum aſſeuerauit. Si quid ait ille, ſecretũ committis, omnem tibi fidem poſſum & polliceri, & exhibere. Cæterum, ne ſacramentalis fides, ſe- creta uelut ſacerdoti prætendat, ſuadet: uiros fideles & induſtrios ſecre ti ſeruatores adhiberi, Suenonem, atq; Esbernum fratrem. Quibus ac cedentibus, cuncta pandit ex ordine, tẽpora, locaquè deſignans. Com plures nominat. Illũ benè ſperare dicentes, iubent conquieſcere. Nam mollium Colloquiorum obſeruanda ſunt tempora.



¶ Rex inſigni clementia Magnum uenia donat, prodi- tionis noxam illi remittens. Caput. xl.

VBI uiſum eſt adeſſe horam, Regem aggrediuntur, cõ- templari orant cauſæ exitum. Si pernegauerit: non eſ- ſe tutum, indemnatum dimittere: nec ſecurum, confeſ- ſionem ſine impunitatis promiſſo agere. Si uerò ſpon- tè confeſſus, ueniam impetret: eſſe Regi decorum, ueniam dare: ſecu- rum, hoſtes detegi. Spondet Rex eorum conſilio actutũ omnia, quo- rum forti ſemper utatur opera. Productus in iudicium Magnus, quid reſpondeat rogatus? Nihil ille ſe habere quod facto prętendat, niſi Re gis clementiam: deprehenſum ſe: ſi pugnare contendat, facilè conuin- ci: omnia ordine geſta confitetur, & genibus nixus ueniam orat. Rex priſcæ familiaritatis, Nobilitatisquè reſpectu, conſurgere iubet, uenia què donat: ſed familiaritati non reddit. Miratus tamen, perſeuerat ro- gare, Méne petitum inſidijs obtruncare ſtatuiſti? Quid inquit ille, ro- gitas? Nec animum, nec manum, nec gladium defuiſſe, ſed fortunam, quo etiam diuina te ſolùm ab alto miſeratio ſeruauit. Ad Kanutum, Carolumq; deinceps mittere mandata, interdicit. Ille uerò, Si quid ali ud cõperias ait, indignũ uenia ipſe me prædico. Interea ex his, quos il le conſcios detexerat, quia ueniam rogabant, uita & rebus donatos, in exilium abire permiſit.

Frugi Con- ſilium.



¶ Eſchyllus Archipræſulatui clam Regi, & palam populo renunciat. Caput. xli.

HOC tempore Eſchyllus Pontifex maximus, de Nepoti- bus ſuis exemplo Magni, ſpem ueniæ præſumpſit: miſsis in eam impetrandam Abſolone, & Aſcero. At illi nihil placitum ab Rege referentes, Præſulem ſupra modum contriſtauere. Aderat per eos dies feſta ſolennitas, quo Rex accitis Suecorũ Prima-

 tijs,

rijs, filio nuptias celebrauit Regio luxu. Ibi Eschyllus iam senio fra∂ctus, Regi secretius insinuat, se rem illi preferre magni ponderis, quam animo recondi precatur. Diu se anxia cogitatione deponendi Pontificij teneri: iam in eam penitus uenisse sententiam, ut quàmprimum ponat: Regiæ dignationis in eam rem precatus consensum. Rex arbitratus illum suo nepoti Ascero studere, quem secundum à se in Ecclesia Præsidem habebat: quemq; Rex postea, quòd conscius coniurationis fuerit, etiamsi non approbarit, pro eo tamen, quòd celaret, exilio mulctauit: nunc tamen dissimulata re illa, hoc solum obtendit: non posse illum, inconsulto Rom. Pont. Præsulatui cedere. In quam rem promptum iam responsum Eschyllus habebat: quòd iam literas teneret summi Pontificis, non modò super renunciatione, sed etiam super successoris electione. Regem obsecrabat, ut rem apud se maturatam, clam alijs seruaret: ne quid nouaretur: & exacto mense, cum omnibus Prouincialibus Episcopis dignaretur interesse, non solùm renunciationi, sed etiam designationi successoris. Sed Rege iam abeunte, ille ad populum in concionem deuocatum regreditur: dicens, quanta illos complexus sit charitate: qua illi uicissitudine in se grati extiterint: nunc laborum tædio, & ætatis grauedine ferre pondus non præualens, abire constituat: curam illorum, diuinæ miserationi permittens: à qua & illis in se peccantibus ueniam, & sibi in quenquàm negligentius agenti, impendi precatur: sacramento sibi militiæ deuinctis, laxamenta tribuẽs. Suffuderat oculos uniuersę cõcionis lachrymis, tam miserabili uoce prolocutus.

¶ Eschyllus causas renunciationis publicè exponit, Pontificatui solenniter cedẽs. Successorem Absolonem nominat. Qui summis conatibus obstat.

CAPVT XLII.



NTERIM appetebat tempus constitutum, & inter primos redeũtem Absolonem, præmissis equis hospitio inuitat. Non refragatur ille. Vbi primùm uentum est in conspectum, rogat Eschyllum: ut quid populum tanta impleuerit mœsticia, suo discessu? Ille refert, Non se diutius pondus pro ætate ferre posse: exilioquè Nepotum, propriam se domum odisse. Accedere quoquè, quòd Bernardo Claræuallensi quondam Abbati sit pollicitus, Pontificale culmen dimittere, priuatamquè quæ supersit agere uitam. Venerat Rex cum cæteris ad diem Pontificibus. In ædem diui Laurentij conuenitur. Ibi co

ram cunctis Eschyllus Pontificatus insignia, baculum & mytram, cum annulo in aram deponit: iubetquè proferri de Sacrario cuncta, quæ ab olim fuerant, quæquè ipse addiderat sacra uasa & ornamenta: præfatus labores & erumnas, quas pro Ecclesia tulerit, CHRISTO se illa debuisse: nunc iam pro ætate ueniam sibi, & requiem permitti: quòd amplius nequeat oneri satisfacere. Rex uerba eius subsequitur: Etsi crebras cum Regibus simultates gesserit, sacrum tamen Pontificale munus, nihil se minus impleuisse: nunc Regem & Pontifices Romani Præsulis auctoritati libenter cedere. Vnum tamen in publicum edere iubet, An ulla sua denunciatione, aut impulsu, aut fastidio, uel pressura pondus detrectet? Tum Eschyllus, directis in aram manibus iurâre, & præsentia sacra testâri: se non odio Regis, aut ullius iniuriæ ex eo receptæ uiolentia, sed perituri honoris fastidio, perpetuoquè studio in hoc peruenisse propositum. Grata Regi responsio fuit, cupienti uera Pontificis confessione, calumniæ uitare suspicionem. Tum Rex hoc quoquè rogat, Num dissimulanter in eos egerit, quos Pontifex censura distrinxerit? Nequè hoc factum apertè testatur. Tum Romani Pontificis literas in publicum legi imperat: quæ hoc habuere. Diu se Lundensis Pontificis missionem petentis, uotis reluctatum: ad extremum cessisse: permisisseque, ut sua uoluntate renunciet. Tum exurgens, publica se uoce abdicat, Pontificaliaquè ornamenta aræ imponit. Excussæ sunt cernentibus lachrymæ. Tum conuersus in Regem, alijs literis prolatis, Legatum se docet Apostolicum, pro Successore deligendo. Auditis & perlectis literis, clara uoce denunciat: permissam sibi in ea parte potestatem, Clero, cui eligendi ius sit, refundere: ne Ecclesiam, cuius semper sit tutatus dignitatem, honore despoliet. Rogatur obnixius, ut consilium suum illis nunc ut semper impertiatur. Rex quoquè plebis in ea parte uices peragit: monet, ut uoce designet, quem idoneum muneri deputet. Tum Eschyllus, se inter diuinam, humanamquè formidinem fluctuare testatus, graue sibi fore, uoce signare quod sentiat. Nam nisi uirum maximè rebus idoneũ designet, diuinæ se iræ ultionem metuere: sin quod senserit edicat, tum se hominem amicissimum, alibi laudabiliter Præsulatum administrantem, grauiter sciat offendere: quòd honorem illum summis conatibus recuset. Cunctis iam preuolantibus animo, quem signet, orant tamen perloqui. Et ille, Roschildensem inquit Antistitem mihi propinquitate, uobis existimatione notum, designo. Tum exurgens Absolon, Imparem se oneri imposito causatus, nulla ratione adduci posse affirmat, ut ECCLESIAM suam, quam graui labore inter pericula seruauerit, & ex tenuitate in splendorem, qui cerni possit, euexerit, deserat:

Cessio solennis Pontificatus Eschylli.

Nominatur Absolon.

proinde rem frustrandam protinus auertant, de alio cogitātes. Eschyllus autem Clerum Lundensem, cui deligendi ius esset, increpitat, quid sileant: ipso suas exequente, cur non illi partes etiam suas exequātur? Tum illi paribus uotis in Absolonem collatis, non solùm uoce, sed etiam iniecta manu, in Sedem ab Eschyllo uacuatam, protrahere connitunt. Primus Eschyllus prehēsum trahere cœpit. Secuti illi. Interim solennis cantus in laudem Deo inchoatur, cunctis concinentibus, populo etiam plaudente. Solus Absolon reluctatur, etiam manu se tutatus. Iam res in rixam peruenit. Nam ille pugno se tutatus, quosdam per indignationem abiecit in terram. Eschyllus, ne se diuinis uoluntatibus obuium faceret, rogat. Rex quoq;, ut omnium uoluntati cedat, hortatur. Ille silentium deposcens, ubi primùm audiri potuit, Appellationis uocem emisit. Tum Eschyllus, Quando inquit friuolè obluctaris omnium uotis, nosse te uolo: meam, tua in sede prima Rom. Vrbis postulationem fore potiorem. Nicolaus quoq; Roschildien. Chori senior, super irrogata ui suo Pontifici, prouocauit. Sed tum in ea re quies interposita, Missæ solenni locum fecit. Qua ex ritu festi solenniter peracta, Eschyllus benedictionis munus in fine officij ad Absolonem iam legitimè delectum deriuauit. Ille pertinaciter recusans, si non alio, tamen Legationis munere ad Eschyllum pertinere. Itaq; ut contentioni finis esset, benedictionem ipse peragit. At Absolonem deinde in cubiculum uocans, etiam genibus nixus, precatur cum lachrymis: ne DEI, Regis, & populi uotis tantopere repugnet. Ille propositi tenax, senem amplexus leuat, indignum se uociferans ea precatione. Hic frustratus, aliud permolliendi genus excogitauit. Splendidos equites nuper à se suis sacramentis dimissos, Absoloni mittit, iusiurandum præstituros. Ille nihil motus, Non se esse ait, cui debeant tanti uiri obnoxij fieri. Qua illos à se perseuerātia repulit. Demum in arcanam uestibuli partem hominem deducens, ostendit quæ relicturus sit ECCLESIAE donaria. Ille animo & oculis auersus, Si quæ Deo (ait) offerat, nō esse unde pœniteat. Tum ferūt excanduisse Senem. Quandoquidem tanta pertinacia obluctaris, minora quàm statueram Ecclesiæ relinquam. Deinde Regi aureum poculum dono dat, memoriale perenne: Absoloniq; non dissimile: cæteris inde amicis pro dignitate cuiq; impertitur. Neminem ex amicis indonatum præterijt. Inde corporis debilitate commonitus, cùm igne quem Sacrum dicunt tangeretur, fugam maturauit. Scania abiens, Absolonis prius excipitur hospitio. Eius deinde nauigio Slesuicum uectus est. Et cùm poculum illi argenteum uicariæ charitatis nexibus offerret Absolon, Eschyllus non accæpit; testatus, se deinceps nullis talibus usurum. Regem obuium habens


Appellat ab oblato munere.

habens in ponte, cùm illi ualefaceret, penè defecit. Inde lachrymantium amicorum amplexibus ægrè diuulsus, cùm in currum leuaretur (nam equitandi usum Senex amiserat) flens flentes dimisit. Regis deinde Legati, cum Scanijs cogendi Absolonis gratia Romam petituri, primum Claramuallem adeunt: ut Eschylli literis, cuius non uilis erat auctoritas in urbe Roma, iuuarētur. Absolon quocꝫ cum Choro suo, refellendæ postulationis gratia, nuncios cum instructione miserunt.



¶ Magni nuncius capitur. Patefactis denuò illius insidijs, custodiæ mancipatur. Caput. xliij.

INTEREA quùm Rex cum Proceribus Roschildiæ sacram Pascæ solennitatem perageret, Scaniæ præfectus Toko, Regi defert, Magnatibuscꝫ, Magni necdū quiescentis nuncium, celeri cursu transisse, adeò omnium oculos prçteruolantem, ut detineri haud posset. Vnde Baltici maris omnia littora censent occupanda: ut intercæptus, quid rerum moliatur patefaciat. Neque enim leue potest esse, quod tanta festinatio peregit. Adulpho cuidam, propter littus Baltici maris, negocium datur: ut reuertentis hominis, cuius habitu corporis & uestium facta significatio, uestigia seruet. Ille militum manu accæpta, eacꝫ locis opportunis sparsa, insinuatum hominem intercępit. Magnus adhuc Regis Curiam sequebatur: qui cùm de his rebus perquireretur, summa cum dissimulatione rei se conscium pernegauit, uenia indignū si comperiretur. Deprensus nuncius, quùm diu perstitisset negans: ad extremum minis Quæstionum intentatis, ubi euadere non potuit, rem detexit: nullas se literas, sed dimidium lignum, cuius altera pars apud Kanutum & Carolum sit, se Signi loco gerere. Ea summa est in Danis fidei testificatio. Rogatus super Magni nomine, conscīu aperit & detegit. Nuncius Absoloni seruandus traditur. Interim Magnus latibula circumspiciens, opera Nicolai Stabularij extrahitur, Tobernicꝫ custodiæ in urbem Laterensem mittitur, carcere macerandus potius, quàm morte mulctandus.



¶ Piratæ Vuandali, nauim Regis Vualdemari deprædantur: ob eamcꝫ rem egregie plectuntur.

CAPVT XLIIII.

SA tempestate Vuandali sæpè fracti, sæpè uicti: etiam pacti, cùm armis Danorum pares esse non possent, à rebellione tamen minimè abstinuerunt: durante odio penè natiuo Nationum. Nam & ueterem quęstum suum, adhuc CHRISTO perfidi VVANDALI, intermittere non potuerunt: dulcedine prædæ inescati. Victi

terra, marique, redibant in idipsum. Deprehenderant tum in mari nauim Regi Vualdemaro deferentem arma plurima, & reliqua, ex Socero xenia. Eam Rex magnifaciens: cui precium & æstimationem uehementer adauxit mittentis affectio: simul & contemptus nominis sui in Vuandalis, angebat Regem toties illorum uictorem. Ergò mittit Oratorem ad Pomeraniæ Principes, quorum portubus cōstitit egressos prædatores, reposcentem quæ adempta dicerentur, nullius ante Belli facta denunciatione. Poterant ignorare Principes, quæ in latissimo mari ab suis, incertum, an ab alienis patrarentur. Qui missus fuerat, sine magno fructu redierat, uerba pro uerbis referens. Ad arma erat redeundum: ut exprimeret bellicus labor, quod quieta postulatio non impetrauit. Mirum sic esse natura comparatum: ut littore maris habitantes, ad piraticā sint improbitatem cæteris propensiores. Quocirca Cn. Pompeius cùm maris purgandi, ab Romanis illa tempestate latè imperitantibus, accæpisset potestatem: semel ac iterum edomitos Isauricos, cùm mari arcere non posset, superatos transtulit in mediterranea, ut longè submoti, non haberent in oculis quod ad prædam inuitaret. Identidem Vuandalis factum cernimus: quos Saxones nouarum urbium habitatores, ad mediterranea detruserunt: dedignati intra urbes, etiam in officijs uilibus agere, iam nunc ad eximiam paucitatem redactos. Huius autem expeditionis exitum in Vuandalia requirat, qui ad plenum id nosse uelit.

Cn. Pomp. in Isauricos.

Vuandali à Saxonibus cöerciti.



¶ Decreto Alexandri Pont. Rom. Absolon Lunden. Ecclesiæ Archipræsul, & Roschildien. Administrator declaratur,

CAPVT XLV.

PER quod tempus, ueteri iam, diuturnoq́; in Romana Ecclesia, per Romanorum Imperatorem Fridericum cōsopito scisma te, Alexander uerus & indubitatus Petri successor agnoscitur. Apud quem Lundensis Ecclesiæ, Absolonisq́; personæ causa, utrinquè pari partium instantia diu agitata, illum accepit exitum: quo utriq́; poscentium satis fieret. Nam misso in eam rem Galando Legato, perfecit: ut Absolon Lunden. Archipræsul & esset, & haberetur: priorem tamen Ecclesiam seruaret commendatam. Galandus in Prouinciam ueniens, Clerum Lunden. Roschildiam euocauit: ibiq́; mandata peregit Apostolica: minatus execrationes terrificas Absoloni, si repugnaret. Deinde in Ecclesia metropoli Pallio illum honestauit. Astititq́; sacro ministerio: quò nouus metropolita, Homerum Ripensis Ecclesiæ electū consecraret Episcopum. Ita & Regis, & Cleri, populiq́; impleta sunt uota.

uota. Affecuta eft quod uolebat Lunden. Ecclefia: non deficit tamen Rofchildienfi, quæ illo ne careret, neq; fumptibus, neq; laboribus duxit parcendum. Romanus Legatus hibernis in Regno peractis, accæpto tempore Romam regreditur.

¶ Rex Vuandalorum depredationem, per Abfolonem & Kanutum filium, ulcifcitur. Pace autem conditionibus oblata, foluitur exercitus. Capitur Kanutus exul, & uulnere cadit Carolus, Regis proditores.

CAPVT XLVI.



IS ita compofitis in Regno, Regem adurebat recordatio accæpti nuper à Vuandalis damni: magis autem contumeliæ irrogatio, cui necdum fatis pœnarum expendiffe uiderentur. Igitur renouata expeditione, folis Iutis feptentrionalibus ueniam remeandi permifit: cæteri cum uniuerfi Regni uiribus egredi conftituunt. In quibus Fridericus Slefuicenfium Antiftes, infelici aufpicio ducens, cùm pleniori uelo quàm ferret nauigium incederet, fubuerfa naui, cum omnibus perijt. Necdum repertum eft corpus Antiftitis, cùm cætera tollerentur: inuentum autem multo poft tempore, nulla corruptionis documenta prodebat. Quæ res fanctitati eius adfcripta eft. Abfolonem tamen amici mors priuatim magno luctu contigit. Rex collecta iam claffe, uires probauit: fed iam ingrauefcente ætate, domi manere conftituit: Abfolonem, Kanutumq; filiū rebus præficiens: præfatus, quòd illorum uictoria, æquè magnam gloriam: detrimentum, minorem ignominiam referret. Illi itaq; cum Legionibus nauigationem ingrefsi: aucti etiam claffe Rugianorum, Oftrofnam urbem aggrediuntur: tam inexfpectati hoftibus, ut ante Prouincia popularet̃, quàm refciffent: Nifi quidam incautius incendia mifcuiffent. Gerimarus Rugianorū Princeps, cùm duo eius gentis hoftes in ripa decurrerent, intento arcu alterum proftrauit. Cuius focius uindictam meditatus, cùm uicifsim iacientem arcu petere ftatuiffet, uidens Rugianorum effe Principem quem peteret, arcu proiecto, in fugam fe coniecit. Tantum in ea gente Principibus uenerationis impenditur. Inde Vualogaftum petiuere: ponteque fuperato, mœnia oppugnauere. Sed tardum militiæ genus faftidientes, excurfionibus tam latè inftiterunt, ut qua parte hoftis occurreret, haberent incertum. Cernentes autem Vuandalorum Principes, uirium fuarum imparitatem, Colloquium de pace poftulant. Nec detrectauere Danorū Duces. Ibi Cafimarus Princeps uerba faciens, Parui fe pendere teftatur, paucorū iugerū uaftationem: facilè fibi, gentiq; fuæ, in fuperiora Pomeraniæ loca, quæ uel latifsima funt, receptum patere: alijs tamen fe caufis de pace fermonem introducere.

Frider. Slefuicenfis Epifcopi fubmerfio.

Oftrofna oppugnat̃.

Vualogafti obfidio.

Nicolaus

Nicolaus Falſtricus non tulit iactantiam, ſed protinus refert: Fruſtra ſe de Prouinciarum latitudine gloriari, quando & ſuperiora à Polonis, & citima à Danis infeſta ſentirent. Inde propius Colloquia admouent optatæ paci. Nam & Oratores Regis, quos captos tenuerunt, ad uſq; libertati donare: & duo milia talentorum in compenſationem ablatorum: Abſoloni quoq;, atq; Kanuto Ducibus, centum libras nummum ſe daturos conſtituunt. Abſolon ſeorſum uocatis Danorum Primoribus, conditiones offerri dicit, ſpecie magis, quàm re placituras. ſiquidem pactione interpoſita, pacem reportare, Regem ære magno augere, ſpecioſum quidèm: ſed longè ſpecioſius, penè debellatos hoſtes ad iuga cogere, deditionem exprimere. Tamen ſe ſuo arbitratu nihil conſtituere: in illos reiecit electionis arbitrium. Omnes penè elegêre, ut his conditionibus, quæ illis fauoris plurimum parere, ſatis afferrent gloriæ uterentur. Ita conſtituta pace reuertentes, expeditionem ſoluêre. Præmiſſus Esbernus, Regem optato implere nuncio, ubi ex ipſa uenatione ueniens, paucas conſpicatus naues, fugam primo ſuorũ putauit. Sed audiens rei exitum, nuncium ipſum magnificè excæpit: Ducibus gratias habuit: Legiones collaudauit. Per quæ tempora Kanutus & Carolus exules, in Hallandiam quibus poterant copijs conceſſere: ſperantes incolarum fauorem. Quem ubi non perſenſere, retrocedentes, aciem inſtruxere nemore uicino, quod Gotiam dirimit ab Hallandia, ad fugam freti. Sed tamen ea pugna illum habuit exitum; ut captus Kanutus, in carcerem iret ad Magnum coniurationis ſocium: Carolus excæptis uulneribus, paulo poſt repertus eſt ſeceſſu non longin quo mortuus.

Pacis conditiones.

Kanutus proditor capitur. Carolus cadit.



¶ Henricus Saxonum Dux ethnicus, à Rege fruſtra in Cæſarem auxilium petit. Soricum ſpontanea ſubmerſio. Tumultum populi partim Abſolon ſedat.

CAPVT XLVII.

HOC erat illud tempus, quo Henricus Saxonum Dux, offenſo grauiter Cæſari, ob negata in obſidione Mediolani arma, ex ipſa Bauaria fugatus cederet, auxilia in eum circumſpiciẽs. Igitur euocato Rege in colloquium ſuper Eydoram, iam non dubitauit Pontem tranſire, quem antea faſtu inflatus, cùm Regi non cæderet, ſuperare recuſabat. Adeò ſuperbiæ neceſsitas imperat. Vbi uentum eſt in colloquium, Arma rogat auxiliaria in Cæſaris ſuperbiam, multis uerbis accuſatam. Rex præfatus, Se nullo uinculo illi iam eſſe obſtrictũ, quem Henricus toties poſthabuiſſet: tamen ſi paritum fuerit conſilio, non defuturum auxilium. Percunctatur, quod ſit illud conſiliũ? Tum Rex: Si primùm cœleſti Imperatori reconcilieris, arma tibi in terrenum poſſem

possem polliceri. Alioqui illo tibi aduersanti, tu cum omnibus auxilijs hosti eris ludibrio. Ecclesiarum bona, quæ Pontificibus à te ferũt detracta, si reddas, auxilio tutum dimittam. Ille refert: Plura se ab Episcopis beneficij nomine tenere: quæ si reddenda forent, ipse nudus resideat. Adiecit conuitij nomine: Corrasæ, attonsecꝫ ceruicis homines, non tanti apud se esse, ut ultro opibus careat. Tum Regem orâre: Si arma non prębeat, recusationem tamen clam habeat: ne sui à se deficiendi ad Cæsarem inueniant occasionem. Infecta re redijt. Regresßis inde Danis, mirum dictu prodigium incidit. Nam infinitus Murium grex collectus, sponte mergendum se aquis intulit: miraculocꝫ fuere cadauera litoribus appulsa. Absolonis uestem sorices ea nocte roserunt. Præcinuerunt superstitiosi, rem magnam portendi. Cùm uerò grauis tum in Scania tumultuatio, quòd tributis, collectis, & exactionibus plebs grauaretur, exorta nunciaretur: futuri præscij credebantur superstitiosi. Quotidiè autem ingrauescentibus malis: in Conciones clamoribus plenas, Præfecti multitudinem placare aggreßi, fugantur: & nisi sacris Ædibus recepti, tuti non erant. Mittitur Legatio Archipræsuli, ut ueniens, tumultum mansuetudine, & suaui oratione comprimeret. sine eo enim audiretur nemo. Dissuasere Amici: rem dicentes compositam à Primoribus, ut capiti eius periculum inmitterent. Sed publicæ saluti, Regiæ incolumitati, suam posthabuit. Perductus in Concionem, Primores habuit auscultantes, cùm se errata emendaturũ polliceretur: At longinqua multitudo, quæ orantem exaudire non potuit, clamore excitato, rem dispulit. Archipræsul rem maiorem, quàm quæ uerbis pacaretur conspiciens, Præfectos cõarguit: quòd se, mendacijs prętentis, in periculum deuocassent. Tamen multitudinem partiendam ratus, trifariam diuisit. Indicta primùm concione in Australibus Scanię. Qua & si primò grauis clamor esset, quendam ex Regijs officijs, maximè à populo incusatum, sibi proximum consîdere iußit, ut periculo eximeretur. Ita concitationem placauit, ut ea pars populi, etiam grates Pontifici quieta persolueret. Tum apud Albũ fontem grauiorem audit cõsurgere tumultum. Præmißis qui populum pacatis uerbis ad audientiam inclinarent: cùm uidissent opinione sua grauiorem, indignantibus non ausi proferre mandata, conticuere. Id autem dolo, an metu fecerint, incertum est.

Soricũ submersio spontanea.

Scaniorum tumultus in Præfectos.

Absolon ad tumultosos.



¶ Furit populus, nullo uel consilio, uel persuasu dimouendus: in Rugiam etiam debacchantes, ad libertatem omnino adspirant. Caput. xlviij.

PONTIFEX autẽ uicinam insulam, tutamento prospiciens, insedit. Aucta mirum in modũ populi indignatione,

tione, consultabat quid facto opus uideretur. Erant qui obsidionem eó loci tolerandam ducerent. Alij etiam comparatis armis, multitudinem suadebant comprimere. Ipse neutrum probans: quòd obsidioni ferendæ necessaria non haberet: nec ullis esset locus munitus præsidijs: neq; etiam patris esset boni, filiorum iugulis instare: mediam elegit uiam, ut militibus imperaret, tumultuantem populum minis & innoxijs ictibus magis, quàm ferro, uulnere, ac cæde comprimerent. Interim aucto in concione clamore, Populum ab Archipræsule & Primoribus decæptum uerbis distineri: nullas esse relaxationes onerum: omnes Regi studere: neminem miserari pauperum calamitatem: petendam Absolonis domum, qui sponte non prodiret. Cognito autem quo loco esset: illuc agmine facto, Cruce prælata, quasi libertatis uindices contenderunt. Iam milites Absolon in terram transportauit. Iussos irruere in uenientes: facilis erat labor, inermem multitudinem, ab armatis paucis, sed exercitatis dissipare. Itaq; cæsi innocuis plagis, diffugerunt. Superuenêre quos præmisit in concionem nuncij: ab eo increpantur, quòd caput illius tantis obiecissent periculis: nunc quid agendum uideatur, iubet edicere. Illi arma domi comparanda: & interim eum ad latibula circumspicientem, breui redeundum. Non se refert, latibulis assuetum, nouum Sialandiæ præsidium petiturum. Vix ille domum receptus est, superuenerant Regiæ literæ: euocantes illum de publicis rebus in consilium. Accedit: & peractis quorum causa uenerat, Regem edocet, de motibus Scaniæ. Rex armis comprimere minatur. Indignatione accensus quòd ausit, Pontifex dissuadet: potius uideri consilium, ut euocatis Primoribus, cum illis agatur. nam esse signa perpalam, quòd illi motum in populo conciuerint. Euocati adsunt. Absoloni suggerunt, Regi persuadere, exteros Præfectos Prouinciæ auferat, Esbernum, Sunonem, Haconem, Saxonem: tum facilè quieturum motum: natis in Prouincia Præfectis, facilè populum pariturum. Absolone negante, se Regis liberam dominationem artaturum, quam ille supra hominum memoriam à Maioribus acceperit. Omnia in caput eius mala, illi deriuanda minantur, ni pareat. Nihil ille mouetur. Sed tum euocati à Rege, cùm super tumultu comprimendo rogarentur, quid uideretur? Respondent: Placida Regis Epistola facilè motum quieturum. Ille autem minacioribus uerbis Epistolam misit: quæ antea tumultuantes, fecit furentes. Nam ilicò prodeuntes in concionem, Regi omnia abdicant uectigalia: Pontificibus Decimas: Sacerdotibus uxores decernunt: nihil se Pontificum indigere, habentes qui præessent sacris, sacerdotum bonam copiam, quorum nulla potentia, aut imperio premerentur.

Populi furor.

Colludit nostris temporib. Anno 1125.

Consilijs

¶ Consilijs uarijs militum auditis, Rex Absolonem Sialandiam remittit, tumultum plebis ipse sedaturus.

CAPVT XLIX.



Rex comperta pertinacia, exercitum contrahit: Helsingoram petit, Absolone sequi iusso. Regem qui in littore fuere Scanij, uenerabundum excipiunt: uenientem autem Absolonem lapidibus incessunt, aditu terræ prohibentes: inmemores, quantis ab illo exempti sint periculis. Rex ubi comperit, armis comprimendam multitudinem. Complexus medium Sueno: orat, ut multitudini parcat. Id metu, an pietate fecerit, incompertum est. Sed præualuit apud Regem amici Pontificis causa. Nam cùm in littus milites uenirent, dilapsi qui aditum impediuere, innoxios se rerum simulauere. Vbi procesſit Rex, Absolonquè, diuisis locis, apud suos quisquè milites concionem habuit: consultabantquè de rebus agendis. Scanij, qui Regi militabant, aiunt caput rerum Absolonem, Esbernum, Suenonem, & exteros quosquè Prouincia dimouere: tum rebus futuram pacem. Accessere Iutij in eandem sententiam; siue Decimarum odio, quæ nuper inoleuerant: siue qualibet ex causa, Archipræsulis causam in deteriora collocantes. Rex tacitus rem consyderat. Interim Absolonis milites, animo acres, Pontifici suo suggerunt: satis superesse uiriū, armorum necesſitudinem, generisquè, ut illum, etiam cæteris diffluentibus, incolumen per omnem Scaniam ducant. Rex utriusquè partis sententia percæpta, Iutiorum decreta paci propiora conspiciens, Absolonem in partem ducit: memoratquè, quanta semper rerum, uerborumquè consensione uixerint: quantum ab initio familiaritatis & charitatis incesserit: cui nihil unquàm spondet defuturum: Orat, ut tempori cedat: Scaniam deserat, Sialandiam repetere, non indecorum ducat. Speciosis consilijs interdum utilia præponenda. Absolon refert. Nunquàm se Regijs uotis aut defuisse, aut unquàm defuturum: scire tamen, in absentem se multis mendacijs & criminationibus agēdum. Id sibi Rex curandum desumit: gratias agens, quòd uoto pareat. Militiam quoq; eius, Regis expeditioni iungendam deposcit. Non reluctatur. Sed milites charitate Pontificis sui, iam oculos pro indignatione lachrymis suffusi, apertè queruntur: se aliena ignauia, non sua, herum suum relinquere cōactos: cuius auspicijs ubiquè uictores, etiam nunc inter aduersa nihil aut laborum, aut periculorum recusent. Retrò abeunte cum paucis Pontifice, Rex procedit: ubiq; graues conciones expertus. Nam ubi armata conuenit, Iutij qui Regem circumstetere, plebem collaudatam grauius inflammauere: malè de Rege meriti, cuius partes adiuuare uenerant, impedientes.

Consilia sutumultu sedando.

¶ Abſolonis purgatio ſiniſtrè defertur plebi. Indicto bello, tumultus oritur. Rex expedito exercitu uulgus ſternit. Decimæ & ad Regis, & uulgi preces non remittuntur. Accepta clade, Populus tranquillatur. Caput. I.



INTERIM defectis commeatibus, Rex Primores iubet adeſſe in Sialandia: ubi præſente Pontifice, in cuius caput omnia referebantur, cauſa tractaretur. Reuerſo Regi Pontifex occurrit. Scanicæ plebis Oratores aſſunt. Cauſa inſtituitur. Ibi Abſolon tanta dicendi copia refellebat obiecta, ut facilè quiuis intelligeret, eſſe friuola quæ intentarentur, ipſiq́ Oratores innoxium faterentur: ſed ad plebis conſilium cuncta relaturos, ſine quo nihil illis conſtituendum. Reuerſi, rem ipſi deteriorem fecere. Coactus Pontifex ſuo in contumaces uti gladio, Sacris interdixit uniuerſæ Prouinciæ, quoad Decimas per ſoluerent. Ea mandata ad Clerum perlata, populo erant publicanda. Conuenit magna multitudo ad ædem in Lundia diui Laurentij. Ibi duo ex Clero, Pontificis mandata plebi inſinuare procedunt. Plebs autem nihil moderata ſibi, binos ad Clerum uiros remiſit cum mandatis huiuſcemodi. Clerum populo, non Pontifici ſua alimenta debere: niſi officia in Eccleſijs peragerent, patria cederent. Neutrum facientes, non ſolùm rerum amiſsionem, ſed membrorum etiam truncationem demorarentur. Ad ea Clerus: Neq́ ſe exilij, neq́ paupertatis metu, neq́ etiam trũcationis, aut mortis comminatione auerti poſſe, quo minus Pontificis imperata facerent, quæ & honori, & æterni ſaluti ipſorum detrimenta, ſi contemnerent, inducerent. Tam conſtanti Cleri reſponſo emollita Plebs, minas prece mutauit: Superſederent ſaltem executioni, quoad Abſolon ipſe peteretur. Facilè conſenſere. Pontifex quoquè petitas inducias non recuſauit: & Clerum ſuum pro conſtantia remunerans. Interim tamen nihil à plebe emendatur. Aſpirabat uernum: & peracto ſacro Ieiunio, chriſma conficiendũ erat à Pontifice. Rex cum expedita manu Scaniam petens, Iutios, Fionenſesq́, plus detrimenti, quàm profectus aliâs procurantes, omiſit: cæteris militibus ductis. Scanij ubi audiuêre adeſſe Pontificem, mox miſſo de more per omnes ſtipite, qui Conuentus mandata præferat, libertatis prætextu ad arma conciuerunt. Aquilonares cum Hallandenſibus agmine denſo mouent in Regem. Rex à Pontifice rogatus, ut fuſtibus, quàm gladijs rem agere mallet, Hominibus, non canibus ſe conflictare reſpondit. Concurſum eſt ad Pontem apud Dyſiam: conſertoquè prælio, diu pugnatum eſt: dum illi tranſitum Pontis petunt, iſti reſiſtunt. Non contemptibiliter pugnauêre agreſtes, Sed Archipræſulis milites

Abſolonis purgatio.

Eiuſdem de Decimis ſoluendis mandatum.

Tumultus Popularis.

milites inmiſsis equis, flumen aut uado, aut natando tranſiuere: repulſiſque hoſtibus, tranſitum Regijs aperuere. Non tum diu hæſit uictoria. Nam fugati, cæſique, ac partim merſi tumultuantes Scanij, contumaciæ ſuæ pœnas dedere. Vix Rex Lundiam redijt, audiuit Orientalium quoqꝫ magnam manum iuſti exercitus ſpecie tendentem. Nihil moratus, obuiam ire contendit: Lundienſes ſequi iuſſos. Audit depoſcere Tributorum laxationem, Annuit Rex, tempori inſeruiens. Sed illo educente, poſtremi egrediuntur: non longè tamen ab urbe deſident. Sequi iuſsi, Vrbis ſuæ cuſtodiam agere, reſpondent. Opus eſſe, ne capiatur ab hoſtibus. Rex ducit in hoſtes, iam pontem occupantes, multiſqꝫ congeſtis lapidibus illum tutaturos. Sed Rex uado, non ponte tranſiens, ſuperuenit palantibus: & inermem multitudinem facilè diſsipauit. Nec longum morati, proiectis armis, manus tendunt: ueniam rogant. Rex iam à Pontifice præmonitus, non difficilis ad impertiendam gratiam fuit. Inde per omnem Scaniam exercitũ circumtulit, obſides accipiens: facileque ad omnia paruere, præter Decimarum iura, quæ pertinaciter orabant aboleri. Rex motus tanta populi inſtantia, uerbum facit Pontifici de abolendis Decimis, quibus tanto pere reclamet omne Regnum: prouidendumqꝫ, ne caſus incidat Kanuti Otonienſis, ob eam cauſam oppreſsi Regis. Pontifex nihil ſe relaxaturum de iure diuino reſpondit: ſi omnes etiam diſcedant, ſe executurum quod Prædeceſſores mollius attigêre: & ne Regem in periculum ponat, remittit illi omnem pro ea re ſollicitudinẽ. Adiecit Rex, gratijs actis, ut dilationem etiam exigendarum faceret, ne cõſilio Rex communicaſſe uideretur.

Vulgus ſternitur.

Cedes Orientalis plebis.

Decimæ perſtant.

¶ Imperatoris Friderici primi Oratores ad Regem miſsi, affinitatis ius depoſcunt. Annuit Rex. Conueniunt & rem adfatim concludunt.

CAPVT LI.



HAEC SVNT illa luctifica Henrico Duci Leoni tempora, cùm ille pulſus à Cæſare Bauaria, deſcẽderet in Saxoniam: cùm, uti diximus, pertentato ad fœdera Vualdemaro Rege, nihil impetraret. Venerant Regi tum ab Imperatore Nuncij, qui hoc ipſum agerẽt: ne ſe Henrici rebus implicaret; & de iungenda affinitate inter liberos utrorunqꝫ. Cui negocio nòn ſatis propenſum inuenere Regem. quòd meminiſſet quo modo à Cæſare de longinquo euocatus haberetur. Regina tamen magni faciebat Imperatoris affinitatem: orans coniugem, ne rem tantam antiquaret. Sed ut plenius de omnibus interloquium fieret, poſcebant, Imperatori Regem obuium fieri ad Trauenam, cùm eſſet Cæſar in Saxonia, deſcenſurus in Lubecam. Quæ om

Vide ſupra lib. eo. ca. 13.

nia ex ordine implentur. Venit obsidere Lubecam Imperator. De mari Rex illi occurrit. Fiunt obuij. Consalutant sese, & rem ex sententia constituunt, de futuris alternæ sobolis nuptijs. Eam rem quia in Saxonia & Vuandalia pertexuimus: nunc sola tēpora signasse, nobis sat sit.

Saxoniæ libro.6.c.43. Vuandaliæ lib.6.cap.13.

¶ Vualdemari Regis Danorum optimi, obitus describitur. Caput.lij.



SED dum in Vuandalos renouaretur expeditio, eaquè per Iutios euanesceret: ipse Absolon cum Regio filio Regem petit. Ille iam de fenestra prospectans redeuntes, ominatus est deteriora; quæ res etiam morbum Regis pridem contractum, auxit. At ingresso ad patrem filio, ita Vualdemarus uultum seruauit, ut morbum omnino dissimularet. Vocato tamen postea Absolone, sacræ Pœnitentiæ amplexus remedia, Ecclesiæ salutaribus sacramentis se ad exitum præperauit. Omnes quidèm meliora sperabant: solus Suno auguratus est, Regem non diu superfuturum: Kanuto circumspicienda omnia, ne quid illi nouetur. Vocatus è Scania Ioannes quidam Abbas, Medicinæ iactantior quàm peritior, Regē nihil mortiferum pati, breui conualiturum denunciat: confectis in medicinales modos potionibus, atq; alijs eius generis collyrijs, benè de illo promittit. Opertum deinde uestibus, cùm sudore diffluere uideret, salutare fore liquamen testatur. Sed statim sine uoce uisum, iussit operimento continuato sudorem non intermittere. Quas inter operas spiritum efflauit. Ingreßi, soporatum putauere: ita nihil color uariauit, sed paulatim pallore sublabente, extinctū uiderunt. Quantę omnis generis hominum lachrymæ, communem Patriæ patrem plorauêre: agrestes, ciues, milites, matres, atq; pueri communi planxere luctu. Ringstadium funus ad patrios ciues defertur. Ibi Absolon Sacra peragens, lachrymis aram sparsit: tantoquè luctu oppletur, ut uix præces continuaret. Longa familiaritas, & uisceralis amor, hoc mœroris genus etiam uiro forti imperauit. Sic commendatus, quiescit Rex sempiterna dignus memoria. Cuius res gestas diffusius in Saxonia nostra peregimus, Quòd in eius rebus describendis, iustæ Historiæ legem impleuit: utpote suorum temporum acta perscribens, quæ uiuo Absolonis testimonio potuit perdiscere. In alijs autem Regibus, quòd Annales sobrios haberet, breuius cuncta executus. Ergò quòd uerbosiores solitò fuimus, Autori tribuatur: quē in hoc Rege commemorando, tanq; diligentissimū, nō putauimus deserendū.

Alludit sudor Anglicus, Anno 1529. apud Germanos uisus.

Saxonis Historici fides & candor.

ALBERTI KRANTII Hamburgen. Chronographi, Rerum Daniæ gestarum

LIBER VII.

¶ Kanutus Vualdemari filius, Vuiburgi Concione Procerum contracta, Rex Daniæ declaratur, Sacramenta illi cunctis renouantibus. At Scanij cladis eorum proximæ memores, rursus in seditionem prorũunt, Libertatem proclamantes. Moniti desistere, recusant, Nobilium aliquot domus diripientes. Et factionis eorum Ducem sibi erigunt, Haraldum quendam Regij sanguinis è Suecia uirum.

CAPVT I.



KANVTVS filius, & si Regium nomen, & oleum sacrum iam uiuo patre meruisset: non tamen potuit non timere, ne, quę sępè patrem iniqua Fortuna iactauerit, sibi quoq; aduersariam concitaret: peractis iam ritè in funere patris sacris, Iutiam contendit: paternos amicos & milites sibi conciliaturus. quòd ea inter potiores Regni partes, parenti eius crebros excitauit labores: præsenti autem rerum statu, amicitior uidebatur Prouincia, quòd Scania recenti clade alienos ferre animos uideretur. Igitur apud Vuiburgum Concione contracta, prosperos exitus habuit: cunctis in nomen eius sacramenta renouantibus, operamquè in rebelles pollicentibus. Apud Vrnam nonnihil turbæ expertus est: sed maiori parti cedens, facilè comprimi potuit. Apud Scaniam longè alia rerum facies. Nam populus à recenti clade, quam acceperat, necdum respirauit: suspirante unoquoquè charissimos affectus eorum, quos in prælio amiserat. Igitur ad Regis nunciatum exitum, ad libertatem proclamauêre. Ad quem tumultum accitus Absolon Archipræsul aduolauit: in ipso primordio incendium si posset oppressurus. Tentauit in concione placare populum: sed quamuis dulcissimè loqueretur, præcordia mouere non poterat eorum, qui Regium odium inbiberant. Vbi se frustra conari uidit, rediit in Sialandiam. Seditionis autores (qui ex Nobilitate fuere) plebeios dulcedine prædæ sibi conciliabant. Direptæ Procerum domus Tordonis, atq; Esberni, uix elabentium. Cęteri illorum exemplo territi, rem familiarem in amicorũ fidem collocarant: ipsi sibi fuga consulentes. Nonnulli su-

Kanutus Rex. VI.

Scaniæ seditio in Kanutum.

pellectilem suam mari, quàm tumultuantibus credere maluerunt. Interea factionis Principes, cùm intelligerent, priore bello rem sine duce infeliciter gessisse: Haraldum quendam Regij sanguinis uirum, sed neq; animo acrem, neq; lingua promptum, neq; uiribus pollentem, solum, quòd Regio stemmate duceret sanguinem, è Suetia deuocantes, Regem appellant. Regij satellites, atq; Archipræsulis in Scania, missis nuncijs & epistolis, Regem, atq; Pontificem de rerum statu docuerunt. Sed re longius ducta, cùm memoratus Haraldus Regis Suetiæ, Ducisquè Byrgerij, armis in Scaniam uenisse; auctus est populari concursu: primaq; illi opera fuit, Lundiam metropolim obsidere. Fluctuabant incolæ, inter medios dubij cui inclinarent. Tamen obsidionem ferre cœperunt: demum cum uictoribus, quicunquè forent, partem iuncturi.

Haraldus erigitur.

¶ Scanios factiosos, Regis & Absolonis milites cõercent armis. Populus Archipræsulis persuasu, Haraldum abdicat. Frostanos Rex ære mulctat, uix eo precibus deflexus.



CAPVT II.

INTEREA equites memorati pro Rege atq; Pontifice adunati, cùm frustra foris auxilia demorari uiderentur: inuicem se cohortantes, impetum faciunt in hostes: iræ magis, quàm militari disciplinæ indulgentes: tantoquè feruore ducunt in obsidentes, ut illis nullus esset resistendi animus. Maius à uento obstaculum, quàm ab oppugnatis sensere, quòd ille impetu magno clypeos reiecerit. Igitur uulgus promiscuum cum Rege suo fugam init. Magna pars capitur. Lundenses egressi, uictos persequuntur, gratiam Regis & Pontificis ineuntes. Sed neq; ea cõsternatio ad quietem turbidos inclinauit, quo minus inita conspiratione tractarent de nece Procerum, & omnis Nobilitatis: quibus quia adunatis, pares esse non poterant, singulos adoriri statuerunt. Sed confregit hanc molitionem Archipræsulis aduentus cum armatis cohortibus: qui signis clam habitis, populum in concionem deuocauit: placidaquè oratione ingressus, non solùm à seditione reuocauit, uerumetiem Leges per tumultum antiquatas, renouauit; coegitquè, ut Haraldum absentem, quem adulterinum Regem dixissent, manifestis suffragijs abrogarent, detestarenturq;: ut nõ solùm armis uictus, sed etiã suffragijs esset condemnatus. Nemo iam mutire audebat, Principibus factionis iam se silenter in turbas miscentibus: quod sæpè armis uicti, nunc etiam si occurrerẽt uincendi, nullã spem, præterquàm in tranquillitate & silentio ducerẽt. Absolon rebus compositis, Esbernum fratrem Regi consternato, nuncium mittit super

Arcentur Scanij à militibus.

Haraldus abrogatur.

reddita tranquillitate. Rex iam cum exercitu è Fionia mouerat, propi us accessurus. Qui ubi Esbernum de longinquo agnouit, tetrioris for tunæ nuncium interpretatur: propius autem factum, cùm pacem nun ciaret, perbenignè habuit: cumq; illo in Scaniam nauigauit: primam-què eius partem Frostam incendio uastasset, ni Pontificis interuentu, Rex precibus motus abstinuisset. Ære tamen mulctati sunt à Rege, quotquot factionis Haraldianæ rei sunt deprehensi: ueniamq; dedit Absolonis precibus multis, qui sanguine suo crimen expiaturi uiderentur. Sed noluit bonus adolescens, primordia Regni à sæuitia mutuare. Frosta.



¶ Cæsar Fridericus frustra Kanutum ad se uocat. Vnde Bugislaus Dux, illi cum quingentis nauibus in Rugia bellum mouet Caput. iij.

INTEREA multis Cæsaris literis & interpellationibus Curiam inuisere iubetur: ut paternæ familiaritatis, promissionisquè iura consequeretur: tenere illum, quid de Vuandalia parenti eius sit pollicitus. Sed Kanutus per amicos commonefactus, parentem nõ magnopere lætatum de Cæsaris uisitatione, rescripsit: se Regni rebus nouis implicatum, abesse non posse: multa prospiceret, quæ per absentiam eius nouari possent. Cæsar autem Fridericus, ubi se contemni uidit, plenas minarum epistolas remisit: Daniæ Regnum, nisi ueniat, alienæ facturum potestatis. Cui Rex Kanutus, non aliud rescripsit: quàm, quòd prius quàm alij donauerit, primùm in suam recipere sit opus potestatem quod donet. Cæsar nihil actum literis uidens, Sifridum Turingię Principem, qui sororem Regis teneret uxorem, mittit in Daniam, eadem acturũ cum Rege. Qui primùm exposito, quanta illi ob sororem deuinctus esset affinitate, ac perinde charitate: nisi ex re ipsius uideretur, non se suscæpturum tantæ peregrinationis laborem. Cæsaris uires extollit: benignitatem illius potius, quàm arma sua det amplecti. Tum ad partem seductis Absolone, Esberno, Sunone primis ad Regis consilia: docet, qua fide adolescentis Regis ætatem iuuare teneantur: optima cõsulentes, quòd pater illos filio tutores, & curatores Regni reliquerit: Cęsaris beneuolentiam Regno profuturam. Sin bellum malint: uideant quibus uiribus Imperio reluctentur. Absolon contra. Se libenter quæ Regi, Regnoq; ducant profutura suasuros: sed in petendo Cæsare quid illi sit collocatum, nondũ se teneret memores, quo fructu parens eius Cæsaris Curiam inuiserit. Æquum esse,

esse, ut nouerit Cæsar: tantum esse Kanuto iuris in Dania, quantum illi in Imperio: quid opus sit, sine ulla necessitate, sua, iuris alieni facere. Sifrido per iram turgente, multaquè comminante, An tu, inquit Absolon, Daniam, Turingiamquè æquo iure pensas? Cæsarem ut in tuam, sic in nostram Prouinciam posse incurrere? Si uenerit, uiros se inuenisse comprobabit. Proinde abi: Regiq; tuo reporta, Kanutum Friderico nulla obsequij parte deuinciri. Cæsar non tam bello, quàm odio Regem insequitur: expectans domesticum aliquem in Regno motum, quo facilius intestino bello laborantem adoriatur. Interim Bugislaum iampridem defuncto fratri in ius succedentem, commone facit, ut bellum in Daniam suscitet. Ille Regis uiribus impar, Iarimarum auunculum suum, Rugiæ præfectum lacessit. Is Regi cui paruit, rem defert. Rex ad Bugislaum mittit Oratores scrutatores, quid illi causæ sit in Iarimarum. Multa ille commemorat, ab alto nectens causas. Conuenit inter partes: ut ad certũ diem missis Oratoribus, utrinquè per Regios etiam Oratores causa audiatur, ac terminetur. Apud insulam Samsam conuenitur. Ibi multis ultro, citroquè dictis, dies ducitur: nihil agitur. Pollicentur tamen Bugislai Oratores, Ducem suum quolibet loco Regi placito occursurum: futurumq;, ut res facilè sopiatur ante bellum. Dum ista geruntur, uiri militares Daniæ sub Vualdemaro, expeditionibus crebris assueti, pacis tempora grauius ferre uidentur: uires, nisi prælio exerceantur questi, dilapsuras. Placuit piraticam in Estones agere, gentem perfidam Christo, & quæ assiduis excursionibus mare infestum habeat: ut nihil in eam peccatum uideatur, si suis artibus impetatur, hoc sustinens, quod solet inferre. Interea Bugislaus Cæsaris uoluntatem perspiciens, quingentarũ nauium classem contrahit, inquè Rugiam, Danis subiectam, ducit: Cæsari nuncium mittens, qui doceat, quantis uiribus Daniam petat. Cæsar Ducem collaudat: nunciumq; magnis donat præmijs.

Regis milites in Ostenos piratas.

Absolon, Bugislaum mari cum quinquaginta nauibus Sclauorum, insigni uictoria superat.

CAPVT IIII.



BVGISLAVS habuit persuasum, Danorum Regem tantis suis in mari uiribus territum, ne in pugnam quidem descendere. Quem enim non terreant quingenta expeditarum nauium uela? Et ideò negligentius cuncta habuit, ubi hostem suum contempsit: ad speciem solam, quasi sub oculis CAESARIS VVANDALI iam nauigare uidebantur, commessationibus solis indulgentes.

indulgentes. Hoc necdum compertum habuere Dani: idcircò cunctis uiribus institêre, ut hostibus occurrerent. Præerat classi Absolon Archipontifex, uir ad militiam promptissimus, & ubiq; fortunatus: qui ubi contemptim nauigare Vuandalos cernebat, suos in pugnam acuit: & nihil metuentibus hostibus, uiolentus incubuit: tantaquè cæde strauit paratus imparatos, ut diu cladis meminerint. Quam rem expressius in Vuandalia sumus executi: inde qui uolet desumat. Cæsar ubi audiuit casus Vuandalorũ, Daniæ occupandæ spem posuit. Non tamen Dani quieuêre. Semel enim in pugnam prouocati, perseuerarunt: singulis penè annis renouantes in Vuandalos expeditionem: urbes paulò illustriores aut euerterunt, aut diripuerunt: ut parum lætari uiderentur Vuandali, quietos Danos ad arma deuocasse: Vualogastum, Iulinum, Osna, Caminum, & quæ fuere minora, hostibus Danis in prædam cessere. Quam in Vuandalia qui uolet rem plenius executam, peruidebit. Nos rebus interim Daniæ alijs, intendimus explicandis.

Vincuntur ab Absolone Vuandali.

¶ Cæsar sororem Kanuti à patre desponsatam, simul cum sponsata sibi dote deposcit. Lantgrauius Turingiæ repudiata prætextu affinitatis uxore prima, Kanuti matrem in uxorem ducit. Pars dotis cum puella, ut constitutum, mittitur.

CAPVT V.

POST primam illam interpellationem Imperatoris ad Danorum Regem super hominio prestando, alia uia pertentauit: mittens sollennes Oratores equis quadringentis comitatos ad Regem, ad postulandam sororem eius, cum parte Dotis, quæ coram Lubeca, nuper filio Imperatoris, à Kanuti patre Vualdemaro erat desponsata. Primarius eius legationis Archiepiscopus erat Bremensis, Sifridus frater Marchionis de Brandenburg. Apud Eydoram, ubi est Regnorũ limes, conuenerant. Adolphus Comes, hospitaliter excæperat Oratores, largissimè explens sumptibus atq; epulis. Rex iamdudum auersum gerebat Imperatori animum: quòd ab illo nuper hominium postulasset: & nisi iuramentum à patre interpositum Regem commouisset, omnino irritasset sponsalia. Pacta autem dotalia hæc erant: ut cum puella mitteretur pars dotis (erat autem tum septennis) & reliqua legitimis annis nuptiarum tempore, infra mensem & semissem numeraretur: pondere publico argenti marcæ, quod instituerat Carolus Magnus, uenirent ponderandæ. Quòd si quid horũ minus impleretur, irrita omnia forẽt. Ea cùm Kanuto Regi renouarent̃ per Legatos, indignationem maiorem concępit: dissoluissetq; omnia, nisi sacramentum & religio

Cæsaris Legatio ad Regem.

& religio patris illum deterruisset. Igitur tradidit septennem puellam: cumque illa quatuor milia talentorum argenti: mediocri apparatu, non Regali præditam familia. Erat & illa inter Imperatorē & Regem dissensionis non uulgaris materia: quòd socerum suum Henricum Leonem, cuius Rex filiā tenebat, Ducatu & rebus omnibus exuisset. Sed patre uiuente, non se poterat filius pro socero commouere: præsertim, cùm omnia ad Regni iura apud patrem permanerent. Idem quoque Rex, cùm Rugiam ex patre accæpisset, ad Obotritos quoque ditionem propagabat. Nam cùm Buruuinum Principem captum à Iarimaro teneret, factus arbiter inter fratrueles, ita dirimebat utriusque ditionem: ut in utraque sibi seruaret superioritatem, & ut recognoscerent ab illo dominia sua. Alia quoque affinitate idem Rex sibi deuinxit Principes Germaniæ. Nam Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ, cùm coniugi titulum consanguinitatis opponeret, repudiauit illā: accæpta coniuge matre Kanuti Regis, relicta Vualdemari, fœmina mediocris ætatis, citra quadragesimū ætatis annū. Quæ cū multo thesauro & supellectili fœminea, à Regia Regnum egreditur. Ad Eydoram à Lantgrauio excipitur honore plurimo. Aderat Adolphus Holsatiæ Comes: qui honestißimè per terram suam deducens, locis opportunis lautis epulis, præcipuo apparatu hospitaliter habuit.

Causæ dissensionis in Cæsarem.



¶ Cæsar Frid. pacta nuptialia frangi uidens, sororem Regi remittit. Redit & sine honore à Ludouico Lantgrauio, illius mater. Thietmarsi se Danis sponte submittunt. Caput. vi.

LONGO post temporis interuallo, cùm euolutis annis Nuptiæ intentarentur filij Imperatoris, cum Germana Regis Danorum: misit Imperator ad eundem Regem, qui aliam dotis partem ex eo deposceret. Rex ipse fortè interpretatus, aduersum se quæri occasionem discedendi à fœdere: indignationem plurimam, quòd ante impletas legitimè nuptias, pecunia deposceretur, ostendit: quorsum pertineret, non se satis intelligere, ita urgeri & emungi ære: nisi quòd aliqua posceretur iurgandi & expostulandi materia. Si ita uideretur Imperatori, ut pactorum pœniteret, nihil se refragari. Cæterum, nihil se missurum. Imperator ubi accæpit tergiuersari Regem: cùm iustiores ipse haberet succensendi causas, quòd hominium ei negaretur: quòdque Imperij fines ingressus, Rex Vuandalis implicaretur: Regi sororem suam, cum eo quem accæpit apparatu, intactā remisit. Quod Kanutus grauiter accipiens, manifestas ex illa die inimicitias contra Imperatorem cœpit exercere: ut omnem terram Vuagarorum, Holsatorum, Sturmariorum, Polaborum, usquè ad Albiam sui iuris esse diceret: &

Rex contra Cæsarem.

ret:& eam per Vuandalos Orie͂tales, quos, ut diximus, sibi asciuerat, iussit euastari. Matre deinde Regis, à Ludouico Lantgrauio, qui ex sorore nepos erat Imperatoris, repudiata, & ad terram suæ natiuitatis sine honore reuersa: conquesta est, in multis se à marito iniuratã. Vnde etiã magis instimulatus, iustã se causam contra Teutonicos habere, arbitratus est. Per occasionem autem Hartuici Archiepiscopi Bremen. per eius tempora Thietmarsi ab illo armis pressi, se coniunxerunt Regno Danorum: sua sponte se submittentes Vualdemaro Slesuicensi Episcopo, & perinde Danicæ coronæ subiecti: aut si hoc dicere magis conuenit, sociati. Sancto enim Petro se subdidisse perhibent: qui in utraquè Ecclesia, & Bremensi, & Slesuicensi patrocinium habet.



¶ Vualdemarus Episcopus regnum Daniæ ambiens, persuasu concordiæ ineundæ, capitur, & incarceratur. Marchio exercitũ soluit. Adolphus re infecta, uix æris multa Regẽ placat. Caput. vij.

VALDEMARVS inde Slesuice͂sis Episcopus, cùm & nuncijs, & literis egisset apud amicos querelam, de Regno sibi paterna succesione debito: cùm esset Kanuti filius, & ille Magni, is autem Nicolai: obtinuit non contemnendam ex Noruagia classem, ad inuadendum Regnũ. Ex Germania quoq; commouit, quos sciebat Regi ob offensam Imperatoris infensos, Ottonem Marchionem, Bernardum Saxoniæ Ducem fratres, Adolphum Holsatiæ Comitem: qui nuper ex peregrinatione terræ Sanctæ rediens, terrã suam inuito Henrico Leone recuperauit. Cùmq; à mari inuaderet Regnũ Vualdemari: à terra oppugnauêre Otto Marchio, & Adolphus, atq; Bernardus Comites: ingressi Daniæ Regnũ, transito flumine Eydora. Erant qui Vualdemaro Episcopo suaderent: ut non armis, sed tractatibus apud Regem ageret: quod æquum uideretur, constituendũ à Rege & Proceribus: præsertim, cùm Regnum, & Sacerdotiũ, in personam unam concurrere non possent. Persuasus ille, credidit: & ubi publica fide interposita agendum putauit: uinctus, catenatus, & in carcerem coniectus est. Adolphus nihil horum sciens, cum armatis processit grassabundus usq; in Slesuig. Marchio aliquandiu moratus, cùm Regem occurrere non cerneret, reduxit agmina: Adolphus uerò in armis permansit. Ob eam rem infensus Rex Adolpho: siue (ut alij tradunt) ut socero suo Henrico Leoni placeret, arma intulit Nordalbingiæ: siue ut Imperatori rebellionem, quod cupiebat, ostenderet: siue omnibus his, siue quibusdam causis, siue harum una, cœpta res est labore plenissima. Cunq; Rex uirtute illa procederet, ut nulla ei ex parte Adolphus posset uiribus resistere: intermissis amicis, ære placandum duxit: ut à

Vualdemarus Episcopus capitur.

Marchio abducit exercitum.

Adolphus uaſtatione ceſſans, agmina reduceret. Nam mille quadringentis marcis ære Regem cis denariorum numeratis, Regem fecit in Regnum redire.

placat.




¶ In Regem Comites aliquot exercitum parant. Cæduntur Dani. Adolfus poſt alteram expeditionem, tertio Regi arcem pacto tradit. Caput. viij.

NEC inmemor Rex Kanutus, Ottonem quoq; Marchionem in ſe arma pro Vualdemaro uertiſſe: claſſem perarmat. Vuernouiam inmittit. Ductorem facit Epiſcopum Cancellarium ſuum, cum Durberno fratre: ipſe monti confidens, ſpectatorem ſe præbet. Non diu cunctatus Otto, transgreſsis in terram Danis, qui iam Vuandalorū arma haberent auxiliaria: ipſe quoq; Saxonibus ſtipatus, & Vuandalis, hoſti obuiam pergit. Vbi conſeruntur manus, effulſit Saxonum uirtus. Dani cęduntur. Cadit inprimis Durbernus Epiſcopi frater: ipſe capitur Epiſcopus: reliqui ſe fuga præcipiti in naues contulere, lacerę reliqui ad Regem nauigant, Ductoribus à tergo relictis. Epiſcopus tamen cùm præter Religionis ſuæ uotum ſe armis immiſcuiſſet, carcerem expertus eſt. Sed dum illum ſimulatione ægritudinis laxiorem impetrat, cum ſubærato cuſtode fugam init: elapſusquę redit in Regnū. Hic fuit exitus infelicis illius expeditionis in Marchionem. Et cùm proxima bruma, Marchio, iunctis Adolpho armis, uaſtaret Daniæ ſubiectam Vuandaliam, Regis in ſe indignationem idem Adolphus fecit recrudeſcere. Quocirca Rex, appropiante iam Verno tempore, reparauit agmina, moturus in Nordalbingiam: & peruenit ad terminos Eydoræ, ubi eſt arx Reynoldi, limes utriuſquę ditionis. Comes autem intrepidus illi occurrit, copijs non paucis undecunq; contractis. Hartuicus Archiepiſcopus Bremen. Otto Marchio, Simon de Tekenburg, Mauricius de Aldenburg Comites, manus contulerunt, Adolpho ſuppetias ferētes. Cùm ille omnium neceſſitatibus proſpiceret, mirantibus cunctis, unde ei tanta rerū copia ſuppeditaret. Dirimebat eos fluuius: nec Rex tranſire conatur: nec Comes tanti facit, uadum tranſilire. Rex tertiò ducebat agmina ſua: & Comes amicis uale facto, ſe paribus obſequijs deuincit. Vix hyems tranſierat, Comes ad communitionem eius arcis animum intendit: ut clauem terræ corroboret. Sed tempus ei non permittitur. Nam ante conſummationem inchoati operis, Rex expeditionem renouat: ac ducit in Comitem. Stabant utrinq; agmina minantia. Sed Comes iam longè impar uiribus Regis, amicos ſubmittit, qui rem dirimerent tractatibus. Rex placari non potuit, niſi arce in manu eius tradita. Tum illam magnis conatibus Rex communiuit: ut inde quoties uellet, in apertam Holſatiam detonaret. Strauit pontem ſuper flumine: ut liber illi

Dani cæduntur.

Arx Reynoldi Regi traditur.

illi sit transitus in terram.



¶ Arx Louenburg Comitibus Holsatiæ traditur. Thietmarsia deprædatur. Proscripti Vualdemarum Ducem in Holsatiam pertrahunt: ubi aliquot occisis, Hamburgum Adolphus fugit.

CAPVT IX.

VNQVE per idem tempus Adolphus, cum Adolpho de Dasle, Louenburg, Henrici Leonis iam arcem oppugnaret: nec fiderent defensores tueri: occultò mittunt ad Regem Kanutum, illi arcem offerentes. Ille non segnis, submittit qui eius nomine accipiat, Regis signa de turribus promat. Sed ita urgebant obsidionem: ut fame defecti, priusquàm aut nuncius Regis, aut eius arma uenirent, Comites deditam arcem acciperent. Hæc noua indignationis causa in Adolphum Comitem. Adolphus interim de Dasle, ab Vuandalis, Regio iussu pulsus ditione, cũ Adolpho Holsatiæ: Thietmarsiam ingreditur: & quia Regi fœderata fuit, in eam se uindicantes, multam inde prædam retulerunt. Interea causa extitit, qua Adolphus quosdam ex militaribus de terra proscripsit: alios ære mulctauit: qui se omnes ad Ducem Vualdemarum in Iutiam contulerũt. Hi quotidiè semina bellorum dissiparunt, & disseminarunt, attrahentes in partem Regis, & Ducis fratris, quos poterant: ex amicis quosdam pecunia, alios feudis, alios promissionibus allicientes: ita ut Comiti difficilis, Duci autem facilima fieret ratio gerendi belli. Quid enim poterat Comes, alioqui Regi & Duci uiribus impar, sine militibus? Vualdemarus ergò Dux, rebus ita comparatis, agmina ducit in Holsatiam. Comes illi quibus poterat uiribus occurrit in loco qui dicitẽ Stilnoue. Collatis utrinquè armis, longè impar Comes, multos suorum amisit: alios cæsos, alios captos. Ipse uix fuga elabitur, receptus in Hamburgum, oppidum sibi semper fidissimum.

Louenburg Comitibus Holsatiæ se dedit.

Adolphus fugit.



¶ Dux Vualdemarus Hamburgum, Lubecam, aliquot item Holsatiæ Vrbes & Arces, insigni uictoria in deditionem cogit. Caput. x.

VO tempore progressus Dux, Itzeho capit. Plune etiam oppugnatum accipit deditum: Segeberg, atquè arx Trauemunde sola restiterunt. Dux quoquè fortunam secutus indulgentem, Hamburgum progreditur, obsidione firmaturus. Comes autem, quia non satis communitam uidit urbem, exiit ea relicta, ubi Ducem appropinquare cognouit. Ciues autem rerum desperatione cessere uictori: obuiam profecti, cum honore suscepere uenientem: nec ulla illi arma obiecerunt. Erat tum annus Ducentesimus post Mille. In-

Hamburgen. Duci Vualdemaro se dedit.

demouēs, postero Dux die uenit Bergersdorp. Et inde duxit in Louenburg: quod adhuc tenebant Adolpho fideles. Raceburg, Gadebusch, Vuittenburg, quæ iuris etiam Comitum erant de Zuerin, cessere uenienti. Deinde Lubecam ciuitatem tum florescentem, & uehementer augescentem, uno uictoriæ cursu in deditionem accipere contendit. Facto autem oppugnationis & obsidionis apparatu, ciues rebus suis diffisi, cùm defensorem non haberent: longè illis Imperator Henricus, profugus item Adolphus Comes: igitur necessitati parentes, Duci cesserunt: præsertim, quòd æstate proxima, cùm Comes Thietmarsiam uexaret: ciues eorum, & naues Piscaturæ in Scania instantes, detinerentur captiui. Pacta ergò ciuium suorum libertate, & ueteribus consuetudinibus, Duci, & perinde Regi se permiserunt, Anno Millesimo Ducentesimoprimo. Tum Dux per Holsatiam ad se pridem cōfugientes, à Comite proscriptos, uel emunctos, pręficit Arcibus. Ex ciuitatibus aūt accæpit obsides: & reuersus est in terram suā.

Lubeca se Duci, seu Regi dedit. Anno. 1201.



¶ Hamburgum Adolphus, Ciuium fauore recuperat. At reddere Duci cōactus, uinctus per Holsatiam ducitur in Iutiam, carceri traditus.

CAPVT XI.

IAM omnis Nordalbingia in ditione Regis erat, cum Lubeca ciuitate primaria Vuandalorum: cùm Adolphus Comes, Stadensem à se pridem occupatum teneret Comitatum. Inde quantis potuit uiribus mouens, Hamburgum contendit. Oppidani autem erant iustis de causis Comiti coniunctissimi: unde facilè eiecto Ducis Slesuicensis, quod ille reliquerat præsidio, sub Rodulpho Præfecto, urbem occupauit. Erant in Holsatia quoq; qui spem illi facerent recuperandæ ditionis: qua fiducia in oppido suo permansit ad Christi usquè Natalia: non prospiciens quod futurum erat, per brumam sibi fugam difficilem, ubi propinquaret hostis. Vualdemarus uerò Dux, ubi comperit Adolphum redisse Hamburgum, iam se in casses coniecisse illum arbitratus, per brumam reduxit exercitū: & obsedit oppidum necdum satis communitū, nequè commeatibus stipatum, ut obsidionem diu toleraret. Dux magnis suorum copijs omnes aditus atquè exitus obseruabat. Albis fluuius erat algore intransibilis. Nam glacies necdum benè firmata, neq; naues, neq; uestigia perferebat. Comes in arto positus, quo se uerteret ignorabat. Eruptionem pertentare, & armis peruadere tantum exercitum, desperationi deditum consilium uidebatur: expugnationem demorari, extrema omnia minabatur, & atrocem ab irato hoste exitum. Deditio restabat: quando nihil erat usquàm suauius. Sed erant in castris Ducis, qui Comitis sortem

Hamburgū Adolphus recuperat.

misare-

miserarentur: inter quos Guncelinus Zuerini Comes: qui & si dudum duras partes fecerit Adolpho coram Henrico Leone iam defuncto, nunc tamen non æquis animis accæpit Regis imperium: & locutus cum Duce pro Adolpho, ad hoc rem deduxit: ut reddita in manus Ducis arce Louenburg, quam homines Comitis tenebant, liber esset. Quam rem ut perageret, urbe Hamburg egressus, sub custodia erat Guncelini. Thietmarsi, qui erant inter auxilia Ducis, ubi audiuerunt Comitem esse in castris, & manibus Guncelini: irruptione facta, Irruptio in tumultuantes eum uolebant occidere. quòd proximè terram eorum Adolphum uastauerit. Guncelinus cum suis defensionem suam opposuit: & nisi accessissent copiæ Ducis, ipsum cum Adolpho perdidissent. Progressus Dux cum agminibus, Louenburg contendit: ibi Adolphus monuit, hortabatur, precabatur, etiam obsecrabat Arcis custodes: ut suam sortem miserati, traderent arcem Duci. Illi adamante duriores, nihil mouebantur: sperantes nescio quid, aut fortè Comiti ex quibusdam causis infensi. Comes ipse mox compedibus & manicis uinctus, per Holsatiam quondam terram suam trahitur, hostibus Danis ludibrio, suis uerò mœrori: & perducitur in Iutiam, carceri traditus cum Vualdemaro Episcopo.



¶ Affinitas Principum Germaniæ contrahit per Ducem Vualdemarũ. Kanutus Rex Lubecam uenit, honorificè exceptus: & post nonnulla per illum tentata, in sua rediens, mortem obit. Caput. xij.

ANNVS hic erat post natum Christum, M. cc. ij. cùm Anno Christi 1202. Adolpho capto, Dux omnẽ teneret Nordalbingiam: mox affinitates iniit cum Principibus Germanorum. Nam Otto Romanorum Rex, germanam suam despondit Vualdemaro Duci: ac nuptiis peractis in Hamburg ei tradidit. Vicissim Regis & Vualdemari germanam Helenam, accæpit Ottonis Regis frater Vuilhelmus, Henrici Leonis ambo filii: habentes fratrem etiam Henricum Palatinum Rheni. Lætata est omnis terra Holsatorum: sperans cum sorore Kanuti Regis, totam habiturũ in dotem. Sed spes illa destituit expectantes. Ipse tamen Vuilhelmus Daniæ Regis sororius, sæpius à Rege, & fratre eius Duce, in multis honoratus, dignitatẽ nominis sui multis præferebat. Proxima igitur Æstate Rex Kanutus uenit in ciuitatem suam Lubecam: & gloriosè susceptus est à clero, & omni populo. Ad cuius introitum redditum est presidiũ in Trauemunde: quod hactenus fideles Comiti tenuerunt. Vnde Rex non paruam accæpit lætitiam. Prouinciales quoque concurrentes, omni hilaritate & alacritate se obsequio Regis obtulerunt. Rex ergò procedens usque Molne: & accæptis obsidibus pridem

neglectis, ad sua reuertit: fratre Duce procedente contra Louenburg. Quod cùm capere nō posset, restaurato præsidio Haddenberg, quod Louenbergenses euertêre: firmatisq; præsidijs, ad sua & ille reuertit. Interim Ducales obsidioni Zegeberg, quod pro Comite seruabatur, institerunt. At diu frustrantur. Sæpius erupêre obsessi: & strage peracta in hostes, cōmeatus eorū abstulere. Superueniēs autem Dux, grauius urgebat obsessos oppugnationibus. Sed nihil ad rem. Ipsi intus fiducia pleni, calcem sparsere: quò farina crederentur abundare. Vix autem in sua Dux redierat, & tristis illum nuncius conuenit: fratrem suum Regem, inmatura morte subtractum. Quocirca nihil ille moratus, contendit in Regnum. Quod illi omnium unanimi consensu, Regis germano clarissimo, mox delatum est.

Kanuti Regis mors.



¶ Vualdemarus Kanuti frater, Rex Daniæ declarat. Arx Louenburg se dedit. Adolfus Comes datis obsidibus liberatur. Caput. xiij.

Vualdemarus Rex. II.

Valdemarus Vualdemari Regis filius, Kanuti proximi Regis frater germanus, in Regnū peruenit. Regalē de more benedictionē illi D. Andreas Lunden. Archiepiscopus impendit. Et eodē āno circa Augustū, cum magna gloria, & innumera suorū multitudine Lubecam ciuitatem suam intrauit: ibiq; Rex Danorum, Vuandalorū, ac Dominus Nordalbingiæ ab omnibus salutat. Prima illi expeditio fuit, ad oppugnandū diu desyderatā arcem Louenburg. Quam multiplici iure deposcebat. quòd Adolphū Comitē, eius captorem teneret. quòd Henrici Leonis filiam coniugē haberet. quòd à leuiris suis illi permissa esset. Igit omni bellorū apparatu, Danis, Vuandalis, Thietmarsis, Holsatis renouat obsidionem. Fortiter oppugnant: qui intus fuere animosè defendūt. Multi cadunt: uulnerantur plures: labor improbus non cessat. Cœpit interim pœnitere arcis custodes, quòd dominū suū Adolphū, nup pactionibus nō redemissent. Igitur colloquiū depòscūt. Quod cùm permissum esset: interuētu Pontificū, res in eū modum componit: ut tradita Arce, Comes liber foret: sed ut rata manerent quę agerentur, Obsides darentur. Pro Comite placuit, ut Comes duos daret ex filijs proprijs: & unum ex filijs Adolphi de Dasle: insuper & unum ex filijs Henrici Comitis de Dannenberge: & octo filios Ministerialiū, hoc est, uasallorū. Firmatumq; est ex Regis parte: ut post decem āños Obsides liberi essent. Si tamen intra decem annos, aut Rex, aut Comes decederent, omnino obsides redderētur. Sic libertati donatus Comes, in Schouenburg redit. Nec unquàm credo illū in hanc redijsse terram. Nam quę postea sub nomine eius facta leguntur, ad filiū eius referenda sunt. Sic suadet ætas. Iam enim Quadragena-

Louenburg obsidetur.

Deditur cō ditionibus.

dragenarius erat hic Adolphus, cùm rediret post captiuitatem in terrã suam: igitur quæ post. xxx. & . xl. annos facta memorantur, eius annis non congruunt: nauigasse in Liuoniam: bella multa contulisse cũ Danorũ Regibus. Hæc enim is Adolphus peregit, qui postea Ordinem introiuit diui Francisci, quem huius extitisse filium contendo: eum uidelicet, quem puerum ferũt impetratum à patre per nobilem fœminã Dest: aduectumq; in Holsatiam, cuius auspicijs Holsati Danos cœperunt primùm Zegeberge: deinde reliquis suæ terrę Arcibus propellere: donec magno prętio uictum Regem Vualdemarũ, à suis abigerent ceruicibus. Sed hæc infra: & plenius in nostra diximus Saxonia. Saxoniæ libro. 7.



Vualdemarus Slesuicensis Episcopus, certis conditionibus carceribus eximitur: Bremensisq; Ecclesię Archipræsul nominatur. Caput. xiiij.

COMITE ergo uinculis suis soluto, concaptiuus eius Vualdemarus Slesuici Episcopus, in uinculis perdurabat. Sed pietate domini Andreę Archiepiscopi, & aliorũ qui pro ipso interueniendũ putauerunt, à captiuitate tandem relaxatus, exiuit hoc pacto. Quia enim idem D. Vualdemarus uir nobilis erat, Regis Kanuti, quem Sueno perdiderat, filius, Magni patrimonij hæres: & contra Kanutũ proximum Regem, & Vualdemarũ tunc Ducem, nunc Regem senserat, perniciosa multis eius liberatio timebatur: Consilio inito, negociũ perlatum est D. Apostolico, Quo per nuncios agente, D. Vualdemarus isto pacto relaxatur: ut nunquàm in ea uicinia cõmaneret, in qua Regib. aut formidabilis, aut suspectus degeret. Quod ipse sacramento suo cõfirmauit. Rex ergo datis sumptibus, ad D. Apostolicum illum misit: ut ibi consisteret, donec alio Pontificatu donaretur. Vualdemarus tamen eas malè impleuit conditiones. Quia Philippo Romanorum Regi, qui Ottoni colluctabatur, sese coniunxit: questus iniurias suas: & inde de Archiepiscopatu Bremensi contendit. Quod in Metropoli nostra diximus. Sed quod huic consentaneum est loco, cùm circa annos Domini Millesimum Ducentesimum septimum, Hartuicus Bremen. Archiepiscopus uita excessisset, grauiores per Vualdemarum Ecclesia motus excæpit. Nam multorum in electionis negocio illuc inclinabat sententia: ut Vualdemarus olim Slesuicensis Episcopus, nunc Bononiæ agens postularetur. Fuerunt tamen, qui illi electioni se subduxerant. Quorum primarius Burchardus maior Præpositus, cum quibusdam cohærentibus: Hamburgenses autem Canonici, propter Regem Vualdemarum, cui iure suberant, suspecti in hac postulatione ducebantur. Qui uidẽtes se contemptos, & in electionis negocio præteritos, huic contradicebant: præferentes.

Quibus conditionibus Vualdemarus Episcopus liberat.

Metropolis meminit.

Ecclesiam suam esse Matricem: unde fluxerit Metropoliticus honor. Bremenses tamē missis Legatis honoratis, tam de Clero, quàm de Ministerialibus D. Vualdemaro, electionem canonicè factam insinuarunt. Ille autem sumptis profectioni necessarijs, unà cum Bremensis Ecclesiæ Oratoribus, Apostolico se conspectui præsentauit.



¶ Vualdemarus postulatus Episcopus Romam proficiscitur. Pontifex Vualdemarum abeuntem excommunicat. Caput. XV.

GRATVLATVR Pontifex de profectione aliâs destituti: sed non præcipitauit implere, quod in disputationem præsumebat casurū. Superuenēre Hamburgensiū nuncij: & electioni (siue eam quis postulationem putauerit: cùm esset tamen antea à sua absolutus Ecclesia: non postulatio, sed Electio dici debuit: si modo canonica extitisset) se opposuēre. Venit quoq; Regis Orator Petrus Roschildien. Præpositus, sine literis: quas in itinere latronū incursatione se querebatur amisisse. Hic commonefecit summum Pontificem iurisiurandi quod fecisset: Nunquàm se in eum locū collocaturū, in quo Regi grauis esse posset: at hic omnino esset Regi suo & suspectissimus, & molestissimus. Quibus cognitis, Vualdemarū Papa per aliquot dies demoratur: quousq; de fratrum suorum consilio deliberatus, constitueret, quid de eo ordinaret. Vualdemarus autem uidens se in arto positū, illicentiatus abscedens, se ad Regem Philippum contulit: quem sciebat Ottoni, & Danorum Regi contrarias fauere partes. Apostolicus autem missis Epistolis ad omnes Germaniæ & Galliæ Ecclesias, Vualdemarū inobedientem, districtè excommunicauit. Bremenses tñ hoc diu ignorabant. quia literas Apostolicas nemo illis diu exhibere præsumpsit: donec in publica Missa quidam inter offerētes delitescens, eas imponeret altari. Crediderim ego, Bremenses hac maximè ratione inclinatos Vualdemaro: ut per eum uirum Regij sanguinis, & qui multos haberet in Regnis sibi affectos, recuperaret Bremensis Ecclesiæ antiquum honorem suæ Legationis, & superioritatis per Regna quæq; Aquilonis. Sed ea spes cum Vualdemaro euanuit. Philippi tamen Regis nutu intrauit Diocesim: & excæptus est ab his qui eum elegerunt.



¶ Rex Vualdemarum Episcopum insequitur. Stadium Episcopus ui obtinet: quod tamen Burchardus denuo recuperat. Caput. XVI.

REX AVTEM Vualdemarus audito introitu cognati sui, quem hostem suū nō dubijs signis cognouerat: eum impedire, & aliū substituere uenit cum exercitu. Iam tamen Gun

celinus

celinus Comes, & Henricus frater eius à Rege auersi, pro hostibus habebantur. quòd pridem Ioannem Gans Regi fidelissimum, arce sua Grabau destituissent. Misit in eos Rex cum parte copiarum Albertũ: quem iam Nordalbingiæ præfecit. Hic primùm arcem Boytenburg Comitibus parentem, excæpit. Deinde omnem terram peruastauit. Hunc Albertum, quis, & unde fuerit, multi dissimulant. Ego aliquando Vuilhelmi de Braunschuueig filiũ arbitrabar, natum sorore Vualdemari Regis. quòd nonnulli Annales, eum Regem auunculum testantur Alberti. Sed non patitur annorum ratio: ut anno secundo celebratis nuptijs, ut diximus, post Mille ducentos, iam inde natus puer, annos octo. x. uel. xij. ductaret exercitum. Vnde in illorum transeo sententiam: qui Comitem de Orlemunde astruunt fuisse Adelbertũ: filium Henrici, qui occiso apud Demin secundo Adolpho, tutor paruuli Adolphi erat: matrem eius coniugem ducens. Vnde potuit Albertus esse uiuentis Adolphi, & in Schouenburg agentis frater uterinus. Vualdemarus Episcopus, cùm intelligeret Regem in se hostiliter uenire: & ipse copijs contractis, ditionem eius inuadere tentauit. Sed detinuit eum Burchardi Præpositi, qui & ipse ad Archiepiscopatum aspirabat, conatus: usus Hamburgensium, & quorundam Bremensium fauore. Et in primis Regem Daniæ sibi conciliabat: atque ab eo inuestituram accæpit: præsertim de ea ditione, quę ultra Albim est. Cumque perinde Hamburgum pro se teneret: per amicos Regis Stadium quoque sibi conciliabat. Iam fortè Adolphus arma Regis fugiens, illud dereliquit oppidum. Vualdemarus autem Episcopus, ordinatis insidijs, Stadium occupare conatur. Sed cura eorum qui pro Præposito agebant, Vualdemarum exclusit. Cùm autem insidiæ non procederent, uim adhibere properauit. Nam contractis undique per Diocesim Bremen. armis, obsedit Stadium: & expugnauit, & diripuit: uix elabentibus qui pro Præposito senserant. Postea tamen Burchardi pars rursus inualuit, & capto oppido habitauerat ibi. Rex enim facto iam ponte, transiuerat in plerisque locis Albim: unde equitatum circummittens Vualdemaro Episcopo, terram fecit insecuram. Firmauit autem arcem Horburg ad pręsidiũ eius electi, quem Rex ipse aduersus Vualdemarum Episcopum, suscepit defensandum.

Stadium Episcopus dirimit.

Burchardus recuperat.



¶ Rex Burchardum tuetur. Triganiam celebrat. Otto iiij. Hamburgum possidet: quam Rex rursum ui obtinet. Liuonien. Christo lucrati, ad uomitum paganisim redeunt. Caput. xvij.

TRANSIERANT in hac conflictatione dies plurimi, cùm Bremenses Vualdemarũ, Rex Burchardũ tueretur. Sed interueniente

teruueniente nouatione propter Gerhardum Osnaburgensem, Præpo
situm confirmauit: & Rex uiribus reuocatis in Regnum, Vualdema=
rum iam alijs oppositum reliquit. Ille quocꝫ à Bremensibus relictus,
Stetingos, quos primùm habuit aduersarios, cœpit pro se Ecclesiæ in=
mittere. Hi damna plurima intulerunt. Sed Vualdemari partes cum
Philippo Rom. Rege conciderunt. Venit quoquè idem Episcopus ad
calcem uiuendi. Nam finem ei properarunt, & curæ, & labores. Inte=
rim Rex Daniæ Vualdemarus, mortua prima coniuge, Ottonis soro
re, cum qua etiam finijt familiaritas, quæ Regibus intercessit: duxit fi=
liam Regis Bœmiæ Ioannis Margaretam. Sed necꝫ illa diu superstes
Rex trigamus. erat: & accæpit tertiam, quæ erat soror Fernandi Comitis Flandriæ,
mulierem pulchram nimis. Interuenit autem causa: qua Rex idem ira
tus Stadensibus (fortè, quia Vualdemarum Episcopum fouerant: uel
quia Comes Adolphus inde Hamburgo insidiaretur. incerta enim
causa fuit) multis nauibus Albim intrauit, Stadium inuasurus. Sed Pa
latinus Rheni, frater Ottonis Regis, impediuit. Iam enim quibusdam
ex causis, quæ non apparent in Annalibus, dissenserant Saxonum fra
tres Principes à Rege: intercidente affinitate per mortem Reginæ. De
niquè Imperator Otto, Anno Christi. XV. post Mille ducentos, cum
fratre, & Marchione de Brandenburg, cùm adhuc uiueret, & interes=
set Episcopus Vualdemarus, Hamburgum obsedit: & cùm firmum sa
Ottoni. IIII Hamburgũ se dedit. Anno. 1215. tis perferendæ obsidioni non esset, dedidit se Imperatori. At anno sta
tim sequenti Rex Daniæ Vualdemarus, contracto graui exercitu per
brumam, rigente iam Albi per glaciem, Stadium petiuit. Sed cùm illa
iam liquesceret, formidans redeundi difficultatem, omnem uim suam
contulit in Hamburgum. Firmauit igitur præsidium fortè ad Albim
infra urbem, eo crediderim loco, qui nomen seruat Nouæ arcis, in pa=
rochia sancti Nicolai. Tum enim ea ciuitas, præter diui Petri parochi=
am parum includebat: ut inde seruaret, ne quid uel importaretur, uel
exportaretur. Et Comes Nordalbingiæ Albertus, aliud firmauit præ=
sidium supra urbem. Cuius rei difficultate pressi ciues, muros quidem
Hamburgũ Rex recuperat. defenderant, sed fami dominari non poterant: ideo se Regi iterum de
diderunt. Et hanc arbitror extitisse causam, cur oppidum istud Impe=
rio sine medio subesse putaretur ætate nostra. quia ab Ottone Quar=
to expugnatum, sacramenta præstitit Imperio. Nec diu tamen potuit
implere, cùm indefensum ab Imperatore, iterum Danorum Regi sub
esse cogeretur. Per quæ tempora labor iste eximius in Liuonia fuit: ut
ad CHRISTI fidem conuerteretur. Eò nauigabat Albertus Nor
dalbingiæ Comes. Nec diu REX ipse Vualdemarus cum agmine
graui secutus est. Cùm & apprehensa terra, extruxit Renaliam: &
possedit

possedit aliquandiu: quo iure etiam nunc sibi dicitur uendicare. Sed hoc certum est: quòd Ecclesiasticum ius illius ditionis, ex Dania pendet. Deinde proximis annis Lealensem terram occupauit cum Alberto Comite: & in ea urbẽ extruxit. Sed eo in sua redeunte, Pagani omnia euersa, redegerunt in uastitatem.

¶ Henricus Comes Zuerini, Regem insidijs, & Albertum prælio capit, ambos carceribus mandans.

CAPVT XVIII.

ANNVS erat post Mille Ducentos. xxiij. cùm Henricus Zuerini Comes, fide publica in Daniam euocatus, ad reconciliationem & gratiam Regis aspirabat. Cui cùm Rex duras conditiones opposuisset, & difficilimam faceret uiam recõciliationis: obseruabat tempora, quibus Rex in castris manẽs, à suis non satis obseruabatur. Serum erat tempus: & Danis pro sua consuetudine potis, indiligenter excubiæ seruabantur: utpote in Regno longè ab hostibus, nihil hostile formidabant. Henricus autem ante cuncta prospiciens, cum negligentiam Regiorum custodum non ignoraret: fortè in uenatione Rex erat, & quieti deditus, profundius soporatur. Henricus iam naue procurata, Regis papilionẽ ingreditur (audax facinus) et occluso spiritu oris, uinctum extrahit Regem: ac Comitibus ad uim præparatis, Regem deducit in nauim: impositumq́, secum perducit in Dannenberg: ibiq́ conseruat in carcere. Obstupuere qui audierãt uniuersi fiduciam uiri. Exemplum hic secutus est Frisonis: qui ueste coriaria substrictus, se misit in undas: & emergens propè alteram ripam, despaciantem Fridericum primum Imp. circumplexus, uolue bat in harena, ut secum traduceret per amnem. At superueniens unus & alter, gladijs effugauerunt latronem. Ille quidèm exitu frustratus: sed Henricus quod cogitauit peregit. Proximo autem Anno Henricus Rex, Imperatoris Friderici Secundi filius, descendit in Bardeuuicum: Curiam ibi pro more Regalem instruens. Causa aduentus erat: ut de liberando Danorum Rege ageretur. Aderat quoq́ Colonien. Archiepiscopus. Et cùm multa tentassent, non profecerunt. Rege autem iam capto, cùm quieta uiderentur omnia: Comes Adolphus de Schouenburg, inuitat̃ ab Henrico de Zuerino, & Henrico de Vuerle Comitibus, & ab Archiepiscopo Bremen. Gerardo: insuper à terrę potentiorib. ut ueniat: terram in ditionem recipiat: & amissa iura recuperet. Iam enim (ut Holsatorũ sunt Annales) Zegeberg, et quędã alia castella recuperauerant: cùm tenellũ Ducẽ puerũ habẽtes, se in libertatẽ uendicabant. Fecit Adolphus quod monebatur. Excæptus ab amicis, hostibus occurrit. Albertus Comes se ueniẽti opponit. Et cõmisso prælio,

Rex insidijs Comitis Henrici capitur.

Historia, morionem se finxisse in castris Cæsaris, scribit: ad hoc à Mediolanis subornatum.

prælio, idem Albertus ab Henrico de Zuerino capitur: & ad auunculum suum Regem mittitur in carcerem.



Rex magno se redimit. Bello posthac cum Nordalbingiorum fœderatis, superatur, & fugit. Caput. xix.

REX autem proximo tempore, cùm alia uia non esset, argento se redemit: datis. xlv. milibus marcarum argenti: exceptis iocalibus, atque inde per amicos distributis, ad precium & æstimationem trium milium marcarum. Sed ut Albertus Comes laxaretur, Regis fideles, qui arcem Louenburg adhuc tenuerunt, pro Alberti relaxatione, Duci Saxoniæ Alberto, Bernardi filio tradiderunt. Iam Rex ipse omni in Nordalbingia destitutus fortuna, solam Lubecam tenuerat. Comites uerò, qui Regis arma ueriti sunt, reuersuri, inuitabant Albertum Ducem: ut ueniens reciperet quæ olim suæ ditionis, Rex proximis annis occupauit: & inter alia Lubecam præclaram urbem tueretur. Sed ignorabant Nobiles: iam sibi Ciues consuluisse de sua libertate, apud Fridericum Imp. Secundum, obtenta conscriptione, & liberatione Imperij: cùm obseruato tempore, arcem quæ erat in sua urbe, deturbatis custodibus exciperent: & constra ctam, in alios usus uerterent. Rex autem his ad plenum compertis: quòd in se cõspirarent uicini Nobiles, cum urbe Lubeca: parauit quanta potuit arma, ad recuperandam Nordalbingiam. Comites ipsi quoque sibi consuluerunt. Nam arma contraxerant undecunque. Aderat Archiepiscopus Bremen. Gerardus cum copijs suis: Albertus Dux Saxoniæ: Henricus de Zuerin: Adolphus de Schouenburg. Ego filium cum patre affuisse coniecto. quòd tantum administrare bellum adolescens non poterat: sed septuagenarij patris potius consilijs, quàm armis fretus, tantam sit aggressus rem. Aderant quoque Vuandaliç Nobiles, Henricus de Vuerle: & filij Boreuuini: cum ciuibus Lubecensibus, quanta poterant multitudine perarmatis. Regi autem uenit auxilio D. de Lünenburg Otto, natus Vuilhelmo & sorore Regis. Et copijs iam quisque pro sua parte combinatis, concurrerunt die Magdalenæ in planis Bornehouede. Statim autem ut contulerunt manus, fortuna Regis inclinauit: & multis cęsis, atque captis, Rex cum filio fugam inijt. Otto capitur. Victoria fit Nordalbingiorum. Mira rerum cõuersio. Iste Ducatum administrans: & in primis Regni annis erat uictoriosissimus: nunc ubique uictus, omnia amittit in ętate uirili, quæ in adolescentia acquisiuit. Sed cùm nõ diu post Henricus Zuerinen. Comes, diem suum obijsset: Guncelinus Ottonem dimittendum putauit, ut maiori eius in reliquum tempus gratia & fauore uteretur. Solus enim superstes fuit ex semine Leonis Henrici. Nam Otto, & Henricus fratres Vuil-

Belli apparatus utrinque.

Nordalbingi uincunt. Rex fugit.

tres Vuilhelmi patris eius, sine prole decesserũt mascula. Sed obstitit Dux Albertus Saxoniæ: qui nisi dimitteret illi Otto Hiddesacker, liberationi eius noluit consentire. Vualdemarus autẽ Daniæ Rex, cùm tres ex nouissima coniuge filios sustulisset: affectione incredibili in minorem ferebatur, nomine Vualdemarum: ut illum uiuens secum Regem iuberet consecrari: fratribus eius natu maioribus, non æquis ea oculis, ut credi potest, aspicientibus. Vxore autem accæpta Rex iunior, illam statim amisit. Nec longum tempus in medio, ipse secutus est præmorientem. Pater autem filio Regi superstes, Regnum quamdiu superuixit ipse administrauit. quòd filijs alijs malè fideret. Dux autem Abel duorum iunior, filiam Adolphi Comitis Nordalbingiæ duxit Coniugem. Hunc ego quartum accipio Adolphũ: qui postea fratrum Minorum Ordinem ingressus, Abelem fecit suorum liberorum adolescentum curatorem. Quod in Saxonia nostra diximus.



¶ Rex & Adolphus frustra Lubecam terra & mari obsident, re infecta, obsidionem soluunt. Rex in Daniam rediens, in quarto anno morit. Caput. xx.

REX Vualdemarus senior, cùm iam arbitraretur urbem Lubecam magis magisq; per singulos dies augescẽtem, in se, & in Adolphum Holsatiæ Comitem, cui iam benè uolebat, superbire: bellum ei cum dicto Adolpho indixit: & ipse Rex à mari, Comes uerò à terra infesti fuere urbi iam Imperiali. Ad ostium uerò Trauenæ duo erexere utroq; latere præsidia: & hinc atq; inde ductis catenis, aditum et exitum intercludere uoluerunt. Rex autem cùm magnã classem teneret in mari, ex grandioribus & iam uetustis, unam elegit nauim: quam saxis oppletam demersit, obstruendo portui. Quo facto, Rex classem retro parum egit: ut quid agerent ciues specularetur. Illi egressi, fossionibus institerant: alueum alium flumini præparantes. quod facile factu sunt arbitrati, ipso fluxu decurrentis fluminis adiuuante. Dum ibi conarentur, uenit uenalicia classis: & pleno uento adnauigans, ferreas catenas confregit: peruiumq; reddidit portum ante clausum. Qua in re magnam inijsse gratiam cum Lubecensibus referuntur. Ego illos ipsos fuisse Lubecenses ciues arbitror, qui adnauigauerunt. Renalia enim noua ciuitas, necdum in eum profecisse credi tur modum, ut classem emitteret: quando nec ætate nostra multũ suis uiribus possit, nixa societate Lubecensium, & eorum qui in occiduis partibus egunt Mercatorum. Ea classe aucti Lubecenses, obuiam Regi ire contendunt, sex maioribus ex omni classe nauibus perarmatis. Rex autem declinauit in Vuernouiam: ibiq; cõsedit. Lubecenses nuncio admonuere Vuandalos Boruuini filios: ut Regem à terra, illi à ma Renalia urbs.

ri adorirentur. Nihil erat opus multis ſtimulis in eam gentem, quæ ab olim ſua ſponte Danis ſemper conflictati ſunt. Igitur Rex utrinque expugnatus, in Lubecenſes uertitur: & illis retro pulſis, claſſe ſua redit in Regnum. Ciues autem deiectis præſidijs, portum ſuum in antiquum modum reformauere: Vualdemarus autem in Regnũ rediens, componendis utcunque rebus inſtitit: & poſt annos quatuor huius nouiſsimi belli, in pace quieuit, Anno 42. poſt Mille Ducentos: cùm per annos quadraginta Regnum uaria fortuna adminiſtraſſet, fortunatior iuuenis, quàm ſenex.

Vualdemari mors, Anno. 1242.

¶ Ericus patri ſuccedens in Regnum, à Lubecenſibus impetitur. A fratre truncatus. Caput. xxi.



Ericus Rex VII.

ERICVS inter filios eius natu maior, patri ſuccedit in Regnum: & quoniam pater non ætatis ordinem ſecutus, utroque iuniorem fratrem illis in Regno præpoſuit: Abel Dux Sleſuici, patris in hoc ſecutus iudicium, fratri ſe quoque preponendum putauit. Vnde factum eſt: ut principio fraterni Regni Abel duros motus excitauerit: ſed tamen Ericus in Regno utcunque perdurabat. Cuius temporibus Adolphus Holſatiæ Comes, poſtquã in Liuonia aduerſus perfidos diu pugnaſſet: reuerſus in nouam b. Franciſci religionem tum efferueſcentem, pro recentia facti ſe tranſtulit: genero ſuo Abeli Duci Sleſuicenſi permiſſa tutela filiorum: quos ad literas erudiri cupiens, magnis ſumptibus in Pariſiorũ gymnaſio iuſsit creſcere. Interea Rex Ericus Lubecenſibus infenſus, patris iniuriam conſtituit uindicare: & primum quidẽm ciues in Dania piſcaturæ inſtantes, cœpit. quod ex paterno facto inoleuit. per eam uiam extorquere uolẽs quæ cupiebat. Sed liberatis per quamcunque occaſionem ciuibus, ipſi armatam claſſem mittunt in Daniam populaturam. Peruenientes autem in portũ qui dicitur Mercatorum, ubi Rex plurimum conſederat: Arcem proximo ſeculo ab Abſolone Archiepiſcopo fundatam, oppugnant: & ſolo deiecto complanant: onuſtaſque prædis naues reducunt uictores. Hic Rex cùm eſſet Deo deuotus, honore præcipuo excoluit ſanctum martyrem Vuenzeſlaũ Boëmiæ Ducem: quem frater eius occiderat. Cùm autem Rex eſſet ſoporatus, uidit per quietem, eundem ſibi dicentem martyrem ſanctum. Confide frater. Adſum quem colis. Nuncius tibi uenio, eodem te genere martyrij abſumendum quo & ego. Prius tamen Monaſteriũ uolo conſtruas in honorem Dei, & nominis mei. Euigilans Rex, certus, non fuiſſe uana ſomnia, in terra Renalenſi Cœnobium cœpit erigere, quod ei uiſio præcepit. Sed prius quàm conſummaret, morte ſubtractus eſt hoc ordine. Viſionem ſuam duxit in longa tempora conſummandam: præſertim fiſus, quòd necdum expleſſet

Adolphus fit monachus.

Steckelburg, Arcẽ Abſolonis Lubecen. ſolo æquant.

Somnium Regis.

plesset iniunctum ædificendi Monasterium. Simul fretus fraternis uiribus: quòd superiori anno reconciliati essent, ex longinquo dissidio: fratrem suum Abel in ditione sua duxit uisitandum. Venit: fratremque conuenit amicissimè. Ille uenientem Regem hospitaliter excæpit, ut apparebat: sed uixit in corde eius odium inexpugnabile: quod nullus fraterni sanguinis respectus, nullus compositionis modus, nulla familiaritas potuit exuperare. Nihil timentem Regem, cùm ad Scacos (calculos uocãt latrunculos) cum quodam milite Rex luderet: & omnem securitatẽ in fraterna domo præ se ferret, à fratris militibus captus est: & in nauim perductus. Lago quidam ex Dania miles illi præfuit, capitalis Regi inimicus: quem ubi Rex uidit, malà sibi ominatur. Ille ait, Moriẽdum tibi scito Rex sine ulla cunctatione. Sciebam inquit Rex, ubi in tuas manus perueni, esse de me actum: uerumtamen sacerdotẽ mihi iube adesse, ut animæ sempiternæ consulam. Quo adueniente, synceram ex animo peccatorum confessionem peregit, & absolutione percæpta, Sciebam inquit, mihi à fratre meo mortem impendi, sed non tam speraui properatam. Peccata quidèm mea deposcunt quod patior: sed non erit melior exitus fratri, nisi quòd resipiscat à malicia. Solent morituri nonnunquàm uaticinia edere. Et Rex quidèm in naui, ipso in lacu Slya, ad oppidũ Slesuicense, cæsus securi est. Inconsueta mors Regi. Cadauer saxo coniunctum, mergitur in profundum: non tamen diu post, inuentum est supernatare, ceruice adhuc per cutem adhęrente corpori. Inde translatum, tumulatur in oppido Slesuig apud fratres Prędicatores. Monstrant tamẽ in Ecclesia maiori locum, unde furto subtractum, in sepulchrum Regium ferunt translatũ. Frater autem iam Rex, ubi intellexit, inuentum fratris Regis corpus, iussit effossum deportari in Regium sepulchrum. Erat autem annus post natum Christum Millesimus Ducentesimus Quinquagesimus primus, cùm annos non plenè nouem in Regno peregisset. Qui huius necis conscij fuere, omnes malè perierunt. Lago ipse executor sceleris, in Holsatia obtruncatur à collusore. Hermannus quoque Kerkuuerder miles, qui tum cùm Rex caperetur, cum illo ludum peregit, cùm conscius factionis putaretur, à fossoribus rusticis confossus perijt.

Regis mors securi.

Año. 1251.



¶ Abel fratri surrogatus, ab equite Sialandico impetitur, fugaturque. In Frisia tandem occumbens.

CAPVT XXII.

ABEL Regis proximi frater, superioris filius, fratri surrogatur in Regnum. Quod malè partum, & fratri per uim extortum, non potuit esse diuturnum. Nam in ipsa sua Dania, præsertim in Sialandia bello impetitur, ab Henrico de Mildorpe mi-

Abel Rex.

lite. Cui Rex cum copijs suis congressus, uincitur, atq; fugatur. Multis suorum amissis: uictores in naues præda congesta, redierunt in sua. Creditum est: motum illum uenisse Regi ex Frisia, atq; Thietmarsia. Nam proxima æstate uindicare se uolẽs Rex Abel, arma collegit plurima: & primos quidem impetus uertit in Frisiã Aquilonarem (Nort strand uocãt) inde proximo traiectu transiturus in Thietmarsiam: unde coniectura est, inde prodijsse priores, qui eum lacesserunt hostes. Sed cùm improuidè depugnaret in Frisia: à Rustica plebe, Rex tantus, & tanta præditus armorũ multitudine, cadit oppressus. Tum impletum est morientis fratris uaticinium: qui prędixit, nisi conuerteretur à uijs malis, proximè secuturum. Non hanc Regis expeditionem fuisse in Holsatiam, quisquàm præsumat. Cùm semper amicissimè uixerit iste Rex cum Leuiris suis, quorum tutelam gerebat. cùm illi absentes essent pro literarum studio: & redeuntibus in Hamburg, præsente Archiepiscopo Bremensi, liberrimè restituit ditionem, nihil sibi iuris reseruans: fretus etiam eorum armis in fratrem Ericum. Nõ enim semel tantùm arma promouerat Archiepiscopus Bremensis cum Ioanne Holsatiæ comite: sed & filium Abelis Vualdemarum, qui cum Comitibus Holsatiæ auunculis suis, studio literarum deditus erat in Francia: redeuntem, apud Coloniam (incertum quibus causis) captũ & detentum, idem Ioannes ęre suo redemit post patris mortem: datis, ut ferunt, sex milibus aureorum. Hic Vualdemarus patre cæso reuersus, à patruo Christophoro Rege permissus est administrare Ducatum Slesuicensem. Peregitq; æuum diu pacificũ cum Comitibus Holsatiæ auunculis suis: semper memor puerilium studiorũ: memor sanguinis proximi: memor beneficij, quod ei Ioannes impenderat, cùm eius opera ex captiuitate Coloniensi liberaretur.

A Frisijs cadit.

Rex cum Regina in Leoheyde capitur. Liberati, tandem in pace reliquum ætatis transigunt. Comes uero Ioannes milite suo nondum disperso, iniuriam Lubecę passam, ulciscitur ferro & igne: eadem à Lubecẽsibus postea passus. Rex Christophorus moritur. Caput. xxiij.



CHRISTOPHORVS proximorum Regum germanus frater, Vualdemari Regis itidem filius, succedit in Regno, iam dudum impacatissimo crebris Regum inuitationibus: quæ secum afferunt omnium rerum innouationes. Veniunt noua consilia, noua ministeria, noui mores. Hic Christophorus diu nullos expertus est magnos casus in Regno: sed quietè satis egit usq; ad tempora morientis Vualdemari, Ducis Slesuicen. Hic erat Regis ex fratre Abele nepos.

Christophorus Rex. I.


Reliquit

Reliquit autem Vualdemarus ex sorore Ioannis & Gerardi Comitum, filium Ericum: cuius administrationem in ætate minori sibi Rex desumpsit: arbitratus Regno conducere, ut unum iterum corpus integretur, extincto Ducatu Slesuicensi. Sed cùm Regis conatus intelligerent Comites memorati, pro suo nepote Erico arma sumpsere: & Regi nunciantes hostilia, occurrerunt uenienti cum expedito agmine in loco qui dicitur Leoheyde: ibiq; Signa contulerunt. Vbi diu fortiter extracta pugna, inclinauit fortuna Regis. Cæsi plurimi: capti nonnulli. In quibus Rex ipse capitur. Non aberat longè Regina: illam quoq; cum Rege captam, Comites perduxerunt in Hamburgum. Sunt tamen qui hanc rem non Christophoro, sed filio eius Erico narrent contigisse, ut caperetur. Nam Christophorum tradunt obijsse Anno. 59. cùm triennio post in Leoheyde confligeretur, Rege capto cum Regina. Et eam rem de filio Erico testificantur Annales Danorum. Inde post multos dies, multis argenti libris in redemptionem persolutis, relaxatur. Sed Ioannes Comes Holsatiæ, cùm adhuc uictrices cohortes suas teneret: memor iniuriæ quæ nuper illi Lubecæ prouenerat, cùm immunitatem urbis uiolasset: & uix tumultuantium Ciuium manus euasisset: uindicare se constituit: & mouens in prædia Lubecensium, ferro & igne cuncta uastabat. Sed ciues dissimulata in tempus inuasione, cùm ille agmina sua dispersisset: illi quoq; inuocato Alberto Duce Brunsuicense, reddunt uicem Comiti. Vuagriam illi peruastant. Oppidum Kilonem obsident, & oppugnant: & incendijs, uastationibus què peractis, cum præda reuertuntur. Christophorus autem in pace omnia administrauit: passus unicuiq; suum esse, quæ pridem illi causa malorum erat. Inde ad anum Christi Millesimum Ducentesimum quinquagesimum nonum in fata concessit.

Rex cũ Regina capitur

Año. 1259.

¶ Erici & Regnum, & in affines Erici Ducis filios, atq; Holsatię Comites tyrañis. Eodem tempore Magnus, fratrem Vualdemarum ex peregrinatione redeuntem, Regno expulit: & quòd ad Regem Daniæ confugerat, Scaniam deuastat. Rex Daniæ suorum conspiratione tandem perijt. Caput. xxiiij.



ERICVS adolescens, patri Christophoro surrogatur in Regnum. Hic cùm ad legitimam peruenisset ętatem, Agnetem duxit uxorem, filiam Ottonis Marchionis de Brandenburg. Cuius Regni tempore Ericus Slesuuici Dux, abijt in fata: duos relinquẽs paruulos, Ericum, & Vualdemarum: quibus Rex Ericus præesse uoluit iure sanguinis: multũ recusantibus de Holsatia Comitibus, Ioanne secundo, & Alberto, unà cum Henrico Gerardi filio. Rex tamen

Ericus Rex VIII.

peregit quod uoluit: renouata Arce in oppido Koldinghũ: unde quoties uellet, frænum inijceret uniuerso Ducatui Slesuicensi. Imo Rex ipse, multum reluctantibus cum Duce Comitibus, totum penè Ducatum in ditionem suam redegit: paucis relictis in manu Ducis. Prænaluit enim Rex: nec momentum habere potuit, quod aduersus molitiones eius, utpote incomparabiliter maiores, Comites cum Duce conarētur. Cùm tamen Vualdemarus, qui solus remansit, adoleuisset. Per incrementum communium amicorum factum est: ut Dux recognoscens feudum ab Rege, quod prius noluisset, omnem terram recuperaret quæ dudum Ducatui debebatur. Cunq; bellum illi diuturnũ esset in Ducem Iutiæ (hodiè uocant Slesuicensem) collatis uiribus Ducem cœpit: Arcem Tunderen subuertit. Reintegrata tamen deinde est gratia inter illos. Per huius Regis tempora, Vualdemarus Rex Sueonum pro Christo peregrinatus: cùm abesset, Regnum eius inuasit frater eius Magnus: nec redeuntem passus est ingredi. Ille diuertit ad Ericum Daniæ Regem, hospitaliter exceptus. Quod ipsum Magnus inuasor, ferre non sustinens: cùm adhuc Reges in se nihil molirentur, præueniens, mouit in Scaniam: eamq; ferro & igne deuastabat. Huius Regis temporibus Guidò Cardinalis Legatione fungitur in Dania. Causa Legationis hæc fuit: quòd Christophorus huius pater, Iacobũ Archiepiscopũ Lunden. captiuum habuit in causa Decimarum: & cùm annis ferè nouem durasset, ob hoc positum interdictum, Guido rebus compositis relaxauit. Ericus autem longæuæ pacis inde tempora sortitus, ad annum Christi peruenit post Mille Ducentos octuagesimum sextum: & cùm nihil foris hostile experiretur, suorum impetum euitare non potuit. Nam domestici eius, incertum quibus ex causis, conspirantes in eum, hostiliter confoderunt. Crediderim, gentem motibus assuetam creberrimis, non æquanimiter pacem, ac temporum tranquillitatem tolerasse: & cùm deesset quod foris cum laude peragerent, uersi in caput suum Regem, pro quo omnes mori oportebat, ipsi ad mortem prouexerunt. Nescia mens hominum fati.

Scania deuastatur.

Autoris manu annotatio in Originali.

Año. 1286.

¶ Ericus maior natu filiorum superioris Regis Erici, Nobiliũ suffragio Regno præficitur. Vualdemarus Dux, agnatorum paruulorum tutelam suscipit. Suboritur grauis simultas inter Regem & Archiepiscopũ Lundensem. Expostulat Vualdemarus cũ Rege: dehinc arma utriq; corripiunt. Res per amicos componitur: quo à fundendo sanguine abstineatur. Caput. XXV.



Ericus Rex IX.

RICVS trium Erici filiorum natu maior, adolescens tamen,

tamen, Procerum uoluntate in sceptra succedit: futurus magnificus, & splēdore gloriæ insignis Rex. Vualdemarus Slesuici Dux, legitimam pro minoribus subijt administrationem. Inter Principes agnatos maior, & cui plurimum fideret Regina, rebus plus quàm ciuili bello in Regno perturbatis, erat Vualdemarus, procurandis rebus sollicitus. Cumque staret in concilio, incumbens rebus gerendis: audit insidias sibi tendi ab his, qui sibi de morte Regis malè erant conscij. Nam præuenire conati uindictam, ipsum quoque Vualdemarū opprimere sunt connisi, certi, quòd nisi eo extincto, salui esse non possent. Ipse ad pericula intrepidus arma poscit: & accæptis in illos, qui detecti fuere, desæuijt: alios strauit: nonnullos uulnerauit, quacunque occasione manus eius effugientes. Quosdam captos, in Alsen deuexit, & uinculis mancipauit. Ericus cùm ad legitimos annos peruenisset, coniugem duxit Suetiæ Regis Birgerij sororem: cùm pridèm ipse Birgerius coniugem haberet germanam Erici. Ita geminatis affinitatibus, fortius inuicem sunt deuincti. Hic Rex grauem cum Archiepiscopo Lunden. gerebat simultatem, ob quædam Regni & Ecclesiæ iura. cùm quisque suam partem (ut fit) iustiorem reputaret. Cædere cōactus Archiepiscopus maiori potentiæ, Romam se contulit. Prius tamen carceratus, euasit. Et cùm summo Pontifici rem aperiret: misit ille Isaruum, ad Regem nuncium. Quem Rex pro Ioanne depulso, fecit Archiepiscopum. Regnū tamen mansit in Interdicto. Suffertur Ioannes ad sedem Rigensem. Aliquanto post tempore, iterum transfertur ad Bremensem Ecclesiam: Isaruus ad Salernitanam. ut careret Ecclesia, quam non erat ante ritè consecutus. Nec diu post, Rex Cancellarium suum misit in Vrbem, rebus componendis. Quod ita impleuit. Extitit deinde causa, quæ Vualdemaro Slesuicen. Duci Regem faceret infensum. Simultas primum uerbis expostulata, in apertum bellum processit. Vtrique comparatis sibi armis, contractisque auxilijs, duxerunt in inuicem. Maior erat longè Ducis exercitus: nec incertus poterat uideri pugnæ exitus. cùm ex hac maiori parte starent pugnacissimi plurimi. Sed interuentu communium amicorum, quùm iam ad pugnam parata starent agmina, res ita dirimitur: ut Duci Lalandia permittatur, quæ dissensionis uidebatur materia.

Coniugium Regis.

Manus Autoris.

Dirimitur pacto bellū.



¶ Ericus Rex Birgerio Suetiæ Regi suppetias laturus, multorum Principum concordias erigit: frustra tamen exercitu magno in Suedos mouit, operā & impensas perdens. Caput. XXVI.

ISDEM temporibus cùm Principes Vuandaliç apud Rostock, quem puerum dixere, contempta filia D. Alberti Marchio-

ñis, duxiſſet cõiugem, congentilis ſui D. de Vualogaſto filiam: iratus Albertus, malè minabatur contemnenti. At ille ſe ſubiecit Erico Danorum Regi: qui miſsis expeditis militibus, ſubditum ſuum egregiè defendit. Inde Rex Ericus, cùm cerneret res omnes in Suetia turbari: & magno ibi bello confligendum: operas impendit, ad pacandas res uicinorum Principum. ut illorum uteretur operâ ad bellum memoratum. Intendit ergo animum ad pacandos uicinos Holſatos. Nam Comites ſuccenſi militaribus, plures eiecerunt de terra. Rex interpoſita opera, pulſos reconciliauit Dominis ſuis. Cunq; Magnopolenſibus inciderent ſimultates ad urbem Lubecam: Duci quoq; Sleſuicenſi, & Comitibus memoratis turbata erat ſynceritas: euocauit Rex Albertum Saxoniæ Ducem: & omnes quos diximus, in inſulam Cimbriam, quam corruptè uocant Imbriam: ibiquè dedita opera, omnes & ſingulos quibuſcunquè ex cauſis diſsidentes, conciliauit inuicem: ut datis dextris, Regis nutu omnia pacarent. Qui de Lubeca miſsi ſunt, cùm cernerent Regis tantam paci deditam operam: perſuaſis ciuibus, Regem decennio elegerunt Defenſorem: per ſingulos annos mille illi marcas dependentes. Ex his quos diximus Principibus, Nobilibus, atq; ciuibus, Rex fortem & expeditum conflauit exercitum, mouens in Suetiam, Birgerium ſororium ſuum liberaturus: quem fratres eiuſdem Birgerij, Vualdemarus, & Ericus, Regno deturbatum, in uinculis eſſe iuſſerunt. Veniens autem Ericus Rex: omne Regnum, omnes portus, urbes & arces, atq; caſtella, ita reperit Teutonicorum impoſitis præſidijs eſſe communita: ut nihil ipſe cum uniuerſo exercitu ſuo perageret. Ibi perierunt labores & impenſæ plurimæ: incaſſum Amici fatigati, qui tamen omnes Regi erant uoluntarij, maiora etiam pro illo ſubituri. Nec diu poſt, Otto Brandenburgenſis Marchio, cùm antiquas exerceret in Regem ſimultates: audita magna eius & mirabili magnificentia: non paſſus ab eo diutius diuelli, in oppido Ribeniſse occurrit Regi: conuenitquè, ut anno proximo Roſtock confluerent. Ibiq; Marchio ipſe centeſimus, inter quos erant. xx. Principes, qui cingulum ſumerẽt militarem de manu Regis. Quam ſolennitatem quia in Vuandalia deſignauimus, hic tranſilimus.

Concordia Principum.

Teutonum præſidia.

¶ Vetus in Regem coniuratio, ab Vxore Ducis Lalandiæ proditur. Puniuntur Coniurati. Bellum atrox apparatur inter Marchionẽ & Regem: quod Marchionis morte non ſuccedit. Rex item moritur. Caput. xxvij.



ER QVAE tempora patefacta eſt Coniuratio grauis in Regem Ericum, hoc ordine. Ericus Dux Lalandiæ diem ſuum obierat.

obierat. Relicta eius, cùm ad filiam Regis tum de sacro fonte leuandam uocaretur, prompta uenit: & ut Regi gratum quid faceret, Literas exhibuit multis Sigillis communitas: uel ignara quid proderet, uel maligna in uiuentes, quando marito suo iam mortuo, noceri non poterat. Erant autem literæ illæ Coniurationis initæ in caput Regis. Quibus acceptis, paulatim sumpsit pœnas de omnibus Coniuratis, quos literę prodiderunt. Ita plurimum sanguinis effusum: ut nequam Coniuratio uindicaretur. Ducatum autem Regno consolidauit, cùm Dux prolem non liquisset masculam. Bellum deinde ortum est Regi magnum, cùm Vualdemarus illi Marchio multa minaretur: occasione (uti arbitror) orta de Vuandalis: qui Regi, quàm Marchioni erant promptiores. Processit res, & serpsit latissimè. Quisque partibus suis adglutinabat quos potuit. Regi cohærent Ioannes, & Gerardus Holsatiæ Comites: Ericus Dux Saxoniæ: Henricus de Magnopoli, Vuerslaus de Rugia, Henricus de Zuerin, & urbs noua Gripesuualdis. Marchioni uerò adhæsere, Otto Dux de Stetin, Vuerslaus de Vualogast, Ottonis frater: Sundensem, ac Rostoxensem urbes, in hac parte constitisse ferunt. Lubecenses uerò se partibus subtrahentes, in neutralitate constitêre. quòd sine pernicie sua poterant nusquàm inclinare. Nam Regem sibi elegerant defensorem: Marchionem uerò cognouerunt Imperij proximum sibi Principem, nonnihil ab Imperio respectus in ciuitatem habere. Quùm ita maximi utrinque bellorum fierent apparatus: mors Marchionis rem omnem diremit. Nam sanguinis sui nullum reliquit successorem, qui bellum propagaret. Peruenit enim feudum illius mox ad Imperium. Ericus autem iam ingrauescens annis & morbo, cùm adesse sentiret diem extremum, conuocatos Proceres monuit: ne fratrem suum Christophorum, quem ille pro suis demeritis Regno expulisset, Regem post se facerent: & inde concessit in fata, ad Annum Christi post Mille Trecentos uicesimumprimū, cùm in Regno triginta quinquè annos peregisset.

Puniuntur Coniurati in Regem.

Erici mors. Año 1321.

¶ Christophorus Erico succedit. Bello in Stralessundos parato, capto primum à Ciuib. Duce à Louenburg. exercitus re infecta dissoluitur. Caput. xxviij.



CHRISTOPHORVS defuncti Erici frater, quàmuis moriens Rex hoc uetuisset, uterini fratris sui Ioañis Holsatię Comitis opera, in Regnum peruenit. Erant multi, qui illi Ducem Slesuici Ericum prępo suissent: idque maximè iure comprobarunt. Multique Germanię Principes in eam partem inclinabant. Nec erant in Regno pauci, qui uoluntatē Erici proximi Regis iustificabant. Sed uicit omnia Ioañis fratris sui instãtia, ut in Regnū ante alios perueniret.

Christophorus Rex. II.

ueniret. Erant inter Proceres, quos naturalis reſpectus permoueret: quòd Regis frater & filius ad coronam proximus haberetur. Sperabant enim, iam deferueſcente adoleſcentię calore, futurum modeſtiorem. Multa illi bella cum ſuis: multa cum exteris. Cunq; in Ducē Slesuici exterminandum uerteretur: occurrūt illi Comites Holſatiæ. Tamen priuſquàm ad eam rem ueniretur, bellum uertit in urbem maritimam Straleſſund. quòd Regi obnoxia diceret, fundata à primo Vualdemaro: illa autem Vualogaſtenſi Principi D. ſuo parebat. Rex magnam inſtruxit claſſem: inuitans à terra Principes fœderatos, hos ſcilicet: Ericum Ducem Saxoniæ de Louenburg: Albertū Ducem Lünenburgen. Gerardum & Ioannem Comites Holſatorum: Adolphum de Schouenburg Comitem: Guncelinum de Vuittenburg: Henricū de Zuerin Comites: Henricum de Mekelnburg: et Pribiſlaum Vuandalorum Principem. Hi mouerant à terra. Cæterum à mari uenerant Chriſtophorus ipſe Rex Daniæ: Birgerius Rex Suetiæ: Sueno Dux Sleſuici: Kanutus Pors, Dux Hallandiæ, incomparabilis uni expugnandę urbi exercitus. Hos omnes agmine ſuo pręuenerat Ericus Dux de Louenburg: & metatus eſt caſtra in loco qui dicitur Heynhold. Ciues qui de muris ſpecularentur aduentum eius, cùm ſcirent incomparabilem ſubſequi exercitum: expeditis armis ſuis ad ſolum egreſsi, fortiter oppugnauerunt. Ille quoad licuit ſeſe defendit: ſed fatigatus ceſſit multitudini: captus, & cum ſuis in ciuitatem protractus eſt. Reges & Principes cùm ſuperueniſſent, audito quid de Duce factum eſſet, indoluerunt: & oppugnationem urbis grauiorem inierunt. Sed cùm Ciues animosè defenderēt ſua mœnia, inuanum laborauerunt: diuq; fatigati, in ſua quiſquè abierunt. Dux autem captus, traditur Duci de Vualogaſto: ac ingenti ſe pecunia redemit, ſedecim milibus marcarum argenti puri.

Regis exercitus.

Straleſſundorum uictoria.

Dux de Louenburg capitur.

¶ Proditionis inſimulati Proceres aliquot, laqueo pœnam luunt. Sponſalia fiunt inter Marchionem iuniorem, & filiam Regis. &c. Caput. xxix.



CIRCA hæc tempora Rex Chriſtophorus adiuuit partes Principum de Mekelnburg, aduerſus maritimas ciuitates: in quo bello magnæ utrinq; calamitates illatæ: ita, ut inuicem ipſi Principes non æquis ſe oculis aſpicerent. Vnde factum eſt: ut communibus amicis rem intercipientibus, eó deduceretur: ut Rex acceptà pecunia, Dominium Roſtock, quod Regi prouenerat, aut feudi, aut belli iure in perpetuum permitteret dominis Magnopolenſibus: apud quos permanſit in hodiernum. Rex eó delatus, inſtructa claſſe, caſtra poſuit ad oſtia Vuernouiæ: ubi erant reliquiæ Arcis demolitæ

demolitæ Denskeburg. Ibi aduentū Ludouici Romanorum Regis operiebatur. Venturum enim pollicitus est, ad desponsandam Regis filiam. Ludouico Marchioni, Rom. Regis filio. Sed illo uel procrastinante nimiū, uel omnino uenire recusante, ob causas necessarias, Rex in sua regreditur. Quo etiam tempore, Rex cùm multos Procerum suorū insimulasset: quòd aduersus se tradimenta constituissent: uolentes Rege deiecto, fratrem eius Regem habere: cùm tamen, ut multorum fert opinio, fuissent innoxij: suspendio necauit. Nec diu post, cùm Ericus Slesuici Dux mortē obiret, paruulo relicto decenni puero Vualdemaro: Rex iterum administrationem Ducatus quærebat. Sed obsistere Holsatiæ Comites: & magnum inde bellum formidabatur. Nam Rex Ericum Ducem Saxoniæ adiutorem inuocabat. Nec minus Comites arma parauerunt. Sed interuentu bonorum uirorum, res tota sine bello quieuit. Nec longū posthac, uenit cum apparatu magno multorum Principum Lubecam Bertoldus Comes de Hennenberg: ducens Marchionis Ludouici filium puerum nouennem: & exinde trajciens in Daniam, magna adhibita solennitate, despondit puero filiam Regis Christophori. Aderat inter alios Henricus D. de Mekelnburg: qui cùm magnam teneret partem Vuandaliæ in Marchia, pollicitus est Rex, magnam se daturum pecuniam, ut sibi permitteret eam partem ditionis. Ille sciens quid Rex in suo posset, deliberationem unius diei deposcit: ut suorum consilio rem perageret. Negare cùm formidaret, minus annuere uoluit: quamprimū potuit inscensa naue abijt. Comes peracto negocio suo, & ipse redijt cum adulescentulo Principe suo: & reuersus in terram, conuenit Henricum memoratum: ut à se accepta pecunia, potius quàm à Rege, traderet ditionem antedictam. Placuit utrunq;: & conuenit de precio. Quo numerato, ad Marchionatum redijt, terra prius inde deducta.

Suspenduntur laqueo Proceres in simulati proditionis.

Bertoldus ab Hennenberg.



¶ Rugiam Rex uendicat. Regno pellitur. At ui rediens, in Regno propter aduersarios persistere non potuit: eos beneficijs placat. Zegenberg arx capitur.

CAPVT XXX.

CVMQVE Rugianorū Princeps tēpore illo obijsset sine prole mascula: omnes Vuandaliæ Principes in eam coniecere oculū: Duces Stetinenses, Pomerani, Vualogastenses, Marchio, Domini Magnopolenses: oībus aūt tū exclusis, Christophorus Rex iam uetus Dominus, eam ditioni suæ uendicauit. Sed cùm necdum conquiescerent odia inuicem Danorum, & Holsatorum: Gerardus, & Ioannes Comites, astipulantibus Iutijs, nauigarūt in Daniā: & incolis ad se cōcurrentibus, Regem penitus Regno depulerunt. Cessit: perueniens Rostock,

Rex Regno depulsus, ui redit.

Rostock. Ibi contractis undecunque auxilijs, rediJt in Regnum. Sed nõ potuit consistere in conspectu aduersariorum, qui Vualdemarum Erici Slesuicensis Ducis filium, Regem creauerunt. Is Procerum uoluntate Curiam celebrans, auunculos suos Comites, qui eum Regem fecerant, remunerabat. Nam Gerardo concesit Ducatũ Iutiæ: quem Slesuicensem dicimus: Ioanni Lalandiam, Cimbriam, & quędam alia. Miles quidam ex Teutonicis, arcem tum tenebat Vuerdingburg satis inexpugnabilem: cui Gerardus pollicitus est, daturum se quatuor milia marcarum, si redderet arcem. Ille accæpta fide de pecunia, mox tradidit. Consignatum est illi æs promissum in arce Zegheberg: ut arcem teneret ex more in pignus, quoad usque acciperet. Ille adijt: possedit.

Zegenberg dolo capit. Sed quùm nihil sibi timeret: scientibus, an nescientibus Comitibus, incertum: noctu transcensis muris, arx capitur. Ille cum suis muro deturbatur, proditoris sumens præmia solita. Poterat tamen utcunque fieri, etiamsi nihil inde Comites aut scissent, aut mandassent. Sed dũ bellum traheretur, fierentque uicissitudines & mutationes plurimę: Ericus Christophori filius usqueadeò inualuit, ut ausus sit obsidere arcẽ Gottorpe. Qua in obsidione tantum spei fouit obtinendæ arcis, ut nullo Holsatorum timore angeretur.

¶ Ericus uulneratus moritur, Rex cum Comitibus Holsatiæ paciscitur. Dani illum obsidentes, cadunt. Gerardus Regem uincit. Pacto liberantur captiui: quod Dani fregerunt. Rex tandem moritur.

CAPVT XXXI.



ABERAT ex quibusdam causis Gerardus uir fortissimus. Ioannem uerò contempsit. Ille autem adunatis armis, obsidentes Danos inuasit: & commisso pręlio, Ericus uulneratus est letaliter: quo ex uulnere breui post obijt: & soluta est obsidio. Proxima autẽ Æstate Rex Christophorus Lubecam ueniens: interpositis amicis, pacem meruit à Comitibus. Erat autem pactionis hæc forma: ut Rex Comitibus persolueret octoginta milia marcarum argenti puri: & in pignus, donec numeratio impleatur, acciperent, Syluam quæ dicitur Danica: cum octo circumiacentibus parochijs. Rex Vuerdingburg reducitur in Regnum. Sed Danorum Proceres huius compositionis formam non approbantes, restiterunt: Regemque in ea arce obsederũt. Sed cùm Regi adessent Comites memorati, facilè superauit aduersarios. Omnium nouissimi fuere Iutij: qui Regi se opponerent pro suo Vualdemaro, quem Regem creatum defenderant. Nam arcem Gottorpe noua oppugnatione adorti, cinxerunt obsidione. Ioannes autem Christophori uterinus frater, iam pro fratre agens: cõtractis copijs institit obsidionem

Ericus uulnere morit. — *Rex obsidetur.*

ſidionem ſoluere. Et commiſſo prælio, ceciderunt ex Danorum nu-
mero nongenti. Ipſe uictor obſidionem diſſoluit: multis ex Iutijs no- Cadunt Da
bilioribus ſecum captis abduxit. Extitit deinde cauſa, qua Comites fra ni. 900.
trueles, Ioannes, & Gerardus, grauiter inter ſe diſsiderent. Rex fratri
Ioanni ſuppetias tulit: ſatis ſciens, ubi Gerardum ſuperarit, de Ioanne
ſe facilè acturum. Ioannes contractas copias in Todeſlo collocauit, Re
gem ſibi coniungendum demoratus. At Gerardus hoc cauens, ne co-
piæ iungerentur, Regis ex Sleſuico ducentis iter præoccupauit: & ue
nientem excipiens, manum cum illo cõtulit. Erat autem Regis agmen Gerardus
duplo præſtans numero. Sed Comes inuictus, conſerens prælium, fa- Regem uin
cilè Regis agmen dirupit: cecidit multos: aliquot cœpit: uix Rex elabi cit.
tur cum filio Vualdemaro, in oppidum Kilonem confugiens. Ioañes
audito prælij exitu, ad fratrem uenit: illumq́ reduxit in Regnũ. Nec
diu poſt, cum fratruele Gerardo egit ſuper relaxatione captiuorum,
quos ſuperiore año ille abduxit de exercitu Regis fratris ſui. Nec tam
en res ad ſolum ſpectabat Gerardum. nam auxilia plurima aliunde cõ
traxit. Erant cũ eo Vuilhelmus de Orlemunde, Burchardus de Zua-
lenberg, Comites. Henricus de Brunchorſt, Nicolaus, ac Guncelinus
de Vuittenburg. his enim pars erat in captiuis. Sed tum accæpta Fio-
nia, Gerardus uix cæteros reddidit quietos. At tamen Dani malè fi-
dem ſeruabant. Nam eodem animo in Lundis repertos Holſatos ob-
truncauerunt: & obſidentes arcem Helſingburg, & quicquid in Reg-
no Gerardus habuit, receperunt: cùm illi quos præfecit Gerardus, ni-
hil hoſtile timerent. In his laboribus ætatem terens Chriſtophorus,
cùm ad maturam perueniſſet ætatem, Anno poſt Mille Trecentos tri- Chriſtopho
ceſimotertio uitam finiuit: cùm in Regno duodecim egiſſet annis. ri mors. An
no. 1333.

¶ Otto Vualdemari Regis frater bello captus, uix oblatis
conditionibus eximitur: quibus non ad plenum ſer-
uatis, bellum Gerardus inſtaurat. Is clam no-
ctu truncatur. Eius mortem filius ulciſ-
citur. Caput. xxxij.



VALDEMARVS eius nominis Tertius, Chriſto- Vualdema-
phori filius, Regno ſuccedit. Cuius frater Otto, renouatis in Holſa- rus Rex. III
tos bellis, nihil profecit. Nam ei occurrens in Iutia Gerardus, ductor
fortiſsimus, non longè à Vuiburgio collatis manibus, uicit: & multis
cæſis, Ottonem cœpit: perduxit captum in arcem Zegheberg. Roma
norum interim Rex miſsis nuncijs in Lubecam ſolennibus, Gerardo
de Hennenberg Comiti, cum cõſortibus mandauit Ciuibus: ut quan
tas poſſent uires interponerent, ad laxandum captiuũ Ottonem Chri
ſtophori filium. Illi parẽtes dicto, quod poterant fecere. At nihil pro-

Otto soluit. profecerunt. Ad extremum tamen pactis conditionibus, dimittitur. Quorum quædam dum non legaliter implerentur, Gerardus bella renouare cōactus, exercitum duxit in Iutiam. Ibiq; dum castra haberet non satis diligenti suorum custodia: à Danorum quodam nobili, qui consuetudinem castrorū eius nosset (nam diu illi militauit) noctu uelut unus excubitorum, ingressus cum sexaginta uiris, Comitem in stratu suo occidit: & cum eo Capellanum, & militem Henricum de Vuitighoue: & clam regressus elabitur. Ad primam lucem comperto scelere, ingens in exercitu luctus erat: quod uir incōparabilis, Ductor semper fortissimus, qui Daniam oēm gladio suo sępè concusserit, tam negligenter perierit. Henricus tamen filius eius, cui ex robore Ferrei nomen postea accessit: peractis funeralibus ex more, consolatus exercitum, in Daniam illum duxit: ubiq; sæuiens igne ac ferro. Nec obuiū se ferre ille quisquàm præsumebat. Nec quieuit, donec caperet patris sui iugulatorem. Quem rotis membratim discissum, uulturibus deuorandum obiecit.

Gerardus strato truncatur.

Paternæ necis ultio.

¶ Vualdemarus Regno pulsus, restituitur, Dani ab Holsatis caduntur. Caput. xxxiij.



IAM Vualdemarus Rex Christophori filius, Regno pulsus, exulabat. Vualdemarus autē pridem Dux Slesuici sub Christophoro creatus, nunc Regnum ope Holsatorum ambiebat: & peregit, ut Rex pelleretur. Sed mortuo Gerardo, cùm filij eius multo tempore rem sustinuissent: & uindictam paternæ necis egregiè peregissent: & iam audirent, Lubecam uentitasse Ludouicum Marchionem, ex quibusdam causis: illum adeunt Comites: rogabantq;, ut ille interpositis partibus suis, Regem Regno restitueret. Ille dedita opera peregit: ut Dux Slesuici Vualdemarus, coronam poneret: Regi Vualdemaro redderet: accępturus quæ ab olim omnia paternæ fuerunt ditionis. Dux ex fide omnia peregit. Et ut in reliquū tempus solida perstaret familiaritas, sororem suam Regi despondit in Sincderburg. Peregitq;, ut ex omni Regno Proceres coëuntes in Vuiburgum, reciperent & agnoscerent Regem, sacramentis ex more renouatis. Et tamen iniquis semper oculis aspexere inter se Holsatos diuersantes. cùm Fionia illis pareret. Ergo adunati, arcem eius terræ Scalnburg cœperunt oppugnare. Holsati, qui intus agebant, fortiter repugnauere: misso nuncio in Holsatiam, qui filios Gerardi, de rerum statu facerent certiores. Illi sexcentos armauere: perq; mare immiserunt. Quos cùm ex propinquo esse obsessi cernerent: quadrato agmine incedentes, eruperunt: & instituta pugna, in obsidentes fortiter præliantur. Superuenere sexcenti pugnantibus: & intercæptos Danos, ad internitionem

Regno restituitur Rex.

ternitione cecidere. Cæsa sunt ad duo milia ꝑmiscui ordinis: inter quos & Capitaneus omniū causa malorū: q in necē Gerardi fert cōspirasse.



¶ Slesuici Dux ab Holsatia in uenatione capitur. Dani ab Holsatis mari cæduntur. Rex à Prusia, & Terra sancta rediens, Holsatos infestat. Fit pax per Suetiæ Regem. Caput. xxxiiij.

VALDEMARVS Dux quibusdam ex causis Holsatis auersus, quos semper coluerat, & quorum insigni opera sępè usus est: cœpit eos in hostilē animū. Holsati nō armis, sed insidijs agendum rati, obseruabant tempus uenationis suæ. In qua captū Ducem abduxerunt in Neuburg, arcem Fioniæ: & duobus annis tentus est, donec magno ære lueret captiuitatē suam. Vualdemarus quoqꝫ Rex inuidit Holsatorum fortunæ, quòd meliores in Regno arces tenerent: quas se exulante, stipendiū militiæ suæ accæperunt. Obsedit ergò terra, mariqꝫ arcem Callingburg. Sed Henricus Comes à mari adnauigans, obsidentibus instituto prælio magno, Danorum aliquot cæsis: aliquot etiam demersis, & captis nōnullis: soluit obsidionem. Inde uerò cùm Otto frater Regis, Teutonicorum ordinem ingressus, militaret, in Prusia, aduersus perfidam tum gentē Lituanorū: Vualdemarus Rex in eandem se expeditionē perarmauit: sumpto secū Erico iuniore Duce Saxoniæ. Et primùm quidem adnauigabat Lubecam: ibi Ducem excipiens. Inde contendunt in Prusiam. At illo ueniente, nō erat is ordo rerū, ut bellū innouaretur. Vnde frustratus Rex, sine fructu redijt in Regnū. Et statim post, eodē Erico assumpto, longam inijt peregrinationē in Terrā sanctā: ubi apud Dominicū sepulchrū, Rex ab Erico Duce creatus est Miles. Reuersus inde Rex, cæteras Holsatorum arces cœpit oppugnare: & in Lalandia obsedit Vuerdingburg. Ioannes autē Holsatiæ Comes. cùm id audisset: armatis aliquot nauibus, suppetias ferre cōstituit obsessis. Non est passus Rex Suetiæ Magnus, rem armis pagere. Nam ille intercæpto negocio, peregit: ut Rex octo marcarum argenti milibus persolutis Comiti, reciperet Lalandiam suam. Et consensit Comes, sedataqꝫ est materia controuersiarum.

Dux Iutiæ capitur.

Dani à mari cæduntur.



¶ Varia belli fortuna, nunc Regi, nunc Principib. blandiente: tandem Magnus Suetiæ Rex, dissidij factus arbiter, rem omnem componit. Caput. xxxv.

INTEREA causa extitit, per quā ludificati Principes multi: inprimis Albertus iam Dux Magnopolensis, & Otto Archiepiscopus Magdeburgen. Rodolfus Dux Saxonię, & Albertus Comes de Anehald: Marchionem adulterinum defenderunt, aduersus Ludouicū Rom. Regis filiū, iamdudū illo Principatu inue-

ſtitum. Rex aũt Vualdemarus partes fouit Ludouici: magno agmine mouens in Ducem Magnopolenſem Albertum: & peruenit agmine ſuo per Pomeraniam ſibi paratam, ad oppidũ uſq; Stargard. Quod non diu reſiſtere potuit oppũgnanti. Secutus Regem Albertus, obſedit eum in oppido memorato. Sed cùm audiret Albertus ſuperuenire Romulum Marchionis fratrem cum exercitu: ut Regi ſubueniat: ne inter duos interciperetur, obſidionẽ relinquẽs, occurrit Romulo. Ibi conſerto prælio, grauis pugna fortiter editur. Sed uictoria fuit Alberti. Nam multis cæſis, ad quadringentos cœpit. Romulus cum paucis uix elabitur. Rex audita fortuna partis ſuæ, oppido egredit̃: & auctis copijs per Ducem Stetinen. in uicina Ducis oppida ducit: & aliquot captis, in Berlinum contendit obſidendum: quæ urbs ſenſerat pro Vualdemaro, quem Adulterinum Marchionem, Rom. tum Rex Carolus fertur ſuppoſuiſſe Bauaris. Ibi aliquot per Regem creatis militibus, obſidioni fortiter inſtatur. Secutus Albertus Dux cum copijs ſuis prælio ſe aptabat. Nec minus Rex ſuos inſtructis ordinib. tenebat, paratus excipere uenientem. Tum utriuſq; Principis Seniores adequitant, inter ſe locuti: Quid tanto petatur apparatu, niſi Chriſtiani ſanguinis profuſio copioſa? Conducibilius forè, pacis requirere conſilia. Et inter ſe deliberantes de illis, retulit quęq; pars Principi ſuo. Conuenitur: ut arbitrũ cauſæ facerent Magnũ Suetiæ Regem: qui proximo Pentecoſtes feſto, rem omnem dirimat. Ita diſceditur. Veniente autem pręfinita die, Rex auditis partium allegationibus, ita rem diremit. Vt Marchio Romulus, ſupra pecuniam, quam pro redimendis captiuis Duci debebat, remitteret homagiale ſeruitium, quod habebat in quibuſdam terris olim Vuandalicis: quas nunc tenebat Dux Magnopolen. Inſuper Romulus acciperet Ingeburgam filiam Alberti Ducis in coniugem. Dos eſſet oppidũ Lentze cũ territorio ſuo. Romulus pro uiralicijs daret Sponſæ Arusberg, Vuerben, Parleberg, cũ attinẽtijs.

Stargard Rex obtinet.

Alberti erga Romulũ uictoria.

Bellũ arbitrio Regis Suetiæ dirimitur.

¶ Adulterinus Marchio honori collato cedit. Indicuntur Comitiæ Lubecã ſuper pace cõmuni. Caput. xxxvi.



N hunc modũ diremptis controuerſijs Principũ, Rex Vualdemarus, Romulus Marchio (cui frater Ludouicus eam Prouinciam permiſit) Ericus Dux Saxoniæ, adito Rom. Rege Carolo: ſciſcitantur, cur adulterinũ hominem Marchiæ impoſuiſſet, in graue præiudicium ueritatis, & Principũ? Quùm in ueritate Vualdemarus, quẽ idolũ illud præferebat, eſſet defunctus. Rex illis ſatisfaciens, reſpondit. Non ſe leuitate ulla, aut malignitate inſtinctũ hoc egiſſe: ſed Ottonis Archiepiſcopi Magdeburgen. Rodolphi Ducis Saxoniæ, Alberti de Magnopoli Ducis, & Alberti de Anehald

hold Comitis ſacramentis deceptũ. Tum Rex Vualdemarus, Et nos inquit, parati ſumus oſtendere, melioribus ſacramentis eos peieraſſe. Ergò sereniſsime Princeps, muta Decretum. Cũnq; ad eorum uoluntatem Carolus Romulũ declaraſſet Marchionem: Adulterinus ille id intelligens, latuit: et in ditionẽ Comitis de Anehold concedens, in paupertate & calamitate uitam finiuit in oppido Deſſou. Rex aũt Vualdemarus terris ſuis redditus, nihil duxit antiquius, quàm pacem ubiquè quantum poſſet latiſsimè conſtituere. In quam rem ſolennem Lubecæ Curiam indixit. Conuenerãt eó omnes uicini Principes, Romulus Marchio Brandenburgen. Vuilhelmus Dux Luneburgen. Rodolphus de Saxonia: Ericus de Louenburg & Saxonia: Caſimarus de Stetin: Vuertſlaus de Vualogaſt: Albertus de Magnopoli: Ericus de Sleſuig: Kanutus de Hallandia Duces: Henricus, & Nicolaus de Holſatia, Adolphus de Schouenburg Comites: multi item Milites aurati: militares ſine numero. Ibi Conſilium agebatur de temporũ tranquillitate, & communi ubiq; pace. Omnibus autem ritè conſtitutis: torneamenta militaria, ludi, choreæ, & Principum illic inſignis apparatus uiſebatur.

Adulterinus Marchio ſecedit.



¶ Rex Vuiſlon deprædatam, ditioni ſuæ ſubigit. Ortí aliquot Ducum motus; at Ericus uictor ſuperat.

CAPVT XXXVII.

PROXIMA Regi expeditio fuit in Godlandiam: ex nonnullis cauſis, quę in Annalibus non extant. Terram ferro & igne peruaſtabat: oppidum Vuiſlon arta cinxit obſidione: terra, mariq; oppugnans. Ciues cùm nullũ cernerent profugiũ, Regi ſe permiſere, gratiam expetentes. Ille accæptis iuramentis, cùm interim miles eius præda onuſtus locupletaretur, uictor in ſuã reuerſus eſt. Interea cùm Albertus Magnopolen. & Ericus Saxoniæ Duces, de finibus contenderent, & uiciſsim arces ſibi ademiſſent: occupauit Ericus Plaue: cùm Albertus teneret Godebuſch, & Boycenburg, quæ iuris ferebantur Saxonici. Rex interpoſita pactione, hoc modo litem diremit: Vt quiſquè alienũ redderet. Credulus Ericus, pactioni ſatisfecit, reddens Plaue. Cùm aũt Albertus non pareret, indignatus Rex, Helſingburg, quod Præfectus Alberti tenebat in Dania, recepit. Ericus quoq; ducens in Magnopolim, congreditur Alberto: & uictoria potitus, plus quàm quadringentos cæcidit, ac cœpit. Dum iſta fierent, Comites Holſatiæ pro Alberto ſentientes, oppugnauere arcem Krummeſſe. Superuenere Ducis Erici milites: & confertis manibus. 60. equites ſtrauerunt, atq; cœperunt. Ita utrobiq; pars iuſtior Erici ſuperauit.

Erici Saxonis uictoria.

¶ Rex cum maritimis Vuandaliæ ciuitatibus bellum gerit: in quo filius



Regis lapide ictus, cadit. Rex soluto prẹlio, Nicolaū Holsatiæ Comitem uincit. Cimbriam inuadens, superatur, capto Capitaneo Petro. Caput.xxxviij.

DEINDE dissensio grauis orta est inter Regē, atq; urbes maritimas Vuandalicas: quæ in apertū processit bellū. Armauere Ciuitates aliquot magnas naues, classem ualidam: & duxerunt in Regem. Congressi, pugnauerunt in mari. Et satis incerta fuit uictoria. Nisi quòd filius Regis Christophorus, ictus lapide, nō diu superfuit. Hic casus diremit prælium. Tum copiẹ Ciuitatum terris impositæ, incedunt uastabundæ ad prædam: negligentius habita classe, Rex autem submisit quosdā, qui sex grandiores ex omni classe naues caperent, & abducerent. Ob quam rem Præfectus classis, ex urbe Lubeca, Ioannes Vuirtenburg, capite plexus est. Interea Nicolaus Holsatiæ Comes, arcem Bramberg in Fionia, sui ut putabat iuris, obsedit: & penè cæperat. Tum superueniens Rex maioribus copijs, cū Comite conflixit. Ille & si fortiter repugnaret, multis utrinq; cæsis, ad extremū cedere cogebat multitudini: captis penè omnibus, qui de suis supererant: uix ipse cū paucis euasit. Idē quoq; Rex cùm classem perarmasset, duxit in Cimbriam: quam Comites Holsatiæ tenuerunt. Inde uerò cùm tota non indigeret, partem copiarū, sub Præfecto Petro, misit in portum Vuismariensem: ut prædaret. Ciues aūt, ubi innotuit, in naues se armati contulerunt: & inita pugna, Danos superarūt: capto Petro cum centū sexaginta suorū. Qui postea singulari ingenio elapsus est è manibus eorum. Nam custodes suos ebrietate cōsopiuit: & effractis catenis, apprehensum unū ex socijs, qui æger erat pedibus, in dorso portauit: tendens in portū. Nemo illū ex captiuis esse cōiectare poterat: cunctis arbitrantibus, quòd fideli custodia manerēt in compedibus. Obuios uigiles, sciscitantes, quo iret? quisne esset? hoc responso delusit. Ebriosus inquit iste meus (quem malè perdant dæmonia) ita potu suffunditur, ut ambulare non possit: illum itaq; in nauim deporto: ut ibi confrigescens, edormiat ceruisiam qua madet. Illi credentes, dimiserunt, sic elabentem de manibus eorum.

Filius Regis lapide cadit.

Vincuntur Dani.



¶ Rex thesauro collecto peregrinat. Mercatores libertate sua spoliati, in arma mouentur. Res demum per Regni Proceres transigitur. Rex rediens, pactū ratificat: paucis tum morti concedens. Caput.xxxix.

REX deinde (cùm suspectā haberet fidē suorū in Regno conspirantiū, ut ille coniectabat) cum Vuandalicis ciuitatibus, enauigato mari, cū ingenti thesauro peregrinationem inijt. Multis tamē fertur rebus in Marchia ad Prislauiam spoliatus. Sed inde profectus, petiuit

tiuit Gallias: peruenitq́ Auinionem: ubi Papa etiam tunc Curiam fo- uit. Excipitur hoſpitaliter: et in ipſa Quadrageſima honoratur, de more data Roſa. Cùm autem reuerſus eſſet Rex, nec Mercatoribus in Regno ſuo permitteret antiquas libertates: conſiliū inierunt per Oratores ſuos in Colonia Ciuitate: ut ex oppido Campenſi enauigarent in Regna: quaſi non maritimarū, quæ uocantur Vuandalicæ, Ciuitatū cauſa eſſet, ſed omnium Mercatorum. Multa per Daniæ inſulas edita eſt uaſtitas: multa incendia: infinita prȩda. Rex ipſe ceſsit Regno, ubicunq́ peregrinatus. Ciuitatū, im̄o Mercatorū agmina armata, arcem Coppenhauen obſidione cingentes, oppugnauere uehemēter, & expugnauerunt, multa inde præda conuecta. Cùm ergo copias ubiq́ uictrices circumtuliſſent, multas Arces oppugnando, & expugnando: Proceres terræ Regem non habentes, perpetuæ Regni ruinæ proſpicientes, inito tractatu, terram Scaniæ ſedecim annis Ciuitatibus conſignarunt cum ſuis prouentibus, in recuperationem & compenſationem damnorum, quæ per aliquot annos Ciuitatibus ex Regno prouenerant. Quibus annis decurſis, Ciuitates ſuam implentes fidem, terram ipſam cum omni iure reddiderunt Regno. Eodem tempore inualuit controuerſia ipſa de Nuptijs Eliſabeth, quæ ſoror fuit Henrici & Nicolai Comitum Holſatiæ: quæ primùm Aquino Noruagiæ Regi, inde etiā Magno Suetiȩ Regi deſponſata fuit, utrobiq́ reiecta. Quam rem in Saxonia exequemur. Vualdemarus autem Rex pertæſus longæuæ peregrinationis, in Regnū redire contendit, comprobatis conditionibus pactis inter Proceres, & Vuandalicas ciuitates. Ibiq́ non diu manens, infirmitate correptus, cùm ægritudinem augeret aduerſitas, in pace CHRISTI quieuit, poſt Mille Trecentos ſeptuaginta quinquè, poſt mortem patris per annos quadraginta duos, Regno uariè iactatus.

Mercatorū conſilium.

Mercatorū furor.

Eliſabet Holſatiæ bina repudiatio.



¶ Margareta Vualdemari filia, pro Olauo filio, Daniæ Regnum ſubit. Feuda partitur. Et mortuo filio, ipſa Comitias in Neuenburg conſcribit. Caput. xl.

MARGARETA Vualdemari unica filia, quia prolem uirilem non ille reliquit, cùm coniugio teneret Aquinum Noruagiæ Regem, ex quo paruulum ſuſcæpit Olauum: & cùm Aquinus non diu ſupereſſet, pariter duo Regna moderabatur, mulier uirago, & plus quàm mulier animo, & conſilio. Nam ſic uoluente Fortuna, Regnū etiam Suetiæ illi, capto poſt Alberto Rege, acceſsit. At interea Dux Magnopolenſis Albertus, cùm iam filium Albertum (quod in Suetia diximus) illi Regno præfeciſſet, Henricū Daniæ præponere cogitauit. In quā rē, audita morte Vualdemari, magnā claſſem

Margareta Daniæ Regnum, pro Olauo filio minorenni ſubit.

Suetiȩ lib. 5. cap. 32. b.

comparauit:& admonito in Suetia filio, ut occurreret, enauigauit in Daniam. Sed rebus per fœminam constitutis, prohibitus est: nec potuit ad uota rem procurare. Vnde rediens, magno rerũ discrimine iactatus in mari, multa fertur amisisse. Margareta autem Regina, profecta in Iutiam cum Olauo filio, Proceres Regni Daniæ sibi deuinxit: filioq; iurare cõegit. Iam enim Scaniam recepit, magnopere florescentem, post annos sedecim, de manibus Ciuitatum Vuandalicarũ. Euocatis aũt Holsatiæ Comitibus Nicolao, & Henrici filijs (nam ille iam in fata concesit) uni quẽ ipsi mallent, Ducatũ Iutiæ pmittere spopondit: sic tamen, ut de manibus Regis recognosceret beneficiũ. Nicolaus pro ætate recusabat. Filio ergo Henrici Ferrei maiori Gerardo, Ducatũ Slesuicensem deferebat. Et instituto de more soleñi apparatu, uexillũ illi p manus filij tradidit: Ducemq; creat illum, Regniq; uasallum: multis ex Regni Procerib. astantibus, & rem oẽm uerbo & opere cõmendantibus. At filius illi Olauus non diu supererat. Nam Año. 87. post Mille Trecentos, concesit in fata: cùm iam illa. 12. annis Daniam gubernasset. Circumiens autem, totius Regni Præfectos, omnia innouauit: & rebus diligentisime procuratis, statim euasit locupletisima. In Nuenburg iusit oẽs Prælatos & Regni Proceres conuenire.

Mors Olaui. Anno 1387.



¶ Feudi Ducatus Slesuicensis rationes exponuntur. Regina uicto Alberto Suetiæ Rege, tribus Regnis prudentisimè præest. Caput. xli.

ADERAT inter alios Gerardus Dux Slesuici, cum patruo Nicolao, & Adolpho fratruele. Ibi renouata est ratio Feudi. Quòd Ducatus Slesuicensis, perpetuo iure ad seniorem, ex Holsatorum huius lineę Comitibus, pertineat: ita tamen, ut iuxta Regni iura, Feudũ à corona recognoscat: & inde pręstet obsequia. Quòd quẽ succesione legiti[illegible] feudũ ad proximos perueniat. Et si unquàm aliqua oritura sit differentia inter Danos & Holsatos: Dani ex Holsatis geminos, & uicisim Holsati ex Danis totidem eligant causæ arbitros. Qui si dirimere controuersiam non posint, esset apud illos potestas, quintum sibi sociandi: qui omnia per maioris partis decisionem terminaret. Orta deinde simultate inter Reginam, & Albertũ Suetiæ Regem, per occasionem Nouæ arcis per Regem institutæ: cui aliam Regina opposuit in suo, unde facilè omnis commeatus ad arcem Regis inuehi impediretur. Primùm ex rixa Pręfectorũ contentio: ex contentione bellũ suboritur. Rex auxilia plurima ex Germania cõtraxit: Regina suos perarmat ex duobus Regnis expeditiores. Stabant armatæ acies mutuis in aspectibus. Palus erat in medio: quam animosus Rex transire uolens, tantum sibi peperit laboris, ut Danis relinqueret uictoriam.

Feudi Ducatus Slesuicen. rationes.

uictoriam. Captus cum filio, septem annis tenetur, donec ciuitatũ quarundem fide interposita, magnis conditionibu s (quod in Suetia diximus) laxaretur. Summa rerum fuit, ut hoc quoq; Regnum duobus accederet: & fieret Margareta trium Regnorũ potentiss. Regina. Moderabatur ea fœmina prudẽti consilio tria Regna: nec erat qui se commoueret in eã. Inuentus est tñ Iuuenis, corpore & habitu simillimus filio eius Olauo, qui se Olauũ mentiret: effingens fabulã, quomodo pro se alius tumulatus sit Regio funere: & ipse elapsus. Multa Reginæ secreta mouit: multa pueriliũ actorũ recordabat, instructus à Nutrice dicti Olaui. At sagacissimã Reginã, quæ certa fuit de filij sui funere, fallere non potuit. Vnde factum est: ut detecta falsitate, & omni techna patefacta, publico condemnatus iudicio, in Falsterbode concremaretur. Suetiæ li. 5. cap. 32. 5. Pulchra æmulatio, at exitialis.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Daniæ gestarum LIB. VIII.



¶ Ericus. X. Rex assumitur. Tumultum Danorum super Iutię feudo, Regina sedat: treugis pręscriptis. Rex, Lubecensium Senatum pulsum restituit.

CAPVT I.

RICVS Pomeranorũ Dux, à Margareta Regina trium Regnorũ, adoptatus filius, in Regem assumitur. Iam solertissima fœmina ingrauescẽs ætate, laborũ suorum requiem quærebat. Erat aũt post natum Christum 1411. annus. Prima Regi cura fuit, recuperandi Ducatus Slesuicen. Nam Gerardus illo inuestitus, in Thietmarsia cæsus occubuit: ob id feudum extinctum reputauit. Contra, trium paruulorum, quos Gerardus reliquit, Principes tutores sentiebant, transisse legitimum feudũ ad liberos. Res ad arma peruenit. Duces Brunsuicenses auunculi paruulorum, & Adolphus Comes de Schouenburg, armata manu ualida Iutiam introierunt: suorum iura defensuri, & amissa recuperaturi. Regina senex ab annis, sed animo non defecta, se interposuit mediam: ut tractatibus res sopiretur. Dum colloquuntur Principes, Adolphus Comes positus est in custodiam, & uelut excubias, ut obseruaret Danorum conatus, si quo se modo commouerent, non imparatus occurreret. Quod præuiderunt Principes, accidit. Nam in medijs tractatibus exorto tumultu, incertum unde, Dani ad arma conclamant. Adolphus mox cum expeditis excipit tumultuantes: & grauiter eis oppressis, multos eorum prosternit. Regina uerò cautior euentum pugnæ excæpit: cernens uenisse germanos ad pugnam, hoc peregit placidis

Ericus Rex X. Año. 1411.

placidis utrinq; sermonibus: ut res in treugas statueretur. Interim cùm cõmunitas Lubecen. consiliũ ciuitatis eiecissent: & ipsi propulsi, tamẽ suã prosequerent̃ innocentiã apud Rom. Regẽ: obtentaq; sentẽtia ad uersus cõmunitatẽ Lubecen. executionẽ literarũ requirebãt: uisus idoneus Ericus Danorũ Rex. Is requisitus, literis Regalibus parendũ duxit. Præmonitis tñ antea ciuibus. Sed cùm indurati, non acquiescerẽt monitis: eos qui piscandi gratia tum uersabant̃ in Scania, detinebat: uelut Regalibus mandatis contumaces. Magna ergò uirtute idẽ Rex urbem Lubecensem somno discutiẽs: cũ uiris bonis sine causa propulsis grassarent̃: statui ciuitatis consulẽs, captis Mercatorib. in Scania Piscaturę intẽtis: ꝑfecit, ut suã in sedẽ pulsus Senatus reponeret̃. Nec ingrati Lubecenses, diu sunt Regi in his bellis super Ducatu obsecuti.

Reponitur Senatus.



¶ Mari latrocinia fiũt. Cimbriam Rex & sui miserè infestãt. Duces iuniores negata Iutia, illam inuadunt. Frisij Danos fugant, & depopulantur. Caput. ij.

SED cùm iam utraq; pars, tam scilicet Rex, quàm Duces ipsi iuuenes, stipẽdiarios (uerius Gregarios milites) suopte lucro & damno misissent in mare: facta sunt Latrocinia sine numero. Quę res Regi Ciuitates abalienauit. Complacuitq; eis, in Ducibus ut illis cohærerent. Multa ad hanc rem pertinentia prætereo: quæ in Vuandalia nostra, in ꝓsecutione rerũ urbis Lubecanę locũ suũ tenẽt. Cæterum Cimbriam Rex adnauigat, ferro et igne cuncta peruastans, aliquandiu ad arcẽ Glambeke res demorat̃. Sed expugnata arce, Rex illam firmauit: reliquam terram deditam accæpit. Erant qui pertinaciter resisterent de Ecclesia. Hos uelut dedititios euocari iussos, Dani cõ trucidarunt, inuito (ut creditur) Rege. Ferunt bonũ Principem, omni æuo suo luxisse stragem, quam talis, necesse est, incursus habet: fœminarũ & uirginũ constuprationem, & omnium sacrorum prophanationem. Tum uerò. xx. accæptis obsidibus, pro totidem marcarum milibus, in sua redijt. Creuit in immensum Belli molestia. Multus erat fauor Ducum iuuenum: faciente pro illis, omni consuetudine Romani Regni. Sed illam ad Daniam pertinere, pars Regis non putabat. Humiliter instabat Henricus ex tribus fratribus senior, apud Regem: ut se de memorato Ducatu inuestiret. Rex econtra deposcebat: ut omne ius in manus eius collocaret, expectans si Rex illi redderet. Eam insolitam inuestiendi formam, nullus Principum cõprobabat. Vnde factum est: ut multi in auxilium Ducum sua spontè descenderent. Henricus ergò Dux, cũ consortibus Henrico de Holsatia Comite, patruo suo: & Baltassarę D. de Vuenden: multis præterea ex Saxonia, & Vuestualia, spontaneam militiam subeuntibus, armato agmine Iutiam inua-

Vuandaliæ lib. 8. cap. 33.

Glambek expugnatur.

Trucidantur Ecclesiastici.

Belli fructus & honor.

am inuaserunt: & capta arce Tunderen: præsidioq; imposito, Frisiam illi subiectam, ad sua iuga coëgerunt: pecuniam soluentes, ac sacramenta præstantes. At cùm illi reduxissent exercitum: Dani non ferentes Frisios parere Holsatis: in eos magna multitudine ducunt, ut Regi sacramenta renouarent. Et primò quidèm prosperè uidebantur agere. Inde autem conglobati Frisij: fidem primam irritam facere nolentes, repulerunt Danos, aliquot milibus ex eis prostratis. Prædam uerò, si quam primo impetu Dani abstraxissent, Frisij insecuti recuperarunt: multam stragem edentes. Rex autem magna classe perarmata, consedit in mari: nulli se terræ applicans. Holsati Castorem dixere: quòd aquis caudam non educeret. Sed ille prouido nimis usus est consilio: quòd sciebat Duces aduersarios, magnam auxiliorum manum, magnis impensis sustinere: ut diuturnitatis pertæsi, dilaberentur. At ipsi sibi præda ingenti undiq; circumacta, consuluerunt: & suis se impensis aluerunt: quo Ducibus rem facerent tolerabilem. Aderat Albertus Dux Magnopolensis: qui etiam ius suum bello in Regem insequebatur, de Suetia nuper amissa.

Frisiorum in Danos uictoria.

Rex Castor dictus.

¶ Slesuicum, cum Duce Alberto, Rex superat & capit. Dani uictores, Stubbe arcem solo æquant, Frisiam dein domantes. Caput. iij.



REX tandem terris applicans, dicto citius urbem obsedit Slesuig: cui sciebat inesse Albertum Ducem memoratū. Nec diu oppugnatam obtinuit: Alberto Duci permisit: ut gratiam postulans, obtineret. Exiuit ad Regem: & sacramento se obligauit, tria se Regna nunquàm oppugnaturum. In hæc iuramenti uerba, cum suis dimittitur. Ciues autem Hamburgenses cùm audirent Regem Slesuico potitum, commiseratione tangebantur super calamitate suorū Principū: mox illis sexcentos balistarios auxilio miserunt. Principes quoquè Bernardus de Braunschuueig, Vuilhelmus de Lūnenburg Duces: Otto de Hoya Comes, Albim transgresßi, auxilio uenere. Et primo quidèm cōgressu, pacis consilia pertentauere. Vbi illa euanuerūt: stante parte quaq; in rigore iusticiæ suæ, ad arma uentum est. Principes Germaniæ sexcentis equitibus, & triginta peditum milibus rem peregerant: obsidione uallantes arcem Kunigsburg. Dani autem maiori equitatu superuenere, mille quingentis equitibus: pari peditum numero. Et commissa pugna, obsidionem soluerunt: ac hostes retrò egerunt. Ne tamen frustra uenerint, arcem Stubbe cingentes, expugnant: ac solo coæquarunt. Rex inde Frisiam Egdorensem intrauit, quòd audierit eos Holsatis inclinare: & infinita secum de iumentis abducta præda, octoginta numero Seniorum secum duxit obsides, futuræ

Slesuicum Rex superat.

Stubbe solo æquatur.

futuræ semper in se fidei. Thietmarsi deinde calamitatem miserorũ augentes, introierunt uicinam Frisiam: & reliquias auferentes, coëgerũt populum in uerba Ducũ iurare: uiginti etiam ex Maioribus obsides secum trahentes, ut. xx. marcarum milia Ducibus persoluerent.



¶ Nauis Regia prædatur. Cimbriam Dani enormiter populantur. Hamburgen. Danos mari deuincunt. Haderfleue ab Henrico Duce pecunia se redimit.

CAPVT IIII.

TEMPORE eodem gregarij satellites, pro Holsatis in mari digrassantes, interceperunt nauim quæ portabat omnia Iocalia Regis, Pontificum, in auro, argento, uestibus, serico, & pannis preciosis. Non fuit facilè æstimationem rerum captarum dicere. Omnia militum, & cæterorum Nobilium preciosa quæq; perierunt, nauigio illo intercæpto. Intercepta aliquando res est opera Ciuitatum: ut treugis constitutis, pars quæq; nominaret Principes, quibus arbitrium esset rem omnem dirimendi. Pars autem quæ iustis decretis non pareret: ab omnibus esset insectanda. Accæptauere partes rem utrinquè. At ueniente termino, Rex non comparuit. Quæ res animos Ciuitatum Ducibus magis inclinauit. Nam tergiuersatione uti Rex uidebatur. Cimbria in medio posita, crebros motus excæpit. Nam post nouissimam Regis expugnationem à Danis, Holsati iterum occuparunt: magis, magisq; futuræ oppugnationi se præparantes. Rex eam denuo inuadit classe. Incolæ freti Holsatorum pręsidio, quòd Duces inmiserãt, fortiter resistunt: nec sinunt Regios in terram descendere. Grauissima pugna consurgit, nitentium, & obsistentium. Multi Danorum cadũt. Regi ingressus nulla ui permittitur. Contendit in sacrum Portum. Ibi ingressus terram, uicina populatur, abductis prædis & captiuis. Inde naues denuò ingressus, redit ad Cimbriam. Pertinax iterum pugna. Dani iam firmauere animũ: certi aut terrã capere: aut immori. Quid non labor improbus obtinet? Fortiter quidèm incolæ cum Holsatis diu obstitere. Vicit tamen pertinacia: freti multitudine. Tum sæuitia Danorum sine exemplo. Stetit in oculis cædes: quam in multos nobiles, ingressum impedientes, fecissent. Nemini parsum est. Furiunt sine more. Sacra, prophana in æquo sunt: Virgines, maritatæ, iuxta prostitutæ. Mira calamitas. Regem ipsum exterruisse fertur. Arcem expugnant, pręsidium corroborantes. Sacris locis & rebus nulla parte delatum. Omnia latrocinijs exhausta. Sitim auariciæ & sanguinis explere non poterant. Ferunt Regem commiseratum, grassantem militem reuocare non potuisse. Cunq; euastata insula, Rex declinaret: Holsati denuò ingressi, pertentarunt Arcem capere. Sed frustra tum connisi, abierunt.

Nauis preciosa mari diripitur.

Cimbriam Rex denuo oppugnat.

Danorum furor in Cimbrios.

abierunt. Tum Hamburgenses .xij. nauibus instructis, Iutiæ latus occiduum depopulantur: obuios Danos excipiunt prælio nauali. Tres inde naues mergunt. Cæterum ad magnum cæsis numerum, centum uiginti captiuos reduxerunt: suo commodo, illos argento emungentes. Henricus Dux collaudatis ciuibus, & ipse militiam instruit. Octingentos fertur equites habuisse, triginta milia peditum: Arcem & oppidum Hadersleue obsedit. Oppidani, ne ad unum omnes perirent: ex promissa pecunia trium milium marcarum se uexa redemerunt. Dux autem uicina omnia depopulatur: & onusta præda cum suis redit: nõ alio tum magnificè peracto militari opere.



¶ Agitur super Concordia Regis & Ducis. Re autem infecta, in arma redeunt. Pontifex Ioannes Regis iræ cædit. Caput. V.

INTEREA Lubecensis Episcopus Ioannes, uir præcipuæ eruditionis, & exquisitæ uirtutis, literas accæpit Apostolicas: ut illarũ autoritate, se implicaret negocio: & omnia componendæ pacis remedia quæreret. Profectus ille ad Regem in Coppenhagen, conuenit eum in persona. Et multis in causam peroratis, eò Regem perduxit: ut consentiret in Conuentum in Flensburg, ad proximam Martini diem. Idem apud Ducem agitur. Venit dies constituta: & utroq; Principe comparẽte, Pontifex omni opera dedita, eò rem perduxit: ut treugæ inirentur ex die Catharinæ, in proximum Michaelis, fideliter obseruandæ: utriusq; Principum sigillo roboratæ. Intra quem diem ad festa Pentecostes quæq; pars septem nominaret Principes: è quibus tres de quaq; parte ad minus comparerent, causam ex fide tractaturi. Nominati pro parte Regis: Fridericus Marchio Brandenburgen. Ioannes Dux Magnopolen. Otto & Casimirus de Stetin: Vuertslaus, et Bernam de Vualogast: & Albertus Comes de Neũgarden. Pro parte Ducis designati: Bernardus Dux Braunsuicensis, Vuilhelmus de Lũneburg, Ericus de Louenburg Duces: Adolphus Comes de Schouenburg, Ericus Comes de Hoia, & Baltassar D. de Vuenden. Venerant quidèm ex his ad præfinitum diem & numerũ: & causam tractare incipientes, cùm quiq; suæ parti nimis affecti uiderentur, nihil peregerunt: satis afflicto Pontifice, qui multiplicem labo- **Comitiæ, re** rem cum expensis cernebat euanuisse. Redibat res in bellum. Vt aut- **infecta.** em literis, & Apostolicis mandatis satisfaceret: cœpit publicè monere omnes Ecclesiarum effractores, qui sacra prophanassent: ut sub maximis censuris, sacra sacris redderent. Quæ res Regis animum, Pontifici pro zelo pacis deditissimum, illi fertur abalienasse. Scripsitq; in eam causam Lubecensi Senatui, ut auerterent Episcopũ: ne in se illo quoq;

ff gladio

gladio depugnarent. Pontifex uir bonus, ne deteriora contingerent, rigorem mitigauit. Res bello protrahēda uidebat. Varius ubiq; labor.



¶ Danos Holsati in arce Tundern trucidant. Spoliantur Hollandrinorum naues bis. Caput. vi.

OBSEDERE Dani arcem Tundern, & oppugnauere. Holsati uelut dormitātes, dissimularūt obsidionem. Hoc ubi compertum est in exercitu, negligēter obsessos agere: statuunt, clam murum inuadere scandentes. Applicatis ergò quàm occultissimè scalis, rem inuadunt. Intus Holsati nihil se commouere: donec in circumitu muris iam repletis, uno impetu, trabes muris impositas prouoluerūt: & omnem illam multitudinem in momento detrusam oppresserunt: cæteros balistis & bombardis abigerunt. Inuenti in circumitu penè quadringenti uiri, mole trabium oppressi, prçter eos qui uulnerati abibant. Interim uerò Lubecenses, Rostoxenses, Vuismarienses coniunctis nauibus, magnam classem perfecerunt: ut mercatoribus suis in Dania piscantibus, securitatem facerent. Rex aūt, Hollandrinorum naues, quæ multæ ibi stabant in anchoris, militibus implere decreuit: & classem Ciuitatum abigere. Sed præuentus consilio Præfectorū in mari, qui naues illas armaturis spoliarent, anchoris, gubernaculis, uelis. Vnde Rex frustratus, ostendi fecit Ciuitatibus uoluntatē suam ad consilia pacis, loco, dieq; constitutis: quibus ea remedia quærerentur. Compertum est autem: non hoc alio factum consilio, quàm ut Ciuitatibus hanc faceret inutilem expectationem: et si quos in urbibus motus à plebe inde posset excitare. Dū hæc agerentur in orientali mari: Hamburgenses in occiduo laborabant. Nam omni quam habere poterant iuuētute perarmata, instructaq; classe, quantum poterant descendentes per Albim, latera Iutię pulsabant. Repererunt nuper ciuib. ademptas naues: quibus ignem immiserunt: & expositis in terrā armis, prædam quantam uoluere nauibus suis inuexere: ne gannire quidèm Danis audentibus: & onusti præda reuertuntur.

Holsati Danos in Tundern opprimunt.

Hamburgen. naues ciuitatum.



¶ Rumpoldus Slesiæ Dux, à commissis Imp. sequester, pacem inter Regem & Duces tandem concludit, mox ipse fatis cedens. Caput. vij.

RVMPOLDVS interea Dux Slesiæ, missus ab Imperatore, se rebus componendis uenisse testatus, Lubeca hospitaliter excipitur. Inde progressus in Flensburg, in serū uesperum Regem petens uenerat. Primo mane sequētis diei, Henricus Dux Slesuicensis, habens in consortio militiæ Vuilhelmum Luneburgensem Ducē, & Adolphū de Schouenburg Comitē: magna manu, nihil iam formidātibus eius oppidi custodibus: quòd pacis sequester uesperi intro=

ri introiſſet, portas geminas deiecit: & irruit formidabilis. Dani euigilantes, fugam circumſpexere. Rumpoldus inermis, obuiam progreſſus Henrico Duci: inſinuat, ſe ueniſſe ab Imperatore pacis ſequeſtrũ: Regem primùm à ſe conueniendũ: certiſsima ſe ſpe teneri, rerũ omnium bonũ exitũ propè diem futurũ. Principibus uerò qui aſtitere, grauibus uerbis ſuaſit: ut quæ pacis ſint conſilia, inſpirẽt Ducibus per ætatem iunioribus: & ſpe ſecum optima ad concordiam niterentur. Perſuaſit uir & morũ grauitate, & uerborũ comitate præcipuus, ut in ſua quiſq; poſitis armis, rediret, expectans rerũ inclinationẽ. Perueniens autem Rumpoldus ad Regem, ſecum duxit Legationis ſuæ conſortẽ, D. Ioannem Lubecenſem Epiſcopum, pacis zelatorẽ feruentiſsimũ: perfeceruntq; apud Regem: ut primũ quieto, deinde etiam inclinato foret animo in Henricũ. Conuenerant in mutuũ colloquium. Et Rex iam propenſior, muneribus etiã honorauit Henricũ. Oratores quoq; Ciuitatum Vuandalicarũ, qui aderant, & quorũ cauſæ per eundem Ducem agerentᷓ, Rex unũquemq; pro ſuo gradu donis honorabat: præcipiens per Regnũ Præfectis: ut Mercatoribus beniuoli, ſpoliatis ſua cuiq; permitterent. Hanc optimã pacis formulã, triſtis caſus turbauit. Nã idẽ pacis ſequeſter Dux, epidimia tactus, lecto proſternitᷓ moriturus. Cùm adeſſe iam extrema ſentiret, Regem per nunciũ orat: ut in ijs pacis à ſe conſtitutis, & ab Imperatore comprobandis permaneat. Quod Rex ipſe pollicitus: triſtis diu de tãti uiri ſubtractione permanſit. Nam illũ non paruis donis honorabat, & affinitate ſua cumulabat: deſpondens ei filiam Ducis Pomeraniæ. Sed hæc omnia mors interuertit. Defunctum Rex Principali apparatu, in Haderſleue iuſsit tumulari: quamuis Ducis familia, excoctũ aromatibus corpus, ſecum in patriam ferre concupiſſet. Flensburg obruitur.



¶ Rex obtenta ab Imp. pro ſe ſententia, contra Henricum & ſuos. Terram ſanctam proficiſcitur: ubi eicone ſui proditus, magno ſe ære redimit. Caput. viij.

ERAT tum annus. 1 2 2 4. cùm Rex ipſe natiuũ ſolum inuiſens, aliquandiu ibi conſtitit. Remiſſa autem magna parte familiæ in Regnum, quadraginta comitatus equitibus, Imperatorẽ adijt in Hungaria: citariq; fecit Henricũ Ducem, cum fratribus. Duces aũt euocati, pro ſe miſere Ioannem Epiſcopũ memoratũ, in Imperiali Curia notiſsimum: ut cauſam eorũ peragerct. Apparet aũt ex his, quæ gerebantur ibi, compromiſſum fuiſſe in omni cauſa in Imperatorem. quia Regnum non agnoſcit ſuperioritatem Imperij. Veniens autem Epiſcopus, cauſam ex fide peregit. Sunt qui dicant, Henricũ ipſum Ducem unà profectum. Sed hoc ſub dubio relinquo. Ibi tum is fuit exitus: ut Ãno. 1424.

Imp. pro Rege pronunciat.

examinata causa, pronunciaretur pro Rege: Henrico aũt, Adolpho, & Gerardo fratribus, silentiũ imponeret, super omni Ducatu Australis Iutiæ. Laudum uerò reduxere Ducum procuratores ad arbitrium summi Pontificis. Et est causa tum per D. Nicolaũ Sachou, in Lubecensi Pontificatu successorem, diligenter curata: ut committeret Archiepiscopo Colonien. Rex aũt accæpta pro se sententia, abijt implere peregrinationem in Terram sanctam. Ferunt tum Nobilem quendã ex Orientis Regno, militasse Imperatori: is pictoris industrij usus artificio, Regis faciem iussit effigiari: eamq́ præmisit amicis: ut eius imaginis uultũ obseruarent: Regem esse triũ Regnorum, qui magno se ære redimeret. Rex omniũ ignarus, Venetijs hospitaliter excæptus, familiam artauit: & uulgari habitu se cæteris conformem fieri passus, peregrinis peregrinus ignotus esse, ac à suis haberi mandauit. Profecti ueniunt in Terram sanctam. Magno tum erat opus conductu: propter uim Catalaunorũ, quam nuper irrogarunt. Constituit eñ Soldanus: ut Christiani nõ admitterent, nisi damnis tum irrogatis satisfieret. Sed Patronus, cui pro famulo adhæsit, singulari gratia perfecit, ut admitterent. Persoluit Rex uotum: & post eum iter inclusum. Cùm aũt in nauim rediret: Nobilis qui ductabat, euocato Regi dixit in aure. Credis te apud nos incognitũ? Ecce facie tuã. Et ostendit effigiem. Regẽ te scimus triũ Regnorũ. Quid faceres, si apud te nostrorũ quisq́, tali habitu deprehensus, innotesceret? Stupefactus Rex, hæsit. Sed tamen interuentu patroni, pecuniã accepit, quantam Rex corrogare potuit: & dimisit. Ita non per Venetias, sed alio itinere reuersus est Rex in sua.

Icone proditur Rex.

¶ Reuersus Rex, moneta uariata, cupream designat, non sine multorum obloquio. Caput. ix.



POST reditũ aũt, gnarus iam factus consuetudinũ, quibus superiorũ Regionũ Principes in sua æraria uertant multa: de Moneta cogitauit alteranda. Nam cupream totam excudi mandauit: de omni reliqua pręcipiens, ut in officinam monetariam perducerẽt. Potuit res sine fraude fieri: quo modo cernimus in Italia. At Mercatores hoc in suam iniuriam trahebant: res pro rebus commutantes, non mercantes: præsertim cùm extra Regnum deuehi moneta, sine omni iactura nõ posset. Multa inde in Regem obloquia: multæ (ut fit) cernere denigrationes. Ferunt Reginam, non tamen, ut sciri potest, sine nutu Regis, aliam meliorem cudi mandasse monetã, ut finem faceret oblatrationum. Quo tempore Piscatura Scanijs solita, euanuit: piscium Allecũ infinita multitudine solitum transitũ declinãte. Id maleuoli, in Regis uindictã detorsere. Cùm sit rerũ omniũ sub cœlo quędam alternans uicissitudo. Sic enim cùm cœlo oĩa quę cœlo regun-

regunt, uerti necesse est & alternari. Sed quid facies improbę linguæ?



¶ Rex Slesuicum obsidet. Ducibus adiurant Ciuitates Orientales. Mittuntur Regi literæ feciales. Soluitur tum obsidio. Caput. x.

REX deinde sententiæ suæ, quam reportauit, executor futurus, omni qua potuit uirtute trium Regnorum, se conuertit in Duces fratres: ut è manibus eorum extorqueret Ducatum Iutiæ Australis. Illi non ignari rerum: contractis quæ poterant armis, urbem Slesuuig uallis & fossatis communierũt. Arcem quocꝫ Gottorp quibus poterant præsidijs firmauerunt. Illuc enim omnem Belli molem conuertendam præuiderunt. Nec falsi sunt opinione. Nam Rex ueniens cum innumera multitudine, & ciuitatem & arcem una premere constituit obsidione. Montem quem uocant Equinum (cùm sit medius Arcis atcꝫ Vrbis: ad cuius radices ad lacum iter est ab Arce in Vrbem) fecit fossionibus ita discindi: ut hostibus impedimento, & suis esset munitio. Interea Henricus Comes Holsatiæ, Electus Osnaburgensis, patruus Ducum, Hamburgenses ciues exciuit: ut Ducibus suis accederent. Illi haud difficulter persuadentur suppetias mittere: & primas quidèm literas, in quibus hostilia Regi nunciarentur, accipiunt. Accessere Hamburgensibus ex Gregarijs sexcenti, qui hactenus Regi militarunt. Horum opera usi, rem aggrediuntur, prima Principibus suis auxilia mittere. Exhilaratus Dux Henricus, cùm audiret, misit qui Lubecenses adoriretur: renouans patrum in eam urbem beneuolentiam. Admoniti satis, inclinauere. Vocantes tamen Ciuitatum Orientalium Oratores: cum illis conuenerunt, Regem denuò super pace pertentare. Submittunt solennes ad illũ nuncios, de legibus unionis tractaturos. At illi Regem paci auersum repererunt: soli iuri parto per sententiam, pertinaciter inhærentem. Dani interim cum Holsatis, ad obsidionem Slesuici colluctantur. Obstruunt Holsati portum: Dani reserant. Multis inuicem leuibus prælijs uires exercent. Rebus nullus est exitus. Interim Orientales ciuitates Rostock colloquium miscent: inter se fœdera sanciunt. Idem cum Ducibus factitandum conueniunt. Cùm autem intelligerent Regem in sua Insula, quam putabat, demorari: uno die omnium Literæ Regi perueniunt: hostilia omnia, & capitis periculũ denũciantes. Tũ soluta est obsidio Arcis & Vrbis.

Hamburgen. in Regem.

Literæ Regi feriales mittuntur.



¶ Arcem Glambeck Cimbriæ, Holsati noctu fraude: Molendinum ui capiunt. Caput. xi.


ABEVNTIBVS insultauere Holsati, posterioribus, ut fieri solet, incurrentes: capti, cæsicꝫ uicissim hinc atcꝫ inde. Classem suam Ciuitates etiam ante brumam iubẽt,

 ad Can-

ad Candidum quem uocant Portum conuenire. Audiunt Gerardum ex Ducibus tribus iuniorem, clasſi non contemnendæ Præfectum, de morari uenientes. Sed cùm diu Ventum expectarent, nec acciperent: atq; interea nubes, tempeſtatesq; crebreſcerent: bruma quotidiè item magis magisq; appeteret, ſoluta eſt ſine fructu grandis illa & ſumptuoſa expeditio. Quo tempore, quùm non ignorarent, qui Cimbriæ pro Rege conſeruandæ Arcis Glambeck inſederant, Regem ſoluiſſe obſidionem: Ciuitatumq; grandem eſſe claſſem in mari: non ſine cauſa rebus cœperunt diffidere. Holſati quidam aſſumptis ducentis ex Gregarijs, Cimbriam intrauere noctu. Oppugnationē Arcis inchoant, magno apparatu, clamantes adeſſe Ciuitatum omnium arma: ut accelerent, hinc atq; inde inuocantes iam Lubecenſiū Præfectos: ſimul bombardis & arcubus inſonuere. Cuſtodes Arcis uera rati quæ audierant: cùm ſcirent tantæ ſe multitudini reſiſtere nō poſſe: nec auxilia ſub brumam ſperarent, deditionis uerbum fecere. Et permiſsi abire, Arcem tradunt Holſatis. Quùm deceptos ſe cernerēt: iam nō habebant quod agerent. Henricus interea Dux, expeditis copijs duxit in Molendinū, iam à Rege communitum: ut iter in Flensberg impediret. Certè pro rei magnitudine, magnos impendere ſudores, par erat. Erat enim magnum Danis præſidium, Holſatis obſtaculum. Fortes uiri inſederant defenſantes. Sed uicit inſtantia, & urgens ad omnia Dux præſens: magno laboris, multiq; ſanguinis impendio cœperunt, & demoliuntur. Sexaginta uiros, & equos quadraginta inueniunt: ac in prædam abducunt.

Glambeck noctu fraude capitur.

Molendinū capitur.



¶ Daniam Vuandali prædantur. Flensburg mari & terra obſidetur. Inſcenſa ſcala, Dux Henricus transfoditur. Caput. xij.

INTEREA Ver appetit, Ciuitates Vuandalorum maritimæ ad expeditionem redeunt: claſſem renouant: in Daniam ducunt: & per Inſulas digraſsati, ingentem prædam nauibus ſtipant. Aderat Dux Gerardus: qui præda expletos milites, paſſus eſt in naues redire. Tum Præfectos nauium appellauit: Cōſilium init, quod à fratribus acceperat: occupandum oppidum Flensburg, terra, mariq; gerendo bello ſemper opportunum futurum: ſe cum claſſe à mari inſtitutos: Henricum fratrem cum copijs ſuis omnium ordinum à terra inſiſtere oppugnationi. Adnauigant illi ſub montē Flensburg. Cæterum Henricus Dux cum copijs ſuis, terreſtribus equitum peditumquè, ſe opportunis locis ad caſtra metanda comparauit. Dies erant Rogationum: & conuenerat, ut ante lapſam feſtiuitatem Aſcenſionis, nulla fieret oppugnatio. quòd bellicus nondū adeſſet impedimentorum

Dania prædatur.

mentorum apparatus. Nauales interim tutioni suæ prospiciebant: funibus supernè se contegentes: ut magnopere de monte lædi non possent. Frisij in terris fodientes, fossata duxerunt, ut ab incursionibus tuti considerēt. Vigilia erat Ascensionis Dominicæ, cùm satellites Hamburgen. nescio an poti plus quàm uideretur, sub noctem ex ignitis telis proiecère in hostes. Id conspicati nonnulli: siue quòd Ducem ad arma excire uolebant: siue quòd per errorem ita putabant: ad tentorium Ducis, iam cnnctis quiescentibus clamauere. Eia, nobilis Holsatorum sanguis id patietur: ut priuati Ciues apprehendant hostium munitiones? Iam Hamburgēses sepem transgressi, hostibus colluctantur. Excitus Princeps, indecorum sibi reputabat: quòd non in periculis primus conspicaret. Vix lorica præcinctus, scalam apprehendit: nec perpendit, quanti illum, aut si omnino quisquàm sequeretur. Is feruor erat adolescentiæ: ea gloria primæ iuuentæ, neminem periculis admittere propiorem. Cùm omnia apud suos, & etiam hostes, quieta uideret: scalam sepi inclinauit: & ea inscensa, uidere uoluit, quid hostes molirentur. Henricus de Aneueldc prudens ac strennuus miles, cùm proximè astaret Principi, ait: Quid est Domine? quid sibi uult inconsyderata temeritas? Luctum nobis, & periculum uestro capiti præparatis. Ea uox & si secretius diceretur, àudita est intus. Vbi audiuit Danus miles, esse Principem in scala: cuspide sepem penetrans, subitus per loricam Principis, penetralibus illam intrusit. Mox ad astantes, Tollite inquit me hinc. Actum est de me. Illi tristes, labentem eidem imposuere scalæ: ut in tentoria referrent. Per incuriam delapsus, uulnus duplicauit. Vix tentorijs illatus, spiritum efflauit. Dici non potest, quis mœror in castris: quæ lamenta ubiquè omnium, ad quos Principis illius uirtus promanauit. Rari lachrymas tenuere. Non sic Absolonē planxit Dauid: non sic Hectorem ciues: non Iudęi Iosiam: non posteri Machabeum. Vna uox omnium, Principem inmortalitate dignum, miserrimè deperijsse. Adolfus proximus ætate frater allatus, Præfectos turmarum, ipse consolationis egens, consolabatur: obsecrabat, ut nihil minus propter quod uenerant implerent: se fratris loco subiturum curas & labores. Apud Lubecenses peruincere non potuit, ut manerent: sublatis uelis abierunt. Idem alij factitarunt. Pręfectus iste Hamburgensium, cuius uel malignitate, quod difficile creditu: aut negligentia res tanta prouenit: capite plexus, pœnam ipse persoluit.

Monitio militis. Henricus cuspide peritt.

¶ Æstàte renouata expeditione nauali, Hamburgenses primū, dein Baianæ classes à Danis superantur, & capiuntur. Caput. xiij.


ER eiusdem anñi Æstatem (erat enim.xxviij. post Mille quadringentos) urbes Vuandalicæ classem suam renouarūt: & in mare mittunt. Aderant tum Hamburgenses, nauibus etiam suis instructis. Præceptum uerò accæperunt omnes: ut in mari Nordsund se continerēt, donec Baiana clasis ab occiduo, & Prutena ab Vuisla præternauigassent. ut essent illis præsidio contra Danos. Conuenerant in locum constitutum. Non ignorabat Rex expeditionem Ciuitatum: Ipse quoqꝫ classem numerosam perarmabat: semel confligere constituens, ac prælij naualis fortunam pertentare. Viderant Vrbici Regiam classem de longinquo: nec tamen inmemores mandatorū, se primùm cōtinuere. Vbi uidēt Danos adpropinquare, uelut ferratos montes in mari: Præfectus Hamburgensium, quem pro dominis suis res magis angebat, interpellabat Lubecensiū ductorem: Ecce inquit, hostes propinquant, quid facimus? Ille sub hæc. Armati sumus: conferendæ sunt manus, Victoria nostra est. Rectè inquit ille mones. Et apparatis rebus, propinquantes Danos exceperunt. Lubecenses cum exteris fortiter hostibus incurrunt. Sustinent incurrētes. Diu anceps prælium fuit. Verūtamen aliquot hostiū cæsis, & aliquot captis, Danos abegerunt. Hamburgēses paulò diuersius pugnabant, seiuncti ab amicis: hos statim hostes circumuenere. In quorū medio pugnantes pauci cum multis, cùm nullas ab amicis suppetias acciperent, fatigantur: uincuntur, capiunt. Qui sociorum fidem tuentur, aiunt: grandioribus nauibus Lubecenses ad locum conflictus ducere non potuisse. Itaqꝫ cæteri abeunt in sua quisqꝫ. Hamburgenses capti, in portum Mercatorum ad uincula mittuntur. Pugna fecit inmemores mandatorum. Vix illi abierant fugientes, & post tres horas uenit ab occiduo clasis Baiana: cui in primis tuendæ deputati fuere. Impetitur ab hostibus. Fortiter se tuetur. Extrahit in noctē præliū. Supra mille ex hostibus cæsi. Cessere tandem Danis uictoribus. Magnę æstimationis merces inerāt.xxx. nauibus. Rex non mediocri inde auctus lætitia, Ciuitates gemuere. Mercatores Lubecenses Præfectum clasis accusabant: quòd mandatum prætergressus sit. Cùmqꝫ se non satis tueretur: carcerem accæpit pro domo, seruaturqꝫ annis tribus & dimidio. Hamburgenses autē, ut diximus, capti manebant, donec ære suo captiui laxarentur. Superioris autem facti, quod diximus, Præfectus capitis pœnam luit.

Hamburgenses à Danis uincunt.

Baiana clasis capitur.


Pacem à Rege oblatam, Ciuitates aliquot repudiant. Classe magna, at frustra pugnant Vrbes. Adolphus Iutiam deprædatur. Caput.xiiij.

EX CVM INDIGNE ferret Ciuitatum in se, & sua

& sua Regna bellum, & si prospere in eorum agmina depugnasset, sciens tamen, rebus Ducum faciliorem esse exitum, illis deficientibus: ut domesticis rebus implicaret urbes, Concordiam nuper inter se, & Gubernatores Vrbium initam, misit in manus Communitatū ad singulas Vrbes: postulans, ut Maiores suos admonerent: Pacta conuenta implere: se, ut semper, ita in futurum Mercatoribus fauorosum exhibiturū. Sundenses iampridem in partem Regis à Ciuibus defecerant. Rostoxensis communitas tumultuatur. lx. uiros constituens, Articulos sibi placitos conscribit: iubet à Concilio approbari. Proconsules rem in crastinum differendam postularūt. Interim maturato consilio, placida danda responsa. Cernentes uerò exitum rerum suarum pessimum: inscensis quisq; ad partem equis, clam abierūt. Postera luce ubi compertum est abijsse Maiores: euocant, & inde proscribunt: alijs in locum electis. Vuismarienses simili insania, unum ex Proconsulibus, ac alium consularem publico gladio in foro cędunt. Illis imputantes: quòd se Regi deuinxerunt inconsulta communitate. Lubecensium recens uulnus, suasit ut conquiescerent. Hamburgenses tum suum Consularem gladio cædebant. Quod antea diximus. Sed non fuit is belli exitus. Licet enim tumultus in Vrbibus esset: è bello tamē extero quiescendum non duxerunt. Nam proximo Vere, naues quæq; suas Ciuitas expediebat: classemq; confecerunt ducentarum sexaginta nauiū: in quibus pugnabant xij. milia hominū. Dux Gerhardus in sua prætoria agmē agebat Holsatorū. Præter has copias Gregarij erant (quos tum Vitalianos dixere) octingenti uiri, suis lucris & periculis militantes. Cōuenerat ea Classis in portū Vuismariense. Inde nauigans, Daniam recto petit cursu: & Arcem Regiam in portu Mercatorum, in primis oppugnare constituerunt. Id Rex prospiciens, naues suas in portu locis opportunis armabat: ut aditum prohiberet. Pugnatum est ibi diu: missa omnium generū iacula. Vrbium Pręfecti consilium ineūt: aream trabibus consertis in mari compaginare: de qua uelut ex campo missilia omnia mitterentur. Inde quoq; multiplex labor utriq; parti. Tanto utrinque pugnatur ardore: ut illis portum tuentibus, istis oppugnantibus, uno sæpe sono ducente, bombardi concreparent. Conuenit inter Nauium præfectos, ut quæq; ex urbe unam demergerent nauem, saxis plenam, ad Portum Danis obstruendum. Idq; dum ex fide geritur, una nō transuersa ut debuit, sed in directum se collocans, augustum Danis liquit exitum. Poterant diutius manum conseruisse: at sine fructu. Vnde sublatis uelis, in sua redierunt, parum gloriantes inde de magnis sumptibus, & ingenti conatu. In ea tamen expeditione Vitelliani non quieuere, nauigantes in Noruagiam. Sed eam rem in Vuan-

Rostoxensium furor.

Vuismariensium insania.

Cap proximo in fine.

Classes urbium.

in Vuandalia pagemus: solam nunc Daniã exequentes. Per quæ tem pora Adolphus Dux, habens sibi coniunctũ Vuilhelmũ Ducẽ Brunsuicen. Principẽ uictoriosum, quẽ obęratũ habebat: in ciuitates Lubecã, Hamburgũ, atq; Lũneburg, expeditissimis militib. ingressi lutiam, per Mensem ex pacto sunt inmorati: infinitã prædam in pecoribus abegerunt. Ferunt supra.xxx. milia pecudũ tum prædantibus cessisse: in preciosa autem supellectile auri, argentiq; pondus infinitum. Victoresq; in Gottorp reuersi, prædam militibus diuiserunt.



¶ Sundenses, Danos à Regina missos, mari superant. Regiam nauem Gregarij ui diripiunt, & prædantur. Pacem Rostoxen. à Rege oblatam, acceptant. Caput. xv.

His aũt temporibus non longè Philippa Regina, fertur clientelam quoq; suam. 1500. uiros perarmasse: ut aliquã fortè operam ederent, ut & illa gloriaretur in rebus difficilibus uel aliquid attulisse. Inito consilio, Sundensem urbem adnauigarunt. Et primò quidem uenientes, præternauigarũt, ut terrerent ciues. Interim reficiendis corporibus institere. Ciues aũt non segniter rem suam administrarunt: omni qua poterant celeritate naues perarmant, tela congerunt: ipsos se quanto poterant numero præcingunt, in portu obuiã ituri. Priores ipsi ducunt in Danos: & cõsertis manibus, cùm aliquandiu uictoria nutaret, cœpit inclinare Ciuibus: cæsi, mersi, capti Dani, uincula excæperunt: pauci fuga elapsi, reliquias suas laceras absconderũt. Non sum nescius eam rem diuersius ab alijs exponi: & commemorabitur à nobis in Vuandalia, cùm ad hunc ordinẽ perueniemus. Quo etiam tempore Gregarij Vitaliani, cùm sua fortuna mare scrutarẽtur: inciderunt in nauim Regiam, quæ ex Suetiæ Regno Regi annua ferebat tributa in mercibus & ære, auro & argento constantia. Inerat pręsidiũ quadringentorũ uirorũ. Durum prælium initur. Cùm magna esset in medio uictorię merces constituta, Regij uiriliter propugnauere. At demũ uicti sunt ab hominibus pugnatoribus: qui deprædationis erant ministerijs assueti. Opulentam prædam Rostock atq; Vuismariæ distrahunt. Erant enim inmixti Ciues satellitibus. Sed ad publicũ inde nihil prouenit: quãuis in eam partẽ multi rationabiliter inclinarent. Interea ciuitatũ Vuandalicarũ Gubernatores, prudenter perpenderũt: Ciuibus suis Mercatoribus, q quotidianũ in Regnis quæstum facerẽt, longęuũ bellũ non conducere: Regẽ in locũ Nycoping à communibus amicis designatum conueniũt: de pace, deq; differentijs longos texuere sermones. Multa uicissim dicta in exprobrationibus: multa excogitata in pacis constituta: ad extremum in hoc res desijt: ut tribus Capitibus approbatis, pax esset. Primùm, damna inuicem compensarentur;

Dani succumbunt.

Regiam nauim Gregarij capiunt.

pensarentur: aut ab arbitris æquarentur. Alterũ: ut quoniam urbes ab Rege suo sine causa ex fœdere cõstituto defecissent: eam facerent compensationem Regi, ad iniuriam subleuandam, quam in simili casu ab illo deposcerent. Tertiũ: ut fœdera prima illibata manerent in perpetuũ. Oratores limitatam semper potestatem habentes, referendũ Maioribus suscęperunt. Soli Rostoxenses pacis cupidi, uinculum societatis inire cum Vrbibus rumpunt: mox approbantes quæ Rex poposcit. Turbati cæteri, quid facerent? iam secreta omnia Ciuitatum audierant, & aduersæ se parti applicant. Rex collaudatis illis, mox fecit prę conari, cum Roxostensibus initam pacem: illos præcipiens, per mare quadringentis uiris ductari. Cæteri mœsti abierunt: referentes quæ uiderant & audierant. Conuenere quinque cæterarum urbiũ Oratores, capita tria excutientes: & uirum pręcipuum Sundensis urbis Proconsulem, Regi satis familiarem submiserunt: ut omnium nominibus Regem instrueret, ad bonum temperandis articulis modum. Ille iussus transfretat: Regemque conueniens, mandata exponit: multa quæ causam adiuuarent adijciens. Sed nihil ille mouetur, persistens in postulatis. Vbi Regem comperit inflexibilem: ne nil tanta peregrinatione ageretur, causam ciuium suorum segregauit, Rostoxensiũ iter ingressus. Ita scissa Ciuitatum unione, Rex gauisus, cæteris tanto impensius inminebat. Per quæ tempora Rostoxensium rebus maximopere insidiatum est per uicinos Principes, machinatione propulsorũ Proconsulum. Quam rem in Vuandalia plenius exequemur. Nunc Daniam exire non licet. Ciuitatum unio, dissoluitur.



¶ In suspenso Ciuitates super pace pendent. Alzen insulam frustra inuadunt Dani. x. naues perduntur suborta tempestate. Flensburg Holsati insidijs obsident. Caput. xvi.

NON quieuerunt trium Ciuitatum Lubecę, Lüneburgi, Vuismariæ consilia, quo minus apud Regem de pace pertentarent: deserti ab Rostoxensibus: fraudati à Sundensibus, priuata commoda publicis præferentibus. Poterant & illi, quos cæteri accusant, rationabiliter moueri. Sed quis est, ad quem omnia omniũ perueniunt consilia? Hamburgenses suis Principibus obsequentes, iam se non sine causa subtraxerant Tractatui. dum istis rebus ex animo operas omnes impendunt, apud Regem componendę pacis. Interim Dani magna classe inuadunt insulam Alzen, Ducatui Slesuicen. subiectam. Multorum ibi Holsatorum opes iam tum, ut & modo sunt, fuere. Non ignari Holsati quid molirent̃ (obseruabant enim oẽs eorũ conatus) Arces suas communierunt Sunderburg, atque aliam; ipsam Insulam uiris ad

bella promptissimis impleuerunt: iunctis etiam Gregarijs. Tentaue-runt sæpe frustra terræ ingressum: fortiter repulsi sunt. Interim coorta tempestate, Danica Classis, quassatur: decem naues, non minus perie-runt: cæteras ut poterat nauiũ Præfectus (miles is fuit ex Holsato Da-nus) in portum reduxit. Ipse Regem, iamdudum cum Oratoribus Ci-uitatum tractantem, accessit: rem, ut ferunt, omnem iam penè in opti-mos exitus respicientem, disturbauit: & discussit pacis consilia, uir Pa-ci inimicus. Cùm ea disiecta dissilirent, Duces primam intenderunt o-peram, ad capiendum oppidum Flensburg, rebus gerendis terra, ma-riq́ opportunissimum. Vsi sunt opera cuiusdam propulsi ex eo oppi-do: quem Dani non ferebant, Teutonicum in gente sua præsidentem.

Ingenium militare. Is effecit: ut cùm Ciues die Palmarum, nihil timentes diuino ministe-rio inhiarent, plaustrum inmitteretur: & in Portu consisteret rota lon-gè proiecta. Holsati Duces cum satellitibus ingressi, forum occupaue-re: signis suis sublatis. Sparsi per oppidum milites, hinc atq; inde Ci-ues cogebant: ut subiectionem facerent, & sacramenta. Dani frequen-tiores in munitionem montis contendunt. Alij Monasterium ingres-si, se tutabantur ut poterãt. Erat in cliuo montis domus lapidea: quam occupauere multi ex Ciuibus: inde missilium omnia genera proijcien-tes. Sed Holsati bombardis rem aggressi, primùm penetrabilem, dein-de inutilem faciunt munitionem. Dani profugiunt in excelsum. Erat non contemnendus numerus in præsidio superiori. Accurrerunt om-ni ex parte alij, præsidio tuendo. Creuit numerus obsessorum: & per singulos inminuti sunt cõmeatus. Duces mittunt Lubecam atq; Ham-burgum, auxilia rogantes: priusquàm superuenientes Dani, ex mani-bus auferant captum oppidum. Interim Frisonum octingenti uiri pro Ducibus laborantes, fossatum ducunt grande: ut ad montem, aut ab illo nemo decurrat.

¶ Fame cruciati Flensburgi, auxilio item suorum destituti, oppidum Holsatis dedunt. Frustra super pace denuò quoq; agitur. Caput. xvij.


IAM obsessis fames inminebat. Quo enim fuere plures, maiori & celeriori famis angustia laborabant. Hanc su-am ut poterant pressuram, amicis significauere. Illi non segnes, à mari xiiij. Nauibus commeatus abundè importabant: ut in multos dies suf-fecturi uiderentur. Iam uenerant auxilia Ducibus ex urbibus memo-ratis. Impedimenta bellica, machinæ, turres surrigebentur: omnis ap-paratus oppugnationis instruitur. Cùm autem in ipsis urbibus audi-retur, commeatus illatos obsessis, uehementer indoluerunt: & in eam rem rursus impediendam, expeditas naues armarũt; omni genere te-

lorum

lorum implentes: ut aditum prohiberent. Interim in oppido Duces sederant, intenti oppugnationi: sed maior spes erat in fame. tanta fuit montis à natura munitio. Venerant sub montem missæ naues ex urbibus: præacutas sudes figunt. ut aditum post se Danis intercludant. Ipsis sibi prospiciunt, ab alto missilibus ne noceãt. Hoc enim pellibus, funibusq; prætextis procurant. Non quieuere interim oppugnationes à terra. Aditus omnis à terra, mariq; iam erat obsessis interclusus: erectæ Machinæ, de quibus in obsessos missilibus certabatur. Si quando excursiones tentauere, ut erant obsessi numerosi supra mille uiros, reprimebantur. Augebantur quotidiè uires Holsatorum, Danorum uerò minuebantur: nec erat illis maius ullum fame periculum. Quantacunq; enim inuecta fuere esculenta, tanto numero euanescebant. Ergò ad extremũ fame protracta, tùm canes & equos omnes exedissent: nec ullum superesset auxilium redemptionis, à terra, uel mari, deditionis fecere mentionem. Nec Duces cunctanter annuerunt. Non enim erat certamen de uita, sed terra. Dedentes igitur, suis rebus saluis abierũt: & saluo semper cõductu, ad propria sunt reuersi. Duces montem ascenderant: & opportunis locis munitionem auxerant: impositoquè necessario præsidio, auxiliarijs suis, & amicis uale fecere: ut in sua quisquè rediret. Sed tamen priusquàm digrederentur, quam dixere Nouam domum, arcem expugnant, demolientes. Runchoff alia erat hostium munitio perniciosa: eam quoq; aggressi, ferro & igne solo æquauerunt. Interea uerò cùm diem ex die bellantes protraherent, Mercatorum per mare res ingenti semper ibant periculo, & in Regnis nulla fuit negociatio. Quę res alienis Mercatoribus ingressum monstrabat: ut nouerint Hollandrini, omnes Regnorum & portuum angulos etiam sepositissimos. Ergò quoniam superioris anni Tractatus inter Regem & Vrbes Vuandalicas suspensi ac dilati fuerant: in proximum constituto loco Zuineburg, Ciuitatum Concilia eò suos misere Oratores. Aderant Prælati, Proceres Regni magno numero. Nemo æquis oculis Teutonicos aspexit. quòd opera Ciuitatum, nuper Regijs partibus detractum esset oppidum Flensburg, cum monte suo. Rex ipse uideri se passus non est. Per intermedios res agebatur. Illi si ex fide rem egerint, exitus monstrat. Nihil diu tractãtibus salutare prouenit. Verbis reddita sunt uerba: & tempus tritum inaniter. Fuere qui arbitrarẽtur, longè salubrius rem actam, si Rex ipse coram & audiret, & responderi iuberet: nunc ex arbitrio intercedentium res omnis acta, ad optatũ pacis exitum non peruenit. Ne tamen nihil actum uideretur, conuenit inter partes: ut proximo Pentecostes tempore in arcem Vuerdingburg iterum confluant; adducentes, qui de sua parte mediantes, rem

Flensbergij fame pressi, Ducibus se dedunt.

Noua domus.

Runckhoff.

Dietę & Comitiæ Germanorũ taxantur.

cum Daniæ Proceribus ex æquo constituant. Ita Teutonum more, Dietam ex Dieta etiam Dani constituere didicerunt. Et quanquàm per intermedia tempora Treugæ literis sigillatis essent constitutæ: Dani tamen mare semper infestum habuere, Mercatoribus insidiantes. Quęsta sunt Ciuitatum Consilia per literas Regi. Admonuere Regem Proceres. Ipsi quoq; Regi res omnis displicuit. Sed quis longam rerum perturbationem, & assuetam tanto tempore Nauigationem, breui potuit compescere? Ipsi Principes multa cernere, multa tolerare coguntur, quæ Belli tempestas ingerit. Semel commotum mare, diu est antequàm conquiescat. Poterant Lubecenses quoq; par pari referre: & dissimulanter per suos latrocinia permittere: sed nolebant uiri seueræ industriæ, tantam admittere in se querimoniam: unde longanimiter expectabant, si quando eius rei quędam fieret conuersio. Semper, ut æquum est, deferendum honori Maiorum: si tamen non uoluntaria dissimulatione, sed ipsa rerũ inuicta perturbatione nonnulla contingant. Silent enim inter arma Leges, ut est uetus Romani Oratoris prouerbium.

¶ Præfecti Arcium Suetiæ, populum durius aggrauantes, sedibus deturbantur. Caput. xviij.



PER ea tempora Regi Erico noua surgit in Regno Suetię turbatio. Nam dum ille implicatur bello Teutonico, Ducibus obluctatus, & Vuandalicis ciuitatibus: Arcium suarum Præfecti in dicto Suetiæ Regno, insolentius se egerunt: tributis, pensionibus & nouis semper exactionibus populum emungentes. Gemitus primùm, inde clamor oppressorũ multiplicatur: querentium iniustam & intolerabilem pressuram, ab auaricia Præfectorũ exortã: qui sub umbra Regiæ exactionis, sua impleuere marsupia. Multos Regni Proceres res miserabilis commouit. Acerbè omnes tulêre, Danorum in se, suosq; imperia. Inter alios autem erat uir primarius ex Nobilitate: ad quem proximè peruenit calamitosorum commiseratio. Is communicato cum multis consilio, nouandarum rerum sumpsit principium. Nam adunatis uiribus, cœpit expugnare Arces Præfectorum: urbes & oppida Regi parentia, in suam traxit partem. ut insolitæ exactioni finem faceret. Engelbertus, nomen erat uiro clarissimo, & Patriæ amantissimo. Quem non dominandi amor, non lucri cupiditas, sed oppressorum cõmiseratio, prouexit ad rem gerendam.

Engelbertus oppressorum releuator.

Egit apud illum Rex (ubi intellexit) multis literis: ut positis armis conquiescat: Præfectis suis pareat. At nihil profecit. Cœpto enim institit, liberandæ Patriæ, à Danorum (ut dicebat) dominatu.

¶ Rex

¶ Rex ipse ad sedandum tumultum in Suetiam proficiscitur, sed ægrè. Nam naufragus eò appulit. Suis in Concilium euocatis, multorum in se hostiles animos deprehendit: quapropter clam & mutata ueste in Daniam rediјt. Pax diu desyderata cum Ducibus, & Ciuitatibus erigitur. Caput. xix.



EX ipse proficiscendi in Suetiam instituit animum: instructis duabus ad iter expeditissimis & ornatissimis nauibus, Sartũ Rosarum uocabant: cui Rex ipse se cõmisit. Alteram grandiorem militantibus uiris impleuit. Institutaq́ꝫ nauigatione, grauissimam, sæuissimamq́ꝫ pertulit tempestatem: quæ grandiorem illam nauim concussit, effregitq́ꝫ: ut ex centum sexaginta militibus, qui uectabantur, uix pauci in fragminibus enatarent. Regia nauis ægrè terræ admouetur: ut Regem continenti exponeret: & mox in conspectu omnium, procellis quassata soluitur: cunctis qui custodiæ gratia remanserant, pereuntibus. Rex inde in Suetiam cum tanta suorum paucitate perueniens, Concilium euocat. Arma in Engelbertum contrahit. Sed ubi paucos uidet iussa implere: maiorem ac putabat conspirationem in se deprendens: clanculo mutatata ueste, cum paucis elapsus, in Daniam se recæpit. Venerat interea dies cõstituta, in qua de negocijs Pacis inter Regem, & Duces, & inde maritimas ciuitates, quę uocantur Vuandalicæ, in Vuerdingburg ageretur. Aderant Regni Proceres, Ducum & dictarum Vrbium Oratores. Diu disputatum. Multis utrinq́ꝫ uerbis res examinatæ: nec poterat per multos dies de Legibus Pacis conueniri. ita iuri suo pars quæq́ꝫ perseueranter inhæsit. Visum est tandẽ Ducibus, & Vrbium Oratoribus, frustra tempus teri: se inanibus rebus protrahi: abitum parauere. Quod ubi Regijs innotuit: scientes perturbationem Regni Suetiæ, præbêre animos Danorum aduersarijs. nam ubi Sueci Ducibus & Ciuitatibus accederent, grauissimas Regi conditiones belli futuras prospexere. Itaq́ꝫ reuocatis in cœtũ Oratoribus, tum propius rem egêre: & in eas tandẽ conueniũt Pacis leges: ut Rex permisso Ducibus Slesuicensi Ducatu, illos inuestiat: restitutis quæ inde fuerant detracta: Iutiæq́ꝫ renunciet, quod per laudum Imperatoris diceretur reportasse. Ciuitatibus liquidata damna resarciat. Veterem Mercatoribus libertatem permittat. Telonea, quę ab annis centum fuerunt, permaneant. Non grauentur, nec usquàm innouentur Regnorum incolæ iu urbibus memoratis: de nouo nullis exactionibus onerentur, sed antiqua ubiq́ꝫ gaudeant libertate. In has pacis conditiones utrinq́ꝫ confectæ sunt literæ. Pax undiq́ꝫ proclamat̃. Ex diuturno bello læti omnes, respirant: nec erat qui non gauderet, post longam tempestatem

[Margin: Naufragiũ Regis.]

[Margin: Pacis Leges.]

pestatem tandem aliquando diuino nutu rediſſe tranquillitatem. Oratores in ſua feſtinant, portantes pacem: alacriterq́ à ſuis excipiuntur.

Anno Christi 1435.

Erat autem poſt natum Chriſtum, Annus Milleſimus Quadringenteſimus triceſimus quintus, cùm tantum orbi noſtro bonū proueniret.



¶ Rex tumultibus domeſticis cedit, tranquillitati ſe dedens. Redire rogatus, nepotem Pomeranæ Ducem ſurrogare conatur. Caput. xx.

FORENSIBVS autem bellis pacatis, Rex cùm intelligeret domeſtica intus bella grauiora conſurgere: rebus ſuis diffiſus, cogitauit abitum. Nam Suetiæ tumultus, alia quoq; Regna in perniciem inuitare uidebantur. Viderīq; Regi uiſum eſt: in Dania atq; Noruagia ſimiles motus conſurgere: quibus undiq; comprimendis, imparem ſe iudicabat. Itaq; cedendi ſecreto ſumpſit conſilium. Nam theſauris in naues exportatis, Gdanum nauigat: in tuto locatus, exitum uidere uolens domeſticorum tumultuum. Vbi innotuit, Regem enauigaſſe: turbati omnes, ad reuocandū eum, nuncios parauere. Nam qui ſub eo ſecuri uidebantur, maiores ſine capite motus, ueriſimiliter auſpicabantur. Ille Gdani commoratus, placidè reſponderat nuncijs: non tamen ad reditum feſtinabat. Interea Suetia, quæ motibus initium dedit, in ſua uiſcera conuertitur. Inuicem ſe Proceres proditionis arguunt. Alij per tumultum. Alij etiam quaſi legitimò iure per Sententiam capite puniuntur. Cæſus mactator Engelberti Benedictus Bentz: & multiplicata ſunt mala uehementer. Qui præſentem oderunt, abſentem reuocari orant. Ille uerò diſsimulanter omnia permittit: nec rediens, nec ſe omnino ſubtrahens. Nam Godlandiam cum urbe & arce, aliquanta ſuorum manu inſedit. Venerant ad eum Duces Pomeraniæ, & Vualogaſti inſtructa claſſe, magno militum numero. Decreuit Rex nepotem ſuum, Pomeraniæ Ducem, pro ſe Regem ſufficere: Inq; eam rem perficiendam, inſtituit Danorum Regno appropinquare. Nauigansq́ conſedit ad Rugiam, ancoras demittēs. Ibi conuenerant eum Danorum Proceres: rogantes, ut in Regnum rediret, motibus compeſcendis: Nulli ſe libentius parituros, quàm ipſi: proq; illius incolumitate omnes ad unum morituros. Ille deliberationem ſuam illis detexit. Iam ſe in Senium uergere: laborum eſſe pertæſum: multis, ut noſſent, curis implicitum, ad quietem reſpicere: eamq́ ex animo cupere. Eſſe præſentem ex fratre ſuo Nepotem, Ducem fortiſsimum, & laboribus æquum: eum pro ſe Regem illis daturum: fauerent (orabat) uotis ſuis, iam ad quietem reſpicientis.

Tumultus domeſtici.

Suetiæ diſsidium.

Regis reſponſum Proceribus datum.

¶ Proce-



¶ Procerum Responsio ad Regem. Qui Regno cedens, priuatus more Diocletiani Imp. moritur.

CAPVT XXI.

ILLI replicant. Quamdiu Rex illis superſit, aliũ ſe Regem nec poſſe perpeti: nec unquàm adquieturos, illum adoptione, ut meminerat, factum Regem: non eſſe illi ius pro ſe alium ſurrogandi. Si omnino (quod ipſi nollent) regnare recuſaret: eſſe incolarum liberam de ſufficiendo Rege electionem. Proinde orare: ut nõ detrectaret Regnum, quod ſibi ex hoc die in tribus æquè Prouincijs futurum eſſet quietiſsimũ: in quam rem omnes ſuas undiq; uires collaturos. Rex ubi intellexit ſe conatu fruſtratum: dimiſsis ad ſe uenientibus Oratoribus, mox claſſem collectam diſſoluit: ut in ſua quiſq; rediret. Exorta tempeſtas, duodecim naues in conſpectu abſumpſit. Rex in Vuerdingburg nauigans, ibi hyemauit. Cùm autem conceptæ tranquillitatis, nulla illi in Regno ſpes ſupereſſet: nec poterat efficere, ut quem uellet Nepotem Regnis relinqueret ſucceſſorem: tacitus iterum ſe ſubduxit Regni negocijs, enauigans in Pomeraniã: ibiq; uel coëmptis, uel legitima ſucceſsione Maiorũ prædijs cõparatis, quietus diu ſuperuixit: conſeneſcens in arce quam uocant Rugeuuold. Peruenitquè uiuẽdo ad Annũ Chriſti. 1438. cũ Regni ſe negocijs ſubduceret. Queruntur Dani ueteres, Regni gazas cum illo pariter abijſſe: negant alij Regem quidquàm ſecũ euexiſſe, niſi quod legitimo ad ſe iure pertineret. Quis non miretur, tantum Regem ex faſtigio trium Regnorũ, in uitam priuatam deſcendiſſe? Imitatus, ſi nõ ſupergreſſus laudem Diocletiani Imp. Rom. clariſsimi. Cuius Imperio, præter Chriſtianæ religionis odium, nihil à quoquàm poteſt opponi. Is non ſolùm purpurã poſuit, nouem poſtea annis priuatim uiuens: ſed etiam collegam ſuũ Herculium Maximianum, quem ipſe prouexit, ut idem faceret, coëgit. Nec ulla potuit ratione ſuperari, ut reſumeret. In cuius rei molitione perijt Maximianus: Diocletianus aũt priuatus obijt. Quem imitatus Ericus, ex Rege priuatus, multis poſtea annis quietus conſenuit. Ex alto quietis ſuæ tumulo proſpectans motus ſeculi plurimos: quib. antea mirificè iactabatur. Cui etiam hoc magnificũ accidit: ut primus inter Reges Danorum, ab exteris in Regnum uocaretur ex Vuandalorum natione: quæ fuit à ſeculis Danico ſemper nomini infeſtiſsima.

Proceres ad Regem.

Regis Erici mors.

Diocletiani abſceſſus ab Imperio.



¶ Chriſtophorus Bauariæ Dux, Rex electus, honorificè excipitur. Duces Iutiæ inueſtit. Caput. xxij.

CHRISTOPHORVS ex Bauariæ Ducibus, Procerum ex tribus Regnis unanimi conſilio, Rex eligitur: ſeruata prius, quod neceſſe fuit, illius deſuper uoluntate.

Chriſtophorus Rex. III.

Poterant propiorē delegisse sibi Principem ex Pomeraniæ Ducibus: sed infesti erant huic generi: propter cōtemptum Regis sui Erici. Nec uolebant perniciosis exemplis uiam facere: ut Reges sibi quos uellent deligerent successores. Ideo ab Erico Pomeraniȩ Duce discedentes, ad Christophorum Bauarum flexere. Nec tamen à Pomeranico Regis sui sanguine discesserunt. Erat enim Christophorus natus sorore Regis Erici. Christophorus autem in Regnum uocatus, solenni suorum apparatu circa festum Pascæ, Anni tricesiminoni post Mille Quadringentos, Lubecam intrauit. Vbi uenerabiliter futurus Rex à Regentibus eo loci excipitur. Ibi ex constituto Proceres Regni fuere: qui magno illum honore susceptum, perducunt in Daniam. Arces illi Regni traduntur: ac legitimis illis modis cuiuscunq; ordinis homines sacramenta comprestant. Vnctus inde sacro de more oleo, Rex consecratur, cunctis ad nouam Regis gloriam plaudentibus. Año deinde proximo, cùm Regni prouincias obiret: peruenissetq; in Iutiam, ibi ex cōposito illi Adolphus Dux Slesuicensis, ac Comes Holsatiæ, occurrēs, Feudi postulauit de iure innouationem. Nec diu moratus Rex, apparatu legitimo, per Bannerium inuestiuit illum Ducatu: accæptis quæ præstari solent iuramētis. Tum Rex illi iubet restitui, quȩ ex antiquis annis ad Ducatum pertinerent, usq; ad pontem in Koldingen. Multa enim inde Margareta Regina detraxit: multa etiam Ericus, per bellū diuturnum. Cunq; ex forma compositionis, quæ bello succeſsit, omnia restituēda Duci mandarentur: ad executionem tamen plenariam ad hunc usq; diem nunquàm est peruentū. quòd Rex Ericus illo semper die abitum parans, minus intēderet rebus. Sed nunc Christophorus, non ignarus quid Duci deberetur: omnia iuſsit ex fide restitui. ut uicinum illum, & homagialem fidum experiretur: inter alienos dominari constitutus.

Anno Christi 1439.

Inuestitur Dux Iutiæ.



¶ Rex in ipsis Regni primitijs in tumultuantes Iutios arma mouit, prȩlium committens. Victoria potitur. Postea cum uicinis Principibus Conuentum celebrat, consultando contra maritimas urbes. Caput. xxiij.

(E)VO tempore ruralis populus in Iutia, per diuturni belli tempora insolentior factus: quòd multa tum licentia uidebatur: Rege cum Proceribus implicatis negocio bellorū: militem quendam magni nominis Ezekonem Brock, per tumultum oppressere. Rex perniciē exempli ueritus: ne impunitas illorū etiā alios armaret, uindicare constituit, rem tantam atroci supplicio. At exercitu opus uidebatur. quòd ruralis illa multitudo conspirans, non facile opprimenda, aut ad quietem reducenda uideretur. Arma contraxit: ac mouit in populum tumultuantem.

multuantem. Qui nullis tutus præsidijs, nullo Duce instructus, audet tamen prodire in prælium. Infelices, qui pessimum secuti Ducem, temeritatem propriam, manus contulere cum copijs Regijs. Fusi primo impetu ad sexcentos: reliqua multitudo capta, ære luit pertinaciã: cùm Rex parceret infrunitæ multitudini, ne cultoribus agri destituerẽtur. Ita Rex nouus & alienigena, obedientiam ferro quæsiuit. Circumspiciens autem Rex, simul animo secum repetens: quanta proximo bello Ciuitates maritimæ, quæ uocantur Vuandalicæ, incommoda Regno inuexissent: de repagulis communiendis cogitauit. Et ut consilio prius, quàm uiribus rem experiretur: missis ad uicinos Germaniæ Principes literis, in Vuilsnacum, sub dominio Marchionũ de Brandenburg, ad Cœtũ conuocauit. Aduenerant Fridericus Marchio Brandenburgen. Henricus Dux Magnopolensis: Otto, Vuilhelmus, & Henricus Duces Brunsuicenses: ac multi præterea alij. Ibi cùm multa in concilio, quæ uulgo incomperta mansere, agerentur: fama fuit, memoratos Principes fœdera inisse cum Rege Christophoro: & (ut solet malignũ Vulgus, libere quæ sentit proloqui, facta miscens infectis) ferebant omnia in subuersionem Ciuitatum ibi constituta. Rex ipse non Regio apparatu, sed peregrina ueste, octoginta equis cinctus, eò prouehitur. Adolphus Slesuici Dux non aderat: Princeps bella perosus, quæ illum à puero uexabant: quæ potuit esse causa, non adeundi Cœtum, ne se alienis laboribus, quorum erat pertæsus, implicaret. Eadem libertate tum uulgus rumorem diffuderat: eius Principis absentiam, cuncta subuertisse consilia cæterorum. Sed quis consilio aderat, ut enunciaret occulta? Curiositas multorum, cogitationes suas ex coniecturis firmat: audenter pronuncians, quod uel timet, uel sperat.

Comitiæ Principum in Vuilsnaco.



¶ Nuptias Rex celebrat. Ex Suetia thesaurum reportaturus in Daniam, naufragio perijt omne aurum & argentum, Rex ipse uix euadens.

CAPVT XXIIII.

ANNVS erat quintus & quadragesimus post Mille Quadringentos, cùm Christophorus Rex de posteritate cogitans, ad Nuptias animum conuertit. Duxit autem uxorem Dorotheam, Ioannis Brandenburgẽsis MARCHIONIS filiam. Quæ ad nostram peruenit ætatẽ. Eas uerò Nuptias Regali more in COPENHANEN arce Regia peractas, honestabat multorum de Germania Principum præsentia. Aderat Ioannes ipse pater sponsæ: Vuilhelmus Dux Brunsuicensis: Fridericus Dux Bauariæ, Regis Christophori cognatus: Balthasar de Slesia Princeps: Ludouicus Hassiæ Lãtgrauius; Ernestus de Honstein Comes: cum multis alijs Nobilibus:

Anno Christi 1445.

pluribus ex uaria natione militibus. Nec deerant cum muneribus suis Ciuitatũ Oratores. Quippe Regem, cuius Prouincijs Mercatores diuersantur, non incongruè suspiciunt, ac uenerãtur. De Principibus certè memorabile: quòd illos mare, mediterraneis insolitum, ac terrifi cum inconsuetis, ab officio non deterruit. Peractis uerò Nuptiarũ solennitatibus, Principes cum honore in sua dimittuntur. Rex ipse Regnorum obibat negocia. Suetiam putauit inuisendam. quòd Proceres cum populo desyderantissimè uultum Regis sui expectabant. Venit. Vidit. Et omnibus ex sententia procuratis, ordinatisq́; : cùm magnos inde thesauros in naues congeri iussisset: siue de muneribus quæ Proceres intulissent: siue de prouentibus, quos per annos plurimos Præfecti contulissent: nauigationem instituit in Daniam. Ibi exorta tempestate, spes multorum intercidit. Perijt omne aurum & argentũ; quod proximis annis Suetia diues congessit. Nam conquassata quæ thesauros nauis euexit. Centum milia, ac amplius multo intercidisse memorant, uix Rege cum naue sua in portum perueniente. Mira Suetiæ fortuna. Non patitur exportari thesauros. Si sinunt homines, mare prohibet. Si pacatum est mare: homines tumultuantur.

Naufragiũ horrendum Regis.



¶ Regno fruitur Rex pacifico: donec à Deo uocatus, oratione cum Proceribus habita, diem soluit debitum.

CAPVT XXV.

SED tũ Rex Christophorus nullo Suetiæ thesaurò locupletior factus est. Nulla Regi per sua tempora fuere externa bella: quod memorat̃. Cõponẽdis rebus intra Regnorũ uiscera, illi magnopere fuit prouidendũ: cogitanti successus Prędecessorũ. Domesticum illi ante oculos, & recens erat exemplum Regis Erici auunculi sui: quẽ simultates & dissensiones Procerũ, Regno exegerũt. Meditari ferebatur bellũ in littora Germaniæ: & præsertim in ciuitatem Lubecensem: quam nõ ęquis oculis aspicere solitus credebatur. quòd olim Danici iuris: nunc in eam uidebatur arrogantiam erecta, ut bellũ Danicæ auderet coronæ intentare. Sed ille quamocculte apparatũ facere credebat̃ belli, de proximo in eam gerendi. Cũq́; ad annum Nonũ Regni sui in arce Helsingburg, aduersa ualetudine desperabiliter laboraret: fertur aduocasse Proceres quos habere potuit: & cũ illis de Regni negocijs egisse. Et inter alia quæ ægrescẽs indies magis atq́; magis, illis præsentibus imperat, ferũt dixisse. Maleuolis me oculis intuiti, inquit, soletis exemplũ auũculi in me formidare: quòd aceruatis undecunq́; de Regno thesauris, enauigẽ. Nunc q́; ea res in animũ descendit meũ: utinam q́; nõ uestra culpa magis, quã de suo sensu auunculus fugam parasset. Ego quantos potui subducere thesauros, quotidianis sumptibus,

Rex ad Prõceres.

sumptibus, eos composui, bello aliquando, pro Regni gloria, ad Lubecæ muros gerendo. Ea urbs quo sit Regnis nostris fato edita, mecũ uidetis. Nunc quoniam DEVS imperat, Regno & uita pariter mihi concedendum est. uos rebus rectè consulite: & eum post me uobis deligatis Regem, qui Regnis non modò præsit, sed & prosit. In eum modum rebus excesit humanis, Anno. 1448. Mors Regis, Anno Christi 1448.



¶ Christianus (aliâs Christiernus) Regnis Daniæ & Noruagiæ Rex præfectus, uxorem ducit Dorotheam domus Brandenburgen. Caput. xxvi.

CHRISTIANVS suorum de Aldenburg Maiorũ Patricio nomine (quem Dani more suo Christernũ appellauerunt) unanimi Procerum Daniæ & Noruagiæ consensu Rex eligitur: Suecis se à ueteri placito retrahentibus. Quod habebat: ut nisi trium Regnorum communi consilio unus assumeretur Rex. Hæc autẽ electio maximè facta est astipulatione Adolphi Ducis Slesuicensis: qui erat auunculus Christiani de Aldenburg, & Delmenhorst Comitis. natus enim erat Christianus eiusdem Adolphi sorore germana. Inclinauerant autem Proceres memorati, in eundem Adolphum assumendum: pertentabantq́ animum eius: missis solennibus ex suo numero ad eum Oratoribus, quos ille familiari conuersatione habebat notissimos. Vbi ille pertinaciter recusabat: consilio eius usi, ad Christianum eius nepotem, quẽ ille quoq́ in domo sua ex puero educabat, inclinauere. Præsertim uno facto, geminam ineuntes gratiam: quòd Domum Brandẽburgensem, ex qua prodijt relicta Regina, promereretur: illi sponsum requirentes. Sic enim illa uisa fuit affectu propendere: ut quem illi Regem, ipsa maritũ dignaretur: si nihil obstaret aliud. Increbuit autem sermo: militũ quendam genere, opibus, & forma prę stantem, ad Regnum multorum propensione respicere. Sed illa altiori stemmate prodita, nobilitatem Christiani, quem multę insuper uirtutes ornauere, præferebat. Igitur Christianus de Aldenburg, ueteri ac nobili domo Comes, Rex Daniæ, Noruagiæq́ asciscit. Nam Suetia præueniens hanc electionem, præuaricata pactum pridem constitutum: peculiarem sibi Regem assumpsit ex suo corpore militem, opibus præstantem, Carolum Kanuti. Quod in Suetia plenius diximus. Christiernus solenni ritu coronatur: Dorotheam Reginam matrimonialiter sibi copulauit. Ea erat utriusq́ gratia, ut statim aboleret opprobrium Danicæ Regiæ: ut quæ sterilitatis incommodo percussa, intra annos sexaginta Regni nullum uidit hæredem. Neq́ enim Vualdemarus nouissimæ Margaretæ pater, neq́ Ericus, neq́ Christophorus Regno masculam prolem relinquerunt.

Christianus Rex. Aliâs, Christiernus.

Suetię Rex eligitur separatim. Suetiæ lib. 5, cap. 41.

¶ God-

¶ Godlandiam Suetiæ Insulam, Rex ui recuperat.
CAPVT XXVII.


OROTHEA autem ex Christierno concipiens, intra annum enixa est Olauum filium. Sed ille in pueritia decessit. Inde uerò Ioannem peperit, modernum trium Regnorum Regem: cum fratre Friderico, itidem duorum Ducatuū moderatore: atq; filiam, Scotorum Regi nuptam: quę sceptris illis longam pollicetur posteritatem. Proximo deinde anno, Christiernus primam Regnis operam impendit, ut Suetiam per partes, duobus Regnis iterum coniungeret. Nam armatum duxit exercitum in insulam quam uocant Godlandiam, Suetiæ Coronæ parentem. Eam uerò usquè in illū diem retinebat Ericus Rex, per omne tempus Christophori, per Sueticos Præfectos eam gubernans. Sed Christiernus ui recuperauit: expugnato oppido Vuisbu, quondam florentissimo emporio Mercatorum. Testantur fores & fenestræ ferreę, quæ extant in hodiernum. Diu nauigantes, ibi marini iuris tribunal recognouere. Vetusta ibi Mercatorum priuilegia asseruabantur: nunc in tutiores translata sedes. Expugnabat & arcem: maximè adiutus armis, quæ illi iungebat Adolphus auunculus, Slesuici Dux. Per eadem tempora surrexit ea in Prussia grauissima belli contentio: quæ multis annis perdurans, terram posuit in solitudinem: Christierno ad omnia neutraliter se gerente. Cùm uerò añus ageretur Regni eius sextus, Bergis in Noruagia perniciosissimo tumultu, Mercatores militem Olauum Negelsen, omnibus onerosum, in Ecclesia cū Episcopo oppresserunt. Quam rem plenius in Noruagia explicauimus.

Christierni proles.

Godlandiam Rex ui superat.

Noruagiæ lib. 5. cap. 13.

¶ Carolus Suetiam thesauro spolians, Regno abscedit. Christiernus in locum surrogatur. Adolphus Slesuicen. Dux moritur. Caput. xxviij.


NTEREA uerò Suetiæ præfuit Rex Carolus: quē, ut diximus, de suo Sueci corpore prouexerunt in Regnum. Sed is Clericis, & omnibus Ecclesiasticis, Militaribus, ac omnibus regnicolis, propter tyrannidem & oppressionem singulorum grauis, & perinde odiosus cœpit haberi. Quod ubi intellexit, se omnium oculis designari: collecto clam omni quem poterat thesauro: quem etiam priuatus habebat copiosum: media hyeme, in ipsa Carnispriuij resolutione, quando nemo tale quicquàm formidabat: omnibus ad crapulā laxatis, ingressus nauim, Prussiā nauigauit. Proceres aūt Regni non minus de sua exoneratione, quàm illi de abitu alacres, solennibus missis ad serenissimum Regem Christiernū Oratoribus, eum uocarūt in Regnum. Venientem aūt honorificè excæperant, Regem suū constituerant,

Caroli Suetiæ Regis abitus.

ftituerant: & in Stoksholm solenni ritu inunctũ, per manus Vpsalensis Archiepiscopi consecrarunt: tribus iterum Regnis ad obediẽtiam unius Regis redeuntibus. Quo modo à memoria Margaretę Reginę: quæ prima Regnis hoc decus peperit: ut unis Legibus, uno Imperio, tria moderarentur. Erat autẽ annus post quinquaginta septimus: nonus autem ab initio regnantis Christierni. Post duos autem annos ex hoc tempore, cùm in fata concederet inclytus Adolphus Dux Slesuici, Comes Holsatiæ: non erat dubium, Slesuicensem Ducatum Coronæ consolidari, à qua exiit Beneficium. cum ille prolem nullam relinqueret. De Comitatu autem Holsatiæ magna fuit quæstio. Nam Feudum uidebatur Imperij, quod ad masculam lineam crederetur pertinere. Supererat Otto Comes de Schouenburg, cum multis filijs, Adolpho, Erico, Ernesto, Bernardo, Ottone, Henrico, Antonio, Ioanne. Hic Otto ad uirilem spectabat, sed multis gradibus agnationem. Rex autem Christiernus, cum fratribus Mauricio, & Gerardo de Aldenburg Comitibus, sorore Adolphi, erant progeniti.

Christiernus trium Regnorum Rex.

Anno Christi 1457.

Adolphi iustitiæ Ducis mors.



¶ Holsatia Regno Daniæ, magna Comitibus numerata pecunia, accedit. Caput. xxix.

NOBILITAS omnis diu uariè nutabat. Multi in Regem propenderant defensorem quæritantes. Alij uerò Comiti inclinabant: præferentes uetera stirpis eius in terram suã beneficia: quòdq; mascula illos linea præferebat. Aliquot uicibus in eã rem tractantes cõuenerant: at abierũt sine fructu. Nouissimè uerò in Todeslo cœtum facientes: interueniente Arnoldo Lubecensi Episcopo, qui Imperiali uice, eius Feudi dominus censeretur: Christiernus Rex, Comitatu donatur: quietatis ingenti ære Comitibus, ut iuri suo renunciarent. Fratribus deinde suis Rex non minorem pecunię summam persoluit: ut omne ius in suam cõemeret personam. Ita factũ est: ut nobilis ille Comitatus, qui infinitũ sanguinem dedit, quo à Corona Daniæ segregaretur: nunc uoluntate Procerum se illi coniunxerit. Erat aũt annus. 1460. cùm hæc agerentur. Cùmq; sacramenta solenni ritu Rex ab omnibus acciperet, uenit im Hamburgum, antiquissimam Stormariæ ciuitatem. De homagio quidèm nulla mora: sed de præstando iuramento fit dubitatio. Ostendebant Ciues Regiæ maiestati ueterem obseruantiam: eamq; chartis priuilegiorum astruebant: orantes, ut Regia Maiestas illis adquiesceret rebus, quibus omnes sui in Comitatu patres ac prædecessores acquieuere. Disceptatum est desuper longa uerborum altercatione: sed bonis Ciuium allegationibus, cessit Rex moderatissimus: permittens ueterem Vrbis, probatamquè diu consuetudinem.

Rex Holsatiæ dux declaratur.

Anno Christi 1460.

¶ Thesau-



Thesaurum Suetiæ Rex recuperat ablatum. Indulgentiarũ exactioni fit particeps. Legatus parte sua prędatur. Vuandalicæ urbes Priuilegijs suis confirmantur. Caput.xxx.

Rex eo tempore instituta in Suetiam nauigatione, iura Regni peruidit. Et cùm de omnibus ordinasset: peruenissetq; ad illum certus rumor de Thesauro, quem Regno excedens Carolus, in oppido Stoxholm, apud fratres Prędicatores reliquisset: conuenit super ea re Fratres. Et cùm illi diu dissimulassent: acrioribus ab illis extorsit uerbis, ut quod superesset Regi contraderent. Ferunt fama, aliquot signati æris reperta marcarum milia: ac uasa nonnulla argentea, magna cum paruis. Repperit autem & in Suetia nuncium Apostolicũ Marinum: qui promulgatis Indulgentijs in causam expeditionis in Turcam, magno argento Aquilonis Regna emunxit. Sed ubi intellexit, oues suas tonderi: pactus est partem lanæ. quòd & ipsi pugnandũ foret in scismaticos Regnis suis conterminos. Totondit Italicus, operam impendens: sed non iniustè passus est, legitimo domino suam prouenire portionẽ. Erat tum Annus sexagesimus primus, post Mille Quadringentos. Cùnq; argentum suum Italicus exactor, mercibus implicitum, per currus in Norinbergam deuehi disposuisset: intercæptis curribus, perijt labor emunctoris. Prætenderãt qui accæpere, res esse Luneburgensium: quorum id contumacia deposcebat, ut rebus & corporibus ubicunq; tenerentur. cùm Apostolicis mandatis in causa Cleri non parerent. Anno deinde proximo, qui fuit. 62. magnus, agente Christierno Rege, Principum cœtus indicitur in Vuisnacum, ueteris Marchiæ oppidum: pridem factum notisimum, pro concursu, qui in hunc usq; diem multorum agitur pro miraculo, quod ferunt in uenerabili altaris Sacramento contigisse. Rex locum petiturus, Lubecam pertransiuit. Ciues summam rerum suarum adhibuere custodiam: nõ diffidentes Regię Maiestati, sed ut ea securior à tumultu inconditę plebis conquiesceret. Nam promiscuum spectandæ nouitatis uulgus auidum, dum se turbis immiscet militaribus, solet nonnunquàm tumultus excire. Rex tamen moderatißimus, eam rem deducentibus se foras Proconsulibus, honoris gratia, per risum exprobrauit. Illi uerò comiter risum risu tergebant. Quid tum inter Principes ageretur, inconditum uulgus, quasi Consilio inmixtum, enunciabat: omnia in detrimenta Ciuitatum Vuandalicarum respicere, quarum prouectio, ureret Principum oculos crederetur. Rex uerò cùm in Regnum redijsset, Ciuitatum Vuandalicarũ Concilia, mox suos ad Regem misere Oratores. Primùm quidèm confirmandorum in Regnis Priuilegiorum gratia.

Indulgentiarum quæstui Rex participat. Anno Christi 1461.

gratia. Inde uerò quæstum de damnis & iniurijs, quæ Mercatoribus uel in mari à piratis, uel ab exactoribus Præfectis in Regni finibus irrogarentur. Et quidèm de præteritis, quæ temporum Regni eius non essent, responderi quid debuit aliud: quàm ut crimina suas tenerent auctores? De alijs aūt quæ uasto mari patrata sunt: uel incertos, uel peregrinos præferunt reos, qui in manibus non essent. De futuris adhibendam custodiam atquè uigilantiam. Priuilegiorum confirmationem reportantes, in sua alacres redierunt.

Vuandalicarum urbium petitio.



¶ Luneburgen. & Clerum Rex componit. Sedaturus Suecorum in se rebellionem, cæditur, fugatur, Daniam cum iactura rediens. Caput. xxxi.

PER idē tempus Rex assumptus est Arbiter ad causam Luneburgensium, quam Prælati in eos instituerāt, cum duobus de Lubeca, & Zuerin Pontificibus: terminauitq́ eam in cœnobio Reynefeld: quæ diu in Romana Curia fluctuabat: & aliquorū Principum in uicinis locis arma experiebatur. In Suetia interim res ad rebellionem spectabat. Indoluere enim Proceres, administrationem Præfecturarum Danis permitti. Promiscuum uulgus causatur abesse Regem: rarius sibi de Iusticia responderi: arbitratu Præfectorum rem omnem agi. Regni thesauros foras educi: uiscera Regni ad libidinem Patriæ Danorum. Rex apertam rebellionem præuenire constituens, expeditionem parauit in Suetiam. Aliquot nauibus perarmatis, Holsaticæ Militiæ florem imposuit: & magno Danorum apparatu nauigauit in Regnum. Reperit autem Rex maiorem quàm putauerat, in se factam coniurationem. Nam prodire audebant in aciem, & conserere manus. Pugnatur acriter: & aliquandiu incertis alis uolitante uictoria, Suecis inde inclinauit. Cæsi ex Regijs multi. Rex in naues reducitur. Capiuntur multi. Aliquot dum in naues refugiunt, trepidatione nimia, mari mergūtur. Archiepiscopū tamen Vpsalensem, quem uelut obsidem Rex habebat, secum enauigans, tulit in Daniā. At ubi comperit uiri cor in se rectum: cum honore remisit in sedem suam. Interim uerò Sueci, nouis semper rebus intenti, misère qui reuocarent Carolum Regem ex Gdano: in quam quieturus se collocauit. Sed ubi redijt, nec illam quam promisère reperit integritatem: sua sponte se Regno abdicauit: priuatim uicturus, cōmuni cum alijs iure. Non quieuit tamen Archiepiscopus memoratus, Christierno Regi Proceres conciliare. Nec facilè potuit, semel motam suo loco fidem, in integrum reducere.

Suecorum grauamina.

Vincunt Sueci.

Reuocant Carolum, sed frustrà.

¶ Gerardus Regis frater, ex promisso pecuniam debitam poscit. De ea numeranda, rursum literis & fideiussoribus transigitur. Ernestus Comes de Holstein, Dorotheam sibi affinem comitatus, capitur: nec sine redemptione quatuor milium aureorum, rursum liberatur. Benemerito Dorotheę unde uiuat, Rex prospicit.



CAPVT XXXII.

Anno Christi 1465.

ANNVS interim erat sexagesimus quintus, post Mille Quadringentos, cùm Gerardus de Aldenburg, Regis Christierni germanus frater, in Holsatiam se contulit: Maiores Holsatorum interpellans, super aliquot milibus expromisisis, dum ius successionis suæ in fratrem refunderet: & Arcibus in potestatē accæptis, legitimum se cum fratre ferebat hæredem. Quid facerent Proceres Regis germano? Detecta literis res est Regiæ Maiestati. Veniente autem in terram Rege, indictum est terræ Concilium. Ibi Gerardus quoquè pro suo iure locutus, aut terræ partem, aut expromissam dudum pecuniam deposcebat. Æquum uisus est postulare. Igitur noua illi per Regem literis, ac fideiussoribus cautio firmat: & quieuit ab incæpto paulisper. Quo tempore cùm Dorothea Adolphi Ducis relicta, ex patria sua descendisset in Holsatiam, requirere donationē suam propter nuptias: itineris comitem habuit, nobilem uirū Ernestum de Honstein, memoratæ Dominæ cognatum. Eum, incertum quibus ex causis, Benedictus de Aleueld, unus ex Ducatus Primoribus, captiuum sibi fieri cōegit. Quid faceret uir nobilis in alieno constrictus? Manū dedit. Domina Dorothea apud Regem conquesta: quòd nihil tale in suis formidasset, in ditione Regis: quem ipsa in domo mariti sui Adolphi à puero cùm fratribus educasset. Proinde orabat: ut si non benefactorum respectu, quorum memoriam durare nihil dubitabat: uel communi iterantium sorte liber esset, quem illa domo extraxisset. Mouit Regem optimæ fœminę iusta querimonia: iussitq; captiuum laxari. Sed ea tum erat rerum conditio: ut ad libertatem, nisi expromisisis quatuor aureorum milibus redire non posset. Deformis quidèm rerum facies in benè merentem Dominam, apud rerum ignaros. Sed mihi persuaderi non potest: sine magna causa rem in eos exitus non decreuisse. Permansit autem memorata Domina in Reynoldesburg, quæ fuit illi donatio propter nuptias, usq; ad proximum annum. Et tum reuersa in Turingiam, præfecit militarem, qui per annos singulos de prouentibus responderet. Gerardus Regis germanus, in Holsatiam reuersus, inmemor & ipse obsequiorum, quę puer in domo memoratę Dominæ recæpit: omnem illam ditionem inuasit. Rex ubi intellexit: effe

Ernestus de Honsteyn capitur.

cit, ut quotannis auri ſumma, quoad uiueret, nobili, ac de Principibus benè meritæ Dominæ proueniret. Idquè certis fixum ordinationibus implebatur.

¶ Rex conniuebat ut frater Gerardus Holſatiam adminiſtraret. Nobilitas hoc ægrè tulit: quia contra illorum uiolentiam, propenſior uidebatẽ plebi. Contra Lubecenſes indignatio Nobilitatis ſuborit. Marinus apoſtolicus irarũ plenus rediјt, & infecta re diſcedit. Comes Gerardus cuſtodiæ mandatur. Caput. xxxiij.



PERMITTENTE interea Rege, Gerardus germanus eius, in Holſatia res adminiſtrabat. Imminebat autẽ grauis Nobilitati, Ruſticam plebem (ut uidebatur) tutatus aduerſus uim ſolitam Domicellorum. Accidit autem per ea tempora: ut appropinquante ſolutionis termino, quem ſibi militares pro Rege fixiſſent Concilio Lubecenſi: quùm fidem ſuam obſtrinxiſſent: ea Lege, ut in termino præfinito niſi ſoluerent Lubecam, euocati intrarent: nec abirent, niſi ſolutione peracta. Vocati, paruerunt: & quibus ſe poterant cõditionibus, obligationis uinculo laxabant. Interim Marinus de Fregeno, Nuncius Apoſtolicus redibat, querimoniarum & irarum plenus: quòd Collecta nuper in Regnis Lubeck & Luneburg, ſub Fionia poſita, Rex Daniæ Chriſtiernus, quòd expromiſſam Coronę portionem non exoluiſſet, abduci curauiſſet. Multam quidèm indignationem præferebat. Sed quoniam in reliquum expiſcari uoluit: exaſperare Principes, quorum uenerat tondere oues, conſilium nõ fuit. Gerardus autem, cùm omnes penè Holſatiæ Arces teneret: & adminiſtrationem ſuam in legitimum Principatum uertiſſet: omnia agens quaſi ſolus dominaretur: oppoſuere ſe illi ex Holſatorũ Proceribus: & ſe Regi, non Comiti præſtitiſſe ſacramenta ferebant. Eualuit ea indignatio intantum, ut Rex euocaretur. Venit: & Gerardum fratrem non captiuum, ſed libera cuſtodia in arce Segeberg curauit aſſeruare: honeſta quidèm ſpecie ab Regina in Arcem inuitatur: & ibi inuentus, manere iubetur: ut rebus in reliquum rectè conſulatur. Marini querimonia.

¶ Nouum bellum ſuboritur cum Anglis. Anglicas naues quatuor, Rex mari capit: Lubecenſibus unam, Liuonienſibus alteram intercipit. Sueci Daniam infeſtantes, fugantur & ſuperantur. Caput. xxxiiij.



EODEM tempore, Rex cùm iuſtam in Anglos præferret hoſtilitatis cauſam: ab antiquo quidem; quòd donatiuum Angliæ corona deberet Henrico quondam Holſatorum Comiti, proauo materno Regis, qui dictæ Angliæ Regi diu militauit. Acceſsit altera cauſa:

quòd proximo año, Præfectum à Rege Islandiæ, Anglici occidissent. Quatuor eorum naues mercibus onustas tenuit, cæpit, & merces distraxit. Quæ res Mercatoribus Alemannis in Anglia peperit infinitos labores. Nam capti, carceribus mancipati, rebus omnibus despoliantur. quòd dicerent, Danorum Regem à Mercatoribus instinctũ, ista patrauisse: nec uoluerunt intelligere: Danorum Regem nihil cum Mercatoribus Orientis habere commune. Quid multis? Res in magnum processit bellum. Damna Anglicis in mari illata sunt plurima. Anno demum. 68. in Traiecto res compacantur. Eadem Æstate, cùm Rex nonnullas armasset naues in Suetiam, iamdiu Regi rebellantem: nauigauit ex Suetia quidam onustus mercibus Lubecensium: & nihil hostile ueritus, suo itinere mare sulcabat. Armata autem Regis, quòd ex hostica terra nauis uenisset, hostilem interpretati, inuadunt, capiũt, diripiunt. At non meliori fortuna alia quoq; ex Liuonia ueniens, incidit manus eorundem. Perductæ in manus Regias, ab Lubecensibus misso Secretario repetuntur. Sed ea erat rerum conditio, ut tum reddi non possent: distractæ per manus plurimas, ut fieri solet, ubi arma tractantur. Lubecenses nauigatione suspensa, mare uitant. Res in Colloquium deducitur: & pactis utrinq; conditionibus querimonia sedat̃. Priuati tamen sua non recipiũt. Hoc tempore in Suetia interim rebus perturbatis. Rex tamen Arces quasdam per suos insedit, defenditq;. Iuuarus Axel ex Proceribus Suetię primarius, agmen ductabat in Regias arces capiendas. Quas cùm aliquandiu oppugnasset: Rex inmissis suis, fugabat impugnantes: & suos liberauit. Ausus est & in Daniam exercitũ transportare: & Regem etiam istic oppugnare. Veterum more Regum, Christiernus Rex suos illi obiecit, qui uenientem excepêre: & manibus collatis, in fugam uerterũt: trecentis suorum captis. Inter quos erant non pauci generis militaris.

Dani Suecos superãt.

¶ Paciscitur Rex super Lubecensium naue direpta. Cum Suecis congressus, cęditur. Caput. xxxv.



Anno Christi 1469.

ANNVS erat nonus & sexagesimus, post Mille Quadringentos, cùm interuentu communium Amicorũ res inter Regem Christiernum, & Suetiæ Proceres intercæpta est: ut in Lubeca Conuentu celebrato, res quibuslibet conditionibus pacaret̃. Venit Rex cum fratre Gerardo, tribus Episcopis, & multa militũ, militariumq; manu stipatus. Sueci diu expectati, non uenerant. quòd uentos in potestate non haberent. Interim passus Rex pro sua mansuetudine queri Mercatores, terra, mariq; spoliatos. Clementerq; singulis pro sua cuiq; conditione respondit. In eũ tamen res uergebat exitum: ut Concilio Lubecensi pro liquidato Ciuium damno, oppidum

oppidũ Kilonem, cum Arce sua in pignus daret: soluto tamen in præsens ære certorum milium. Pignus uocant: & Pignoraticium contractum. Ego ex intentione contrahẽtium, ueram arbitror Emptionem: cum pacto tamen redemptionis. quod phas & iura sinunt. Alioqui in sortem computaretur, si pignus esset, quicquid eo nomine proueniret. Nunc autem contrahentium ea mens est: ut fructibus accipiens utatur pro suis, sorte manente integra. quod est pactũ emptionis. Vulgatus error multos decepit. Tũ uenere, qui in oppido memorato rem gererent: & præsente Rege, Lubecensi Concilio sacramẽta dedere. Id tum ea mente gerebatur in oppidi illius portu: ut Lubecenses ex suo commodo uterentur. Venerant deinde expectati Suetiæ Proceres: & tractatum ineuntes, nullam inuenerunt cõponendæ paci uiam. quòd Carolo suo, quem pridèm Regem elegerant, carere noluerunt. Cùm Rex posceret, nec illi magnopere recusarent, Regno cederet. Potuit quidèm intra septa Regni manens tutus conquiescere: quod optabat. Sed Rex sciens promptum ad bella populum, non quiescere: ubi personam quondam Regiam præsentem cernerent: abire iussit. Oratores recusarunt, urgere nolentem. Ita sine fide disceditur. Proximo deinde anno, Rex per angustias, niuis tempore, quando nemo uenturum præsumebat, ingredi Suetiam pertentabat: Regnum montosum, & faucibus uiarum transitu difficilimum. At Suecis utcunque res innotuit: in aciem prodeuntes, Regi se obiecerunt. Facile fuit multos à paucis detineri. quando non poterant in uia stricta, nisi pauci ad pugnã prodire. Trucidati à Suecis Regiorum non pauciores Quingentis. Multi inter eos militares magni generis. Retrò Rex cogitur redire: frustratus. Quo tempore Gerardus Comes, pro fratre administrans Holsatiam, Lubecam Imperiali Mandato euocatur. Aderãt duo de Hennenberg Comites. Alter ex illis iamdudum Ecclesiam Moguntinam Archiepiscopus gubernat, Prælatus eximiæ dignitatis. Impetitur Gerardus super spolio, quod in Dorotheam commiserat, relictam auunculi sui, Ducis Adolphi. Sed ille iuxta omnia pensitabat. Illi redibant inanes: hoc tamen ab Rege, quod supra diximus, reportantes: ut annuam illi pecuniam soluerent Gubernantes eam partem, in qua illi donatio erat propter nuptias constituta. Ea tum uidit urbis Lubecæ cõsistentiam D. Moguntinus: ut affectus urbi, in huncusquè diem benignè permaneret.

Autor Iuris etiam peritus fuit.

Cęduntur à Suecis Dani. 500.

Supra eod. lib. cap. 32. c.



Gerardum fratrem Rex bello aggressus fugat: Populus arcetur, & luit, Carolo mortuo, Rex magno suorum malo Suetiam impetit. Caput. xxxvi.

GERARDVS Comes, Regis frater, cùm difficulter se intra præscriptos limites contineret, Regias extorsit literas: quas exhibuit. Vnde illi homagium à Frisonibus Eydoræ, & uicinis præstari iuberetur. Non dubitauit uulgus inhærere Gerardo. Ea fuit indulgentia: ut omnino popularis haberetur. Nam militiæ quoad poterat reluctabatur. Venere tamen certiores postea Literæ: quæ quod priores mandassent, uetuere. Incertum: an mutata sententia, literæ quoque uariarentur: an, quod nonnulli suspicabantur, primæ extiterint adulterinæ. Rex ubi rem in graue suum præiudicium cerneret excurrere: descendit, compositis Regni negocijs, in Holsatiam. Gerardus autem se continuit in palustribus Vuilsteræ, & uicinarum partium: ubi populum adeo sibi deuinxit: ut pro eo extrema pati non formidaret. Rex ubi monita non profecerunt, quæ fratri fecit per literas, ad arma uenit: & duarum Ciuitatum Lubecæ, & Hamburgi uiribus instructus: suam quoquè perarmans militiam Holsatiæ, mouit in fratrem. Ille ubi uidit arma, quibus par esse non potuit: desertis quos animauerat noctu, cum paucis aufugit, per inuia & longa deuia reuersus in ditionem suam: nec ultra reuersus est in Holsatiam. Rex autem igne & ferro uix adigere potuit populũ, qui iam Gerardo sacramenta præstitit, ut iterum in uerba sua iuraret. Qui caput erat gentis, profugit in Thietmarsiam. Aliquot capti, gladio cæduntur. Inter quos filius memorati Capitanei. Frisones multa uix difficultate, ad renouanda Regi sacramenta coguntur. Gerardus in sua reuersus, causatur Ciuitatum Lubecæ atque Hamburgi opera, se pulsum hæreditate legitima: quapropter hostem se Mercatoribus illarum publicum agit. Ad prędam insistens usque hodiè si superest. Nam Flandrensium se bello inmiscuit: Hispaniam, Angliam, Scotiam nauigans peruagatur: & ad stuporem omnium, inter mille pericula usque in septuagesimum post Millesimũ Quadringentesimum annum peruenit. Sed quo tempore quæ diximus gererentur, hoc est, anno Septuagesimo post Mille Quadringentos, Carolus quondam Suetiæ Rex, rebus excessit humanis. Et diuisi rursus Proceres, in uaria discessere uota. Alij Christiernũ Regem euocari, ex re esse senserunt. Alijs alia fuit sententia: & ex repugnantibus sententijs, res mansit infecta. Eo tempore Dorothea Regina, molestè ferens querimoniam Dorotheæ relictæ Adolphi, rem omnem suscæpit compacandam. Nam accæptis eius uitalicijs, soluit de restantijs duo milia ducentos aureorum: & pacta est, in singulos annos octingentos

Fugit Gerardus.

gentos illi dare aureos fructuum nomine. Quæ res suum sortita effe- ctum, nobilem fœminam complacauit. Rex autem Sueti ę Regno iam tēpus ratus inmittere manus: quando æmulus eius Carolus iam mor- te subtractus, sceptra uacuauit: magno undiq; militum numero condu cto, ex portu Lubecensi naues armauit: alias alijs de portubus: duxit- què in Suetiam agmen infestum. Sed neq; illi segnes occurrunt. Mul- ta uarijs in locis prę lia. Sed is tum erat exitus, ut pauci ex multis stipen diarijs redirent. Opera & impensa perierunt.



¶ Peregrinatur Rex. Trium Comitatuum Dux creatur. Ioannes eius filius natu senior, in Daniæ Regem ungitur. Caput. xxxvij.

IAM erat ãnus. lxxiiij. post Mille Quadringentos, cùm Christiernus Rex, assumpto illustri Principe D. Ioanne Duce inferioris Saxonię, & splendida militia, peregrini tñ habitu, Rò mam inuisere, Apostolorum adire limina curabat. In ipso autem itine re ad serenissimum Rom. Imperatorem Fridericum declinauere. Re- gio more hospitaliter excipiuntur. Multa primũ de Statibus Regno- rum, dequè communi Christianorum Republica prolocuti: Rex in eum descenderat sermonem, ut diceret. Esse suis ditionibus, intra limi- tes Romani Imperij, Gentem uicinis onerosam, nulli parẽtem: & pro libertate, quam falsò sibi desumeret, insolescentem: Thietmarsos uo- cant. Eam sibi ab Imperiali Maiestate subijci postulat. Cùm non expe diat, sine Principe populum agere: Comitatum quoq; Holsatiæ, atq; Stormariæ, iuncta ditione Thietmarsiæ, in Ducatum uerti deposcit. Non grauatus Imperator, mox annuit postulatis amici Regis. Comi tatus titulum extinguit: & ex tribus memoratis ditionibus, unum cre- at Ducatum: Regemq; pręsentem illo solenniter inuestiuit. Literę de- super eduntur. Quibus accæptis, iter suum, Imperatori uale facto, con tinuant: & in omnibus Italię Principatibus magnificè excæpti, urbem Romam ueniunt. Erat in summo Pontificatu Sixtus Papa Quartus. Is trium Regnorum potentissimum Regem, cuius fama uenientem longè præcesserat, præsertim Gotorum nomine, quibus & ipse domi- natur, in eius persona renouato, hospitaliter excipit: secum collocat in Palatio. Multa sæpè cum Pontifice per interpretẽ locutus: multa cum illo Pontifex. Miratur, in tanto Principe nullas literas. Plurima in eũ contulit donaria. Votum peregrinationis in TERRAM SAN CTAM, quod emisit aliquando, cõmutans in largam noui Hospi- talis eleemosynam: Sancti Spiritus uocant in Saxonia: non longè à Pa latio, & Ecclesia diui Petri. ROSAM illi pollicetur maximo omni- um Principi, qui post Imperatorem Romanam urbem inuiserant.

Anno Christi 1474.

Dux trium Comitatuũ creatur.

Rex litera- rum expers

Regreſſus inde, conuenit Albertum Marchionem. Multa cùm illo de rebus plurimis, pro affinitatis familiaritate. Tenebat enim coniugem filiam fratris eius, natu maioris, Ioannis. Et cùm paulatim appropinquaret Rheno, euocatis Principibus, quos ad eam rem putabat idoneos, Friderico de Braunſchuueig, Magno de Mekelenburg (Ioañes de Saxonia iam cum illo erat) Ducibus: & aliquot Comitibus, Iacobo de Rupin, & Gerardo fratre: magnam illam controuerſiæ cauſam, inter Carolum Burgundiæ Ducem uictorioſiſsimum: qui tum pro Archiepiſcopo Colonien. Nüſsiam obſidens, magnis apparatibus oppugnauerat: & Eccleſiam Colonienſem intercipere tentauit. Non mediocrem arbitratus operam, ſi tantum bellum extinxiſſet. Sed magnis conatibus, multis ſumptibus, tum nihil profecit. Donatus à Duce, & gratijs illi habitis, cum honore dimittitur. Hic pro ſua conſuetudine loquax uulgus, cauſas qualeſcunq; confingit: fabulans, quas Regem uult in caſtra Ducis traxiſſe. Tranſierunt inde aliquot anni, cùm Sueci in tergiuerſatione permanerent: Rex quoq; ſæpè aliàs fruſtra intentans Regnum armis recuperare: cùm neq; illi Regem alium ſufficerẽt, neq; Chriſtierno parerent: diſsimulandum putauit, ſi fortè tempus emendaret, quos neq; literæ, neq; uiua uox, neq; arma illata potuerũt.

Ioannes Daniæ Rex. Anno Chriſti 1478. Ioannem maiorem natu filium, Daniæ Regem eligi fecit: & conſecrari. Aſſumpta illi coniuge Chriſtina, filia Erneſti Ducis Saxoniæ, Marchionis Miſnæ, Principis Electoris: quam Anno. 78. poſt Mille Quadringentos, Albertus Erneſti frater, puellæ patruus, magno inſtructu curruum auratorum cinctus, Epiſcoporum, Comitum, Nobiliumquè octingentis equis, uectorũ magno comitatu, Nauibusq; Roſtock impoſiti, in Daniam peragendis Nuptijs feruntur: Regio luxu, inſtructuq; magnifico peractis. Albertus Dux rediens, Lubecam inuiſerat: ibiquè magnificè pro Principali honore tractatus, rem militarem concurſu iuſsit ſuos foro oſtendere. Ipſe in ſuperiori prætorio, ad faces in ueſperum, cuidam Nobili eques equiti, infeſta incurrens haſta, uirum fortiter equo deturbauit.

¶ Thietmarſij ſubiectos ſe Regi negant. Primarius Holſatiæ proſcribitur, eiuſq; liberi reconciliari Regi nõ poſſunt. Nobilibus Holſatiæ Rex multa debuit: non numerans creditoribus, æs alienum diſſoluit. Et inter hæc moritur.



CAPVT XXXVIII.

Anno Chriſti 1480. ANNO DEINDE Octuageſimo, poſt Mille Quadringentos, Chriſtiernus Rex, magnum Holſatię in Reynoldesburg indixit Conuentũ. Euocauerat quoq; ex Lubeca, & Hãburgo publici Concilij

Concilij Oratores. Et in omnium conuentu præsentibus terræ Thiet marsiæ Gubernatoribus, insinuauit Imperiales literas eisdem: poscēs, ut ijsdem obsecundantes, se Holsatię, atq; Stormariæ in unum corpus adunarent: seq; Ducem suum recognoscerent. Illi respondent. Imperatorem non plenè instructum, de alieno disposuisse. Habere se terrā suam temporalem, pariter & spiritualem dominum Archiepiscopum Bremensem: ex eo tempore, quo nouissimo Thietmarsiæ Comite decedente, Hartuico Bremen. Archiepiscopo, per Imperatorem Fridericum primum, terra sua sit illi subiecta: & exinde permanserit, hodiequè sit in iure Ecclesiæ. Rex iussit replicari. Ex illo die crebram fuisse mutationem dominij. Aliquando illos Danicæ subiacuisse Coronæ sub Vualdemaro secundo. Aliquando Comiti Holsatiæ. Nunc uerò Episcopi Bremen. tantùm ad speciem prætendi dominium: cùm in facto non parerent. Illi contra. Habere in terra Archiepiscopum Pręfectos: quæ res iustum testetur dominium. Nullo se pacto uiuos pati, ut alienentur ab Ecclesia. Cùmq; disputatio finem non haberet: firmatæ sunt annuæ treugæ, ut interim deliberantes Thietmarsi, de sua salute cogitarent. Per quem annum Rex præter clementiæ suæ consuetudinem, in Holsatia cœpit multa sæuerius agere. Magni nominis uirū ex Primoribus exutum possessionibus, ad exilium cōegit. Ille cum filijs raptim profugit ad Albertum Magnopolensem, Ducem, Gustrou cō morantem: ibiq; intra annum uitam finiuit. Nullis potuit Rex interuentionibus partium placari: euertit eius ab imo domiciliū. Filij multis uijs tentarunt reconciliari, & in gratiam redire. Sed Rex in eum diem usq; implacabilis, tum inexorabilis uisus est. Quid illum cōegerit ad eam duriciem, non satis compertum est: atrocitas facinorum, an liberior quàm par erat in Regem lingua. Circa idem tempus, euocatos Nobiles Holsatiæ in Zegeberg, iussit exhibere literas, quas prętenderant se habere: Regemquè ijsce sibi obligatum. Ibi fertur acerbius discreuisse inter sortem, & usuram: & multorum documenta euacuasse: sortem se pollicitus exoluturum. Inuenta est excreuisse Debitorū summa, ad ducenta. xlv. marcarum milia. Sed tum compendio multos sine numeratione absoluit. Hæc fuit nouissima optimi Regis in Holsatia memoria. Inde rediens in Regnum Daniæ, cùm multa prouidisset: ad Annum octuagesimum primum, post Mille Quadringentos, in arce Coppenhagen debito carnis persoluto emigrauit: cum annos triginta quatuor in Regno exegisset.

Thietmarsi. Rex. Thietmarsi. Rex moritur. Anno 1481.

¶ Rex



¶ Rex Ioannes cum fratribus hęreditatem Ducatuū partit. Procerū ęquè & Militarium Holsatiæ querimonias sedat. Lubecenses quietat. Suetiam subigit. Caput.xxxix.

Ioañes Rex

IOANNES filius eius, primus eo nomine Danię Regnum, iam pridèm electus, et consecratus inijt (referebat autem nomen materni aui Marchionis) Noruagiam cum fratre Friderico legitima succesione possidens. Nisi, quòd solus Rex teneat Imperij administrationem: frater titulo hæreditarij Iuris contentus manet. Suetiæ quoqꝫ electus Rex ferebatur: insertis conditionibus quas non probaret. Quieuitqꝫ: donec armis Regnum recuperaret. Quod suo infra loco dicemus. Prima Procerum cura: inter fratres ius hæreditariæ succesionis partiri. Visum est: Ducatus Slesuicensem, & Holsatensem, quos ambos hæreditabat uterqꝫ, ita partiri: ut in utroquè haberet uterqꝫ quod possideret. Ita per minutias diuisere ditionem: ut Præfecturam unam Rex, proximā in quaqꝫ terra Dux possideret: exæquatis rebus, prout inter fratres Principes congruebat. Tranquillitati in præsens consuluisse uidebantur: at post fata fratrum, maximam posteris perplexitatem inuexisse. Quo tempore, interuentu Amicorum, reconciliati sunt militares, pridèm ab Holsatia cum patre propulsi: redditis possesionibus. Expromissa quoqꝫ pecunia multorum milium, certis de causis non prouenit. Inde uerò, cùm Holsatorū Proceres causarentur: multa sibi milia, ex Rege defuncto deberi: literasquè tenuere purificatas, ut diximus, consensu totius Conuentus. Ab Aratro prouenerunt hi aurei: & inde collecta milia multa partita sunt inter creditores, aut uerius, fideiussores. Anno deinde proximo, Rex Regni Daniæ cœtum conuocauit in Coppenhagen: ut uiribus Regni recensitis, ex æquo de omnibus constitueretur. Aderant ciuitatum Vuandalicarum Oratores, suorum Mercatorum in Regnis priuilegia firmari postulantes. Sed erant multa; quæ non sinebant eò perueniri. Iacobus enim Comes de Aldenburg, & Delmenhorst, Mauricij filius, mare infestum tenebat. quòd causaretur: Lubecensium opera exutum se paterna hæreditate. Lubecenses & Gdanenses suorum iniurias & direptiones ab illo questi, ad iusticiam peruenire non poterant. quòd tum abesset Iacobus: & inauditus condemnari non poterat: sed ea ęstate uiuendi finē fecit sub littoribus Noruagiæ. Reliquit tamen, qui causam eius prosequerentur in mari. Hispanicas naues, sub promontorijs Angliæ tres, mercibus onustas capientes. Anglicis autē atqꝫ Danis à longa memoria bellum erat. Sed merces illæ in urbibus uetitæ sunt comparari. Nauigarunt inde diu uaria fortuna, REGIS ut ferebatur satellites, in Anglos ubi poterant incurrentes: & quę illis damna irrogata sunt

Milites proscripti redeunt.

Procerum solutio.

gata sunt, continuo Anglici causam omnium in Mercatores Ciuitatum in Regno diuersantium contulerunt: asserentes, consilio & auxilio Mercatorum, piraticam in Anglos exerceri. Poterāt uulgò causam belli ignorare. quòd causarentur: posteri Henrici ferrei cognomento, Comitis Holsatiæ, qui attauus erat Ioannis Regis, & Friderici fratris, obligationem ab Angliæ Corona factam, nō legaliter impletam. cùm donatiuum illi expromissum non ex fide persolutū esset. Factum igitur, Regi Daniæ militantium, & mari in Anglos incurrentium, Anglici in Orientales Mercatores retulerunt: uel, quod diximus, arbitrantes illos cum Danis sentire: uel quod uerisimilius est, ex Danis nihil sperantes, ab his qui secum in Regno diuersarentur, restitutionem conati sunt extorquere. Multis multorū literis ad Regiam Maiestatem expurgata est incusatio, detecta innocentia. Sed potuit Regi fides fieri: damnificatis omnino non potuit. Cùm per aliquot annos ea diuersitas ualuisset: Reges inuicem missis ad alterutrū Oratoribus, ueterem querimoniam extinxere: cessauitq; illa in mari uastatio. Ioanni tamen Regi semper respectus erat in Suetiam: ut armis eam recuperet, quando conditionibus propositis regnare non libeat. Godlandiam primò Suetiæ parentem, quibuscunq; modis sibi deuinxit: cum inuito Suetiæ gubernatore Stenonestner milite, is qui Arci, terræq; præerat ex multo tempore Iuuarus Axel, iusto domino electo Regi, Arcem, oppidum, omnemq; terram consignauit. Principium bonum totius Regni de proximo secuturi. Nam, quod in Suetia diximus, Añō. xcviij. conducta Gregariorum militum manu magna, coëgit uniuersos etiam nolentes facere imperata; ut sit in hodiernum trium Regnorum Rex potentissimus.

Godlandiam Rex obtinet.

Suetiæ lib. 5. cap. 43.



¶ In Thietmarsios Rex inobedientes, conductis Gregarijs expeditionem parat. Caput. xl.

CAVSAM Thietmarsiæ à patre inchoatam, intermittendam non putauit. Euocatis in Itzeho Primoribus terræ, literas illis Imperiales proponit. Aderat Ecclesiæ Bremensis nomine Legatio pro Thietmarsis, ex Capitulo & terræ militaribus. Impetitioni Regiæ responsum est per quendam de Capitulo. Prætensa sunt Ecclesiæ iura in terram: commemorata Imperatorum & Regum indulta: quibus nulla ex parte in nouis literis commemoratis, recentes Imperatoriæ derogare nec poterant, nec uolebant. Deliberatū est in Concilio Regio. Et iam utrisq; stantibus ad Iuris formā, requisiti sunt Thietmarsi. Illi dominū suū nominasse, satis esse dixerunt: cùm interim missi ab Ecclesia, ius illius nō intermitteret obtrudere. Ita discedit: quòd manu militari res agēda uideret. Quæ tamen res dilata

eſt in non paucos annos. Nam poſteaquàm Rex Daniæ per Gregarios pedites, qui tum terram impleuere formidine ſua (Guardiam dixere) Suetiam ad iuga cõegiſſet: & eadem manus poſtea per biennium diœceſim Bremenſem introiſſet, recuperandæ Hadeleriæ gratia, ad uſum D. Magni Saxoniæ Ducis: Rex proxima peditum illorũ promptitudine, et iam uicinitate inductus, eam conduxit in Thietmarſiam: & magnis apparatibus mouit in illorum terram. At is tum fuit exitus, quem ſignauimus in Saxonia noſtra.



¶ Suecorum rebellium inſidiæ in Regem. Stoxholm cum arce capta, Reginam Daniæ Monaſterio ſubtruſam, Raymundus Card. liberat. Caput. xli.

SECVTA ſunt tamen proximè illa tempora, quibus ad eius cladis uindictã cùm Rex peruenire nõ poſſet: Iuuentus per Holſatiam, quorum pars auunculi, patrui, ſobrini illa clade perierũt, atrocibus minis uictores inſectantur: polliciti, cùm primũ per ætatem arma ferre poterunt: ſi occaſionem nacti fuerint, quod facile ſperant, Ducẽ ultores ſe futuros paternæ ac conſanguineæ necis. Interim uerò Sueci ubi audiêre, Regem à minori populo retroactũ: pudere cœpit illos ignauiæ ſuæ, quòd ceſsiſſent armis, quæ à ruſtica plebe contrita memoraretur. Igitur conſpirauêre, rebellionem meditantes. Rex ipſe cùm ſperaret, beneuolentia potius, quàm ſæueritate Regnicolas in fide continere, Regno decedens, Reginam in Regia dimiſit. Quam multi pregnantem rebantur, ut in Regno parturiens, indubitatum illi daret hæredem. At ea ſpes uana fuit. Abiens uerò, Regni Gubernatorem, D. Stenonem ſtare in litem, in omni honore & administratione confirmauit: eaq́ſ ſecum ſemper eſſe uoluit familiaritate, ut inuitatus, Regem in Regnum comitaretur Daniæ. Inde honoratus ac muneratus, rediјt in Suetiam. Sed gentilis feritas populum non reliquit. cùm exagitaret eũ pudor: quòd uictus ceſsiſſet armis. Dolis rem agere conſtituerunt. Vocatur Rex, ut in Regnum reuertatur, obiecturus ſe Ruſsis, quorum excurſionem nunciatam accepiſſet: Nihil opus fore armis à Dania producendis: ſolo illos indigere Principe: uires armorum Regno non deeſſe: copioſos eſſe in Suetia milites Ruſsis repellendis, ſi caput accederet multitudini armatæ. Rex eam non carere ratus inſidiјs, noluit tamen de perfidia patenter ſuſpicari: ſed paucis contentus, in Suetiam nauigauit. Venientem cum qualicunq́ comitatu paucorum ad cuſtodiam corporis militum, contempſêre: & ſæpè mutato conueniendi loco, ſuſpicionem iniecere Regi, non eſſe ſynceram & integram illorum in Regem ſe deuotionem. Aliquot locis congreſſus, tergiuerſantes deprendit: quærentes occaſionem neſcio quid agendi.

Suecorum dolus.

agendi. Rex aucta in se maliuolentiæ suspicione, non se illis credidit, sed quomodo potuit, manibus eorum se subtraxit. Erupit deinde manifestè rebellionis audacia: cùm literis missis, accusarent aut Regem, aut Regios in Regno Procuratores & Officiales: de non impletis ex fide promissis. Reginam deinde in arce Stoxholm circumsistunt, oppugnantes & ciuitatem, & Arcem. Vrbe potiti sunt post plurimum laborem: Arcem expugnare armis haud poterant. Fame tentarunt. Et profecerūt tēporis diuturnitate: cùm milites Arcis propugnatores, ex inedia, & omnis generis incommodo cibo morbum contraherent: unde magna pars interijt. Arce dedita, Reginam deduxere in Monasterium Vuasten diuæ Brigittæ. Duobus penè annis in libera habuere custodia: donec misso in eam rem nūcio, D. Raymundus de latere Legatus Apostolicus, Tituli S. Mariæ nouę presbyter Cardinalis, unà cum legatione Consularium uirorum de Lubeca, de illorum manibus eriperetur: ac in Regnum Daniæ cum honore reduceretur.

Suecorum insultus in Stoxholm.

Raymun. Card.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum gestarum Daniæ
LIBER NONVS.



¶ Arma in Suecos Rex parat. Eques auratus, de quo mala suspicio suborta erat, in ponte arcis interficitur. Caput. I.

REX interim Daniæ, Suetiæ, Noruagiæ Ioannes, multiplici Suecorum perfidia infestus, arma in illos edomandos, & ad iuga reducendos comparauit: mouitq; in hostes ac rebelles. Erant nonnulli intra Regnum fideles uiri, quos puduit fraudis & rebellionis in Regem: qui & si sanum saperent, uicti tamen longè maiori numero rebellium, quiescebant. Quod poterant, Regem admonuere perduelles: ea multitudine esse in armis Suecos, quòd nisi quinquaginta milia duceret armatorum, nihil profuturum eius aduentum. Factæ sunt aliquot in aduersarios excursiones, & leuia prælia: sed tum ire copias reduxit. Innotuit perinde Regi: esse occultam intelligentiam inter Primarios utriusq; Regni, qui missis inuicem nuncijs, magnæ in caput Regium proditionis crimen molirentur. Id ubi compertū habuit, simulabat omnimodam ignorantiā: cautius tamen adhibitis custodibus, sibi prospexit. Emersit inde grauis simultas inter militem quendam Regi proximum: qui Magister Curiæ illius diceretur: quiq; proditionis in Regem conscius, imo Princeps diceretur: & inter aliū quendam militem. Ad quem

cùm Regia suspicio in Magistrum Curiæ memoratum permanasset: arbitratus se obsequium magnum præstare Regi suo, si tanti criminis reum de medio tolleret: militem illũ ad Arcis pontem obtruncat. Stupuere qui uiderant, tantum uirum corruisse: incertum, si iussu, an mactatoris temeritate. Sed cùm non longè post eam cædem, Rex securitatẽ pręstitisset cęsori: arbitrati sunt uniuersi, rem non ignaro, neq; inuito Rege patratam. Commoueri grauius uisa est cæsi cognatio: sed cùm uideret tantum omnium consensum, quòd iure cæsus diceretur, in præsens conquieuit. Illicq; secuti sunt motus Regnorum: ut non incredibile uideretur, Militem sensisse cum hostibus in perniciem Regis, cui Magister esset Curiæ.

Obtruncatur Magister Curiæ.

¶ Monita Regis Lubecenses spernunt. Occasiones armorum sumentes, per Ducem Fridericum, & Raymundum Card. utrinq; treugis suspenduntur.

CAPVT II.



VM interea Regina, in contumeliam Regis, in Suetia detineretur, in libera quidèm custodia, sed quæ abire nõ sineretur: pro obside habita. Sed in quos usus? cùm intentata rebellione, Regios omnes Regno perturbassent: mouissentq; uicina Regna: ut ea quoq; nõ nihil in Regem intentarent. Et Dania amisso coniurationis capite, qui escere uidebatur. Noruagia autem, quod in ea diximus, instinctu Sue tiæ Procerum, rebellionem ostendebat. Sed aderat Christiernus Regis filius, pro sua ætate Dux acer in armis: & nascentem flammam in sui primordio extinxit. Cùm interea Lubecenses Mercatores Suetiam pro sua consuetudine peterent: & admoniti à Rege, ut ab hostibus suis auxilia ac consolationes retraherent, minusq; parcerent, Regem ad iustam indignationem pertraherent: ut sineret Præfectos Regionum, non illo quo solebat fauore prosequi Mercatores. Captæ sunt aliquot naues ab Regijs. Naufraga bona Præfecti in custodiam deposuere. Aucta sunt grauamina in diuersantes per Regnum Daniæ. quando neq; Regiæ admonitioni paritum est: nec uspiam appareret, in quo Regi, cuius Regnis fruerentur ad quęstum, complacarent. Minorata libertas, onera duplicata, naufragia non reddita: aliquantæ naues de mercibus suspectæ Suecorum detentæ, donec causa omnis ad discussionem perueniret. Atq; ea res crebrescens, exciuit Senatum Lubecensem: ut quoniam literis inuicèm missis, nihil ageretur: obseruato tempore, cùm ex Regno non plures naues Danorum, importantes quæ commeatui urbis inseruirent, essent in portu Lubecensi, ad sequestrũ ponerentur. Indigna res uisa regnicolis, querimoniam apud Regem extorsit. Literis res terminari haud poterant. Lubecenses arbitrati tem

Christiernus Regis filius.

pus

pus esse ad arma respicere: quando belli socios habituri foret Suecos: cætera quoq; Regna non sine motibus essent: expediunt armamenta: uocant Gregarios milites ad stipendia. Concurritur magna peditum alacritate. quòd donatiua iusta sperarent, & licentiosam prædã ex Regnis. Interposuit se medium Regis germanus Fridericus Dux Slesuici & Holsatiæ. Diu causa uentilatur: & uidebantur Lubecenses ad arma promptiores. Sed dum ille treugas confecit, nũcios mittit intermedios. Intererat de Latere Legatus Cardinalis, qui tum agebat in prouincia Germaniæ, dominus Raymũdus T.S. Mariæ presbyter Card. Dux Fridericus Regis Germanus. Raymundus Card.



¶ Pacis conditiones malè captæ, Iurisperitorum iudicio submittuntur. Reginæ reditus describitur.

CAPVT III.

IS CVM Lubecã uenit, nihil duxit antiquius, quàm eximere belli necessitatem: perfecitq;, ut res componerentur, pace sequestra. Adiuuabant illum illustres Principes & Domini, Magnus Magnopolen. & Fridericus Slesuici ac Holsatiæ Duces. Capita autem Pactionũ literis domini Cardinalis firmabantur ad memoriam: factiq; sunt fideiussores, idem D. Fridericus Dux, & militares Holsatiæ nõ pauci. Polliciti per literas: quòd nisi omnia ex fide impleantur ad constitutum diem, ipsi Lubecam reuertantur: inde non egressuri, donec ære numerato, capita conuentionis compensentur. Erat disputatio inter Lubecenses, ac memoratos uades: arbitrantibus de sua parte Lubecensibus: quòd memoratus Dux Fridericus, cũ alijs se obstrinxisset, rediturum in eam urbem. Ediuerso contendentibus memoratis Holsatiæ militaribus: aliud esse caput in literis, quo ipsi loqui incipiãt: diuersum ab eo, in quo Princeps ab initio locutus, sermonem suum conclusit. Idq; parati sint subijcere iudicio Iurisperitorum. Rex interim, cùm & ille præferat: Lubecenses non impleuisse pacta conuenta, non festinat eximere damnis & oneribus fideiussores suos. Pacis conditiones.

Is est rerum status in hodiernũ diem, Anni quarti post Mille Quingentesimum, ad principium mensis Maij, quo hęc scribebantur. Quo tempore Regina Danię, iamdudum opera memorati Cardinalis Legati, ante proximam brumam accedente Legatione Lubecẽsium, qui ex constituto Cõsulares uiros miserant: ad interpellandos Regni Proceres, super Regis sui in Regnum suscæptione: ac super omni controuersia, nauibus Suecorum erepta: in Regnum suum deducebatur: Lubecam uenit: uota in Sterneburg, ac Vuilsenaco solutura. Simul uisura filiam, quæ per absentiam, & diuturnam eius captiuitatem, nupta illustriss. D. Ioachimo Marchioni Brandenburgen. Principi Electori, matri ex cõstituto occurrerat: uotiq; facta compos, redierat per ean Anno.1504 5. Maij. Reginæ reditus.

dem Lubecam in Regnum, præter multorum opinionem. Nam erat loquax fama, satietate Daniæ plenam, Regnum non reuisuram. At illustris fœminæ religiosa fides, & filiorum amor, non sinebat in cor eius aliud ascendere, quàm quod honestas ipsa, & fides Coniugalis deposceret.

¶ DANICAE Historiæ, per Albertum Krantzium descriptæ, finis.

ERRATA in Dania commissa.

Folio. 28. in margine infra, lege, Regnum legatum.
52. in medio, lege. aditum prohibuere.
82. lin. 8. lege. Iustinianus.
139. ultra medium lege, & expositis.
188. prope finem, lege, iacenti, pro iacienti.
192. prope medium. lege, equos, non, æquos.
208. supra medium, lege, incolæ. non, nicolæ.
211. post medium, lege, pecoribusq; fœcundam.
235. lin. 7. lege, exanimis. pro, examinis.
282. prope medium. lege, illustres uiros. non, uires.
Post supra medium infra, lege, impatientiam.
251. post medium, lege circumuolant.
252. sub capitali, lege, ubiq; Regi operam, non Regem.
268. lin. 9. lege, animum, pro annuum.
315. lin. 7. superfluit, Holsa.

S V E T I A.

T O M V S II.

S V E C I Æ R E G E S.

GOTORVM Reges, & DVCES.


NOM.	Lib.	Cap.	NOM.	Lib.	Cap.
Antinus	1	25	Hummundus	2	17
Armanaricus	2	15	Ostrogota	eo.	4
Berobista	1	33	Tarnarus Dux	eo.	8
Cannabas	2	10	Turismundus	eo.	17
Cinna	eo.	7	Veducas Dux	eo.	8
Decibalus	eo.	3	Vespa Dux	eo.	eo.
Dietmarus	eo.	17	Vualamir	eo.	17
Dorpaneus	eo.	2	Vuitimarius	eo.	16
Gibericus	eo.	13	Vuinitarius	eo.	17
Hermundus	eo.	17			

OSTROGOTORVM Reges, & DVCES.

Agesilan	4	28	Fritigernus	2	27
Alaricus	2	29	Ildonadus	4	2
Amalasuinta	3	20	Lenigildus & Lemnia	eo.	30
Amalricus	eo.	18	Rendigisilus	3	30
Araricus	4	3	Rhadagasus	2	29
Atalaricus	3	21	Richardus	4	31
Athanagildus	4	29	Theias	eo.	22
Athanaricus	2	28	Theodemir	3	10
Athaulfus	eo.	32	Theodatus	eo.	22
Becterícus	4	32	Theodericus	eo.	11
Chintasindus	eo.	38	Totilas	4	4
Chutilan	eo.	36	Valemir	3	9
Ericus	3	8	Vitigis	eo.	34
Eudo Dux	4	40	Vuiditis Dux	4	27
Flauius Rescindēdus	eo.	39			

VVISIGOTORVM REGES.

Sigericus	2	34	Theodericus II.	3	7
Sinkilan	4	34	Theuda	eo.	29
Sisebodus	eo.	33	Tolgan	4	37
Sisenandus	eo.	35	Torismundus	3	5
Tendigislaus	eo.	28	Vuallia	2	35
Teodericus I.	3	3			





ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, in Historiam rerum gestarum Sueciæ, & Gotorum,

PROLOGVS.

SVEONIAM, siue Suetiam, & ut uulgò appellant Suediã, de Antiquitatibus suis scrutaturi: situ ante omnia Regionis, Veteribus incompertum, paucis attingamus, prius quàm ad Res gestas in, & ex ea perueniatur. Habet hæc ob occidua parte sui Gotos: & ciuitatẽ Scareanam. A Borea Vuormilanos, cum Scritenfinnis: quorum caput Halsingaland. Ab Austro Scaniam, & latitudinem Baltici maris. Ab Oriente Ripheos montes attingit: ubi deserta ingentia, & niues altissimæ. Ferunt gentem quandam ex montanis in plana descendere solitam (sed incertum unde ueniat) & facta præda, rursum auia sua repetere. Annua est illa excursio: nonnunquàm in biennium, aut triennium dilata. Quibus nisi uiribus totis resistatur, omnem depopulantur regionem. A Ripheis in Austrum Russi morantur: gens magna, olim ad Mëotidas paludes extenta: nunc à Tartaris latissimos campos tenentibus, angustius habitare cõacta. Adhuc tamen multa centena milia colunt agrorum: aut pascuis insident. Huic genti assidua sunt bella cum Suedis, ad nostram usq; memoriam perdurantia. Nunc feruntur fœdera, agente illustrissimo trium Regnorum Rege Ioanne: qui crebram ab ea gente legationem accæpit intra proximos annos. Sed non est diuturna quies in gente illa. Sueonia regio, inter Aquilonares fertilissima. Ager frugibus & melle opimus. Pecorum fœtu ac pastu, omnibus antefertur. Opportunitas fluminum & syluarum, ubiquè magna. Peregrinis mercibus omnis Regio plena. quòd domesticis rebus abundet ad commutationem faciendam, pellibus, ac metallis, præsertim Cupro abundans. A Normannis, & Danis altissimorum iugis montiũ discreta. Et quàmuis omnes Hyperboreæ gentes hospitalitate sint insignes: præcipui tamen sunt Sueones: quibus est omni probro grauius, hospitium denegare transeuntibus: ita, ut sit certamen, quis aduenam hostem excipiat. Cui omnia exhibens hospitalitatis iura, quotquot diebus permanserit, egredientem commendat amicis, itinere quod instituit commorantibus. Populi Sueonum sunt multi, uiribus & armis egregij: equis & manibus æquè fortes: strenuiquè aut mari, aut terra bellatores. Ex his proximè DANIS habitant GOTI, qui Occidentales dicuntur. Nam alij sunt Orientales. Ad occiduos quidèm septem itinere dierum, à Scania peruenitur in ciuitatem Scareanam. Inde

Sueciæ descriptio, & situs.

Russi.

Anno Christi 1504. Autori cõetaneo.

Sueonia.

Sueonũ hospitalitas.

Goti Occidentales.

Ostrogotia protenditur iuxta mare, usq; ad Bircam, pręcipuum olim oppidum. In confinio Sueonum ad Boream, habitant Scritenfinni: quos aiunt cursu feras pręire. Ciuitas eorum Halsingland: quod idem est nomen regioni. Hæc est sita in altissimis montibus, qui Ripheis cõfines sunt: ubi nix durat perpetua. Homines gelu recocti, domorũ tecta non requirunt. Carnes ferarum in cibo, & pelles habent pro indumento. Et ut Antiquitatis aliquid attingamus: Nobilissima gens Sueonum, Templum habuit, quod Vpsola dicitur: sedes hodiè Metropolitana Regni ibi perdurat, non longè à ciuitatibus Sictona, & Birca. In hoc Templo, quod totum fulgebat ex auro, statuas trium uenerabantur Deorum, antea quàm Christo crederent. Potẽtissimus Thor, in medio triclinio strato puluinari colebatur. Hinc inde latera eius cingunt Vuodan, atq; Fricco. Thor inquiunt præsidet in aëre: tonitrus et fulgura, uentos & imbres, serenitatemquè gubernans, fruges administrat cum fructibus uniuersis. Alter Vuodan, hoc est fortior, bellis pręsidet: hominibusq; fertur in hostes uires subministrasse. Tertius Fricco, pacem & uoluptatem moderatur. Cuius etiam simulacrum turpitudinem præ se ferebat. Vuodanem sculpunt armatum, ut alij Martem. Thor autem cum sceptro, Iouem uidebatur exprimere. Arbor iuxta templum stabat ingens, patulis diffusa ramis, æstate & hyeme iuxta uirens. Genus eius nemo potuit edicere. Fons scaturiuit ad locum sacrificiorum. Sacrificaturi, hominem hic immersere uiuum. Qui si facile mergeretur: faustum renunciauere uotũ. Aurea catena fertur cinxisse Templum: ad mœniana, domusq; fastigia suspensa latè, rutilans accessuris. Nam Templum in planicie sitũ, montibus ambitur. Si pestis, aut fames ingruat: Thor ipsi supplicatur. Si bella: Vuodan. Ad Nuptias ineundas, Fricconi sacrificabatur. Post nouennium, totius Regni celebritate Templum uisebatur. Ne Regibus quidèm immunitas à mittendis donarijs. Reges aliquando Christiani, quòd sacrilego à cultu huiusmodi abstinerent: Regno sunt destituti. Nouem diebus sacrificia peragebantur: nouem per singulos dies animantium genera, in quibus & homo sacrificabantur. Sed hæc de superstitione Gentilium, supra quàm satis dicta sint. ut cognoscamus: idem Dæmoniorum genus, in omni natione indebitum sibi cultum uendicasse. Nunc tamen largiente DEO, omnis ubiq; Prouincia, ab annis trecentis, & supra, Christi Ecclesijs plena est: hodieq;, qui Annus est post mundo datam salutem, Millesimus Quingentesimus, syncera religione Regnum omne perseuerat.

Scritenfĩni. Halsinglãd. Vpsola templum. Idolorum seruitus.

¶ ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Sueciæ, & Gotiæ gestarum LIBER PRIMVS.

¶ Sueci Gotis (qui & Getæ) congeneres. Gotorum laudes & uictoriæ narrantur. Ingressum Operi parat Autor. Caput. I.



VIVS autem Gentis egregiã laudem, supra modum extulit natio Gotorũ: inde uetustissimis temporibus egressa, per Asiam diu dominata: & in Europa multis seculis, multisquè in Prouincijs Regna constituens. Et quidèm Suetiæ atquè Gotiæ præclaras res, uno contextu commemorandas censemus: quòd sub unius Principis auspicijs, à multis retrò seculis utraquè gens degebat, unius Regni finibus inclusa. Nõnunquã uerò, ut fieri solet, incessere simultates. quòd quæquè natio Principem suum sectaretur. Sed ea tamen discesio non diu ualuit, quo minus ad unius Regis gubernacula denuò concessere. Suetiæ quidèm domi, & uicinis in locis nomen præualuit: foris autem, & in longinqua militia, Gotorum gloria, sublimioribus longè titulis inclaruit. quòd Romanis, rerum dominis, diu ea gens colluctata, aliquoties quidèm repressa quieuit. Aliquando magnis Romanorũ cladibus se uindicauit: Nonnunquàm pari manu confligans, discessit. Demum Romanorum proculcans Imperium, Italiam peruasit: urbem Romam uastauit. In eadem Italia Regnum annis multis tenuit. Gallias occupauit. In Hispanijs Regna fundauit: & ex eo sanguine nobilissimas Domos Principum erexit. Qua in re Romani Scriptores (pace illorum dixerim) non tam in Barbarorum, ut ipsi uocant, quàm in suorum laude profusi sunt. Originem autem Gentium attingentes, refugiunt in Scythiæ uastissimas solitudines: ignorantes, de magnæ GERMANIAE finibus Gotorum, Cimbrorum, Vuandalorum examina prodijsse. Quod suis in locis, & iam ex parte ostendimus: & ubi opus fuerit, pandemus. Et quoniam promiscuè Gotorum atquè Sueonum res gestas in ordinem digerere propositum est: principium ab Gotis sumere, ex re uisum est. quòd eorum egresio uetustior est, quàm ulla rerum in Suecis commemoratio, ab Autore quem sequimur. Is est Saxo Grammaticus Sialandicus, uir in primis disertissimus: & ut confidimus, Antiquitatum in gente sua fidelissimus renouator. In cõmemorandis autem Gotorum (qui & Getę) antiquitatibus, Iordanem Archiepiscopum Rauennatem, natione Gotũ sequimur

Gotorum laus, & uictoriæ.

Autoris intentio.

Saxo Grammaticus.

Iordanes.

sequimur autorem: præsumentes, hominem pro sua dignitate, procq; gentilium suorum non uana laude, uera diligenter exquisiuisse. Nam habuit & ille Autores Dionem græcum: qui opus suum de Getis inscripsit: & Ablabium Senatorem Romanum, gente itidem Gotum: ad quos pertinebit fides relationis. Nostrum erit, diligenter prosequi, quæ ab illis traduntur: interiectis nonnunquàm, si qua nobis propius habitantibus, primæuæ Gotorum regioni comperta sunt. Nam quod illis ueteribus, temporis propinquitas, ad indagandam ueritatem potuit contulisse: hoc nobis longè post scribentibus, ipsa loci uicinitas indicare poterat. Operæprecium autem iudicaui: initio commonere lecturos, promiscuum esse uerborũ usum apud Veteres: ut Goti, ijdem quocq; qui Getæ uocitentur. Eiuscq; rei locuples nobis Autor est Strabo Geographus: qui utrocq; uicissim in eadem gente utitur uocabulo. Paulus Orosius lib. primo testis accedit. Modo, inquit Getæ illi, qui & nunc Goti: quos Alexander uitandos enunciauit: Pyrrhus exhoruit: Cęsar etiam declinauit. & reliqua. Nunc ad rem ipsam ueniamus.

Dion Græcus. Ablabius Gotus. Goti, Getæ.



¶ Scandzia Veteribus, Scandauia, seu Scandinauia, nunc Scandia describitur. Gotorum item prima emigratio.

CAPVT II.

CLAVDIVM Ptolomæum uocat Iordanes testem, Scandziam uocari insulam in mari Sarmatico, siue Germanico. Nam utriusq; Prouinciæ latera alluit: Sarmatiæ quidèm occidua, sed Germanię Borealia. Qua de insula in sinu Codano (iuxta Melam & Plinium) sita, multarum fit origo gentium & officina, siue uagena nationum, per terrarum orbem inundantium malo habitatorum. ut cõprobetur esse uerum, quod propheticus sermo denunciauit. Ab Aquilone inquit, pandetur omne malum super habitatores terrę. Verùm poterat ætate Claudij (scripsit autem sub Imperatore Adriano) hoc nomen insula tenere: ut Scandzia, uel Scandauia, uel Scandinauia (omnia enim hæc passim à diuersis feruntur) diceretur: sed ut est apud Plinium, teste Xenophonte, Peninsula grandis in Codano sinu, quod est mare Germanicum, sita est: quæ Baltia dicitur: unde mare illud Balticum appellatur. Ea uerò ab Aquilone terram habet continentèm, alijs lateribus tota mari circũflua. Ad Orientem habet Sarmaticam: cuius nunc maritima pars Liuonia, atq; Prussia est. A Meridie Vuandaliam: quæ nunc tota in linguam Saxonicam transiuit. Ab Occidente Angliam: quæ olim dicta est Britannia. Quæ Baltia, tria nunc continet Regna. tanta diffunditur magnitudine, montibus, fluminibusquè, & maris finibus interpolata, Daniam, Suediam, Noruagiam. In quarum media, quam alij Sueoniam, alij uerò Suetiam, populares

Scandzia insula. Hierem. 1. c. Sueonia, Suedia.

populares Suediam appellant, hodiè etiam extat natio Gotorum, & regione à cæteris Suedis distincta: & suo nonnunquam Rege gauisa. Ex hoc & Suediæ Regno, qualicunque occasione, uel multitudine habitatorum angustata, uel fame compulsa (quod postea Longobardis è Scania migrantibus accidit) uel bello pressa: quod ipsum quoque solet nouis sedibus quærendis causam dare: fertur gens Gotorum emigrasse populariter sub Rege Herich: quem nos latino nomine dicemus Ericum. Sed nulla signat Iordanes tempora: uerùm ex his, quę ab ea gente in Asia & Europa patrata memorantur, tempora uetusta colligi possunt. Habeo testem, qui confidenter astruat: sub Otoniele Iudice Hebræorum, ante Regum tempora (nam is statim successerat Iosue, Moysi successori) facta sit gentis huius emigratio: hoc est, Anno mundi, ter Millesimo, Septingentesimo, nonagesimo, & circa: quod erat ante natum Christum Millesimo, quadringētesimo, sexagesimo. Nam & quæ à Gotis magnificè gesta feruntur in Asia, tantam Antiquitatem deposcere uidentur.

Gotorum emigratio prima.

Anno mundi 3790.

Anno Christi 1460.



¶ Godlandiam Goti primum obsidentes, angustia terræ Rugiam dimouerunt: qua crescentes item, in Orientales proficiscuntur. Caput. iij.

PRIMA egresis sedes fuisse perhibetur Gotiscandza, ut aiunt insula. Ego Godlandiam nunc uulgo appellatam eam fuisse existimo: cuius nomen in hunc usquè diem perseuerat. Quid non mutat æui longæua Vetustas? Facilè autem fuit ex Gotiscandza, Godlandiam commutare. Ea uisa est migrantibus ad sedem angusta: quàmuis .xviij. miliaribus Teutonicis tendatur in longū. Etiam maritimarum pertæsi sedium, continentem proximam feruntur enauigasse. Ad Austrum quidem tendentibus, prima occurrit Vlmerugorum, nunc Rugiorum prouincia. Vuandalorum hic genus habitabat. Extat hodiè maritima regio, quæ Rugia dicitur: quam postea etiam primam sedem delegerunt Longobardi, Scania egresi. Quod in Dania commemorauimus. Sed tum Goti è Suedia in Godlandiam, inde Rugiam traijcientes: conserto prælio, habitatores expulerūt: ipsique consistere delegerunt. Mox cum finitimis colluctati Vuandalis, imperium suum in illos protulerunt. ut omnem quæ nunc est Pomeraniam, Poloniam, atque Magnopolim prouincias, supra & infra se, suæ fecerint ditionis. Consistunt aliquot hic annis per tempora quatuor Regum. Ea tamen quæ illo tempore ab illis gesta sunt, quia ad comparationē sequentiū exilia sunt, cōmemorationē non meruerunt: & tulit temporū incuria, ut necdū cōualescētib. literis in gente Barbara, frequētiores tū fortiter agere, quàm doctè scribere curarunt. Excrescente uerò

Gotiscādza Godlandia.

Vlmerugori, Rugij.

Daniæ lib. 2. cap. 20. 21.

uerò populi multitudine, exercitationeq; armorum audetiores facti: uberioribus se dignos sedibus, angustias Rugiæ dedignantes arbitrabantur: & iam sub Rege Filimer, magni Gadarielis filio, emigrandū sibi putauerunt. Placuitq; in commune, Orientem uersus profectionem intendere. Nam sub oculos erat Pomeraniæ infœcundum solū: & quod multo uix labore subactum, non totum panem polliceretur colenti. Igitur per Polonos recta contendunt in Orientem: non ante quiescentes, quàm Meotidis confinia paludis attingerent.

Filimer Gotorum Rex



¶ Ponte traijcientes Goti, illo facto, ex gente una duas faciunt. Spalos debellantur, Scythas Pontico mari petunt, Cimmeriam inhabitantes. Caput. iiij.


Hic Rex Filimer, cùm disiectis per arma habitatoribus suis collocandos putaret: ponte tamen facto, exercitum trans flumen traijcere curauit. quòd feracior illa Regio uideretur. Magno itaq; molimine ponte perfecto, copias cœpit traijcere. Et in medio conatu cùm adhuc multi restarent traijciēdi, pons fractus dissiliji: & qui transierunt cum Rege suo, petita loca tenuere. Qui uerò restiterant cum his, qui iam uiarum pertęsi quietem amabant, ibi consedêre. Ita ex una gente, duæ mox emicuere. Nec erat facilè in partem alterā peruenire, quòd is locus tremulis paludibus inperuius erat. Veruntamen eis in locis inaccessibilibus, & uoces armentorum exaudiri, & humana deprehendi uestigia, commeantium attestatione ferūtur. Ea uerò pars Gotorum, quæ apud Regem Filimer emenso amne transposita est, optatum potita solum, ad gentem Spalorum peruenit: conserto q; prælio, uictoriam non difficulter assequitur. Exinde iam omniū uictores, ad longinqua Scythiæ Pontico mari uicina, properant. Hæc prima illis sedes memoranda: inde gentis iam nomen inclaruit. Ea uictoria diu in gente priscis Carminibus de more colebatur: quod unū (teste Cornelio Tacito) in omni gente Germanorum memorandum genus est. Accedit Ablabius Gotus, in Romanum usq; Senatum perueniens. Idem Saxo Sialandicus contestatur: magnam se partem ueteris historiæ, ex Carminibus, quæ in memoriam Herōum canebantur, collegisse. Libet hoc loco Herodoti, historiarum patris, testimonium de Scythis introducere. Is enim Massagetas asserit Scythas sedibus expulisse: & illos profectos in Cimmeriam, pepulisse habitatores: sedesquè tenuisse. Commemorat quidèm Ptolomæus Massagetas in mediterraneis Asiæ, in regione Scytharum consedisse. Sunt tamen hodiè Massagetæ in Sarmatia in medijs Letuanis: quorum regionem Goti transeuntes in Orientem, uastasse uideri possunt: ut inde Cimmerios propellerent. Iam enim Scythę appellari cœperunt Goti generali Pro

Goti Spalos superant

Massagetæ.

uinciæ

uinciæ nomine: postquàm in regione Scythica sedes defixerunt: pulsis quidèm Cimmerijs, ibi Scythas (sic enim iam dici poterant Goti) consedisse. Nec tamen quieuit gens bello nata, quo minus mediam regionem transeuntes, ad mare usque Ponticum peruenerunt. Quod idẽ Herodotus non tacet. Nam non contenti expulisse Cimmerios sedibus suis: secutos quoque perhibet excedentes. Sed tum Gotos aberrasse uia: quòd Cimmerij sinistrum caperent iter: illi dextrum euntes, in latera Tauri montis, ad Pontum usque peruenerũt. Sed quamdiu Rex illis fuit Filimer, in Cimmeria permansere. Inde postea digresi, retrò abierunt in Misiam, Thraciamque: & uicinã impleuere Datiam ad Danubium: quæ montibus in coronæ speciem cingitur. In suspicionem uenio, Datiam illam Ripensem, nomen ex Gotorum socijs traxisse. Crediderim, in emigratione Gotorum, Danos se miscuisse migrantibus: quo modo Normannis multis post seculis, ijdem se Dani in contubernium contulerunt, cùm littora Franciæ primùm popularentur, inde habitarent. Quod in Noruagia dicemus.



¶ Filimere defuncto, Goti Misiam, Thraciam, & uicinam Datiam implent. Claris uiris insignes, alioqui idololatris. Caput. v.

CVM uerò in has regiones transissent, iam sepositis nationibus, in Misia, Thraciaque Goti, & in Datia Dani consederunt: inuersis paulisper nominibus: ut ex Gotis Geti illi, & isti ex Danis Daci sint deinceps uocitati. Hæc certa magis coniectura, quàm probato Autore suscæpi. Nam & Strabo, inter Græcos tum cõorta illa similia nomina, arbitratur ex captiuis: ut uenundati gentilia nomina seruarent: & alij Getæ, alij Dani, alij etiam Syri sint appellati. Per quæ tempora, non satis in historia distincta, magnos Getæ, qui & Goti, Reges habuere, prudentia, fortitudine, & religione, qua tum poterant, insignes. Memorant Salmaxorem: quem miræ Philosophię, incredibilisque eruditionis fuisse testantur. Sed ante illum fuisse Zeuten, non uulgaris sapientiæ uirum. Post etiam Dicinæum: quo tempore Sylla Romanarum rerum potitus est. Post illum extitisse Comosicũ: qui & Rex, et Pontifex genti fuisset. Quartum uerò fuisse Salmoxen. Sed hæc per anticipationem re longè post futuris seculis dicta sint. Cęterum nulla illis ætate defuisse ferunt, qui etiam sapientia Getas erudirent: & penè omnibus Barbaris Goti sapientiores extitisse perhibentur, Græcisque penè similes: ut refert Dio: qui historias, Annalesque eorum Græco stilo composuit. Qui etiam dicit Tarabusteos, deinde Pelleatos uocitasse eos, qui inter ipsos generosi extabãt: ex quibus Reges & Sacerdotes sibi coäptaba[n]t. Adeò autem laudati fuere Getæ: ut

Gotorum prudentes.

Dio.

Tarabustei, & Pelleati Goti.

Martem, quem Deum belli putauit Antiquitas, apud se dicerent progenitum. Quod insignis Poëta non ignorabat, dum diceret. Gradiuumque patrem, Geticis qui præsidet armis. Quem Goti semper asperrima placauere cultura, morte scilicet captiuorum: opinantes, bellorũ præsidem aptè humano sanguine placari. Sed reuertamur ad narrationis ordinem, quem instituimus.



Vexorem Ægypti Regem, Goti fugant. Asiam tributariam faciunt. Parthicum Regnum primi fundant. Illorum uxores, absentibus maritis, hostes eas inuadentes, propellunt. Caput. vi.

VM adhuc Goti ad Meotidas paludes habitarent, Regemque suæ gentis Tanausim haberent; Vexores Rex Ægypti nationum omnium uictor, bellum Gotis, tum Scytharum nomine uocatis intulit. Tempus hoc erat, quo Assyriis Sosarinus, & Sicioniis Inachus Rex esset: centum quinquaginta annis post emigrationem. Præmisit ergò Vexores Rex Legatos, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Goti iam ante de aduentu Regis à finitimis certiores facti, Legatis respondẽt. Tam opulenti populi Ducem, stolidè aduersus inopes occupasse bellum. quòd magis domi suæ fuerit illi timendum: quòd belli certamen anceps, præmia uictoriæ nulla, damna sint manifesta. Igitur non expectaturos, ut ad se ueniatur: cùm tanto in hoste sibi plura sint concupiscenda, sed ultrò prodituros obuiam. Nec dicto res morata. Quos cùm tanta celeritate uenire Rex didicisset, in fugam uertitur: & exercitu cum omni apparatu belli relicto, in Regnum trepidus se recępit. Gotos ab Ægypto paludes prohibuere. Exinde reuersi, Asiam perdomitam, uectigalem fecere: modico tributo, magis in titulum Imperii, quàm in uictoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandę Asiæ immorati, Vxorum flagitatione reuocantur per Legatos: denunciantiũ, ni redeãt, sobolẽ ex finitimis se quęsituras: nec passuras, ut in posteritatem Gotorum gens per fœminas intercidat. Prima cum Ægyptiis pugna apud Phasidem prouinciam, quę à flumine nomen habuit, erat. Vnde toto nunc orbe Diuitum mensis preciosum luxuriæ irritamentum Phasides aues aduolauerunt. Tanausis ergò Gotorum Rex, cùm fręnum domitæ Asiæ, imposuisset: exigendi tributi potestatem, amico Medorum Regi Sorim permisit. Ipse contentus gloriæ præmio, auri & argenti contemptum præ se ferebat. Sed erant in exercitu eius, qui pulchritudine Asiæ capti, manere ibi peroptarent, Rege permittente. Qui (ut Pomp. Tragus testis est) Parthicum deinde Regnum fundauere: gens origine Gotica, patriam uirtutẽ referẽs, Romano semper aduersata Imperio: unde etiam hodiè Scythica lingua,

Tanausis.

Rex Ægypti Gotos fugit.

Asiam obtinent.

Reuocãtur ab uxoribus Goti.

Phasidũ auium patria.

Parthorum Regni origo.

gua, Parthi fugaces dicuntur. Sic enim ex interpretatione uerbum so=nat. eo quòd patriam fugerint. Aut quòd in fuga magis sint timendi: tum maximè sagittis infesti insequentibus. Mortuo deinde Tanausi, qui tantam gloriam comparauit, diuinos illi honores contulerunt: & inter Heróas, imo etiam numina coluerunt. Post cuius excessum, cùm successor exercitum foris haberet: armata penè omni sua iuuentute, domi indefensus agebat. Gens non longinqua, concæpto in Gotos odio: sciens omnem iuuentutem foris militare, facto agmine, Prouin=ciam defensoribus uacuam, rebantur inuisere, prædam inde relaturi. Sed Gotorum fœminæ, uiris absentibus, non passæ haberi contem=ptui, sese perarmãt: & quòd uiros fortissimos haberent, eorum exem=plo doctæ, hostibus obuiam pergunt. Consertoqꝫ prælio, uertunt in fugam. Quæ res etiam in eo sexu gloriam peperit: prælusitqꝫ uenturæ Amasonum ex eadem claritudini. Quarum initium tali occasione proficiscitur. Gotharũ muliebris uictoria.

¶ Amazonum origo à Gotis: & earum ritus descriptio. Caput. vij.


IVSTINVS Pompeij Trogi abbreuiator, nulla Go=torum expressione, sed generali Scytharum appellatio=ne contentus: quòd Gotorum gens iamdiu in Scythico solo mansitabat, narrat Amazonum originem. Quem secutus Paulus Orosius, cùm de Scytharum fœminis sermonem, quem repetemus, te=xuisset, Gotorum subinfert mentionem. ostendere uolens, qua de ra=dice processerint. Sed Iordanes Rauennas, Archiepiscopus, Dionem secutus Græcum, & Ablabiũ Senatorem, professa uoce testatur: Go=tos fuisse, quorum origine prodierint Amazones. Res autem talis ab Iustino, & Orosio memoratur. Duo Regij iuuenes, Plinos, & Scholo=pitius, à Gotis per factionem Optimatum domo pulsi: ingentem Iu=uentutem secum traxere: & in Cappadociæ Ponticæ ora, iuxta fluuiũ Termodoontem considentes, campos, ibi Temisyrios sibi subiecere: ubi proxima quæqꝫ tum populantur. Conspiratione finitimorũ per insidias trucidantur. Horum uxores exilio, ac uiduitate afflictæ, arma sumpsere: finesqꝫ suos submouentes, qui occurrerant primo, mox in=ferentes bella defendunt. Nubendi quoqꝫ finitimis animum amisere: seruitutem, non Matrimonium appellantes. Singulare omnium secu=lorum exemplũ: auxere Rempublicam sine uiris. Iam etiam cùm con=temptu uirorũ se tuentur: & ne infeliciores aliæ alijs uiderentur, uiros qui domi remanserant, interficiunt: præsertim, ut ex simili conditione par omnibus animus esset, ultionem quoqꝫ cæsorum coniugum exci=dio finitimorum consequuntur. Tunc pace armis quæsita: ueritæ, ne Amazonũ origo.

prole rarescente deficerent: externos concubitus uicinarum gentium ineunt: factis Nundinis semel in anno: ita, ut eadem die, anno reuoluto reuertentes in idipsum, quicquid masculini sexus edidissent, patribus reddidissent: quicquid fœminei, matres ad arma bellica erudirent. Neq; enim uirgines earum ad pensa fusum rotabant, sed equis & armis, ac uenationibus tempora terebant. Sunt qui dicant: quòd editis maribus, nouercali odio infantis miserandi fata rumperēt: ita ut apud eos detestabile foret, masculum puerperium, quod in omni reliqua gente solet esse uotiuum. Quę illarum crudelitas, maximum terrorem uicinis gentibus ingerebat. Nam quæ rogo spes esset capto? ubi nephas habebatur, ignoscere etiam filio. Puellis autem dextras mammas inurebant: ne iaculorum iactus impedirentur. Vnde & nomen accæperunt, ut Amazones, hoc est, sine mamma dicerentur. Scio nonnullos ista lecturos, suspicari: ne Gotis ea res afficta uideatur: quòd Iustinus & Orosius ea de Scythis, nulla Gotorum facta mentione, commemorent. Sed ego in omni ea relatione, fidem in autores reijcio, Iordanem, Dionem, atq; Ablabium. Vtinamq; nobis. xij. illi Senatoris libri adessent: quos se Iordanes cursim lectitasse, & inde quæ scriberet memoriter tenuisse commemorat. Certiora cuncta teneremus, si pro rei magnitudine scribendi, temporaquè designandi, Iordanes diligentiam adhibuisset. Sed tamen temporū ratio consentit narrationi. Nam iuxta supputationem Eusebij, tum Goti apud Cimmerios habitabāt: quando egressis de Scythia iuuenibus, in Ponto ad fluuium Thermodoontem, Amazonum origo à cunctis memoratur. Nec dissentit locorum commemoratio. quando exulantum fuga è Cimmerio in Pontum, hoc est, Cappadociam, uerisimilis perhibetur.

Autoris excusatio.

Ablabij scripta.



¶ Amazonum Reginæ; earum officia, uictoriæ, & uirtutes. Caput. viij.

FOEMINAE ubi uirilem uigorem induerunt: duas ex suo numero Reginas creauere: ut & domi, & foris res strennuè administrarentur. Lampedo, & Marpesia dictæ sunt. Quarum altera domesticis rebus ordinandis ac defensandis prefuit. Altera forensem Militiā administrabat. Marpesia ea fuit. Quę fœminarum agmine sumpto, nouum genus Militiæ inibat, nouumq;, & ante inauditū agmen deduxit in Asiam. Diuersasq; gentes bello ex uperans, aliasq; bello concilians, ad Caucasum montem peruenit. Ibi què aliquantum temporis demorata, nomen loco reliquit: ut dicatur rupes Marpesia. Cuius in Carmine suo meminit Pöetarū maximus.

Lampedo domestica. Marpesia militaris.

Quàm stet dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Inde egressæ, Otalem fluuium transierunt, ac Armeniam, Syriam, Ciliciam,

liciam, & Galatiam, Pisidiamq́: multaq́ alia Asiæ loca occupauerunt. Ibiq́ diutius dominantes, Ephesum, & alias ciuitates, locaq́ condiderunt: suoq́ nomini dedicauerunt. Templumq́ Dianæ, toto orbe diu celeberrimũ, ob uenandi, sagittandiq́ studium, quibus artibus se tradiderant, mira pulchritudine apud Ephesum condiderunt. Quæ res & si multorum subnixa sit testimonijs, de uirtute Amazonũ, non tamen caret exemplis. Nam longè posterioribus seculis, in gente Bohemica, inuentæ sunt puellæ, quæ omne maris genus perosæ, Imperiũ per annos septem tenuere, prælijs interritæ, armis exercitæ: omnia uirorũ agmina quæ obuia fuere, per apertam uim prostrauere. Ad extremũ dolo superatæ, magis deceptæ, quàm uictæ ferũtur. Testis Æneas Syluius in historia Bohemica. Et nos in nostra Vuandalia retexemus. Templum Ephesinum Puellæ Bohemicæ.



¶ Marpesia cæditur. Hercules ingeniose Orithiæ arma adsequitur. Bello dein ab Atheniensibus superantur. Caput. ix.

AD Amazones reuertamur: quæ Asiæ regnum diu tenuerunt. Magna pars fœminei exercitus onusta prædis, in sua loca remittitur: reliqua cum Regina Marpesia ad tuendum Asiæ Imperium consedit. Adunati aliquando Barbari, cùm et pudor & uirtus mixta stimularent, fœmineis parere imperijs detrectant, consertoquè prælio, Marpesiam Reginam fortiter præliantem cædunt, non incruenta uictoria. Succedit illi Orithia filia (quam alij Sinopem uocã:) quæ singularem uirtutis bellicæ gloriam, perpetua uirginitate cumulauit. Huius uirtute tantum additũ famæ & gloriæ Amazonibus est: ut Herculi Rex, cui duodecim stipendia debebat, quasi impossibile imperauerit, ut arma Reginæ Amazonum afferret. Igitur eò profectus, nauibus longis nouem, comitante Principum Græciæ iuuentute, inopinantes aggreditur. Duæ ex quatuor tunc sorores Amazonum Regna tractabant, Anthiope, & Orithia: quarum Orithia foris bellum gerebat. Igitur cùm Hercules littori Amazonum applicuisset: infrequens multitudo cum Antiope Regina, nihil hostile metuente erat. Quare effectum est: ut paucæ repentino tumultu excitatæ arma sumerent: facilemq́ uictoriam hostibus darent. Multæ itaq́ cæsæ, captæq́. In his duæ Antiopes captæ sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolite à Theseo. Sed Theseus obtentam in præmium, captiuam eandem in matrimonium assumit: exq́ ea genuit Hippolitũ. Hercules post uictoriam Menalippen captiuam sorori reddidit: & precium, arma Reginæ accæpit: atq́ ita imperio functus, ad Regem reuertitur. At Orithia ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Atheniensium Principem: hortatur comites in ultionẽ; frustraq́ Ponti sinũ, Marpesia cadit. Orithia. Hippolite Thesei uxor. Hippolitus. Herculis ingenium.

 & Asiam

& Asiam domitam esse contendit: si Græcorum non tam bellis, quàm rapinis pateant. Auxlium deinde à Sigillo Gotorum Rege petit: genus se Gotorum esse: cladem uirorum, necessitatem armorũ, Belli caussas ostendit: assecutas se uirtute, ne segniores fœminas, quàm uiros Goti habere uiderentur. Motus ille domestica gloria, mittit cũ ingenti exercitu filium Penexagoram in auxilium. Sed ante prælium dissensione orta, ab auxilijs desertæ, bello ab Atheniensibus superantur. Receptacula tamen habuere castra Sociorum, quorum auxilijs, intactæ ab alijs gentibus in Regnum reuertuntur.

¶ Amazonum defectio. Telephus Herculis filius, Gotorum Rex efficitur. Caput. x.



Pentesilea. POST Orithiã Pentesilea Regno potita est: cuius Troiano bello inter fortissimos uiros, cùm auxiliũ aduersus Grçcos ferret, magna uirtutis documenta extitere. Interfecta demũ Pentesilea, exercituq; eius absumpto, paucæ quæ remanserant ægrè se aduersus finitimos defendentes, usquè ad tẽpora Alexandri Magni durauerunt. Harũ Minithia, siue Calestris Regina, concubitu Alexandri Magni, per dies. xiiij. ad sobolem ex ea generandã obtento: reuersa in Regnũ, breui post tẽpore, cũ omni Amazonũ nomine intercidit. (Amazonũ defectio.) Hæc autẽ de Amazonibus huic historiæ subintulimus: ut has quoq; de stirpe Gotorũ descendisse monstraremus. Dio historicus, & Antiquitatũ Goticarũ diligentissimus inquisitor, qui Operi suo Geticũ dedit titulũ, Regẽ illis post multa tempora fuisse cõmemorat Telephũ, Herculis filiũ: procerũ quidẽ corpore, sed magis uirili uigore terribilẽ: qui paternã fortitudinẽ proprijs çquabat uirtutibus. (Telephus Rex.) Regnauit is in Misia, iam Gotis ex Cimmerijs regionibus retrò abeuntibus. Sed quo Rege, quóue tempore, Iordanes non tradit. Ante tamen Troiani belli tẽpora fuisse compertũ habemus. Sed mirabitũ fortasse quispiã: quòd gens ferox, alienigenã passa sit Regem. Facile aũt admiratio cõquiescet, si cuius uiri filiũ admiserint intuebere. Nam Herculis nomẽ in omni gente tum magnũ fuit: ut facilè filio suffragetur apud Getas, ut regnare illũ sibi tanti uiri filiũ patiuntur: præsertim ex Auge Gotica natũ muliere. Is ergò coniugio sororis Priami sociatus, bello interfuit illi famosissimo, quod Græci Troiæ intulerũt. Tessandrũ Grçciæ Ducẽ interemit: & dum Aiacem infestus inuadit, Vlixemq; persequitur, equo cadente sublabitur: Achillisq; iaculo femine sauciatus, diu mederi nequiuit. Græcos tamẽ, quãuis fractis esset uiribus, ea parte quam defendit perturbauit. Telepho defuncto, Euriphilus successit filius, ex Priami Phrygũ Regis germana progenitus: qui ob Cassandræ (ut ferunt) amorem, bello interesse Troiano properãs, ut auunculo sup (Euriphilus.)

lo sup

lo suppetias ferret, infelicibus auspicijs pugnans, interemptus est.



¶ In Suedorum originem, Petræ cuiusdam incisio, & uestigium describitur. Caput. xi.

AC prima Gotorū excursione cōmemorata, in Suediā, hoc est, patriū Gotorum Regnū reuertamur: recēsentes quę de hoc populo uetustissima tenemus. Equidēm ad omniū gentiū primā originē recurrere, quis potest? Ab ea memoria sumendū est dicendi principiū, quę uel in carminib. memorant: uel prima in literas relata est. Quanquàm in ea gente, nō uulgaris amor, perennis famæ deprendat. Nam apud Belekingiam (pars ea Suediæ est: ut in Præfatione Operis sui autor est Saxo Sialandicus) apta meantibus rupes, mirandis literarū notis interstincta conspicit. Equidē à meridiano mari in deserta Vuerundiæ, petrosa porrigitur semita: quā binæ lineæ, exiguo discretæ spacio, protractis in longū ductibus amplectunt. Inter quas mediū loco planū, factis ad legendū figuris, undiqꝫ secus exaratū ostenditur. Quod licet adeò situ inæquale existat: ut modo montiū alta proscindat, modo ualliū ima prętereat: eodē tamē tenore literarū uestigia seruare dinoscit. Quarū significationē Rex Vualdemarus diui Kanuti filius, admirationis causa cognoscere cupiēs: misit qui Rupem permeantes, patentiū illic characterū seriē, curiosiori indagatione colligerent: ac postmodū uirgulis quibusdā sub ijsdem formarū apicibus adnotarent. Qui ideo nihil ex eis interpretamenti cōprendere potuerunt: quòd ipsa celaturę concauitas, partim cœno interlita, partim commeantiū adesa uestigijs, figuratę protractionis speciem obtrito calle confuderat. Vnde conspicuū est: etiam petrinę soliditatis ruinas diutino madore complutas, aut sordium colluuione, aut irrigua nimbrorum instillatione concrescere. Sed & mirum Poësis studiū in Gente fuit. dum patria lingua, Heroum præclaras res gestes ita canerent: ut pariter & oblectarent lepore audientes, simul & docerent Antiquitatum præclara facinora. Sed iam antiquissimorum in ea gente gestorum memoriam repetentes, narrandi ordinem carpamus.

Rupes Antiquitatis.



¶ Gram Daniæ Rex, Sichtrugi Suediæ Regis filiam rapit. Suedum Regem bello, Præfectum Regni, ac septem illius fratres Duello prosternit.

CAPVT XII.

AETATE abhinc longissima, & ut coniectura fert, ante Romam conditam, cùm apud Danos Regnum teneret Gram, insigni fortitudine prędictus Rex, ordine quintus à Dan Regni Danię fundatore: apud Suecones (nam id tum Grani, quæ nunc Sueca dicitur, crebrius erat nomen) Sichtrugus rerum potiebatur. Is habebat filiam

Daniæ lib. 1. cap. 6.

eximiæ pulchritudinis: quam cuidam remotioris gentis Principi pater desponderat. Non tulit Gram Daniæ Rex iniuriã sui contemptus: quòd uicino negatam, longinquo filiam eius destinabat. Itaq; Raptũ parans (qui ea tempestate clarum Militiæ genus in ea gente reputabatur: si nobiles uirgines raptu sibi sociarent: conciliarentq; matrimonio) armato milite concesit in Suetiam. Et propinquans Regiæ, tempus clam obseruabat, quo puella uel apricandi, uel lauandi gratia ad amnem egrederetur. ut ante tentamentis præparatam, tum non repugnantem abduceret. Amatoria Carmina per idoneas personas submisit. Adiunxit pro Regia fortuna nõ indecora munera. Puella uicissim rescribebat, multa super Rege sciscitata: nobilitatem generis sui efferebat. Quæ memoratus Saxo Grammaticus, non iniucunda latinè reddebat Adonio uersu.

Raptus uirginum.

Carmen Gro.

Gro mihi nomen: Rex pater extat
Sanguine fulgens, fulgidus armis.
Tu quoque quis sis: aut satus unde,
Promito nobis.

Vbi mutuis ita Carminibus aliquandiu certatum esset: ipse postremò Daniæ Rex propinquans per occasionem uirgini, detractis armis, iuuenili decore resplenduit: aureaq; promens donaria, non inuitam, aut repugnantem in suum pellexit amorem: potitusq; uotis, uolentem abduxit. Pater puellæ Sichtrugus Suetiæ Rex, iniuriam generis sui ulturus, ad arma conuolauit. Magnum utrinq; momentum erat belli gerendi. Nam raptor secum reputans iniuriam, quam irrogabat: totis se Regni uiribus tueri parabat. quòd sciret Suetiæ Regem ducere non leuem iniuriam, stupratæ & abductæ filiæ. Igitur cùm se Sichtrugus armis & exercitibus comparandis totũ impenderet: nulla tamen illi maior erat belli fiducia, quàm quòd se ferro insuperabilem crederet. Sic enim illi persuaserũt oracula: quæ in illa gente, ea præsertim ætate, plurimum ualuerunt. Non latebat hostem hostis cõfidentia: quòd Diuũ suorũ Responsis niteretur. Fraudem struere meditatur: auro superaturus, quem ferro nõ poterat. Igitur Clauam, quam Herculeo ritu pugiles gerebãt in prælia, auro cauatã infudit: ut pondere præualeret: proq; ferro, auri nodos innexuit. Itaq; magnis utrinq; animis, paribus odijs concurritur in præliũ. Fit anceps diu pugna. Rex deinde Regẽ quærit in acie. Vbi manus conserũt, Daniæ Rex recẽtibus exultãs uiribus, uirũ ætate grauẽ, clauæ suæ pondere pressit, & extinxit. Oraculũ cõprobãs: ut nullo ferramẽto Rex Suetiæ procũberet. Oppresso Rege, nec dũ plena Danis parta erat uictoria. Nã erat Gotiæ Præfectus Suarinus, Regiæ dignitati secundus. Vt quẽ nos Ducẽ, illi Præfectũ eo loci habuerũt. Nec Romanis ea dignitas incognita est. Diu eñ sub Impatoribus

Superstitio.

Ingenium Gram.

Rex Suetiæ sternitur claua.

Præfecti Prætorio, proximam purpuræ poteſtatem habebant. Et Præfecti urbis, longè Ducibus eminebant. Sed tum, ut dicere cœpi, qui in Regno Suetiæ Præfecturam Gotiæ gerebat, extincto Rege, adminiſtrandi Regni partes accæpit: Dano uictori ſe obijciens. Piguit Regē: quòd poſt Regem uictum, alius ſe opponeret uictori. Igitur exaſperatus, euocat hominem in Duellum: ferro litem dirimere, & unius potius periculo capitis, quàm magnorum exercituum ſanguine rem decernere meditatus. Non erat liberū euocato pugnam detrectare. Ea tum fuit hominum exiſtimatio: ut pro uicto gereretur, qui ſortem pugnæ recuſaret. Procedunt armati in pugnā. Campus metatur in circo. Rex Ducem proſternit. Sed neq; ſic plenam uictoriā Rex aſſequitur. Fratres erant. 7. proſtrati Ducis: qui ſe ſingulos obtulerunt Duello. Regi uictori creuerat animus, ex gemina quam peregit uictoria. Nam cedere neſcia uirtus, illum in repetendā pugnam deuocauit. Iunxit fratrem fratri. Succedit proximus per ætatem pugnę. Iniquum uideri poterat, unum toties in plures fatigari. At inuicta uirtus, omnium per uices fratrum uictorem ſe erexit, ubi omnes uno exitu ſtrauit. Toto agmine uictor, additis octonis duellis, celebri undiq; fama extollitur. Sueci uolentes cum Gotis colla uictori ſubmittunt. Hęc prima, quam ſcriptam tenemus, Sueciæ gentis à Danis ſubactio, crebris deinde uictorijs uariante fortuna penſata eſt. Gram exinde uictor, duobus Regnis præſidet, Daniæ, atq; Suetiæ. Sed nō diu ſtetit eius ditionis inegritas. Nā Suibdagerus Noruagiæ Rex, cùm petitam Dani filiam ad nuptias non impetraret: armis comparatis, ui abduxit. Ea quidèm Magnatum uiſa eſt tum gloria, ſi nuptias armis conciliarent. Vbi iniuriam pater uindicare contendit: magno prælio uictus, à Rege Noruagiæ cadit.

Gram duella octona.



Suibdagerus trium Regnorum, Noruagiæ, Suediæ & Daniæ, Rex primus. Caput. xiij.

SVIBDAGERVS inde Danici Regis uictor, geminam ex illo tulit uictoriæ iure coronam: ut priori Noruagiæ titulo, Daniam & Sueciam copularet: primus trium Regnorū unicus moderator. Quod idem poſt tot ſecula cernimus in noſtra ætate, cōtigiſſe moderno Regi, poſt parentē: paucosq; illius in Regni prædeceſſores illuſtriſſ. Regi Ioanni. At Rex ille, cùm aſsiduis Cōiugis ſuę lachrymis pulſaretur: alterū ex fratribus eiuſdē exilio reuocatum, Daniæ præfecit, ſub tributo regnaturum. Alterum uerò Haddingum, foris militantem, contempſit. Sed Haddingus iſte armis natus, cùm per multa loca uictoriam circumferret: uerſus in Suibdagerū ſororium quidem, ſed patris oppreſſorem, nauali prælio fudit, & extinxit apud Godlandiam. Quod in Dania diximus.

Suibdagerus Rex.

Ex Reginis unica Vualdemari Margareta filia, eadem tria Regna gubernauit.

Daniæ lib. 7. cap. 41.

Lib. 1. cap. 8.

Ericus,

¶ Ericus, & pater Hasmundus bello cæduntur. Gunnilda Regina mœrens, gladio se transfodit.
CAPVT XIIII.



Daniæ lib. 1. cap. 9.

Hasmundus Rex.

Ericus cadit

Hasmundi casus.

Gunnilda gladio se perimit.

HASMVNDVS Suibdageri filius, in Suetia atquè Noruagia parēti surrogatur. Nam Daniam Goturinus Haddingi frater, ut diximus, tenebat. Imminebat aūt undiq; grauis Suibdageri generi Haddingus: ut paternæ ditionis Suetiæ Regnum recuperaret. Hasmundus hoc fortiter tutatus, defendit. Totis in præliū ruunt uiribus. Erat Hasmundo filius Ericus, iam primis in annis dimicans. Eum nouæ pugnæ decus longius, quàm saluti par erat prouexit. Nam incautus se pugnæ miscens, Haddingi gladio cadit. Primitiæ belli miseræ, & dura rudimenta. Pater ubi cecidisse filiū audiuit: nihil iam uiuere diutius amās, nihilq; ultione sui sanguinis sibi charius duxit: amens fertur in prælium. Ericus solus filius erat in oculis: unum Haddingum requirit: unum illum infestis odijs insequitur. Vbi offendit, prælïantem aggreditur: reiectaq; parma, utroq; capulum uersat lacerto. Interritus autem Haddingus, uenietem excipit. Nec dubia diu fortuna miscetur. Iungit uictor filio patrem. Ille cadens, uictoris pedem ita gladio strinxit, ut in reliquum tempus Haddingus semper claudicaret. Ita alterum debilitas, alterum uitæ finis excæpit. Corpus eius solenni funere elatum, apud Vpsolam Regijs procuratur exequijs. Cuius Coniunx Gunnilda, ne marito superesset, spiritum sibi ferro surripuit: uirumquè fato insequi, quàm uita deserere præoptauit. Huius quoquè corpus amici sepulturæ mandantes, mariti cineribus coniunxerunt. Dignam eius tumulo rati, cuius charitatem uitæ prætulisset. Iacet itaquè Gunnilda aliquanto speciosius: uirum busti, quàm thori societate complexa. Indis hoc genus ferunt familiare: ut ex multis uxoribus, quæ maritum plus amarit, uiua illi contumuletur: atq; hinc certare fœminas inuicem, quæ nam marito defuncto coniungatur.

¶ Vffo Suetiæ Rex, Haddingum Daniæ Regem fame, bello, insidijs aggressus, ab ipso tandem prælio opprimitur. Caput. xv.



Vffo Rex.

VFFO Hasmundi filius, ægrè Suetiam aduersus Haddingum tutatur. Quippe toties uictor insolescebat: crescebatq; quotidiè & animis & uiribus: ut difficile fuerit ingruentem sustinere. Itaquè conserendæ in Suetia manus fiducia destitutus, in Daniam traiecit exercitum: hostilesquè lares incessere, quàm proprios tueri, facilius duxit. Opportunum propulsandarum iniuriarum genus existimans, quod ab hoste pateretur inferre. Ita Danis ad propria

defensanda

defenſanda redire compulſis: ſalutemquè Patrię, exterarum rerum do minio præferentibus, domeſticum ſolum hoſtilibus armis uacuefa-ctum repetijt. Sic comparatum eſt: ſic plerumq; uſu compertum: ut fe licius in alieno, quàm in ſuo depugnetur. Quòd ſi res exemplis egeat, Scipio Hannibalem per annos ſedecim Italiæ incumbentem, ſæpè ui-ctorem, & Romanis Ducibus in Italia non ſuſtinendum: reuocatum in Aphricam, in patria ſolo uicit. Non diſsimilem euentum ſuarum re rum Vffo perſenſit. Quia Haddingum Danorum Regem, quem in ſua Suecia nec uincere potuit, nec ſuſtinere: dum grauis ipſe Danis in-cumberet, abſtractum ſuis uiſceribus, domeſtica tueri cōegit. Sed hye mauit quidèm in Regno ſuo Haddingus: cæterum adſpirante uerno tempore, exercitum renouatum traiecit in Suetiam. Expertus & ipſe, felicius aliena inuadere, quàm ſua tueri. Tantaq; pertinacia Suetię Re gnum infeſtauit, ut luſtrum ibi bello conſumeret uniuerſum. Nec de-fuit Vffoni defenſio: hoſtē inedia prius, quàm armis domituro. Nam Dani ad illam commeatuum penuriam deducti ſunt, ut primùm fun-gis ſylueſtribus peroſis, uitam ſuſtinerent. Inde equorū, canumq; car-nes in delitijs habuere. Cōegitq; fames obſeſſos in montibus, ad ne-phas: ut ad extremum humanis carnibus non ſatis abſtinerent. Quæ res Danorum Regem adegit, pugnę fortem quacunq; conditione per tentare. Non exeunte aūt in pugnam hoſte, qui fame dimicabat: no-cturna eſt eruptio intentata. At ibi ſe hoſtis obijcere conatus, prę lium aggreditur: fortiterq; dimicātibus utriſq;, duo Senes caluitio inſignes, diuerſas acies adiuuare uiſi ſunt. Equidèm Antiquitas eius gentis, mul tis maleficijs, & dæmoniacis cōmercijs inuigilabat. Sed tum Haddin-gus ceſsit: multiſq; amiſsis, uix ſaluus ipſe cum paucis peruenit in Hel ſingiam. Deinde cùm cerneret Vffo Suetiæ atq; Noruagiæ Rex, for-tiorem eſſe Haddingum, quàm qui facilè armis uinceretur: alia illum aggreſſus eſt uia. Nam per colloquij ſimulationem euocatum, cogita-uit opprimere. Credidit Haddingus: uenitq; in locū conſtitutū. Vbi ſe inſidiæ aperuere, cautior erat ad euitandum, quàm hoſtis ad fallen-dū. Amiſsis ſocijs, uix ipſe ſaluus effugit. Renouato rurſus bello, pœ-nas dedit Vffo fraudis intentatæ, oppreſſus in prę lio.

Obſeſsio ad luſtrum.

Fames Danorum.

Haddingi fuga.

Vffo cadit. Daniæ lib. 1, cap. 9.

¶ Hundingus Vffonis filius, uictoris clementia, Suetiæ Regnum cum tributo annuè Dano pendendo adminiſtrat. Quæ res tam arctam inter eos amicitiam conciliauit, ut ad falſum Haddingi mortis rumorem, caſu miſero Hundingus perie-rit. quod & occaſionem Haddingo præbuit, ut ſeipſum ſtrangularit. Caput. XVI.



VNDINGVS Vffonis filius, uictoris Haddingi debet

debet amicitiæ, quòd post patris mortem regnarit in Suetia. Quippè uictoriæ iure, Regnum uictori proueniens, ille permisit legitimo successori: ut tamen penderet Daniæ Regno tributa. Tantaqꝫ Regibus deinceps incesit familiaritas: ut memorabili exemplo, uicini Reges non solum in pace, sed & incredibili amicitia regnauere. Fecit ea Regum concordia: ut nihil memorabile tempora huius Regis habeant. Virtus enim non exercita malis, quomodo potest inclarescere? Nec tamen laude caret togata tranquillitas. quòd & Pacis sua sint officia: Legibus Patriam imbuere: claustra Regni firmare: Arces munire; & in tranquillitate prouidentiam facere uenturorum aliquando malorum. Hac temporis pace currente, cùm Haddingus Daniæ Rex domesticis malis laboraret: iniuriaqꝫ, atqꝫ insidijs Generi penè interceptus corruisset, falsus de interitu Regis rumor extitit: peruenitqꝫ ad Suetiæ Regem, iustis de causis illi amicissimum. Indolens ille amici infortunio, de more gentis, illi instituit parentare. Euocatisqꝫ Proceribus, in media Regia dolium recens cerealis liquoris iussit collocari. Ipse Rex Pincernæ officio pocula circumferens, pietatis ministerium implere putabatur. Processit res in multam noctem. Ebrietas ubi Regem persuasit: doliumqꝫ de more circumsiliret: grauatum caput præponderãs, Regẽ subuertit: iniecitqꝫ dolio semipleno. Ibi iam quasi manibus cunctorum uinctis, Rex in suorum medio, ridicula morte mergitur suffocatus: & dum fictam amici necem, officio pietatis prosequitur, incidit ipse ueram in mortem. Eam rem ubi Haddingus Daniæ Rex comperit: intellecto, quòd suæ mortis occasione conficta, ad interitum ille uerum peruenisset: noluit amico superuiuere: sed nodum informis leti trabe nectit ab alta: seqꝫ strangulat manu sua. Ita uir bello fortissimus, non uirili morte concessit in fata. Hic est duorum Regum amicissimorum exitus perquàm ridiculus.

Pacis officia

Daniæ lib. 1. cap. 9. c.

Hundingi misera mors

Haddingus laqueo se strangulat.

¶ Qua felicitate Regnerus in Suetiæ Regnum uocatus sit. Caput. xvij.

Regnerus Rex.



REGNERVS Hundingi ex primo matrimonio filius, mirabili iactatione fortunæ rotatus, ad Suetiæ tamẽ Regnum peruenit. Nam pater Hundingus, geminam ex prima coniuge sustulit sobolem, Regnerum, atqꝫ Toraldum: matre paruulorum uel uita functa: uel aliàs eiecta: alteram sibi matrimonio sociauit. Quæ dum nouercali odio ferretur in priuignos: non tamen potuit Rege superstite, exercere quod cogitabat. Vbi ille interijt: mox paruulos aula proturbauit. Animos illi afferebat, Dotis magnitudo: pariter & cognationis multa potentia. Ne tamen neci dederet quos odio persequebatꝰ, curauere Regij sanguinis Proceres. Ablegauit pueros illa,

ros illa, inter pastores longinquiores. ut rurali operi inseruientes, longè ab aulicis rebus detinerentur. Comperit Danici Regni nobilis puella, adolescentum casus: & indoluit. Comparatisquè tanti itineris cum commeatu commeatibus: eò contendit, quo paruulos audierat exulari. Suanuita illi nomen erat: Patrem habuit Haddingum, paruulorū parenti (ut diximus) amicissimum. Peruenit multo labore in locū: ubi Regios pueros, rustico ministerio deprehendit obligatos. Sciscitata primùm, qui, & unde essent? Cùm adolescentes suspicarentur insidias esse nouercales, quæ ab aulica, & tanti apparatus fœmina tenderētur: subtimidæ respondent. Seruilis sumus, inquiunt, conditionis pueri. Huc loci peruenimus, Regiam iram expauescentes. Quòd pecorum constituti custodes, dum pro ætate, ludis plus, quàm officio diligentius incumbimus: errantia in diuersum abiere pecora. Nec quæritantes ulla conspeximus uestigia. Quocirca catenas, & uerbera refugientes, in hunc secessimus locum, ab ira sæuientium quàm remotissimū. Loquentis ora atque oculos puella adnotans conspicatur: Nihil inquiens, in amborum uultu seruile renitet: Regale schema undecunque natis insidet. Conuersa in natu maiorem, Dic ergò iuuenis ait, quis te hic loci furor, quæ causa detrusit? Si liberum est inquit fateri, Nouercale mihi odium præstitit: ut conditionis uitæ paulisper oblitus, seruilem conditionem prætendam securitati. At illa. Timor omnis absistat. Scio ait genus uestrum: scio conditionem. En ego tui causa, sortem tuam, fratrisque miserata, huc me contuli. Accipe gladium iniuriæ ultorem: & uirum te manu memineris. Tuæ reductionis præmium non aliud paciscor, quàm legitimas nuptias. Hæc fata, ensem porrigit. Mutato seruili habitu in Regium apparatum, armis ac familia iuuenem instruxit. Progressus inde Regnerus, paternos quos ille nouit, interpellat amicos. Auctusque perinde breui multis uiribus, paternam ditionem extincta Nouerca recuperauit. Puellæ regalis beneficio Rex factus, nuptias Regio luxu compleuit. Quod depacta est puella ab exule, à bonę fidei Rege accæpit cumulatum: prēmium uidelicet Nuptiarum: filium procreans Hotbrodum, paterni Regni successorem. Tranquilitatem temporum promeruit, uir suo contentus Imperio: quod iusticia, æquabilitateque regebat. Erant tamen, qui illum apud Frotonem Leuirum suum, Daniæ Regem, proditionis falso arguerent. Quam rem, calumnia inductus, ulturus ferro, dum bellum intentat Suetię Froto: armorum pondere, ac militari labore per æstū fatigatus: morbo contracto, non diu post perijt: pœnas persoluens tam facilis in Sororium crudelitatis. Regnerus autem cùm diu feliciter regnasset, in pace quieuit. Suanuita coniunx, pauco post tempore, morbo ex mœsticia contracto, decidit:

Suanuita.

Daniæ lib. 1. cap. 12. c.

decidit: fato uirum insecuta, à quo uita distrahi passa non fuit. Fieri nanque solet, ut quidam ob eximiam charitatem, quam uiuis impenderant, etiam uita excedentes, uel comitentur, aut statim subsequantur.



¶ Rex Hotbrodus Orientales aliquot subigit. Roe Daniæ Regem bello superans, tandem Nauali congressu ab Helgone cadit. Caput. xviij.

Hotbrodus Rex.

HOTBRODVS filius, Suetiæ Regnū legitima suscępit succeſsione: felix, si ea ditione contentus permansisset. Nam dum Imperium, quod legitimo iure tenebat, amplificare contendit: etiam id quod sine inuidia tenebat pariter cum uita amisit. Sed de hoc postea.

Orientales subigit.

Arma primùm intulit Orienti: Sembos, Estones, Russosq; in sua iura cōegit: ut solutis Suetiæ Regno censibus atq; tributis, iussa facerēt, dicto parentes. Quæ res cùm illi feliciter ceſsisset: arma uertit in Daniam non satis feliciter. Initio quidèm prospera. Nam Rōe Daniæ Regem magno exercitu obuiàm prodeuntem, manu conserta, duro prælio uictum extinxit. Sed Helgo Regis occisi germanus, exercitū reparauit: ea usus Prouidentia, ut filium quem unicum tenebat, Regno seruaret, si quid sibi humanitus accidisset: amicis commendatum longè seposuit. ne ullo ad illum pacto Sueci pertingerent. Letrica Arx erat Regni munitiſsima, cui filiū credidit exiturus in prǽlium. Prius tamen Præsides Suecos, quos uictor Hotbrodus, Regno Daniæ cōstituerat, tacitè sublegit, atq; subuertit. Inde totis uiribus ducens in hostem, naualı illum prælio uicit: atq; occidit. Nec contentus uictoria, atq; Imperio in Suetiam prolato, etiam contumelia gentem affecit: edita lege. Vt iniuria, aut uulnus, aut cædes in uirum Suedum: non legitima satisfactione, sed longè infra illam pensaretur. Æstimationem hominum uilificans Danorum collatione. Quæ uetus Regnorum contentio, usq; ad nos perdurauit: ut Regnicolæ altrinsecus inuicem se nobiliores esse contendant. Sed tunc Suetia iterum Danicæ Coronæ paruit.

Daniæ lib. 1. cap. 14. & 15. b.

Rex cadit.

Helgonis lex odiosa in Suecos.



¶ Hotbrodi filij, Danis fiunt tributarij. Mirabili ingenio Vrsæ Reginæ, Atislus thesauro Regni despoliatur: prælio dein per Rolfonem Daniæ Regem prostratus. Caput. xix.

Atislus. I. Rex.

ATISLVS, atq; Hotherus Hotbrodi filij, sub tributo Danorum Regi pensitando, paternam ditionsm Suetiæ suscipiunt. Quibus uiuens pater, Geuuarum quendam egregijs sibi meritis deuinctum, pædagogum adsciuit. Cùnq; Suetia, ut diximus, Danis pareret, Atislus maior natu Hotbrodi filius, paternæ necis, oppreſſeque patriæ iuiuriam tacito uoluens in pectore: egit per internuncios et amicos, ut relictam Helgonis Daniæ Regis uxorē acciperet, perinde Danorum

norum quaſdam uires, aut certè animos ſibi conciliaturus. Procedunt nuptiæ. Vrſa Regina (hoc enim ei nomen fuit) noui mariti mores, ob inſignem auariciam, quę illum totum obſederat, cœpit exoſos habere: filioq; Rolfoni Daniæ Regi, per nuncios inſinuat: Suetiam aduolet: omnibus theſauris uictrici locupletandus. Paruit adoleſcens uocanti matri. Ignota ueſte uenit in Regiam, ne matri notus. Interpellat Reginam: ut prandium inſtrui iubeat fameſcenti. Illa, ab Rege poſtulandū reſpondit, ignorans cui loqueretur. Diſciſſam ex parte ueſtem, Reginæ manibus poſtulat reſarciri. Puellare, ac ancillare opus fore, reſpondit: mirata, quòd peregrinus adoleſcens, tam familiaria à ſe Regina poſceret obſequia. Tum ille. Duram inquit cōditionem experior. quando nec mater filio prandium, nec germana fratri commodat acū. Erat, quod in Dania oſtendimus, Rolfo monſtroſo partu editus, ex patre & filia: ignorantibus ſanguinis uinculum, dum conſociarent torum. Intuita iuuenem mulier, filium agnouit: amplexaturq;. Tum in conſpectum Regis Atisli productus, matri iubet Reginę aſsidere ad menſam. Ibi uario ſermone peracto, uenit in mediū: Quæ Rolfoni potiſsima uirtus uideretur? Patientiam reſpondit cunctis præſtare. Atislus uiciſsim rogatus: Quo ſibi potentiſsimum probanda haberetur. Ille Liberalitatem præferebat uerbo. Sciebant uniuerſi, contra mores & animum fuiſſe locutum. Iudicia ab omnibus qui aſſiderant, probandarum ſententiarum depoſcuntur. Rolfo nudatū corpus, magno qui erat in medio rogo admouit: ſolo clypeo partem, quæ magis torreretur inumbrans. Cumq; omnium admiratione ſtaret inmobilis, uir inuictus à calore, aquam rogo iniecēre qui aſtabant: patientiam eius maximam comprobantes. Atislus quoq; Rex Liberalitatis exercendæ proba, à cunctis exigebatur. Ille prolatis multis Regijs ornamentis, ex auro fabrefactis: & inter alia aurea torque magni ponderis: donū hoc in priuignum conferebat. Regina, ut cum filio habebat conſtitutum, clam egreſſa, theſauros Regios exportauit, Daniam cum filio repetitura. Diſtinebat Rolfo uitricum ſermonibus multis: ut iam ſatis idoneū Regina tempus haberet ad abitum. Ipſe quoq; tempore ſuo petita abeundi uenia, uitrico dixit uale. Poſtquàm ille abijt, fit quæſtio de Regina, quæ abeunti filio minimè loqueretur. Exſpaciatam ferunt qui rem ignorauere. Prima Regi de theſauro incidit cogitatio. Vbi uidit rem abeſſe: ſuſpicatus quod erat, naues perarmat: inſequiturq; fugientes. Regina adnauigantem conſpiciens, ludificando auaro, theſaurorum ſpeciem in littore diſpoſuit. Æs enim auro litū, iam antea in fraudem ſtruendam præparatum erat. Secutus Rex, ubi theſauros abductos aſtare uidit in littore, flecti iubet nauem; & adulterinos pro ue-

Daniæ lib. 1. cap. 15. b.

Patientiæ exemplum.

Liberalitas Regis inuita.

Theſaurus Regi ſublatus.

Fraus & dolus pulcher.

ris adorans, relatos in nauim reuexit. Iam uoti, ut putabat, factus compos, sequi fugientes intermisit. Ita auarum auro, & maritum toro moribus auersata coniunx spoliauit. Hunc Atislum soluere deinde tributa recusantem, Rolfo Daniæ Rex oppresit in prælio: Regnumq; sine Rege subesse Daniæ in reliquum uoluit.

Atisli Regis mors.



¶ Hiartuarus Suetiæ Præfectus, Daniam ui & dolo occupat, Rege cæso. Cuius mortem Vuigo miles sanguine suo uindicauit. Caput.xx.

HIARTVARVS acer ingenio iuuenis, genere Suecus, tantã emeruit apud Rolfonem laudem: ut illi Suetiã Præfecturæ noĩe, hoc est, Ducali titulo pmitteret: constituens quæ solueret annua tributa. Et quo magis sibi fidem faceret, sororem illi suam connubio sociauit. Stabat hoc rerum statu res Suetica aliquandiu, ut tributa Daniæ penderet. Sed Coniunx Præfecti, Danorum Regis germana, non æquo ferebat animo: quòd fratri subiecta maneret. Quotidianis maritum perurget querimonijs: quandiu pateretur gentem tributariam, quæ nata esset imperio. Peruicit assiduis questibus: ut liberandæ Patriæ & animum sumeret, & uias indagaret. Igitur grandem armis nauem stipat: specie quidẽm rerum tributi nomine soluendarũ. Non enim in auro modo, sed omnigenum rerum forma pendebantur in hac gente olim tributa. Impositaquẽ Iuuentute, quam armis ualidam, & animis nouerat infractam, nauigat in Daniam. Hospitaliter excipitur. Conuiuijs de more gentis indulgetur. Vbi iam ebrietas peruasisse uidebatur conuiuantes ad unum: omnibus iam in lætitiam resolutis, ac ebrietate grauatis, Hiartuarus suis dat signum. Venitur ad arma. Armati facilẽ superant inermes, sobrij madentes ebrietate. Diu tamen Danica uirtus Suecis restitit. Ad extremum cæsus Rex cum omni familia, uacuam Suecis aulam reliquit. Circumspiciẽte Hiartuaro, si quis ex Regia familia superesset: magno se illum munere donaturũ, prædicabat: quòd fideles uniuersi pro Rege suo restitissent. Repertus unus ex omnibus Vuigo. Interrogatus, si Hiartuaro uelit militare. Nõ abnuit. Gladium illi ex more, capulum tenẽs porrigit. Solebant enim prisci milites sacramenta præstare in ensibus his, quibus obstringebantur. Vuigo dominum suum Rolfonem, non eo testatur ritu gladium præstare solitum, sed capulum, inquit, tradebat militaturo. Hiartuarus nihil moratus, ensem porrigit, obuertens illi capulum. Vuigo aduersum mucronem defixit in tradentem: manibus Regis sui parentatus. Mox circumstantiũ manibus discerpitur. Fidus nimirum miles: qui Domini sui necem, proprij sanguinis uindicauit impendio. Ita Hiartuarus quo die Regnum inijt, etiam finiuit. Sueci deinde à Danis ad facti

Tributorũ solutio in quo.

Rolfo Rex obtruncatᵣ.

Daniæ lib. 2. cap. 16. b.

Hiartuarus transfodiᵣ.

ad facti famam concurrentibus, ad unum omnes opprimuntur.

Dania Suecis subijcitur tributaria. Hotherus optatis fruitur nuptijs. Id uindicaturus Balderus, prælio sternitur. Rex tandem, bello in se à Böo moto, fati præscius cadit. Caput. xxi.



HOTHERVS Atisli Suetiæ Regis germanus, uacuatam Regni paterni sedem, magno Procerum fauore occupauit: Daniæq; Regnũ, cùm omnia recenti tumultu ob cæsum Regem implerentur, parato exercitu adnauigans, facilè sui iuris effecit. Ita uariante fortuna uices, commutauerat alterna sors regnandi: ut quomodo antea Suetia Danis sub tributo seruierat, nunc uicissim illa Daniæ imperaret. Huic Regi magna de Nuptijs contentio suberat. Geuuarus erat uir primarius. Atisli, atq; Hotheri, ut diximus, nutritius. Is filiam incompertæ pulchritudinis iamdudum Hothero destinauerat: sed importuna Balderi Reguli non sinebat instantia. Sialandiam enim ille Regno tenebat. Magna competitorum odia puellæ, patrem non sinebant filiam libero iudicio collocare. Balderus multis muneribus, procacibus etiam uerbis puellam adoriebatur: Animum tamen Hothero auertere non potuit. tantum ualuit apud illam educationis memoria, ac primũ præstitæ fidei perseuerantia. Vbi blandimentis nihil proficitur, ad arma peruenit. Nauali prælio decertant pro Nuptijs. Ibi quanquàm diuinitatis Balderus à rudibus opinione donaretur: terga tamen dedit Hothero Suetiæ Regi. Quo in bello, Saxoniæ Rex Gelderus fertur occubuisse. Victor sponsam Regno inuehit: iam liber à iugo Danorũ, quo pridem Sueci premebantur. Nam dum hic Rex coniugem armis uendicat, Hiartuarus Rolfonem, ut prædiximus, opprimit: & ipse penitus Hothero regnandi permisit facultatem. Nauigat inde in Daniam Hotherus, Regnum illud quoq; iure uictoriæ possessurus. Nec illum spes destituit. Excæptus enim à Proceribus, utroq; Regno potit. Sed quam facilè obtinuit, tanta animorũ leuitate, post breui amisit. Siquidem postquàm ille constituto nouo Regno, in Suetiam redijt: Balderus, quem pro Maleficorũ usu, diuinitate præditum opinabantur, superuenit: exercitu reparato, atq; in Danorũ Proceribus etiam ante arma satis explicata, Danorum Rex consalutatur. Tanta fuit illa ætate, inter homines fidei fluxa uarietas. Suetiæ Rex iniuriam ulturus, ingenti classe armatus inuehitur. Pugnam conferunt. Ibi nauali prælio inferiores uisæ sunt Sueonum uires. Itaq; uictus Rex, fugam inijt: diuque pudore et uerecundia uitauit congressus. Sed resumptis inde cum animo uiribus, cùm exercitum reparasset, denuò prælium acre conseritur. Pugna in noctem protrahitur: & tam pertinacibus utrinq; odijs

Hotherus Rex.

Dania Suetiæ subijcit.

Daniæ lib. 1. cap. 17. b.

Balderus Rex Daniæ declaratur.

Stratagema certatum est, ut cedere neutri partium uideretur. Nox prælium diremit. Hotherus nihil omittendum ratus: mutato habitu, hostium noctu Castra ingredit, speculaturus, quid ab illis consilij caperetur. Quo tempore, cùm exorta luce pugna renouat, ibi Balderus accæpto mortifero uulnere, prælio excedere compellitur: ex quo incrudescente dolore, non toto superuixit triduo. Hic est ille diuinitatis opinione tum prçditus: quem tamen mortali uulnere spiritum cernebāt efflare. Non miramur hunc rudis çtatis errorem. quando & post Christum natum in gente Iudæorum Agrippæ acclamatum legimus: Voces illum, uultumq; reddere non hominis, sed Dei. At ille percussus ab Angelo, En inquit, Deus uester emorit. Et inter Romanos Principes inuenti sunt: qui etiam uiuentes sibi diuinos ascibant honores: mortui uerò, in Deorum numerum referebantur. Quasi hominum opera deificaretur homo. Hinc est illa uanæ iactantiæ uox improba. Alios inquit Deos accipimus: Cæsares dedimus. Sed tum Hotherus audita Geuuari soceri indigna nece, ad uindicandam illam accingitur. Itaq; expeditione facta in Noruagiam, pœnas sumit de oppressoribus: filios eius Herletū, atq; Geritū Noruagiæ Reges facit: uiribusq; ita firmat, ut Regnū diu incolume tenerent. Iminebat Hothero ultor fraternæ necis Bous: qui Balderi uindex, graue bellū parat in Suetiç Regem. Iam Rex ipse, certior factus oraculo, sciebat se uiuendi finem facere. Euocatis ergò Proceribus denunciat, sibi fatū ineuitabile imminere: sed tamen priori gloriæ nunquàm defuturum, ut prælium detractarit. Filium illis Roricū commendat: quem etiam uiuens Regem præfecit Daniæ. Hac spe prælium iniens, fortissimè dimicans, exitu quem præsciebat, finijt uitam, ponēs in acie. Nec hosti uictoriam liquit incruentam. Dux enim hostium tali uulnere saucius erat: ut clypeis subiectis, efferretur in castra: uitamq; non post longum exhalaret.

Balderi casus.

In diuinos ac maleficos

Actor. 12. d.

Hotherus Rex bello cadit.

¶ Atislus Rex Suetiç creatur: qui bellum ex Dania uenturum anteuertit, Iutiam deuastans, illiusq; Ducem duello prosternens. Filij Ducis aut pacta non seruantes, uel tributa non pendentes, iterum à Rege Suetiæ armis impetiti sunt. Folco Centurio ea de re ad Regem Daniæ Vermundū mittitur, cuius postea strennua in prçlio opera Dani Suedos prosternunt. Caput. xxij.



Atislus. II. Rex.

ATISLVS erat uir Regij sanguinis, quem Proceres Suetiæ Regem creauere: pertçsi alieno subesse longius imperio. Nam Roricum filium Dania iam Regem recognouit. Etsi speraret, paterna successione utriusq; Regni gubernacula tenere. quòd Hotherus pa-

ter utrifq; dominatus esset. Sed Procerum consentiens uoluntas, legitimo successore posthabito, Regnum Atislo deferebat. Sciebat ille bellum sibi ex Dania oriturum: sed ne imparatus opprimeretur, comparatis armis & exercitibus, cùm primum finitimis se prælijs acuisset, enauigauit in Daniam. Iutiamq; prior bello est aggressus: ea parte, qua Teutoniæ proxima est, ad uicum Slesuici. Occurrit illi Præfectus loci non cōtemnenda manu: quem Ducem pro nostra ætate appellamus. Diu, fortiterq; utrinq; pugnatur: & utrinq; multis cadentibus, contulit sors ipsa, Duces fieri in prælio obuios. Incidit utriq; calor pugnę: & alter ad alterum. Vis ne inquit prior, ut ambo manibus nostris, duorum exercituū laborem sustollamus? Et utroq; simili alacritate ad Duellum inhiante, cedunt acies. Circus describitur. Descendunt in pugnam athletæ paribus armis. Ibi Slesuici Dux, à Rege Suetiæ opprimitur. Diuersis animorum motibus exercitus diducuntur. Victores Sueci, nauigationem in Regnū suum instituunt. Frouuinus Dux Slesuici cæsus, geminos pari uirtute filios post se liquit: qbus à Rege suo, qui tum in Danorum gente dominabatur Vuermundo, paternæ ditionis administratio pmissa est. Atislus Suetiæ Rex, quòd illi uel tributa negarentur, uel pacta non seruarentur, bellum renouat in Iutiam. Quod ubi Keto Frouuini filius maior compertum habuit: Regem suum Vuermundum per primipilariū Folconem, de aduectis hostibus facit certiorem. Rex tùm fortè prandiū agebat: & mandata exponenti Centurioni præcipit, ut accumberet. Ille moram excusans, repedandū sibi testatur ad dominū. Rex subinde. Si edere nolit, uel haustū faciat gratū itinerantibus. Aureum tum fortè poculum, quod erat ante Regem, stanti porrigit. Ille haurit porrectum. Rex alacritate Iuuenis, simul proceritate delectatus, poculum illi dono permittit: testatus, in ipso itinere festinantem, non satis decorè manu aquam in os iacere, sed utendū poculo. Centurio tanto à Rege munere donatus: promittit, se tantum in acie sanguinis hausturū præsente Rege, prius quàm terga eius quisquā uiderit. Collaudatū Rex dimittit: paratq; quàm properanter exercitū moturus in hostē. Interea Suetię Rex populabūdus ingreditur: Iutiam uastat. Superueniens agmine quadrato Daniæ Rex Vuermundus, hosti obuiam pergit. Aderat Regi suo Præfectus Slesuici Keto, paternæ necis ultionem animo uoluens. Graue prælium. Multa utrinquè eduntur funera. Ibi se Regi suo Folco Centurio sub oculos infert: operam militarem strennuè nauans. At ubi congressus hosti uulnus excæpit: parumper secedens, poculum cruore impleuit: ac se oculis Regijs reddens, haurit. Ecce inquit Rex optimè, assum promisso meo. Hęc dextera faciet: ut hodiè uideas hostem fugientem.

Rex Frouinum Iutiæ Præfectum Duello sternit.

Hortatus cæteros, fertur in aduersam aciem. Nec longè post, Sueciæ acies perrumpitur. Multi ineunt fugam: Rex ipse suos secutus, in naues refugit. Ita Dani uictores, hostem retrò egêre. Laudata in primis Centurionis uirtus: cuius uiribus & exemplo, magna uictoriæ pars, omnium confessione perstitisse ferebatur. Frouuini tamen cæde superiori prælio facta, ingentis gloriæ recordatione, præsentem fortunam Rex Suetiæ compensabat.

¶ Atislum Suedorum Regem, Frouuini filij duo patris necem uindicantes, obtruncant. Caput. xxiij.



AT tacitus in pectore filiorũ dolor, uindictam paternę necis parturiebat. Cùmq; aperto bello impares Regi uiderentur: priuata manu uindictam sumere constituerunt. Itaq; in Suetiam translati, perfugarum specie se in aulam militandi gratia insinuauere. Sic in militiam Regis conscripti, ab illo sciscitante rogantur: Vnde ueniant? Qua gente creti? Illi se Slesuuici regione ortos commemorant. Vera narrantes. Rex subsequitur: Meminerint ne pugnæ superioris anni, quando duo congressi in duello, de sanguine certauere? Meminisse fatentur: Ducemq; suum tum prostratum ab illo, qui Rex gentis ferebatur. Hæc inquit dextera protriuit uirum, alioqui fortissimum. Subiungit Rex: Filios ne superstites habet Dux ille? Reliquisse aiunt, geminos, proceritate corporum ferè pares nobis, quos cernis. Est ne illis inquit, paternæ necis aliquis dolor? Est frequens in ore adolescentũ querimonia? Tum Keto. Quid prodest multa in uentum uerba fundere, ubi nullus est exigendæ ultioni locus? Fecerat sibi Rex consuetudinem exeundi, uel sine comitatu apricandi gratia. Fratres illi obseruato tempore, ubi sine famulitio cernũt egredientem: uelut comitaturi Regem arma corripiunt, quibus etiam ipsum cernũt instructum. Sequuntur in auia: ac iam solum nacti, uerbis his aggrediuntur. Nuper sollicitè perquisisti, de nece Frouuini: iactabundusquè dexteram extulisti: Ecce astamus conspectu tuo gemini fratres, eius filij quem peremisti. Ad hoc tantum emensi sumus itineris: ut uindices in te paternæ necis simus, aut occumbamus. Vtraq; nobis sors æqua est, cędere, aut cadere. Interritus Rex, Parcite inquit Adolescentes, sanguini uestro: parcite annis ad uitam integris. Nihil me uana uerba cõturbant. Quædã me uestri tangit miseratio. Vita dignos iudicio, quos dolor in uindictam paternæ necis armauit. Æris non contemnendam summam accipite: & proprij lucrum sanguinis, militia mea in reliquũ usuri, accæpto ferte. Frustra inquit Keto, ista uerba iactas. Morituri uenimus: aut de te pœnam sumpturi. Quando inquit ille, ea sententia animo sedet: iunctis uiribus concurrite. Indecorum est his annis,

atq;

atq; uiribus, utriq; uicissim concurrere. Absit inquiunt dedecus & generis, & patriæ: ut uni duo concurramus. Si quid tibi uiriū est ait Keto, exere: spectator frater assistat. Aut si illum mauis excipere: me pugnæ spondeo spectatorem. At Rex. Prodigos sanguinis iuuenes haud probo: unà si sapitis concurrite. Vana inquit Keto, uerba nectis: ad arma ueniatur. Itaq; congressi, circum designant. Rex dissimulanter pugnam confert, umbonē aduerberans. Keto summis adnixus uiribus, Regem inuadit. At ille ictus deuitans, ludificando magis pugnam extrahit: fratrem ad arma deuocans, ut plenis uti uiribus possit in hostē. Vbi uerò Keto pertinacius Regem urget, increscunt altius iræ Regi: sublataq; dextera, magno impetu galeam Ketonis decussit, uulnusq; cruento pariter capiti inflixit. Mouit Vuigonem conspectus germani cruor: oblitus decoris, oblitus promissi, in pugnam ruit uiolentus. Inuecti unà Regi fratres, uirum opprimunt: spoliatumq; capite, truncū linquunt corpus. Ad proximos progressi ruricolas, Regis caput perferunt: testati, Ketonem, atq; Vuigonem germanos fratres, Frouuini patris ab Atislo Rege cæsi, peregisse manu ultionem: Rogantesq;, ut idipsum per omne Regnū quanto potest latius diuulget. Stupefacti homines, hærent, diu secum deliberātes: sileant, testenturúe. Interea illi dilabuntur, ad Regem suū regressi Vuermundū: à quo fortis uindictæ prœmia magna retulerūt. quòd gemino functi uiderent officio. Priuatim quidē, quòd patrios manes uindicassent: publicè aūt, quòd acerrimū Danici Regni hostē tulissent de medio. Illi patriam, ut prius ditionem Slesuici Ducatum feliciter administraturi, in sua discedunt. *Atislus cadit.*



An Gothi, Scythæ sint, Scriptorum collatio fit. Caput. xxiiij.

PER hæc ferè tempora Goti, qui & Getæ, Scythiæ iam Regnis non noui habitatores, uaria cū conterminis bella gessere. Claruit aūt Cyrus in Oriente, Persidis, & Mediæ Rex: qui deuicto Balthesare Chaldeorū Rege nouissimo, Babylonē suis iunxit Imperijs: ueniamq; permisit captis à Nabuchodonosor Iudæis, in Regnū patriū repedare. Hic tū peractis multis ut ferunt, uictorijs, arma uertit in Scythas. Thomiris tū illis fuit Regina. Iordanes & qui illū sequunť, Gotos fuisse contendūt sub Tomire gentis suæ Regina: qbus bellū intulit Cyrus. Herodotus aūt, & Trogi Pompeij abbreuiator Iustinus, suū secutus autorem, & Paulus Orosius una uoce prædicant: Scythas, aut Massagetas extitisse: qui trans Araxim fluuium ad Auroram habitarunt. Nam illic habitare Scythas, intra & extra Imaum montem, & præsertim Massagetas, quos hoc loco specialiter nominat Herodotus, in regione Sacharum mansitare: locuples nobis *De Gotis ut de supra ca. 1. & seq.* *Thomiris Scytharum Regina.*

In Iordanē Historiographum. nobis testis est Ptolomæus. Huc ergo Iordanes adesto: fidem quam sustines aduersus tantos testes, tuearis. Si non aliud profers argumentum: fuisse Gotos, quos Herodotus dixit Massagetas: nisi quia Goti dicti sunt & Getæ, quibus Massagetarum nomen confine uidetur: ostende, quomodo trans Araxim Goti tui habitarint. Nam omnes quos diximus Scriptores, Cyrum testantur transisse Araxim, ut perueniret ad Scythas, quos impugnaret. Operæprecium fuit, Ablabium tuum, quem semel tantùm te perlegisse in præfatione testaris, diligentius consultum. si tamen ille diligenter tradit. Dionem uerò græcum, ad uerbū oportuit scrutari: & non perfunctoriè opera memoriter tradidisse, quod tantis testibus potuit impugnari. Vnum profectò argumentum

Scythæ qui. est: fuisse qui in Cimmerijs habitarunt, Scythas: quos Gotos fuisse illa tempestate compertum est, quos tum oppugnarit Cyrus. Nam illi recentiori memoria Asiam premebant imperio. Ergò abolendi iugi gratia, in illos conuersum esse Cyrum, non excedit fidem. Nam & successor eius, per aliquot medios, Darius, in eandem uertit exercitū gentem: & Regno pulsus est. Quod suo loco commemorabimus. Quòd autem Herodotus Massagetas nominarit: non abrogat fidem. Nam fuisse etiam Massagetas inter Sauromatas, & hodiè extare, supra diximus: & multorum etiam uiuentium testimonio comprobatur: Samaytas, ut nunc appellant, hoc est, Massagetas, sub ditione magni Principis Letuaniæ, pertingentes ad mare Sarmaticum, quod est idem Germanicum, partemquè littoris tenere, uero uerius est. Araxis autem, quem & Herodotus, Iustinus, & Orosius dicunt à Cyro transitum, difficilius repellitur testimonium. Hunc certè amnem Ptolomęus nō commemorat. Potest huius uocabulum inmutatum esse: ut unus aliquis ex omnibus, quos Cyrus transierat, hoc ea tempestate nomen tenuerit. Sunt tales in Antiquitatis commemoratione multæ uarietates, & aliquando repugnantiæ: in quibus legentis fides cogitur uacillare. Nam de Scythis apud Iustinum ex Trogo, Vexores Ægypti Rex, Scythas dicitur adoriri contendisse. Illos fugasse Regem in Ægyptū: & Asiæ tum imposuisse tributa, quę per annos Mille quingentos persoluta, Ninus Assyriorum Rex aboleuerit. Ergò hac traditione, po-

Vexoris ætas. sterior fuit Ninus Vexore. At Vexores supputatione Orosij, annis Quadringentis octoginta, ante Vrbem conditam fertur regnauisse: Ninus uerò annis Mille trecentis ante conditam Romā floruit. Quomodo igitur abolere potuit Imperium, cui Vexores tribuerit occasionem? Hæc Antiquitatis obsoletę culpa est: quòd in multis aǹis, multa intercessit cōmemorandi, scribendiq́; neglig ētia: unde error enatus ita nectit̄ in nodū, ut à minorib. solui non possit. Fides ergò narrationis

sit

ſit apud Autores. Nos quod reperimus proſequamur.



¶ Thomiris Scytharum (Gotorrum) Reginæ erga Cyrum uictoria inſignis narratur: præterea urbis Thomis erectio. Caput. xxv.

TRADIT Herodotus, Cyrum delectatũ maſcula muliere, miſiſſe qui Thomirem Reginam gentis, cõiugem ſibi poſtularet. Interpretata mulier, non tam ſe coniugem peti, quàm Regnum ſuæ gentis quæri ab Rege: acceſſum Cyro interdicit. Cyrus cùm dolus non procederet: progreſſus uſq; ad Araxem apertè, infeſto exercitu in gentem illam tendit: flumen pontibus iungit, quibus copias traijciat, factis ex nauibus: turres ac propugnacula iungens. Ad quem hoc labore occupatum, Thomiris Caduceatorem miſit: qui diceret. Rex Medorum, deſine ab his, quibus incumbis: neſcius, an tibi ſint conducibilia. Omiſſo incæpto, apud tuos regna: & nos ſine, finium quorum ſumus Principes eſſe. Verum tu ſi admonitionibus his uti nolis, & omnia inſtituta proſequi malis, quàm ocium: ac tantopere affectas laceſſere Maſſagetas: fer quem ſuſtines erumnam. Sed deſiſte iungere flumen, à quo nobis tridui itinere digreſsis, traijcito in noſtram regionem. Aut ſi mauis nos accipere in ueſtram: tu idem facito. Hæc ubi Cyrus audiuit: accitis Perſarum primoribus, cõactisq; in medium, rem proponit: conſulens, utram ſibi agendum conſtituerent. Conuenêre illi in eam ſententiam: ut Thomirim in ipſorum recipiat regionem. Creſus Lydorum quondam Rex, nunc Cyri captiuus, aliud cenſet his uerbis. Quandoquidem tibi Rex me uoluere Dij tradere, meliora tibi iam domino, non ut hoſti propono conſilia. Si tu inmortalis, inmortali imperitas exercitui, uana ſunt noſtra conſilia: nihil tibi, tuisq; timendum. At ſi te mortalem ſentis, tali imperitantem populo: debes rerum mortalium fortunam, incertò rotatam, aliquando tibi aduerſariam proſpicere. Quocirca, ſi hoſtilem exercitum admittis in Regnum: & fors te aliqua fugientem uiderit, de toto Regno periclitaberis. necq; enim quieſcent hoſtes uictoriam proſequi. Quòd ſi illi forſan te, quod optarim, fugerint: nihil eſt quod inſequendo conſequaris: quæ omnia tibi in hoſtico pugnanti, dexteriora prouenient. Nam cedens ipſe, ſaluum tenes Regnum ad refugium. Cedentes autem ipſos inſecutus, hoſtilia cuncta dedita accipies. Videor mihi proſpicere exitum pugnæ. Nam Scythæ, Perſicorum ſunt expertes bonorum: qua in re facilè capientur. Tranſgreſſus flumen, caſtra iube metari. Cùm ad unius diei metam perueneris: ea omnium rerum abundantia iube ſtipari. Vina, carnes, cum poculis exuberent. Inualidam illic partem huius exercitus, & cuius iacturam minimi duxeris, fac

Thomiris ad Cyrum Medorum Regem.

Creſi conſilium.

Stratagema Creſi.

fac excubuere. Ni me fallat opinio, aderunt Scythæ: & quos in excubijs repererint, contrucidabunt. Vino autem & epulis tuis expleti, aut somno deijcientur aut pigricia ligabuntur: facileq; à tuis superuenturis opprimentur. Placuit sententia Cyro, prioreq; reiecta, hanc iubet rebus intendere. Itaq; Reginæ insinuat: ut iuxta placitum triduano cedat itinere: se copias traiecturum. Haud segnius illa retrocedit. Cyrus traiecit exercitũ: & unius diei iter progressus, facit quod conclusit Cresus in consilio: rediensq; ad Araxem, reliquit partem suorũ ad castrorum excubias. Regina tertiam exercitus sui partem, duce filio Spargapise, mittit speculatum, quid apud hostes ageretur: utq; prima belli munia, adolescens pertentaret. Vbi uenit: uidit castra explicata. Et aggressus militum excubias, fortiter oppugnat, expugnatq;: et omnibus contrucidatis, castra ingreditur opulenta: ac se uictor epulis, uinoquè permittit. Cyrus obseruato tempore, omnium quæ gererentur gnarus: iam uino, somnoq; sepultis superuenit. Multis cæsis, pluribus uerò captis: inter quos & Reginæ filio exitum, quem Cresus prædixit, habebat. Thomiris exercitus, filijq; sorte comperta, misit Cyro qui diceret. Non illi magnopere gratulandum, quòd uiros magis decæpisset, quàm uicisset, delitijs suis, hoc est, pessimo morũ ueneno, non armis superatos. Si illi uideretur: filium reddat, æquo munere pensitandum: de cætero se pugnæ pararet. Nam ibi fortunam suam non quieturam. Vbi uincula laxari iussit iuueni captiuo: quàmprimũ data potestas manuum suarum, gladio se proprio confodit. non passus cernere uultum matris, atq; suorum post captiuitatem: ita puduit uirum fortem, uino se magis, quàm armis superatum esse. Cyrus expedito exercitu, mouet in Reginam. Illa simulato metu, retrocedit: donec in opportuna loca sequẽtem traduceret. Ibi uersis uultibus pugna inita est. Circumuenti ab hostibus Persæ, concluduntur. Ducenta milia cum Rege suo trucidantur: nec supererat, qui tantæ rei nũncium ad suos perferret. Quæsitum Regis cadauer ubi uidit, abduci iubet, præscidique caput: ac proiectum in utrem sanguine plenum, hoc elogio notauit. Inexplebilis cruore Cyre, sanguinem quem semper sitisti, nunc bibe. Opimam deinde prædam auferunt. Ibi (ut ait Iordanes) primùm Gotorum gens serica uidit tentoria. Tanta Thomiris Regina aucta uictoria, tantáque locupletata præda, in partem Mesiæ, quę nunc à Scythia magna nomen tenet mutuatum, ut Scythia minor appelletur, transiens: ibi in Pontimesiaco littore, Thomin ciuitatem de suo condidit nomine.

Cæduntur Scythæ uino sepulti.

Thomiris Cyro.

Spargapisis seipsum trucidat.

Cyrus cum 200000 trucidatur.

Scythia minor.

¶ Darium Antinus Scytha, occisis illi octogenta milibus, in fugam uertit, cum incomparabili exercitu.

CAPVT XXVI.



NTINVS Rex erat in hac gente Scytharum, quæ in Cimmerijs habitabat: quos tum fuisse Gotos compertũ est. Huius filiam Rex Darius cùm coniugem postulasset, non impetrauit: atq; ideo bellum insectatur: magna scilicet necessitate (ut ait Orosius) pro unius hominis libidine, Septingenta milia uirorum periculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu, cum Septingentis armatorum milibus Scythiam Gotorum ingressus. Non facientibus hostibus iustæ pugnæ potestatem: insuper repentis incursibus extrema copiarum dilacerantibus: metuens, ne sibi reditus, interrupto ponte Histri fluminis, negaretur: amissis octoginta milibus bellatorum, trepidus refugit. Quàmuis hunc amissorum numerum, inter damna non duxerit: & quem habendum uix quisquàm ambire ausus esset, perditum ille non sensit. Herodotus cùm hanc expeditionem describeret, manifestè ostendit: ad eos Scythas, qui Cimmerium Bosphorum incolunt, quos Gotos esse iam sæpè ostendimus, Darium contendisse. Darius inquit Susis mouens, peruenit ad Bosphorum Calcedonis: ubi pons iungebatur. Illic conscensa naui, transmisit in Insulas nomine Ciamas. Ibi sedens in templo, subijciebat oculis Pontum, rem spectaculo dignam. Describit autem per mensuras Pontum Bosphorum, & Hellespontum. Adijciens. Quinetiam Pontus hic paludem habet influentem in se, non multo se minorem, quæ Mëotis appellatur, & mater Ponti. Et deinde Darius transmisso per ratem Bosphoro, faciebat per Thraciam iter. Sed priusquàm ad Histrum peruenit, primos subegit Getas, qui immortales se agunt. Thraces se Dario dediderũt. Getæ uerò per imperitiam resistentes, in seruitutẽ sunt redacti. Cùm sint fortissimi Thraces, atq; iustissimi. Immortales autem se dicũt hoc modo: quòd se mori non putent: sed eum qui defunctus est, meare ad Salmoxim dæmonem: quem nonnulli eorum opinantur esse Beleizen. Hic mihi quispiam occurrat. Tu inquiens, eosdem qui Goti sunt, & Getas esse contendis. Quomodo ergò superatis in Thracia Getis, ad Gotos iam Scythas, uis Regem proficisci? Ad quod ego. Gotos prima quidèm mansione consedisse in Cimmeria regione, autore Iordane, Ablabio, atq; Dione diximus. Inde quoq; denuo emigrãtes, dum pristinas in Cimmerijs sedes repeterent, reliquisse in Thracijs desides, qui Getarum nomen retinerent: Alacriores uerò, tum in Cimmerias regiones latissimas remigrantes, ab Dario nunc insecutos: cùm prius resides in Thracijs subacti, seruitutem Persarum accæpissent.

Antinus Rex. | Darius fugit. | Thracũ uerũ superstitio. | Obiectio. | Solutio.

¶ Dario missa à Scythis dona, ridicula quidem, sed aliter atque aliter interpretata, Regem Darium mouerunt, ne diutius Scythas insequeretur, sed reditum in sua pararit. Caput. xxvij.



ED hoc tum bellum à Scythis gestum referũt cedendo, & pugnę occasionem nullam dando. Darius admirans, quòd nusquàm prodirent in aciem: misso Caduceatore ad gentis Regem: sciscitatur, quid ita Scythæ hostes suos fugerẽt? nec pro tanto nomine pristinæ uirtutis usquàm prodirent? Si Persarum Imperium recognoscerent: mitterẽt quæ par erant domino subiecti donaria. Si iniquum: prodirent in aciem, libertatem suam defensuri. Rex Scytharũ respondisse fertur. Non uideri Scythis causam gerendi belli: neque domos, neque arces, neque urbes se habere, quibus propugnandis opus uideretur. Solere se crebrò mutare regionem: & id nunc magis pro sua consuetudine facere, quàm ullo hostium metu. Cedere se nunc aduenis, quomodo solerent uel aëri corrupto, uel bestijs noxijs. Nihil tenere se in terris, præter Maiorũ sepulchra: pro quibus in discrimen irẽt. Illa si Persæ cunctari uelint: uisuros se uiros, qui suorum Religionem tueantur. Quòd se Darius appellet eorum dominum, illos non agnoscere. Nam Libertas dominium nescit. Cæterum si muneribus delectetur: habere se quæ mittant tempore suo. Hæc ubi responsa accępit Darius, nihilominus procedens urgebat præcedentes. Cùm aliquantum adunati Scythæ, aciẽ uidebantur ostentare, Persæ ad pugnam se præpararunt. Iam stabant ordines: cùm ecce lepus inter medios decurrit: Scythæ clamore sublato, hostium cœperunt esse inmemores: omissaquè pugnandi uoluntate, cùm pauci leporem sequerẽtur, alij dilabuntur. Mirantibus Persis: nec insequi uolentibus cum equitatu, semper Scythæ uel uelocitate, uel pugna præualuere. Darius ad suos conuersus, Ludificamur inquit à uiris istis, & ut apparet irridemur: quibus unius leporis cursus, auertit omnem à nobis respectum. Nec diu post uenerat à Scythis nuncius, qui dona Regi ex Rege perferret: Auem, Murem, Ranam. Persarum Proceres Regem, & ille Proceres inspectando, quid sibi ridicula dona uellent admirantes requirunt. Deposcunt ex latore, quid sibi uelint hæ res à Rege Regi missæ. Ille nihil se horũ intelligere respondit: nec se aliud mandatum à Rege suo, quàm ut illa perferret, accæpisse. Darius recognitionem seruitutis, & promptæ subiectionis interpretatur. quòd de aëre auem, de aquis ranam, de terra murem, uiuentia producerent animalia: profitentes omnia sua, quæ uel in cœlo, terra, aut aquis tenerent, Persarum Regi seruitura. Gobries autem unus ex septem Primoribus Persis, aliter rem interpretatur.

Darius ad Scythas.

Scytharum Regis responsio.

Donaria Scytharum Dario oblata.

pretatur. O Persæ inquir, nisi aut cum auibus per aëra subuoletis: aut cum ranis flumen transeatis: aut cum muribus terræ cauernas uobis aperiatis: non erit quarta de manibus hostium elabendi uia. Ea senten tia Regem mouit: quòd cerneret, genus hoc uirorum, nullius rei in ter ra desyderijs teneri: proinde in æquo apud eos cōstitutum, uiuere, aut mori. Et iam in terra sine frugibus qui sequebantur commeatus, defi cere cœperunt: quocirca repedandi consilium Regem cœpit.



¶ Persem Darij filium, Goti deuincunt & fugant. Philippus Macedo rursum Gotis superatis, Regis eorum filiam ducit uxorem. Caput. xxviij.

VOD ubi Scythę compererunt: cursu pręuertentes, uiarum compendia quæsierunt: prioresq́ ad pontem Histri, quem sub custodia Darius reliquit, peruenerunt. Iam Pontis custodes à parte Scythiæ laxarunt strata nauigia, ne Scythę incursitarēt: ad Persarum autē reditum promptè repararunt, ut traijcerentur. Sed neq́ tam fortiter remearunt, quàm sunt ingressi. Nam hostes insecuti, magnam stragem ediderunt. Rex tamen elabitur cum maiori exercitus parte, amissis, ut diximus, octoginta suorum milibus: quos ipse in damnis non computabat, pro multitudine pugnatorum: quos ille numerosissimos duxit. Sed nequè Perses Rex, Darij filius, paternas in gentem hanc iniurias, atq́ contemptum uindicaturus, meliores exitus inuenit. quippè qui Septingentis armatorum milibus ut pater, & trecentis auxiliorum milibus, mille quoq́ rostratis nauibus, ac tribus milibus onerariarum aggressus hanc nationem, sine honore repedauit. Nec tentare acie illorum animositatem præsumens, in Græciam deflectitur: ubi infaustissimè pugnās, multis sine numero amissis, uix ipse infelici fuga elabitur. Philippus deinde Alexandri Magni pater, cum ipso filio traiecit in Scythiam, prædandi magis animo, quàm gentem subigendi. Callidus ille Dux, & fallendi per Stratagemata peritissimus, fortes pugnatores tum prælio uicit: abactis paruulis, & imbelli turba ad uiginti milia. Magna pecorum abducta copia: auri, argentique repertum nihil. Deinde amicitiam cum gente fœderans, Medumpam Gudilæ Gotorum Regis filiam accępit uxorem. ut tali affinitate roboratus, Macedonum firmaret Regnum.

Persis incōparabilis exercitus, & fuga.

Philippus Gotos uincit.

Affinitas Philippi cū Gotis.



¶ Philippus expeditionem contra Odissitanam urbem instituens, Sacerdotum precibus & citharis, ab obsidione depellitur. Caput. xxix.

A ETIAM tempestate (ut testis est Dio Gręcus historicus) Philippus inopia etiam laborans, Odissitanam Mesiæ ciuitatem, instructis copijs uastare deliberauit. Ea tum Gotis suberat. Vn

de & Sacerdotes Gotorum, illi qui Pij cognominabantur, patefactis portis, cum citharis & sacris uestibus obuiam armatis progressi: patrijs Dijs, ut sibi propitij, Macedonas abigerent modulantes, suppliciter precabantur. Macedones siue nouitate inexpectatæ rei stupefacti, siue Diuorum numine territi, inermibus armati terga uerterunt: acieque soluta, quam instructam produxerant, fugam inierunt: non solum urbem obsidione liberantes, uerùm etiam quę foris iure belli iam tenuerant, reddentes, pacati redierunt. Mansit tamen iniuriæ memoria in cordibus diu Gotorum.



¶ Sitalci Gotorum Ductoris, in Macedones excursio fortunata. Caput. xxx.

SITALCVS Gotorum Ductor egregius, per ea tempora quibus Alexander Asiæ inminebat, collecta suorum ualidissima manu (centum enim & quinquaginta milia fertur produxisse) Græciam omnem peruastabat. Cùm Perdiccas Macedoniam teneret, restitit quidèm opportunis locis huc atque illuc grassantibus: sed iustam in aciem prodire tantus Ductor non fidebat. Et illa ingens Macedonum uis, quę in Asiam omnem detonuerat, in patrio solo aduersus Gotos prorsus elanguit. Ergò direptis omnibus penè locis: uastatisque agris quàm potuit latissimè: cum nemo illi aciem pugnaturus opponeret: onustus præda, suis omnibus locupletatis, incolumem reduxit exercitum. Hæc prima in Europam, uelut matrem suam, post longa secula Gotorum excursio legitur. Nam priora illorum fortia facta, Asiam territabant.



¶ Gotorum uictoria erga Lysimachum, & illorum Regis humanitas. Caput. xxxi.

SVCCESSORIS Alexandri temporibus (nam Alexander Rex aliâs inuictissimus, Getas, seu Gotos, euitandos pronunciauit) cùm Getis Dronichetes imperitauit: Lysimachus, ex eiusdem Alexandri commilitio, gentem infeliciter impugnauit. Nam uiuus in manus Regis peruenit. Cui cùm suam, gentisquè suę commonstrasset inopiã: similiterque contentos re sua homines: Ne talibus inquit mortalibus bellũ infer, sed eis potius amicis utere. His dictis, donatum, hospitaliter Lysimachum, & amicitia sibi deuinctum liberauit. Admirabile quidèm, hoc illi genti dare Naturam, quod Gręci longa Sapientium doctrina, præceptisque Philosophorum, consequi nequeunt: cultosquè mores, incultę barbariæ collatione superari. Tanto plus in illis proficit uitiorum ignorantia, quàm in his cognitio uirtutum.

Gotorum humanitas.

¶ Gotorum



¶ Gotorum Inmortalitatis animarum superstitio & uanitas narratur. Caput.xxxij.

TRANSIERVNT aliquot inde secula, ut nihil magnificũ ab ea gente fieret: aut si qua præclarè gesta sunt, incuria temporũ obsoleta perierunt. quòd pauci, & penè nulli tum Scriptores in ea gente essent. Quàmuis aliâs testẽtur Autores: Getas multis Nationibus excellentius Sapientiæ studuisse. Immortalitatis animorũ opinionẽ induerunt. quòd se mori non putant, ait Herodotus: sed eum qui defunctus est, meare ad Salmoxim dæmonem: quem nonnulli eorũ, opinantur eundẽ esse Beleyzen. Ad hunc mittunt assiduè cum naui quinqꝫ remigũ nunciũ quempiam, ex seipsis sorte delectũ: præcipientes ea, quibus semper indigent. Eumqꝫ mittũt hoc modo. Quibusdam eorũ datur negociũ, ut tria iacula teneãt. Alij deinde comprensis eius, qui ad Salmoxim mittĩt, manibus, pedibusquè, hominem agitantes in sublime, iactent ad iacula. Quòd si statim cadens extinguitur: propitiũ sibi Deũ arbitrantur. quòd nunciũ facile exceperit. Sin minus: ipsum nunciũ insimulant, malũ illũ esse uirũ. Hoc abiecto, aliũ mittunt, dantes adhuc uiuenti mandata. Iidem dum tonat, aut fulgurat, in cœlũ sagittas excutiunt: minitantes quòd nullũ alium esse Deum præter suũ arbitrentur. Verùm, inquit Herodotus, ut ego à Gotis accæpi: Hellespontũ, & Pontum incolentibus, Salmoxis hic homo fuit: Samioqꝫ seruiuit Pythagoræ Mnesarchi filio. Isthic nactus libertatẽ, cùm multum pecuniæ comparasset, in Patriam redijt. Qui cùm animaduertisset, gentẽ suam malè, & inscitè uiuere: ipse edoctus Ionicũ uiuendi genus, & mores quàm Getarum liberaliores: ut qui conuersatus esset cum Græcis, cumqꝫ Pythagora, uiro eius ætatis sapientissimo: domiciliũ extraxit: in quod primos quosqꝫ populariũ in conuiuiũ accipiebat: & inter conuiuandũ docebat: neqꝫ se, neqꝫ suos conuiuas, neqꝫ illos qui illic assiduè gignerentur, morirenturqꝫ, interire: sed in eum ire locum, ubi superstites semper omniũ bonorum compotes forent. Dum autẽ ea quæ commemorata sunt agit, interim subterraneũ ædificiũ struit. Quo prorsus absoluto, è gentilium suorũ conspectu se subducit: descendens ad illud subterraneum antrum: ubi circiter triennium degit, desyderantibus eum suis, atqꝫ tanquàm mortuũ flentibus. Quarto anno reddit se suorũ conspectui. Atqꝫ ita credibilia effecta sunt, quæ illis exposuerat de inmortalitate. Strabo uerò geographus, non multum ab hac sententia discrepans, hoc adijcit: quòd tanta cœpit esse & increscere hominis admiratio, ut Regi par haberetur: illumqꝫ Rex in consortiũ administrandi Regni desumeret. Adiuuisse ergò Regẽ ferũt: cùm homines longè magis quàm prioribus, an-

Gotorũ ueterum uana superstitio.

Salmoxis quis.

nis cerneret animos illi attentius adhibentes: tanquàm è diuorum con silio edicta efferēti. Quod & Numa Pompilius fertur de Egeria nympha populo persuasisse. Et hic mos ad nostram usque ætatē (ait Strabo) perdurat: ut semper aliquis eiusmodi præditus institutis inueniatur, qui Regi Consiliarius adsit: & ipsos inter Getas Dei nomen assequatur. Sacerque relictus est mons, quem sic nominant Cōgeonum. Quo etiam uocabulo præterlabentem amnem appellauere.



¶ Berobistas Rex Gotorum electus est, sub quo Dicineus liberalibus artibus Gotos erudiuit. Goti per multos annos Datiam obtinuerunt: quæ Regio postea Gotia, postremū Gepidia appellata est. Caput. xxxiij.

Berobistas Rex Gotus

BEROBISTA deinde regnante in Gotis, Dicineus uenit in Prouinciam: eo tempore, quo Sylla rerū Romanarū potitus est. Quem suscipiēs Gotorū Rex, permisit illi parem sibi potestatem. Eius consilio Goti ausi sunt Romanorū terras populationibus infestare. Tantam is sibi in populo comparauit autoritatē: ut quicquid ille uel suaderet, uel iuberet, quasi de cœlo sonuisset, alacres implerent. Instruxit gentem plurima sapientia. Selegit Sacerdotes. Religionē adhibuit. Et in omne quod instituit uotum, perduxit gentem: ita sibi omniū animos conciliauerat. Ethicam quoque perdocens, barbaricos gentis suæ mores composuit. Physicam item tradidit: ut nossent secreta naturæ. Cuius doctrinas diligenter habuere conscriptas: Belaginesque appellauere. Neque Logicen prętериjt disceptatricem, pugnatricemque artem. Postremo nihil omisit, quod ad uniuersitatem rerū agnoscendam pertinere uidebatur. Signa monstrauit in cœlis. Eclypsium, & cæterorū mirabilium causas edocuit. Tempora signauit. Vnde tremor terris. Qua ui maria alta tumescant, obicibus ruptis: rursusque in se ipsa residant. Quid tantū Oceano properent se tingere Soles hyberni: uel quę longis mora noctibus obstet. Cerneres Martiales uiros, positis armis indulgere literis: alium in puluere rerū mēsuras describere: aliū cœli signa subnotare, uenturamque tempestatem præsagire. Hęc & alia Dicineus disseminās, mirabilis in gente sua enituit. Quo decedente, pari ueneratione habuere Commosacū. quia nec imparis erat solertiæ. Hic enim & Rex erat, & Pontifex: & in summa præfuit genti iusticia. Et illo quoque rebus excedente humanis, Corillus ad Regnū Gotorū peruenit: & per annos quadraginta in Datia, gentibus suis imperauit. Daciam hic, inquit Iordanes, accipe, quam postea Gepidarum populi possederunt: quam in conspectu Mesiæ, trans Danubium corona montium cingit: duos tantùm habens accessus. Hæc Datia, quā Gotiam suis temporibus dixere Maiores: postea etiam Gepidia dicta: habet

Dicineus Gotorum eruditor, à consilijs Regis.

Belagines.

Commosacus Rex & Pontifex Gotiæ.

Corillus Rex.

habet ab Oriente Orozolam: Occasu Iàziges: à Septentrione Sarmatas, atq; Basternas: à Meridie amne Danubio terminatur.



¶ Iordanis historici negligentia taxatur. Berobistæ narrantur uictoriæ: & Gotorum cùm augmentum, tum illorum per Romanos depressio. Caput. xxxiiij.

BLONDVS in historia declinantis Imperij, quam ætate nostra edidit: ubi initium inclinationis à Gotis peruenisse testatur, & quædam de huius gentis Antiquitate commemorat: inter alia tradit, Lucullum Gotos Mesia expulisse: illo tempore, quo aduersus Mithridatem Ponti potentissimum Regem, bellum administraret. Incertum quo id Autore dicat. Nam Plutarchus, qui Luculli res gestas in uita eius omnes complectitur, nihil horum attigit. Nisi forte Ablabiũ iste uiderit: quem Iordanes noster semel legisse contentus fuit: omnia quę memoriæ hærerent referens in historiam. Hinc illa turpis historici, Gentis antiquitatem pollicenti, aliquot seculorum transilitio: perturbata rerum expositio: & peregrinorum montium, & fontium descriptio: quam nemo ex te Iordanes, hoc loco quæsiuit. Elegantius ista apud Ptolomæum, Strabonemq; leguntur. Gentis tuæ continuatam per secula historiam, à te expectamus: quam non habens, ad impertinentia tradẽda uires cõtulisti. Testatur Strabo: quòd eo tempore, quo Berobistas, de quo supra, Getarũ tenebat Imperiũ: diuus Cæs. aduersus hanc gentẽ instruxit exercitũ. Et ut paulo post idẽ ait. Nostris annis, hoc est, sub Aug. Cęs. Ælius Cato, ex trãshistrana regione. 50000. Getarũ in Thraciã habitatura traduxit. Quæ gens eadẽ qua Thraces utitur lingua: qui hac etiã ætate ibidẽ habitant: Misijq; uocantur. Berobistas igitur uir natione Geta, cùm gentis eius Pręfecturæ insisteret: homines frequentia bellorum & cladibus afflictos, reficiendos esse curauit: eosquè eo magnitudinis extulit, nunc exercitatione corporum, nunc uictus sobrietate, nunc Edictorum obedientia: ut intra paucos annos, latum adeptus sit Imperium: plurimosquè finitimorum Getarum ditioni subdiderit. Traiectoquè audacter Histro, Thraciam diripiens, usq; in Macedoniam, & Illyricum: magnum Romanis terrorem incusserat. Deq; Gallis finitimis, Thracibus, & Illyrijs prædas ingentes reportauit. Boios autem, & subditos Critosyro populos funditus deleuit: simul & Tauriscos. Ad nationis uerò ipsius commoditatem adiutorem habuit Ceneum uirum Magicis artibus deditum, diu AEGYPTI horas peruagatum, Auguriorum peritum: per quæ Deorum Responsa renunciabat: & paruo in tempore in Deorum numero constituebatur. Quemadmodũ de Salmoxi supra nunciauimus. Ingentis obedientiæ argumentum est: quòd eius suasione

In Iordanis negligentiã

Berobistæ uictoria.

Cenensis augur.

lib. eo. c. 31. b

inducti, uites excidere: & sine uino uitam agere consenserunt. Ipse aūt
Berobistas moritur. Berobistas, insurgentibus nonnullis prius perijt, quàm Romanus populus aduersus eum misit exercitū. Regnicꝫ successores plures in partes diuisi sunt. Nam cùm Cæsar Augustus cōtra eos quinquaginta milia misit exercitū, tunc quatuor in partes distincti erant. Huius aūt gentis partitiones ad tempus fiunt: & aliæ alio tempore. Nam fuit & alia
Getę, Daci, Dani. regionis diuisio, ex antiquis permanens temporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellāt. Getas quidē, qui ad Pontū in Orientem uergunt: Dacos aūt, qui in oppositū uersus Germaniam, & ad Histri fontes: quos olim Danos uocatos esse reor. Exquo apud Athenięses, Danorū & Getarū noīa seruilia plurimū abundabant: hoc sanè credibili
Scythæ Daæ. us est, quā à Scythis, quos Daas dicunt. longè enim illi propè Hircaniam positi sunt. Nec ex eo loco Athenas mancipia deportari putandū est. Gens deinde quæ Berobistæ ductu in tantā conscēderat amplitudinē: demū ob domesticas seditiones, & ex Romanorum bellis depressa est. Tamen adhuc ad milia hoīm. 40. emittere aptè ualent. Cùm uerò plurimū auctū haberet̄ illorū Imperiū, ad ducentū milia armabāt: nūc ad eā quā diximus tenuitatē, gens redacta est. Eocꝫ propè puentū est, ut Rom. subdant̄ Imperio. Necdum aūt omnino subiecti sunt Romanis, propter quandā in Germanis positam fiduciam, qui in eos gerunt spiritum hostilē. Hæc sunt Strabonis de Getis, atcꝫ Dacis testimonia, quæ gentes unam recognoscunt patriam, regionē Baltiam, Peninsulā grandem: quæ Gotos cum Danis, ex quibus Getæ, & Daci nominati sunt, longissima ante ætate, ut diximus, emisit: nunc aūt extincto apud Danubium Dacorum nomine, reuersum est nomen in primam regionem. ut ex Danubij quondam accolis, Daci nunc uocentur, qui ab an
Daniæ lib. 1. cap. 2. tiquissima memoria à Dan primo Rege sunt uocitati Dani, cuius alternationis uarietas, legentes solet in errorem ducere.

¶ Iordanem rursus taxat, Ostrogotos, à Vuisigotis separās, Goti item ab Augusto pacem petunt. Caput. xxxv.



DEINDE tertiā Gotos sedē habuisse memorat Iordanes, post Cimeriam terram, quam primam habitabant. Deinde post Thraciā, Misiamcꝫ, in quam secundo migrabant, in Ponto ad mare: nec quo tēpore, quóue Duce illó peruenerint narrat, magna Scribētis incuriositate, si modo Annales ante se habuit, quos sequeret̄. Iam inqt, humaniores facti, mansuetiorescꝫ, Pontū habitabant. Id sub Mithridatis Regno, ante, uel post fuerit, mirū in de silentiū. Tantùm hoc cōmemorat, ortā ibi fuisse gentis quandam distinctionē, ut Ostrogoti, qui ad Oriētales, Vuisigoti, qui ad occiduas eius regionis oras habitauerant, dicerent̄. Interuenit tamē, ut Ostrogo

ta nomen

ta nomen, uni esset ex Regibus, qui Orientalibus imperitabat. Inde alij nacti occasionẽ, Vuisigotos sese dixere. Quanquàm & illud uerũ sit: in primordiją Gotorum sede illam ualere distinctionem: ut Orientales, & Occidentales Goti etiam ibi nominentur. Vna certè causa maximè: ut certæ quædam, uel omnes, ad eam quę post magis inualuit in hac gente distinctionem, poterant subesse. Commemorat deinde, in ea gente barbara Heroũ nomina, quę illi Carminibus suis cõcelebrãt: & descẽdit usq; ad Theodoricũ, qui dominatus est in Italia: & ad prolem eius: usq; ad nouissimũ Vuitigem: quem magno bello uictũ & captum, Bellisarius Iustiniano perduxit in Cõstantinopolim. Nobis nihil in nominibus eorũ, qui ad historiã non pertinent cõmemorandis, operæ ponendũ est: dummodo eos, qui res pręclaras gessere, suis in locis in commemorationẽ reuocemus. Hoc tantũ insinuato: quòd Goti in creandis Regibus non facilè discesserũt à Regia Amalorum in Ostrogotis, & Baltorũ in Vuisigotis familia: quo minus ex illis Reges sibi per tempora crearent. Quod ubi opus erit cõmemorabitur. Solenne fuit in his familijs, atq; adeò in omni gente: præclara Regum facta Carminibus patrijs celebrare: quòd unũ in omni gente Germanorũ fuisse, perennandæ memoriæ genus, Cornelius Tacitus diligens Germanicæ Antiquitatis scrutator, tradidit in sua Germania. Paulus Orosius dum suo more calamitates seculorum conquirit, cursim multa peruolitat: attingens potius, quàm explicans: commemorat hanc quoquè Gentem inter alias multas, Augusto Cęsari iam in Hispanijs detonanti bello, ad urbem Terraconem Legationibus occurrisse, pacem petentes. Eamq; sibi promptius pollicẽtes: quòd in longinqua regione postularẽt, magno honore repetentes memoriã, & innouantes Augusto gloriam in occidua regione, quam olim Alexander promeruit à multis mundi Nationib. in Oriente. Nam quomodo Hispani adierunt in Babylone Alexandrũ: ita Parthi cũ Medis, Goti cũ Ponticis Augustũ mũdi dominũ cõsalutauere in Terracone, hoc est, in occidua Hispania.

Goti ab Augusto pacẽ petunt.



¶ Ad Suetiam reuertitur Autor: atq; illi quoq; per Historicos malè prouisum queritur. Caput. xxxvi.

AD Suetiam reuertamur: in qua iamdudũ nihil magnũ, aut pręclarum recolitur: quòd uel Danorũ Imperio per ea tempora paruerint, contenti subesse: uel quod potius crediderim, quòd pręclara illorũ temporũ facinora, in ea gente per incuriã scribentiũ sint sepulta. Nam Daniæ quoq; gesta Scriptor ille memorabilis, per aliquot secula transilijt, quòd nulla ante se habuerit Priscorũ adiumenta: nullos Annales repererit: nulla etiam, quæ solet in testimonium uocare Carmina (quanquàm illa perbreuia sint magnarũ

rerum

rerum testimonia) uix paucorum Regum nomina recenset: multorũ in medio pertransit. Nam per annos penè Quingentos (quis credat) solos quatuor, aut quinq; Reges in gente ea regnasse? Præsertim, cùm propter incertum mortalis uitæ, & propter multa regnantium pericula: quòd multorum uel insidijs, uel molitionibus apertis pateant, breue sit multorum Regnum. Nam quòd Satyricus ait,

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Sicubi conspectum est aliâs, in hac gente conspectißimum est. Et quidèm Danici Regni eclypsata narratio, damnũ quoq; Sueticis rebus commemorandis irrogauit. Nihil enim in tanto temporis tractu de Suetia attactum est. Nisi quod dicitur, Hucletus unus ex Daniæ Regibus, qui hoc intaruallo regnabat, Homethum & Hogrinum Suetię Principes, maritimo bello superasse. Vnde conijcio: per eam tempestatem hoc Suetiæ Regnum Ducibus magis, quàm Regi suo paruisse: & fortaßè tum etiam Daniæ pependisse tributa. Nam post Atislum, quem duos Slesuici Præsides, paterni sanguinis uindices oppreßisse commemorauimus: neminem Regio ibi nomine præditum, ad hæc usq; tempora Augusti Cæsaris inuenimus.

Daniæ lib. 1, cap. 24.

Supra eod. cap. 23. c.

¶ Alricus Suetiæ Rex, bello cum Gestiblindo Gotorum Rege inito, filium amittit. Duellum Goto offerens, ab Erico surrogato sternitur. Caput. xxxvij.



ALRICVS circa tempora Augusti Cæsaris, Suecorũ Regno præsedit: cui cum Gestiblindo Gotorum Rege, in eodem suo Suetiæ Regno bellum exoritur. Nam discеßione facta, iam Goti suo Regi, quem proprium statuerunt, parebant. Tum uerò Gestiblindus, cùm suis diffideret uiribus, in Frotonem tertium potentißimum Daniæ Regem respexit, iam insigni uictoria celebrem. quòd Hunorum Regem in Orientis partibus, cum multis centenis milibus fudisset. Illi ergò se permittens Gotorum Rex, auxilium rogat in Alricum Regem Sueonum. Nec difficile fuit impetrare. Nam Scalcũ Scaniæ Præfectũ, Ericumq; uirũ Noruagia natum, multis apud Regẽ clarißimè gestis florentem: & cui omne consiliũ Regiũ, pro singulari prudentia penè soli imminebat, auxilio Gotis in Suediam mittit. Quibus armis adauctus Rex Gotiæ: magno animo, ingentiq; fiducia duxit in Regem Sueonũ. Ericus uerò magni agminis ductor, primo mouit in Gunthionũ Alrici filiũ: qui Vuermis præerat, Solongisq;: quẽ prælio aggressum, superatumq;, Ericus oppressit. Pater occisi filij nunciũ accipiens, mœrore insigni afficit: sublato cui bellũ gerebat, & cui amplum pararetur

Alricus Rex, Augusto Cæsare cöetaneus.

Daniæ lib. 1, cap. 31. a.

Gunthionus Regis filius cadit.

pararetur Imperium. Attamen mœroris uictor, exercitum perarmat: ducitq́; in hostem. Pugnatur aliquandiu æquis uiribus uariante fortuna. Vbi uerò æqua manu digressum est, iam uitæ fastidium subit Alricum Sueonum Regem: quòd charissimo affectu spoliatus esset. Igitur Gestiblindum Gotorum Regem uocat in Duellum: in æquo constituens, uictor, an uictus esset: quem iam uitæ suæ pertæderet. Ericus intercæpit euocationem: iniquũ ratus, ut uir pro ætate uiribus defectus, integro opponeretur: se illi uicarium opponit Alrico, si illi uidebitur, occursurus. Non indignum iudicans, si pro illo cui militaret, uitæ subeat periculum. Accæpit conditionem Alricus: & in pugnam perarmatur. Vbi uentum est in circum, magnis utrinq; uiribus cõcurritur. Sed tum Alricus cessit, ceciditq́;: ac Regnũ Sueciȩ sine Rege ꝑmansit.



¶ Erici Suetiæ Regis consilio, Arngrinus superatis Phinnis, & Biarmorum Duce, Frotonis Daniæ Regis filiam meretur. Caput. xxxviij.

ERICVS ortus Noruagia, uir ingenio, lingua, manuquè æquè promptus, uictor Alrici, permittente & astipulante Gotorum Rege iam annis defecto: adiuuante etiam Frotone potentissimo Danorum Rege: cuius potentia terrori, nomen uerò celebre fuit in omni circum regione: Suetiæ gubernacula subit: Hic est ille Ericus, cuius in uerbis prudentiam, ingenij dexteritatem, nemo potuit illa ætate, non dico superare, sed ne æquare quidem. Quo apud Suetiam imperante, Arngrinus quidam ex Nobilitate Suetica uir primarius, & bellator egregius, Scalcum Scaniȩ Prȩfectum (quem nunc Ducem uocamus) quòd olim ab illo spoliatus nauigio diceretur, prouocatũ, Duello oppressit. Cuius facti celebritate fretus, Regis Frotonis unicam filiam audebat coniugem postulare. Atq; Ericum Suetiæ Regem sibi ad eam rem peragendam accedere precabatur. Sciebat enim, Frotonem totũ ex illius pendere consilio. Ille uerò, quòd rem magnam poscere uideretur: quòdquè Frotonis Danici Regis nomen tum omnibus in circumitu Regibus incomparabile uideretur: suadebat uiro: Ni fortibus factis, egregijsquè Militiæ muneribus, se faceret Regi Frotoni cõmendatissimum: fore Regem clarissimum ea sententia, ut filiam non nisi fortissimo Duci ad nuptias collocaret. Prouinciam nosset Phinnorũ, solam Regi esse contumacem: eam si parere Regi cõpelleret, magnam apud Regẽ gratiã initurũ: facileq́; ad optatas nuptias peruenturũ. Paruit consilio Arngrinus: & electa Militũ forti manu, in Phinniam concessit. Est autem ea gens omnium Borealium extima: niuibus inuolitans quàm citatissimè: & quæ plurimum sagittandi arte ualeat. Congreditur genti Arngrinus armis collatis. Ea artibus suis usa, sagittis in hostem

Ericus. I. Rex.

Arngrinus Scalcũ Duello uincit.

Phinni.

hostem missis, retrò tulit gressum, celerrimè auolans. Secutus autem Arngrinus, uir impiger ad arma: eo compulit gentem, ut omissis armis, ad maleficia confugerent: quibus plurimum insistunt populi Boreales. Itaq; emisso ab illis post tergum lapide, grandis & insuperabilis mons Suecis præstigiatis uidebatur. Si modicum aquæ diffunderent: amnis & lacus dirimere uidebatur insequentes à præcurrētibus. Hæc tamdiu ab illis facta sunt, donec fucum deprehendens Arngrinus, nihil horum formidaret, quo minus progressus uictoriam peregeret. Domitis deinde gentibus, id tributi impositum est: ut per decades quotannis, rhedam pellibus onustam, Regi Danorum persoluerent. Illæ enim solę sunt opes gentis Biarmorum. Deinde Ducem subigens, simili tributo onerauit: ut per singula capita, pellem unam tributi nomine Regi pensitaret. Hac uictoria cumulatus, ad Ericum regreditur: illoq; comitatus, nauigat in Daniam. Ericus apud Frotonem testis Arngrino recentis ac magnę uictoriæ fuit: quòd gentem hactenus intactam, tributis ille adegisset. Rex collaudato uictore, dignum iudicabat quem generum haberet. Itaq; data illi in matrimonium filia, felices nuptias conciliauit. Nam numerosa inde proles proueniens, Daniam, Suetiamq; Regio sanguine impleuit.

Malefica præstigia Phinnorū.

Subiguntur Phinni.

Filiam Frotonis ducit Arngrinus.

¶ Pax Christo nato, per Daniam & Suetiam æquè habita. Mors utriusq; Regum narratur. Caput. xxxix.



TEMPVS hoc erat, quo ueritas de terra orta est, & æterna iusticia de cœlo prospexit: tum publica per terrarum orbem pax, quæ Autorem pacis excępit, ad Daniam usq; peruenit, ac Sueciam. Nam Froto (quod in Dania diximus) tanta undiq; pace Regnum composuit: ut sublatis undiq; furibus, publicis in uijs aurum anno toto maneret intactum. Secutus illum Ericus Suetiæ Rex, simili est usus temporum tranquillitate. Tunc etiam in ipsa omnium urbium regina Roma, ferrea belligeri sunt clausa limina Iani. Ita totius orbis consensu, nusquàm bella tonabāt. Quippè cœli Dominus iamiam terris imminens, præsentiam suę maiestatis uel sic innotescere mundo uoluit. Froto ad extremum, maleficiorū usu, Rex omnibus regionibus conterminis formidabilis, à malefica fœmina in bouē uersa, perijt. Ericus autem Sueciæ Rex, longa fessus ætate, cùm multum ubiq; sanguinis proudisset, multum per omnem ętatem laboris exanclasset, extremum spiritum in tempora pacis profudit. Insolita illis morte, qui ferrum diu tractauere.

Christus nascitur.

Daniæ lib. 1, cap. 31, a.

Frotonis mors. Daniæ lib. 1, cap. 32, b.

¶ Haldanus à Noruagis Regno Suetiæ pulsus, auxilio Fridleui Dania potiti, Regno redditur oppresis hostibus. Caput. xl.

HALDA-



ALDANVS illi filius, in sceptra Suetiæ successit. Mox autem ubi Regnum iniјt, cum Noruagijs Proceribus bellum illi enascitur. Duodecim erant germani fratres, qui sanguinis, & opum fiducia, crebris excursionibus Haldanum uexauere. Nec segnius ille hostibus occurrit. Sæpè manum conserit. Multum utrobiq; sanguinis profunditur. Crebra prælia absumpsere militantes. Vires paulatim attenuatæ, primùm Suetiæ Regem ad extrema auxilia aspicere cöegerunt. Fridleuus erat Frotonis filius, in Russiæ Orientalibus Regnis imperans: quem Dani non superesse putantes, alium sibi Regem constituerunt. Sed Haldanus Suetiæ Rex Orienti propior, ignorare non potuit, penes quem Russorum Regnũ consisteret. Igitur auxiliaria rogaturus arma, eò contendit Haldanus: Patrum utriusq; merita, & intimam inuicem familiaritatem commemorans: quis fuerit Erico pater eius Froto, qualemúe se gesserit in obsequijs Frotonis Ericus: par fore, ut renascatur in filijs, quæ cum Patribus intercidit sanctissima fides, & confertissima amicitia. Fridleuus ignarus paterni leti, quid apud parentem agatur, si uita functus: quis Regni status sit, rogat. Vbi audit parẽtem rebus humanis excessisse: aliumq; externum, Regio sanguini sceptra occupasse, statim armis & exercitibus comparatis: & amicum Regno reddere, & sui iuris Coronam reposcere cõtendit. Haldanum quidèm in Regnum reponit: hostes eius insecutus, fortiter oppugnat, & opprimit. Fidem excedunt monstra: quæ ibi uelut fabulis contexta narrantur: cùm se Rex solus periculo obijceret opprimendorum latronum, qui in Insula, quã rapidissimus amnis ambibat, cuniculis & effossionibus latitabant. Rerum summa est. Expedita suorum manu, Fridleuũ oppressisse latrones: Haldanumq; securum deinde ab illis præstitisse.

Haldanus Rex.

Daniæ lib. 1. cap. 34. a.



Starcuteri gigantis fit mentio, & gestorum eius epilogus. Caput. xli.

EMORATVR hoc loco Starcuteri fortis, & inuicti pugilis monstrosa quædam, & incredibilis uirtus: quòd supra hominum staturam longè euectus, giganteã quandam præ se molem tulerit. Respondit corporis magnitudini uiriũ (ut ferunt) robur. Nam ætatem trium hominum fertur egisse. Atq; ita re ipsa compertum ferunt. Cæterum ea quæ adhibent narrationi, fabulosa sunt. Thor, atq; Othinum Deos immortales, perinde ac Iouem & Mercurium huic tantum præstitisse robur: ut illo uindice uterentur in omnes sui contemptores. Re autem uera compertum est, illos fuisse maleficos: qui dæmonicis figmentis, & arte Magica, præstigiosisquè adumbrationibus, omnem eam gentem in se conuertissent: ut opi

Daniæ lib. 1. cap. 35. b.

Superstitio nes Veterū. nione de immortalitate eorum habita, illos templis honorarent: & simulacris dedicarent: diesq́ solennes eorum uenerationi consecrarēt. Et quemadmodum nos septem Planetarum nominibus dies discernimus: ita horum uocabulis ipsi inter se suos dies designarent. Et quis miratur tantum ualuisse in hac gente talium Deorum opinionem? Quando apud Ægyptios, Græcos, & Romanos, omnium mortalium prudentissimos, indignæ fabulæ colerentur: templisq́ honorarentur, Iupiter, Saturnus, Mars, Mercurius: quos tamen fuisse mortales homines, & quorum sepulchra sciebant. Sed ex digressione reuertamur ad institutum. Hic Starcuterus admiratione dignus homo, hac uixit ætate, illa tam monstrosa corporis proceritate, & uiriū immanitate: quòd nihil illi inuictum haberetur. Peruenitq́ in longæuam ætatem. ut suis locis attingemus. Eius tamē hoc loco commemorationem inserimus: Cur Starcuteri hic facta mentio. quòd ex Suetiæ regione, in Daniam peruenerit: absumptisq́ naufragio socijs, solus superstes se Regis Danorum famulitio insereret: præclara ubiquè edens facinora. Patria tamen illi fuisse creditur Estonia, in Liuoniæ partibus: regio etiam nunc cognita: à qua breuis tractus est in Sueoniam. Idem cùm iam multo tempore apud Daniæ Regem Daniæ lib. 4. cap. 37. Frotonem, multa undiq́ trophęa comparasset: & cerneret filium eius Ingellum socordem, uentri & delitijs deditum, à bellicis rebus ac laboribus abhorrere: commilitium eius deserens, in Suetiam ad Haldanū Regem, Erici filium se retulit. Vnde tamē Helgonis Norici precibus euocatus, illi aderat: in Dania Duellū pro illo excipiens: quo Helgam Frotonis Regis quondam sui amantissimam filiam illi coniugio sociaret. Quo in loco nouem se tyronibus uno conflictu opponens, omnes trucidauit. Multis tamen inuicem excæptis uulneribus. Idem plagis non dum medicamine procuratis, nec adhuc cicatrice obductis: occiso ab æmulis Haldano, Suetiam repetens, filium eius Siuuardū, repressa rebellium instantia, paternæ ditionis seruauit hæredem.



¶ Siuuardus Starcuteri auxilijs Regno succedit, at mox prælio, Haldani armis cadit. Caput. xlij.

Siuuardus I. Rex. SIVVARDVS Haldani filius, præsidio Starcuteri, patrijs Regnis hæres successit. Tantum ualuit fortissimi uiri conatus. Huius præclara nulla memorantur: nisi quòd Vluildam filiam, Frotoni Daniæ Regi coniugio sociarit. Quæ res illi periculum uitę, & postremo interitum adduxit. Nam cùm Froto ille germanum suum natu minorem sustulisset: quòd ingenti uirtute, & rerum gestarum gloria tenebras fratri inijceret: filij eiusdem occisi Haraldi, cū per multos casus & pericula plurima emersissent, & ad uiriles peruenissent annos, paterni sanguinis uindices, pœnas à Frotone sumpse-

ne sumpserunt. Nec contentus Haldanus nece patrui, in Siuuardum quoque Sueciæ Regem arma uertit. Cuius cùm filiam Froto coniugem tenuisset, arbitratus & uxoris consilio paternam necem patratam: itaque prælio commisso, Siuuardum Sueciæ Regem oppresit.



¶ Ericus, Aquino Duce, ferro aliàs inuiolabili, amisso, uaria fortuna, nunc uictor, nunc uictus, ab Haldani tandem insidijs interceptus, strennuè mortem obit. Caput. xliij.

ERICVS Siuuardi ex filia nepos, Frotonis Daniæ Regis filius, materno auo successit in sceptra Sueciæ. Huic ex qualibet causa infestus fuisse perhibetur Haldanus patruelis eius: uel quòd adolescens auitæ necis ultionem præ se ferebat: uel quòd successioni Suetici sceptri se, quàm Ericum propiorem existimaret. Qualicunque ergò interueniente causa, res in bellum processit. Ibi Ericus Ductorem exercitus habebat Aquinum: qui ferro inuiolabilis putaretur. Haldanus autem huic rei comparans antidotum, ingentē clauam (Herculeum genus) ferri nodis innexuit: qua progressus in pugnam, fidebat etiā sine uulnere Ducem prosternere. Veniunt ad prælium. Magnis utrinque uiribus certatur. Cadunt utrinquè plurimi. Haldanus in acie Ducem aduersum per densa repertum agmina, aggreditur. Reiecto clypeo, utraquè manu sublatū clauæ pondus, liberabat in hostem. Tum uis hebetandi ferri profuit nihil. quippè cadēs Aquinus exspirauit. Attamen oppresso Duce, perstitit uirtus militum, & sine Ductore uictoriā assequitur. Igitur Haldanus Ducis quidē uictor, sed acie uictus, fuga sibi cōsulere cōpellitur. Nā multis affectus uulneribus, ægrè profugit in Helsingiā. Ibique uix benè cōsertis uulneribus, superuenere milites Erici Suecorum Regis: ut detectū ibidem Haldanum, aut caperēt, aut opprimerent. Sed erat maleficiorum tum magnus usus in ea prouincia. Nam obcæcati milites, quem quærebant, etiam in conspectu stantem uidere non poterant. Renouato per interuallum bello, Haldanus petit Ericum: in quo cùm se numero militum longè cerneret superari, insidias molitur: obsidens montium fauces, quibus erat Ericus erupturus. Nō defuere artes cauendi fraudes Erico. Igitur circumducens agmen, patenti uia hostibus occurrit. Ibi conserta pugna, cùm Haldanus uinceretur: parte copiarum seducta, idem Haldanus montem conscendit: quem his rebus ante præparauit. Inde deuoluta grandia saxa, agmini gradientium hostium superiniecit: oppresitque magnam aduersantium multitudinem. Suetia enim rupibus, & perinde faucibus & angustijs uiarum plena, facilè patet transeuntium insidijs. Effecitque his rebus: ut Ericus, cuius iam magna exercitus pars erat oppressa, fugam intentaret: Haldanoquè Sueciæ Regnum uacuaret. Ingressus Suetiam

Ericus, II. Rex.

Daniæ lib. 2. cap. 2.

Aquinus cadit.

Saxorū deuolutio.

Haldanus, omnia pro Rege administrabat. At non quieuit Ericus, renouatis uiribus, ad pugnam excire hostem: feliciusq́ arbitratus, in alieno, quàm in suo grassari: Daniam prælio pertentauit: Haraldumque Regem, Haldani fratrem, tribus prælijs superatum, cöegit in auxilium deuocare germanum. Igitur Haldanus, Daniam à fratre inuocatus, ab hoste liberaturus, exercitū deportat è Suetia: fecitq́ Erico perinde Regnum suum peruium. Sed non reliquit diuturnū. Nam reparato rursus bello, classem instruit: eamq́ locat in insidijs occulto maris sinu: duobus solis nauigijs quasi speculaturus egreditur: Ericoq́ se ingerit sub aspectum. Ille ubi hostem agnoscit, tam paruis copijs egressum: ilico adnauigat plenis uelis, illum quasi intercæpturus. Ille uerò flexa nauigatione, longius à suis protrahit Prætoriam Erici nauem, paucis æquato uelo subsecutis. Inde ubi ad locū insidiarū protraxit hostem: statim tecta classis egredit̄: Ericumq́ cū paucis facilè multi intercipiūt. Oblatam ab hoste uitā, magno spiritu cōtempsit: preeligēs in libertate mori, quā in subiectione uiuere: quæ una omniū fortiū semper sentētia fuit.

Dania infestatur.

Daniæ lib. 2. cap. 3. a.

Ericus cadit



❡ Haldanus bello Suetiam consequitur. Siuualdum cum septem filijs uno duello prosternit. Ebbonem piratam item fundens, Vnguini Gotorum reguli filiam meretur uxorem. Caput. xliiij.

HALDANVS iam Suetiæ Regno potitus, mare piratis purgare instituit: uir solis armis innutritus: & qui coniugio aut liberis non studeret: neq́ uoluptati ulla ex parte indulgeret. Et dum bellis totus incumberet, inuentus est in Regno uir primarius nomine Siuualdus, inter alia militaris operæ præclara facinora, septem filijs pugilibus septus. Hic in concione questus apud Primores: Regnū Sueonum occisis Regibus suis, alienigenæ subesse potestati. Si uiri essent, facilè futurum, ut illis imperarent, quibus seruire cogantur. Inita ergò conspiratione, Regem Haldanum pellere, ac Regno destituere coniurant. Quod ubi ad Regem delatum, iam in maritimis laboranti: nihil ille motus est: sed militibus ferrum paulisper ab hostibus auersum, in ciues distringendum edixit: quos accæpisset in se malignari. Auctis deinde copijs, terra, mariq́ ducit in hostem. Sed cōiurati ubi uident Regem in se magnis uenire uiribus, armis suis diffidētes, quòd imparem longè militum numerum habuere conscriptum: in Ducem factionis ac conspirationis respexêre. Ille ubi se signari omnium oculis intelligit: Haldano Regi mandat per nuncium. Si tibi inquit uirium aliquid est, famam exæquare curato: Duellum offero cum filijs. Detrectare quidèm uerecundum erat: & si iniqua conditio proponeretur. quòd Rex, inferioris ordinis uiro, unus octonis occurreret. Tanta tamen erat

Haldanus Rex. II.

Siuualdus coniurator.

erat in Rege animi uis, ut nō recusaret. Improperanti tamen iniquam conditionem: quòd timidi animi uideretur, nō fidere pectori: ut unus uni occurreret. Siuualdus reiecit. Quid ergò iactas uires? Hæc unius uiri sunt ossa quæ cernis. Sparsi uires in liberos: partitas illas æquè in duellum contraho. Si tu frigido hactenus thoro cubasti: tibi refer detrimentum. Pater & filij una sunt caro. Tergiuersari tibi non licet. His atq; similibus uerbis prouocatum in duellum Regem extraxit. Exorta uerò pugna, uictor Haldanus, patrem cum filijs uno exitu absumpsit: seq; reddit Regno suo ad pristinam stabilitatē. Inde uerò iam temporum tranquillitate gaudens, cùm audiret Vnguinum Gotorū Regulum, filiam unicę pulchritudinis despondisse cuidam Piratarū Principi: ui magis adactum, quàm suapte uoluntate: indignatus Haldanus, tantam in Regno iniuriam fieri: quòd uir plebeius, solis furtis & Piratica insignis, Regio se sanguini miscere conaretur: & quòd indignius est, etiam metu impulsum, adigere patrem ad impares nuptias. Non tulit rei indignitatem: sed secretius per nuncium admonito Vnguino, quid pararet. Diem Nuptiarum ubi audiuit esse: cùm Regio luxu feruerent omnia: proximusq; Piratarum Princeps Regi accumberet: sponsus (ut sperabat ille) Regiæ puellæ, ingressus Regiam: Haldanus ignoto habitu, oreq; parumper distorto, ac per industriam contracto, quis Sponsus haberetur, ad nuptias libera uoce percunctatur. Qui, inquiūt, Regi proximus accumbit. Ergò conuersus in eum. Tu inquit, Regium sanguinem thoro deposcis? Quibus oro meritis? quibus Patrum stemmatibus? Si quid tibi uirium est, exurge mecum in duellum. Nocturnum ille respondet bellum, Laruarum est, non hominum. Haldanus subinde. Tenebras queri non potes. cùm sublustri luce Luna diem nobis repræsentet. Rubor adegit hominem assurgere in duellum. Victus autem, ex nuptijs funus habuit. Hunc exitum habuit uir Pirata, quòd supra fortunam suam nuptias sequeretur. Haldanus puella traducta, Hasmundum ex illa sustulit filium: succrescentibus annis Noruagiæ Regem. In Regno ita consenescens, alienis commodis desudasse uidebatur. Pacatoq; fine quiescens, uir in armis semper uersatus, Testamento signauit quē post se Suetiæ Regē uoluisset.

Pulchra uisio.

Daniæ lib. 2. cap. 4.

Piratā sponsum Rex duello sternit.

¶ Vnguinus ex testamento succedit Haldano. Alfus Aluildam nauali congressu, decussa illi galea, uxorem sibi desumit. Caput. xlv.



NGVINVS ex Gotortm Rege, testamento Haldani Rex Suetiæ designatus, Procerum uoluntate Regnum accæpit. Tantum ualuit apud omnes Haldani fortisſimi Regis autoritas: tantum apud illum Vnguini uirtus, ut &

Vnguinus Rex.

Regi conciliaretur ad succeſsionem, & Proceribus non diſpliceret.
Homo ætate grauis: qui Regnum, quod ex minori maius accæpit, diu tenere non potuit: ſed Siuualdo filio moriens, reliquit tam Daniæ, quàm Sueciæ Regna. Cuius res præclaras, quia in Dania ſumus executi, nihil opus eſt hoc loci repetere. Interea cùm utrunquè Regnum uni pareret, Gotorum in Suecia Principatus, quantum potuit ſe à ditione Danorum retraxit: ſuum Regem conſtituens, quem ſequeretur. Regnabat ergò per id tempus in gente Gotorum in Suetia Siuuardus: filios habens Vuemundum, & Oſtenum: filiamq́ Aluildam eximiæ pulchritudinis puellam. Quæ cum Danorum Regis filio adoleſcenti, & nobilitate generis, & rerum geſtarũ gloria florenti, cùm eam poſceret coniugem, ſola matre repugnante, prouenire non poſſet: Puella omnem thorum maritalem peroſa, cœlibatum eſt amplexa. Ne tamen ætatem in ocio contereret: uirili habitu contecta, militaria ſectabatur munia: piraticamquè aggreſſa, breui Piratarum Princeps conſtituitur. Caſus obuium illi in mari dedit ſponſum: cum quo ignorante ignorans pugnam conſerit. Sed dum ferueret prælium, galea decuſſa capiti, puellam prodit: & ex hoſte protinus dedit amatorem. Siquidem Regius iuuenis ubi agnouit notos uultus, receptui cani iuſsit: pugnamq́ inhiberi. Et inſiliens puppi uirginem amplexatur: fortunam accuſans, quæ talem illi hoſtem obieciſſet: malle tamen ſic occurriſſe, quàm omnino incognitam præteriſſe. Itaq́ amata ſua potitur in mari, quam in Regia conſequi non poterat.

Daniæ lib. 2. cap. 5.

¶ Sueci Danis poſt acre bellum, conciliantur. Hagbarti uictoria, amor, & ſtuprum cum Sygne puella Regia: utriuſq́ item lamentabilis interitus.

CAPVT XLVI.



Regnaldus Rex.

REGNALDVS inde Suecorum Regnò potitus, magnis uiribus contendit patriæ tueri libertatem: Danosquè, qui ditionis ſuæ iura in Regno præferebant, reprimere. Igitur magnis inter Siuualdum Danorum Regem, Vnguini filium, & hunc Sueonum uiribus apud Sialandiam concurritur. Altero pro libertate, altero pro dominatione multa conantibus. Concurſum autem eſt tantis odijs, tamquè graui ac diuturno prælio, ut in triduũ pugna extraheretur: ſola nocte quæ intercedebat, pugnam dirimente. Sed hanc tam pertinacem pugnam, ſola mors Regnaldi diremit. Ille enim ſuæ partis ductor, ubi cadebat: cecidere pariter animi fortiſsimorum militum, ut fugam inirent, qui ubiquè uincere conſueuerunt. Inter alios autem Starcuterus uir monſtroſæ fortitudinis, terga tum uertit. Quod illi

Daniæ lib. 2. cap. 5.

illi creditum est accidisse: ut humanæ fragilitatis uitam in se quoq; experiretur: ne supra hominem sentiret. Dilapsi inde Proceres, in Piraticam se conferunt: Haconi cuidã gentis primario adhærentes. Fratres hic habuit Heluuinũ, Hagbartũ, & Amundũ: qui & ipsi Piraticã agẽtes, inciderunt in Siguari Danorum Regis filios, ad eundem quęstũ nauigantibus. Siquidem honestum hoc Militiæ genus tum habebatur. Conserta pugna, tam acri inter eos odio dimicatum est: ut postero die, propter crebra suorum uulnera, ambæ partes quietem agerẽt. Itaq; post mutuum quod tandem tenebant interloquium, ex hostibus amici facti, unà in Daniam nauigauere. Hagbartus iam fretus familiaritate Regiorum Iuuenum, in Aula diuersatur: colloquiumquè (ut fit) cum Sygne Regia puella, dictorum Iuuenum germana sorore serit: illiquè per amorem conciliatur. Erant autem & in eadem Regia Nobiles, qui formæ & nobilitatis fiducia, eandem Regis filiam procabantur. Horum unus gente Teutonicus, cùm intelligeret, puellam in Hagbartum inclinare propensius: perfecit, ut simultas oriretur inter Regis filios, & memoratos hospites aduenas, Iuuenes de Suetia progenitos. Quæ paulatim increscens: ex rixa processit in pugnam. Itaq; Hagbarti fratres, cum Regijs Iuuenibus prælio conserti, utpote in alieno Regno, à multis pauci facilè opprimuntur. Superueniens autem Hagbartus recens uiribus, copijsq; nouis adductis, fessos pugna Regios confecit. Atq; eit antus uigebat animo amor: ut huius rei sibi conscius, muliebri ueste Regiã peteret: specie perferẽdi mandata ab Hacone missa, Puellæ, ut putabatur, sponso futuro. Is tum Hiberniam oppugnabat. Muliebri ueste fallebat omnes: ut ad amatam suam perueniret. Sed ubi iam cubatum eundum, sedulo ministerio Regiæ puellæ lauandis pedibus ab Ancillis instabatur: illa quoq; ministerium deriuauit in aduenam quæ putabatur fœminam. Itaq; pedes item eius contrectantes puellæ, mirantur callum in calcaneis. Quid mirum inquit Domina, si militari officio fœmina discurrens, duriciem contraxi manibus, pedibusq;: non pensa, sed gladium: non lanam, sed arcũ, armaq; cætera contrectans. Regia autem puella aduentanti nunciç locum cubandi præbuit honoratum: ut socia sibi thori maneret: multa inter noctem super Hacone quæsitura. Hanc rem tum nulla ministerialium suspexit. Inter mutuç autem uoluptatis colloquia, Hagbartus rogat: quid futurum sit, si pater eius furta deprehendens, in se animaduertat seuerius. Illa protinus respondit: eundem sibi cum illo uitæ & mortis exitum fore. Operçprecium est agnoscere, quibus hic ludat Carminibus Saxo noster, commemorans Amatoris uerba.

Hagbarti uictoria.

Pauca hæc Carmina inseruit Autor, in gloriam Saxonis

Si captum Genitor tuus
Me tristi dederit neci:
Nunquid coniugij fidem
Tanti fœderis immemor, post fatum repetes meum?
At illa.
Me corde tecum Chare uelle commori,
Si sors exitij prætulerit uicem,
Nec ulla uitæ prorogare tempora,
Et me consimili deuoueo neci.

Vt quos idem fœdus thori uinxerat: idem supplicij contineat nodus. Priusquàm autem dilucesceret, abire parans Hagbartus, ab Regijs lictoribus iam omnes exitus obseruantur. Nam ancillę (suspiciosum genus) nescio quid conspicatæ, uirum adesse prodiderũt. Comprensus, in medium producitur. Sententiæ rogantur in tam temerarium, uiolentumq́ꝫ stupratorem, latronemq́ꝫ: qui prolem Regiam partim extinguere, partim ausit incestare. Erant, qui forti eius opera in hostes monerent utendum. Sed præualuit eorum sententia, qui pœnas sumere uoluerunt. Itaq́ꝫ suspendio adiudicatus educitur. Obseruabat è specula Regia filia, quid Amatori futurum esset, quem iam scierat comprensum. Vbi suspendio adiudicatum comperit: dedit lachrymas morituro. Et circumspiciens Ancillarum fidissimas, Quænam inquit uestrũ, dominam me uolunt abituram comitari? immo ut rectè intelligatis, morituram? Omnes illachrymatæ, fidem dederunt. Illa constituto speculatore, qui nunciaret momentum Amasij morientis: alios subornauit, qui ignem supponerent triclinio, simul ut illa sibi manum iniecisset: pepla singularum iubet ab alto alligari, nodumq́ꝫ fieri, cui promptè capita inserantur. Hagbartus ubi adducitur, circumspiciens oculis, quærebat amatam: percupiens, ut sub oculis eius moreretur. Vbi uidit patere fenestras, cuncta oculis obseruantis puellæ: Benè habet inquit. Paludamentum suum iubet, quæ proxima stabat arbori inijcere. Quo facto, arbitratus puellæ speculator, iam ipsum appensum: dat signum obseruantibus. Ilico ignis exoritur: capita nodis ancillæ inserunt cum domina: pedum fulcimenta, quibus institerant, pedibus deijciunt: & ante Amatorem suum Amata consumitur. Incendio puellaris aulæ conspecto, agnouit Hagbartus quid ageretur: Nunc inquit tempus est: include spiritum Lictor: ne longè comiter præcedentem, quàm hac luce dilexi chariorem. Ita & ille consumptus est. Elegiam idem Saxo conscripsit Iuuenis morituri his uerbis.

Hagbartus suspendio adiudicatur

Spectaculũ miserabile.

Ocyus ô Iuuenes correptus in aëra tollar:
Dulce mihi nupta est, post tua fata mori.

Aspicio

Aſpicio crepitus, & tecta rubentia flammis:
Pollicitúsq; diu pacta reuelat Amor.
En tua non dubijs completur pactio uotis,
Cùm uitæ mihi ſis, interitusq; comes.
Vnus erit finis, unus poſt fœdera nexus:
Nec paſsim poterit prima perire Venus.
Felix, qui tanto merui conſorte iuuari:
Nec malè tartareos ſolus adire Deos.
Ergò premant medias ſubiecta tenacula fauces:
Nil niſi quod libeat pœna ſuprema feret.

Ille mox Lictoris opera abſumitur. Rei fides pręſentibus locorum indicijs exhibetur. Cùm & Hagbartus pago uocabulum indiderit: nec longè à Sigari oppido locus pateat: ubi plano paulũ locus elatior, ueteris fundi inſtar protuberantis, humi ſpeciem demonſtrat. Sed & trabem quidam non diu ſe eo loci repertam, memorabat uidiſſe: quam agreſtis uomere glebam rimatus offendit. Ferũt puellam poſt fata diu conſpectam, noctibus ad ignem ſedere in Suderburg: cæſariemq; comere, aduerſatam contuentes dorſo, non fronte conſpici, & in hunc uſquè diem durare uiſionem.

¶ Haco fratrum fata ulturus, bello Sigarum Daniæ Regem proſternit. Faſtuoſus alius Haco, pòſtea cum Siuualdo, multorumq; infelici cæde cadunt.

CAPVT XLVII.



HACO ex Suetiæ Proceribus uir primarius, frater Hagbarti memorati, dum ea quæ diximus gererentur in Dania, Hiberniam oppugnabat: reduxitq; exercitum. Comperto quæ de fratribus geſta erant, indignè tulit, duos ex germanis prælio, tertium publico, & ignominioſo abſumptum ſupplicio, uindicare illorum fata ſtatuit. Sed qui illum in Hiberniam comitati ſunt commilitones, cùm in Daniam exercitum conuertiſſet: Regis amore, Haconem deſerendum putabãt. In quibus robuſtiſsimus ille Starcuterus, qui poſt Regnaldum Suetiæ Regem fato functum, Haconi adhæſerat: iam uerò in Daniam ducturum, deſerebat. Tantum apud memorem ualuit Danorum quondam Regum cum illo ſociale contubernium. Haco nihil motus defectione commilitonum, reliquum agmen ducit in hoſtem. In portu quem Heruuyck uocant, milites exponit, terreſtri itinere procedens. Partem tamen claſsis iubet littora legere. ut ſi opus uideatur, præſidio ſit militibus. Maximequè ſylueſtria terit itinera, quo minus conſpiciatur, ſed ut quàmoccultiſsimè adueniat. Vbi iam dumeta ſylueſtria finem haberent, mox iubet omne agmen, deſectis ramulis, præ ſe ferre

Supra eo. cap. 46. a.

Stratagema

ferre uirentia. ut fallant speculatores. Primæ, ac secundæ stationis uigiles delusi, non agnoscunt quid ageretur: Tertij uerò propius luci rem intuentes, Regi denunciant, propinquare nemus. Ille dolum prospiciens, quàm sit longè rogat: sed interim quàm potest uelocißimè contrahit exercitum: & in apertum progrediens, obuius fit hosti. Conferitur pugna. Acri pugnant odio Sueci, incuriæ uindices. Rex Daniæ Sigarus in pugna cadit. Tum cædes in omne genus hominum crudelis. Siuualdus Sigari filius bella renouat. Accurrunt uoluntarij omnes, patris clade filij miseratione commoti. At Haco ipse Dux agminis, prima contentus ultione, concessit in Patriam. Perstitit alius Haco, nomine Fastuosus: & pugnam excipit, tantis uiribus exertam: ut multis ante milibus prostratis, amborum Duces exercituum corruerint. Vix pauci sibi fuga consuluerunt. Remiges egreßi nauibus, Suecos suos tumulauere. At à superuenientibus Scanicis trucidati, & ipsi tumulum auxere cæsorum. Hic finis infelicis pugnæ: in qua omne Regij sanguinis stemma Suetiæ succisum, ad fœminam unam peruenit.

Daniæ lib. 2. cap. 7.

Sigarus cadit.

Russos Rex Suetiæ Aluerus bello infestat. Istic Haldanus Hildegerum fratrem uterinum Duello sternit. Caput. xlviij.



Aluerus Rex.

ALVERVS deinde ex Primoribus Procerum, Suetiæ Regnis potitur. Qui ampliandæ ditionis gratia, arma uertit in Russos: proxima illi ad Orientem regione agentes. Inter alios autem militarium operũ illustres uiros, Hildegerus quidam præcipuæ fortitudinis pugil militabat: natus patre Gunnaro Suetici sanguinis: matreq; Drota Noruagici Regis filia. Quam Bocarus quidam Danici generis uir Primarius, occiso Gunnaro tulit, coniugemquè accæpit: & ex ea sustulit filium Haldanum, præcipuè uirtutis industrium pugilem: & qui fortitudinis suæ merito, unicã Regij sanguinis in Dania puellam coniugem habuit: & perindè in Regem Daniæ profecit. Erant igitur uterini fratres Hildegerus, & Haldanus. Id cùm Hildegerus natu maior compertum haberet: Haldanus minor ignorabat. Is cùm ubiq; laudis materiam perquireret: audiens Russos premi Suecorum armis, eò se contulit, Rußis militaturus. Cunq; prælia aliquot leuia, uaria essent fortuna pacta: processit Hildegerus Suetici ordinis armiger, quemlibet ex Rußis in duellũ prouocãs. Dũ aũt illi mussitarẽt, circumspicientes quem opponerẽt, Haldanus se ultroneũ obtulit. Hildegerus fratrẽ agnoscens, restitit: indignũ testatus, quòd cùm ipse. 70. pugilũ uictoria sit clarus, cum homine parũ spectatæ uirtutis cõgredi, ingloriũ sit illi. Eam causam præferebat, abscondens, quòd cõmunis

Hildegerus pugil quis.

Haldanus quis.

sanguinis respectu pugnam detrectaret. Haldanus uerò iactabundus, alium sibi deposcit: quando ille metu recuset. Obijcit ex grege unus: quem facilè superat. Deinde duos unà congredientes, pariter obtruncat. Ternis etiam euocatis, eundem fecit exitum. Ita paulatim gliscente calore, usque ad. 11. una pugna sublatos paulatim ascendens peruenit. Iam uidens Hildegerus fraterna decora, suis æquata numero, diutius pugnam detrectare duxit ingloriũ: nec tamen se quis esse aperuit Haldano. Pugnabant in eo gemini affectus. Nam quòd patrem suũ, Haldani parens sustulisset, paternæ necis uindicem præferebat. Sed hunc affectum superabat in eo, materni uteri commune concæptaculum: ut recusaret, donec per æquatam iam uirtutem, diutius detrectare pugnam, formidini deputaretur. Callebat autẽ hebetandi artem ferri Hildegerus: & ea sæpè in periculo ei usui fuit. Nec tamen defuit hosti, ubi sensit aduersam calliditatem. Siquidem ubi comperit ensi suo uim abesse, panniculo texit: & perinde uim illi suam (ut ferunt) restituit: uulnusque intulit Hildegero letale. Quo excepto, innuẽs hosti, excesit duello: iam se fratri aperiens quis esset. Ibi lamentum non uulgare ex Haldano personuit. Cur inquit Germane, tam diu latuisti? donec sceleratam dexteram, tuo tingerem cruore. Infelicem me. Quando alterum ex nobis cadere in fatis fuit, ego pro te quàmuellem excæpisse uulnus. Neque te frater, integro in fratrem officio functum arbitror: quòd non ante prodideris. Ille hoc suppresisse testatur: ne per ignauiam se retraxisse putaretur à periculo. Hæc dicẽs extinguitur. Haldanus pro mercede inuictæ ubique fortitudinis, unicam Daniæ Regis filiam, cum Regno promeretur uxorem. Apud militares autẽ uiros nulla laudis misoratio est, frater, an alienus fortiter oppressus sit. Pietatem tamen obtexerat ignorantia. Aluerus autem Suetiæ Rex, in reliquam ætatẽ studuit tranquillitati, Legibus & moribus Regnum componens. Vbi ad seniles peruenit annos, inter manus propinquorum spiritum ultimum posuit: filijs Regnum linquens hæredibus. Sed hic uoluminis huius modus sit. ne ad infinitum procedat.

Haldanus 11. Duello superat.

Duellum fratrum.

Hildegerus à fratre cadit.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Goticarum, & Suetiæ gestarum, Hunorum item origo, LIBER II.



¶ Magna difficultate & leuibus coniecturis tempora in quibus Goti præclaras res gesserunt, ad Cæsarum tempora conferuntur.

CAPVT I.

RES Goticas ad Cæsarum usquè tempora, ex obscuritatibus difficile fuit in lucem uendicare. quòd tenuissimis adiumentis, & illis non satis explicitis niteremur. Ex hoc autem tempore, quo gentis huius in eum modum creuit audacia: ut Romanis se legionibus auderet opponere, cœpimus Romanę historiæ Scriptoribus ad rem nostram uti adiutoribus. Qui ubi suorum sunt laudes prosecuti, etiam illos attigerunt, quibus Romanæ uires colluctabantur. Nec minuere uirtutem hostium: laus erat Romanorum. Quippè fortes uicisse, fortium maior est gloria, quã si imbellibus conflictassent. Proinde C. Cæsar cùm Asiaticã gentē facilè domuisset: inscripsissetq́ currui triumphali, Veni, Vidi, Vici; non tam suæ glorię, Romanorūq́ laudibus studuit, quàm hostiū ignauiæ detegendæ. Verùm nihil hoc quenpiam moueat: si (ut illi uocant) Barbarorum res non adeò amplificent, ut solent suorū Romani Scriptores. Detur hoc nationis affectibus. Magno Germanis nobis incommodo, & irrecuperabili Antiquitatis detrimento, Plinius, & Cornelius, Germanica bella scribentes, interierunt. Cornelius quidèm ex parte, amissis primis decem libris, & parte sequentiū extat. In primis autem res fuere Germanicæ sub Augusto, & Priuignis eius, usq́ ad Claudium Caligulæ successorem. In quibus describendis qualis fuerit, facilè monstrat in Germania sua. quòd profusus in laudem gentis, plus quàm Germanus, suam attollere gentem præsumeret. C. autem Plinius. xx. libros de bellis Germanicis scriptos edidit: de quibus nihil usquè hodiè remansit: præter inanem titulum. Quot ibi laudes Gotorū, Dacorum, Cimbrorum, Cattorum interierunt. Ergò amissis tam claris testimonijs, paruas reliquias circumiētes mendicemus: donec temporum cursu, & ætatum processū ad pleniora documenta perueniamus. Sub Augusto quidèm Getæ, Daciq́ in Thracia, & ad Danubij ripas demorati, bellis attacti, & (ut Strabo ait) uicti: ad multa milia, ut supra quoq́ commemorauimus ex eodem Autore, cæsi sunt multi, etiam trans Histrum nutu uictoris collocati. At non diu quieti permansere. Nam sub Tiberio Augusti successore, qui in Imperio nulla bella per se,

Caius Cæs. | Cornelius Scriptor. | Plinius.

per se, sed per solos Duces administrauit, claustris suis exeũtes, Mesiã omnem peruagati sunt: captis urbibus, agris uastatis, onusti præda se in sua receperunt. C. etiam Caligula, qui Tiberio successerat, magnis minis gentem insectabatur: sed ad arma non peruenit. Mouit quidem exercitum in Germaniam, Sueuię infensus: sed non sinebat hominem perdita uita, fortiter in hostes agere. Vnde reductis militibus, nihil cla rum peregit. Et in eo rerum statu, Goti quoq;, qui & Getæ, & Daci, promiscuè ab Autoribus appellantur: Gens ab origine una, & quæ cõ munem patriam Baltiam peninsulam recognoscit, conquieuere.



¶ Dorpaneus Gotorum Rex, bis Romanos cędit. Domiti tandem per Traianum Cæs. in sua protruduntur. Caput. ij.

DORPANEVS Rex erat in hac gente eo tempore, quo Romano Imperio Domitianus incumbebat. Cuius auaricię pertęsi Goti, quòd Prouincialibus grauis esset: fœdera quę sub Priscis Principibus, ab Augusto Cæsare, autore Agrippa inierũt: nunc penitus rumpentes, Danubium facto agmine transierunt. Seruauere aduersam ripam, tanquàm Imperij limitem, Romani milites. Dux erat Opius Sabinus, uir militaris industriæ peritissimus. Restitit ille traijcientibus quoad potuit. Sed dum illi animosius transeunt, quàm Romani resisterent: ad confligendum totis se uiribus iusta acie Romani contulerunt. Pugnatum est acriter: sed tum Romani uicti cessere. Cæsus est Dux ipse, cum toto agmine Romanorum militum: ut pauci qui rei nuncium facerent, superessent. Domitianus ubi comperit, alio Duce alios misit exercitus, terra, flumineq; arma comparans in Gotos. Ventum est ad pręlia. Ibi Fuscus Cornelius Dux bellicæ rei scientissimus, simili usus fortuna, fortiter pugnãs, cecidit: deletiq; sunt Romani exercitus. Libet in hac re uerba Blondi Romani Scriptoris introducere, quæ ille ex Cornelio Tacito, quem integrum legisse uidetur (quàmuis nunc Italia integrum fertur non habere. alioqui truncũ non emitteret) mutuatur. Ait enim. Opius Sabinus primùm, & postea Fuscus Cornelius Romani Duces, ipsis cõgressi Gotis, copias amiserunt: & in prælio ceciderunt. Et tamen Goti, quibus uictoria haud fuerat incruenta, in Romanis Prouincijs eo tempore remanserunt. Quam complexus historiam Cornelius Tacitus, numerũ interfectorum Romani exercitus, ob magnitudinem cladis referre omisit. Idq; asserit Tacitus, facere exemplo Salustij Crispi, numerum supprimentis occisorum in clade simili Romanorum. Domuit tamen, & Romanis Prouincijs expulit Gotos insignis Princeps Traianus: sed in suis barbarici soli prouincijs, in quibus quiescere promiserũt, dimisit intactos.

[Margin notes: Dorpaneus Rex. | Goti Romanos cædunt. | Cęduntur Romani secundo.]

ctos. Hæc sunt Blondi testimonia ex Tacito. Quæ idcirco posui: ut uideatur superesse integer Tacitus: sed in odium Germanorũ fortè manet in umbris.



❡ Gotis in sua reuersis, pacem & fœdera cum Romanis ineunt. quòd Decibali Regis eorum res, infelicius succesissent. Caput. iij.

Decibalus Dux.

ECIBALVS Gotorum Dux, rebus præfuit: cùm Traianus optimus, ut ferunt Imperator, Gotos Romanis Prouincijs expellendos duceret, Thracia, Misia, & omni Transhistrana regione: & collatis uiribus Goti tum cesserunt fortisimo Imperatori, in Daciam suam, hoc est, in interiorem Histri, siue Danubij ripam se retrahentes: ibíq; pacatos se mansuros pollicentes, fœdera cum Romanis innouari pasi sunt: ut plerìq; extant Autores. Sed ut alij ferunt: ex quibus Eutropius: uicto Decibalo, Daciam fecit prouinciam suam, trans Danubiũ, in his agris, quos nunc ait, Tryphali, nunc Victohali, & Termigiti habent. Ea prouincia decies centena milia passuum in circumitu tenuit. Hæc sunt Eutropij de sua memoria uerba. Neminem autem moueant, commutata nomina gentium: quæ poterant etiam tunc per errorem Imperitorum fuisse uersa. Nam apud Geographos earum gentium, quæ hic referuntur, nomina nulla legũtur. Tribolos autem, & Vuandalos fuisse Dacis, Getis, Gotisq; conterminos, legimus quàmfrequenter in Annalibus. Cunq; Adrianus Traiano in Imperio succederet: siue inuideret Traiani gloriæ: siue quòd infinitũ opus uideretur, longinquas seruare Prouincias: Assyriam, Mesopotamiam, Armeniam reliquit: reuocans exercitus, ac finem Imperij uoluit Eufratem esse. Idem de Dacia facere conantem, amici deterruerunt, ne multi ciues Romani, Barbaris traderent. Nam Traianus uicta Dacia, ex toto orbe Romano, infinitas eò copias hominum transtulerat, ad agros atq; urbes colendas. Daciæ enim diuturno bello, Decibalíq; res fuerant exhaustæ. Ita reliquit Romanam suo tempore Prouinciam Adrianus.

Goti in sua repelluntur à Traiano.

Eutropius.



❡ Ostrogota Rex Gotorum declaratur. Maximini Imperatoris Rom. ex Gotis nati robur, uires, & facta clarisima narrantur. Caput. iiij.

Ostrogota Rex.

STROGOTA deinde in gente sua Regnum accepit. Habebat iste nomen sibi personale, quod aliâs magnæ parti nationis erat commune: abusq; ductum prima gentis origine: quòd adhuc in Suecia manentes Goti, per Orientales, & Occidentales sunt disterminati. Potuit eadem quoq; gentis partitio perdurare in Scythico solo: ut qui littora Pontici maris demorarentur: Ostrogotæ, hoc

tæ, hoc eſt, Orientales: qui uerò ad ripam Danubij utranq;, Vuiſigotæ, hoc eſt, Occidui dicerentur. Sed hac ætate Oſtrogota Rex in omni ea natione quaq; uerſum tenebat Regnum. Priuſquàm tamen ille perueniret ad Regnum, Maximinus ex ea gente natus, Romani Imperij culmen apprehendit: quod in huius gentis præclaris rebus commemorandis, ſileri non debet. Cùm ſit inter decora eius uel primum: inde aliquem conſcendiſſe ad ſummam in terris dignitatem. De quo teſtimonium eſt Iulij Capitolini. Maximinus inquit ſenior, ſub Alexan
dro Imperatore enituit. Militare autem ſub Seuero cœpit. Hic de ui
co Thraciæ uicino Barbaris: barbaro etiã patre & matre genitus: quo
rum alter è Gotis, altera ex Alanis geniti eſſe perhibentur. Et patri quidèm nomen Nicea: matri Ababa fuiſſe dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipſe prodidit. Poſtea uerò ubi ad Imperium uenit, occuli præcepit. ne utroq; parẽte barbaro genitus Imperator eſſe uideretur. Prima ſtipendia Equeſtria huic fuere. Erat enim magnitudinè corporis conſpicuus, uirtute inter omnes milites clarus, forma uirili decorus, ferus moribus, aſper, ſuperbus, contemptor, ſæpè, tamen iuſtus. Sub Seuero cœpit clareſcere. Natali die, Getæ iunioris filij ſui Imperator ludos dedit militares, propoſitis præmijs argenteis, hoc eſt, armillis, torquibus, & balteolis. Hic Maximinus Imperatorẽ publicè petijt: ut ſibi daret licentiam contendendi cum his, qui iam nõ mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus: primùm eum cum lixis compoſuit, ſed fortiſsimis: quo diſciplinam militarem non corrumperet. Ille ſedecim lixas uno ſudore deuicit: ſede
cim accæptis præmijs minuſculis, non militaribus. Iuſſusq; eſt militare. Tertia fortè die cùm proceſsiſſet Seuerus ad campum: exultantem in turba barbarico ritu, compeſcere iuſsit Maximinum ad Romanam diſciplinam. Tunc ille, ubi de ſe intellexit locutum Imperatorem: ſuſpicatus Maximinus & notum ſe eſſe Imperatori, & inter multos conſpicuũ: ad pedes Imperatoris equitantis acceſsit. Volens experiri Imperator, quantus eſſet in currendo, equum admiſit multis circumitionibus. Et cùm Imperator laboraſſet: neq; ille accurrẽdo per multa ſpacia deſiſſet: ait ei. Quid uis Thraciſſe? Num delectat luctari poſt curſum? Quantum inquit libet ò Imperator. Seuerus ex equo deſcendit: & recentiſsimos quoſq;, ac fortiſsimos milites ei iuſsit comparari. Ille
more ſuo ſeptem fortiſsimos uno ſudore uicit: ſolusq; omnium à Se
uero poſt argentea pręmia, torque aurea donatus eſt: iuſſusq; inter ſti
patores corporis ſui ſemper in aula conſiſtere. Quam ego uiri fortiſsimam pugnam, ex Scriptore Romano libentius inſerui: quòd in rebus Danicis, & Sueticis deſcribẽdis, fides inde fiat Saxoni eius gentis Scriptori.

Maximinus Imp. Gotus.

16. lixas deuincit.

Luctator fortiſsimus 7. ſternit.

ptori. Cuius autoritatem sequimur: quòd multas similes, monstrosasque pugnas in sua gente cõmemorat. Incredibile memoratu est: quantum biberit, comederitque. Amphoram sæpè Capitolinam hausit. xl. & ut alij. lx. carnis libras uno tẽpore absumpsit. Seuero semper charus, Caracallæ charior: sub quo magnos Ordines duxit. Macrino abstinuit: tanquàm Imperatoris sui occisore. Heliogabalũ impuram beluam contempsit. Interim in Thracia Gotis suis, & Alanis familiariter usus: cùm optimum Imperatorem Alexandrum rebus potitum audiret, redijt: magnisque ab illo honoribus exceptus est. Primus Ordines duxit. Multa fortiter gessit. Et Alexandro cæso, ad Imperium peruenit: indignante Senatu, quòd sine autoritate sua imperaret. Bellum grauissimũ gessit in Germania. Et in Italiam reuersus, in oppugnatione Aquilegiæ, à suis desertus, cum filio, cognomine Pulcherrimo iuuene omnium mortalium, cæsus est. Hæc ad amplificandum gentis decus, ex Romana historia de Maximino placuit inserere. Nunc uerò ad gentis huius Goticæ Regẽ Ostrogotam percensendum, unde longius digressi, reuertamur.

Maximini cibus & potus admirandus.

Fit Imperator Rom.



¶ Sub Ostrogota Rege eorum, Goti stipendijs solitis priuati, in Romanos armantur: at à Decio repelluntur. Aucti redeuntes, Romanas deprædantur prouincias. Caput. v.

SVB hoc Rege Ostrogota, cuius & diuturnum erat Imperiũ, et fortunati in rebus bellicis successus, satis ampla erat gentis huius possessio: longinquè quoque ditionis Regnum. Nam & Ponti Scythica littora tenuit: in quibus tanta terrarum spacia, tot sinus maris, tot fluminum excursus: ut iam Romano etiam Imperio terrifici uiderentur. Vuandali, Marcomanni, Quadi itẽ his accessere: qui tum omnes Germaniam incolebant. Et de Vuandalis quidèm quæ gens fuerit, cõpertum tenemus: Marcomanni uerò, & Quadi ubi habitauerint, non ita exploratũ est. Quàmuis coniectura licet assequi: latissimam tunc, ut nunc, Vuandalorũ gentem, diuersis etiam, pro diuersitate regionũ tum ut modo, nominibus censitam fuisse. Nam qui nunc Bõemi, Dalmatæ, Sclauoni, Poloni, Rußique, suis quique terris nomina uariarunt: una tamen gens, una lingua esse probatẽ. Idẽ tunc, licet in una gente, potuit accidere. Et Marcomanni quidèm magno bello, quod cum eis Marcus Antoninus gesserat, memorabiles habentur. Quadi uerò, & Sueui bello socij illis tum fuere. Sed nunc quod cõcæpimus de Gotis prosequamur. Ea tempestate Romanũ Imperium duo tenuere Philippi, pater, et filius, primi ad sceptra Principes Christiani: quorũ (Anno secundo M. Vrbis conditæ) annus, magno & incredibili apparatu, ingentique

Gotorũ potentia.

Anno ab Vrbe, 247.

ingentiq́ cunctorũ lętitia celebratũ. Goti subtracta sibi à Romanis sti-pendia, indignè ferentes, rebellionem moliuntur. Quàmuis enim longè agerent in ultimis Romanæ ditionis finibus: solebant tamen muneribus & donatiuis militaribus honorari à Romanis Principibus: & à Ducibus limitaneis, ut uelut fœderati arcerent incursiones exterorũ: ipsiq́ se suis finibus continerẽt. Ergò cùm iamdiu nihil tale acciperẽt: Rex Ostrogota armata suorũ multitudine, fines Romani inuasit Imperij, Mœsiam, Thraciamq́ populatus. Mittit Philippus ex Ducibus rei militaris peritissimũ Deciũ. Qui expedito exercitu, facilè repressit dispersos ad prædam: cõegitq́ transito Danubio, Gotos se in sua recipere. Compertoq́, quòd negligentia Limitaneorum militũ, Goti animosius issent, quàm illi restitissent: exautorauit Milites magno numero: aliosq́ constituit limiti obseruando. Et rebus prosperè gestis, incolumem tum reduxit exercitũ. Exautorati aũt Milites, contumelia affecti: ut se de Romanis uindicarent, iungunt se hostibus Gotis. Quorũ fiducia, Rex ipse suorũ trecenta milia perarmauit: duxitq́ denuò in fines Romanorum. Tantæ multitudini impares Romani Milites, cessere uenientibus: & nullo resistẽte, prædam opulentã latè cõtraxerunt.

Profligantẽ Goti à Romanis.

Romanos fugant Goti.

¶ Marcionopolis Thraciæ urbis origo, obsidio, & redemptio, Gepidæ qui, & unde: eorumq́ à Gotis suppresio.

CAPVT VI.



MARCIONOPOLIS urbs erat in Thracia metropolis, quæ Traianũ Imp. habuisse ferẽ conditorẽ: indito noĩe germanę sororis, quę Martia fuit. quòd Numen loco putaret inesse. Nã ea mulier, dũ aurea pelui ad ripã fluminis, nescio quid lotura consisteret: elapsum de manu uas, profunda petiuit. Vbi tristis mulier suã accusaret secũ negligentiam: ecce contra uim metalli, aurũ emergit: ac se reddit dominæ merenti. Cuius rei miraculo motus Imp. fertur ciuitatẽ eo loco condidisse. Quam tam florentem, locupletemq́ Goti firmauerant obsidione. Ciues incommodorum pertęsi, auro multo rediment libertatẽ. Goti accępta ingenti pecunia, se in sua tum receperũt. Sed dum Goti in alieno debacchantur: domestica eorũ res incursioni patuit Gepidarũ. Qui uicinam genti regionem, quæ nunc Pannonia inferior est, insederunt. Operępreciũ est, huius gentis nosse originem. Testatur Iordanes, Gotos fuisse: & hos ab origine, & cum Rege Erico, pariter Gotia, quæ pars est Suetię, antiquissimo tempore egressos, nomen tenere ex quodam conuitio. Nam ternis tum grandibus nauibus egressi Goti memorantur. Duę cum Rege celeres tenuere portus quos petiuere. Tertia tardior, alios in sinus elabitur. Quorum tarditatem pertęsi alij, Gepanta illos patria lingua, hoc est, pigros atq́ tardos

Gepidæ, Goti.

dixere: Benè congruente nomine moribus & factis eorundem. Nam & corporis motu, et ingenij tarditate segniores perhibent. Inde paulis per (ut fit) ex Gepantis, mutato nomine appellati sunt Gepidæ: quod in ea gente, quandiu Regno ualuerunt, uocabulum ex contumelia natum, per multa secula in gente durauit. Fastida gentis tum Rex erat: cùm Ostrogota Rex Gotorum, in prouincijs Rom. cum exercitu moraret. Is collecto suorum non contemnendo agmine, mouet in regionem Gotorum. Siue illum stimularet inuidia Goticæ uictoriæ: siue aliæ suberant causæ belli excitandi. Nam sunt qui scribant, Gepidas iam multiplicatos, angusto iuxta Gotos commorantes, poposcisse à consanguineis, partem Prouinciæ, quę illis erat latissima: & quia diu negata fuit, armis occupasse: dùm foris Goti pręliarentur. Indignatus est Ostrogota, dum is motus ei Gepidarum nunciaretur. Nihil enim ab illis, uelut consanguineis, graue formidabat. Sed tum compositis foris rebus in patriam contendit. Conueniunt ad oppidum Galtis, iuxta fluuium Hanna. Ibiq; magna partium cõtentione certatum est. Quippè quos inuicem, & armorum similitudo, & pugnandi non dissimilis consuetudo, asperis odijs concitabat. Sed causa melior, uiuacitasquè uirium tum, & semper fecit Gotos pręualere. Nam inclinata parte Gepidarũ, nox prælium diremit. Tunc relicta strage suorum, Fastida Rex Gepidarum in patriam properauit: tàm pudendis opprobrijs humiliatus, quàm fuerat elatione erectus. Redeunt uictores Goti, Gepidarum discessione contenti: suaq; in patria tranquillitate temporum perfruuntur, per tempora Regis Ostrogotæ: qui & ipse, licet uir bello semper fuerit exercitus, tamen in pace uitam finiuit.

Fastida Gepidarũ Rex

Gepidarum fuga.



¶ Philippolim Thraciæ urbem, Cinna Gotorum Rex expugnat. Decius Imp. Rom. in insidias abductus, à Gotis, cum filio, & exercitu perit. Caput. vij.

CINNAM uocat Iordanes, qui post Ostrogotam Regno potitus est: quem alij Ombam dixere. Is uires suas partitus, mediam copiarum suarum partem in Mœsiam direxit populabundus. quòd desidentibus circa custodiam Romanis militibus, & ipsis inter se Principibus de Imperio certantibus, Decius occisis duobus Philippis, Romano Imperio potiretur. Quę res opportunitatem pręstitisse uidebatur Gotis digrassandi. Ipse Rex Cinna octoginta milibus armatorum, ad Entesiam nouam urbem duxit: quam monumentum uictoriæ suæ Traianus erexit: captam à gente Sarmatarũ. Eò Imperator Decius cum exercitu contendit. Sed Cinna ubi adesse uidit Romanos cum Imperatore exercitus, retrocessit. Contēditq; in Thraciam: Philippolim opulentam ciuitatem expugnaturus. Decius abijsse hostem

Ciña Rex.

se hostem comperiens, uestigia eius ilico legit: secutus in Thraciam, ad radicem Hæmi montis quieuit. At prius Goti expugnauere urbem, quàm posset Imp. ferre præsidiũ. Expugnatamq́ militibus concessere diripiendam. Locupletati inde Goti, erexere animos: ausi in aciem se opponere Romanis exercitibus. Victor autem in primis cõgressibus Decius, hostes in angustias locorum, quæ in Dardanijs sunt, compulit: & obsedit. Expugnassetq́ fame, ni proditus à suis fuisset. Gotorum Dux per legatum dicitur postulasse: ut omnium præda relicta, sineretur abire cum suis trans Histrum. Romanus Imperator negauit: auidus illos perdendi. quia toties fractis fœderibus irruperant, qui Prouincias Romani Imperij quiescere non finerent. Iamq́ ferè uoti compos, Trebonianum Gallum, Ducem limitis Misiæ, ad obsidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum misit. Ille consilium Gotis patefecit: eosq́ monuit, ut se diuiderent, & alij consisterent in insidijs propè paludem: alij in primo congressu fugam simularent paludem uersus. ut Romanum militem pertraherent in insidias. Goti nonnihil addentes Galli consilio, rem peragunt. Cùm in pugnam descenderẽt: admiratus Imperator nouam fiduciam: quòd qui modo perculsi metu erant, arma poscerent: ignarusq́ proditionis, certus uictoriæ, copias educit, Illi statim terga dant. Imperator insequitur. Cùm peruentũ est ad insidias, fit atrocissima pugna, utrinque cædes magnæ. Deciani difficilime prœliabant̃, luto palustri afferente cladem. Tamen non moriuntur inulti: & loco, & fato aduersantibus pereũt. Decius pater, cum filio occubuere. Senior fortè equo insidens, ne uiuus in hostium manus perueniret, insilijt in uoraginem paludis. Quæsitum post cadauer eius, nusquàm repertũ est. Sed Iordanes aliquanto rem diuersius narrat. Decium cupientem Philippoli ferre opem, cito petijsse Berceam: & inde fugatum ab Cinna (& ut alij uocant Echinna) Rege Gotorũ: reparatisquè in Mœsia uiribus, redijsse ad hostes, qui Philippolim cœperant: & priscum Ducem sibi conciliauerant. Ita ipso congressu ictũ sagitta Decium filium occubuisse: & patrem, uel ut filij cædem ulcisceretur, uel ut morte sua finem dolori inueniret, in fortissimos se inmisisse hostes: & nusquàm apparuisse: sed Dijs suis ante congressum immolasse ad Abrittum Mœsiæ urbem. Inde factum loco nomen, Ara Decij appellatur. Ita Goti non solùm uictores, Romanum etiam Principem, cum filio trucidarunt. Nec erat qui illorum uim & arma sustineret: cùm Æmilianus primùm, inde Gallus cum Volusiano rerum Romanarum potirentur.

Philippolis deprædatur.

Proditio Treboniani

Gotorum erga Rom. uictoria.

¶ Gotorum excursiones & depopulationes sub Ducibus Vespa, Veduca, & Tarnaro. Caput. viij.

Anno Christi 266.



VESPA, Veducas, Tarnarusq; Duces erãt armorũ in Gotis: qua tempestate, capto ab Rege Persarũ Sapore, Romanorũ Imp. Licinio Valeriano: eiusq; filio Galieno itidẽ Augusto, in omnẽ libidinẽ resoluto: cùm diuersis partibus orbis, multi purpuras in contemptũ Galieni induissent: ipsi quoq; Goti, licentioris euagationis sumpsere audaciam. Nam Ducibus, quos diximus, naues ingresis, mare petiere occiduum. Primumq; enauigantes in Hellespontũ, Asiam peruasere minorem. Ephesum cœpere: uastaueruntq;, incenso illo famosissimo in omni terrarũ orbe Ephesianę Dianæ templo: quod olim gentis suæ fœminæ fundauerunt Amasones. Rursus profecti in Bithyniam, Calcedonem claram urbem subruerũt: quã post Cornel. Abitus aliqua ex parte reparauit: & quàmuis postea refloruerit, uestigia tamen ueteris ruinæ diu præferebat. Ilium quoq; post Agamemnoniacũ incendiũ urbs reparata, sensit Gotorũ iram: uicinisq; urbibus aut populatis, aut incensis, in Thraciam abierũt. Nam ad radices Hæmi montis, urbẽ inuadunt Anchiolos, Persarũ opus. Ibi aquarũ balneis calidarũ delectati, aliquandiu consederunt xij. milibus passuũ ab ea urbe: aquis salutaribus, & quibus in magno terrarũ orbe, reparandis membris, uix similes experti sunt, uehementer affecti. Inde præda insigni locupletes, domũ redierunt. Meminit et Orosius huius tam longinquæ Gotorum excursionis. Græcia inquit, Macedonia, Pontus, & Asia Gotorum inundatione delentur.

Gotorũ excursiones.



Gotorum per Claudium Imperatorem Rom. memorabilis suppresio & clades. Caput. ix.

PRIMVS eo tempore Macrianus, unus ex Ducibus capti Imp. Valeriani: qui etiam, procurante Balista Prę fecto Prætorio, postea imperauit: Gotos per Thraciã, Mœsiamq; digrassantes compescuit: Romanisq; prouincijs sategit expellere. Sed quod ille non impleuit, Claudius Imp. peregit: trecenta uiginti Gotorũ, & qui illis commilitabãt milia uicit: pro magna parte extinxit. Quod Epistola eius Romam missa declarat. Erant in ea multitudine Peuci, Trutingi, Virtungi, Gepidæ, Celtæ, Heruli: sed ductores omniũ fuere Goti. Ob ingentem aũt uictoriam, tantus Romæ habitus est Imp. honor: ut clypeũ aureum honori eius consecrarent in Capitolio. Vnde apparet: quis tum metus fuerit Gotici nominis in urbe Roma. His de rebus testis accedit Trenellius Pollio in uita Galieni. Goti inquit, occupatis Thracijs, Macedoniã uastarũt: Thessalonicã obsederũt. Quę oĩa cõtemptu Galieni fiebant. Pugnatũ in Achaia Macriano Duce cõtra eosdẽ Gotos: unde uicti per Acheos, retrocesserũt. Scythę aũt, hoc est, pars Gotorũ, Asiam uastabant. Tunc etiam templũ Ephe

Anno Christi 274.

Goti. 320000 milia cadũt, per Claudiũ Imp. Rom.

siæ Dianæ despoliatū, atq; incensum est. Cuius opus est fama in populo satis nota. Et postea idē in Claudio eiusdē Imperatoris, Epistolam missam ad Senatū Romanū, legendam in populo uiserit talem. Senatui, populoq; Romano, Claudius Princeps. Ego uerba magistri memoriæ non requiro, Patres conscripti: militantes audite quod uerum est. Trecenta uiginti milia Barbarorū in Romanū solum armati uenerunt. Hæc si uicero: uos uicem reddite meritis. Si nō uicero: scitote me post Galienū pugnare uelle. Fatigata est tota Respubl. Pugnauimus post Valerianū: post Ingenuum, post Regillianū, post Lollianū, post Posthumū, post Celsum, post mille alios, qui cōtemptu Galieni Principis, à Repub. defecerunt. Non scuta, non spatæ, non pila iam supersunt. Gallicas et Hispanicas uires Reipub. iam tetricus tenet, et omnes sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia posśidet. Quicquid fecerimus, satis grande est. Hos igitur Claudius, ingenita illa uirtute superauit: hos breui tempore attriuit. Habuerunt præterea hostes duo milia nauiū: duplicem scilicet numerū: quibus Iliū, totam pariter Græciam, omnem Thessaliam, Asię urbes quondam expugnare conati sunt. At illud Pöeticus stylus fingit: hoc uera continet historia. Ipsius Claudij aliam audiamus Epistolam. Claudius, Braco Duci Illyricano. Deleuimus trecenta uiginti milia Gotorū: duo milia nauiū mersimus. Tecta sunt flumina scutis, spatis, & lanceolis. Littora omnia operiunt. Campi ossibus latēt tecti. Nullū iter purū est. Ingens Carthago deserta est. Tantū mulierū cœpimus, ut binas, ac ternas mulieres uictor sibi miles posśit adiungere. Et utinam Galienū non esset passa Respubl. utinam sexcentos Tyraños non pertulisset: saluis militibus, quos prælia sustulerūt: saluis legionibus, quas Galienus malè uictor occidit: quantum esset additū Reipub. Siquidem nunc fragmina Naufragij publici, colligit nostra diligentia, ad Rom. Reip. reparationē. Pugnatū est enim apud Mœsios: & multa prælia peracta apud Martionopolim. Multi naufragio perierunt. Pleriq; capti Reges: captæ diuersarum gentium fœminæ Nobiles. Impletæ Barbaris seruis, senibusq; cultoribus Romanæ Prouinciæ. Factus miles barbarus, & colonus ex Goto: nec ulla fuit Regio, quæ Gotum seruū, triumphali quodam seruitio non habebat. Quid boū Barbarorū nostri uidere iuniores, quid ouiū, quid equarum, quas fama nobilitat Celticarū, hoc totum ad Claudij gloriam pertinet. Ita Romanus de Romano scribit Imperatore. Si doctius quispiam ex Gotis, rem in literas retulisset, paulo diuersius sonaret. Et quando in Romanorum testimonia de rebus Goticis incidimus: prosequamur quæ de Aureliano Imperatore, super Gotorum rebus sunt perscripta. Loquitur Valerianus Imp. Augustus. Gratias tibi agit

Claudius Imp. ad Senatum Romanum.

Cl. Braconi scribit.

Respub. ad Aurelianũ epistola. Aureliane Respub. quòd eam Gotorum potestate liberasti. Abundamus per te præda: abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur pro rebus gestis tibi Coronas murales, Coronas uallares quinq;, Coronas nauales duas, Coronas ciuicas duas: Hastas puras decem, Vexilla uincolora quatuor. Vides, quàm magnum fuerit, cõflixisse, & uicisse Gotos. Addit, Tunicas Ducales Russas quatuor, Pallia Proconsularia duo, Togam prætextam, Tunicam palmatam, Togam pictam subarbalẽ, Sellam eburneã. Nam te Consulem hodiè designo. Scripturus ad Senatum: ut tibi deputet scipionem: deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu qui sit Consul accipere. Aurelianus surrexit: atq; ad manus accessit: agens gratias militaribus uerbis: quæ propria & ipsa apponenda decreui. Et ego inquit domine Valeriane Imperator Auguste, ideò cuncta feci, ideo uulnera patienter excæpi, ideo & equos, & coniuratos meos lassaui: ut mihi gratias ageret Resp. & conscientia mea. At tu plus fecisti. Ago ego gratias bonitati tuæ, & accipio Consulatũ quem das. Deus faciat, & Deus certus, ut & Senatus sic de me iudicet. Hæc idcirco posui, ut qualis fuerit terror illa ętate Gotici nominis apud Romanos appareat: quãdo tam magnus est honor habitus Duci, qui uel uno prælio superior, retrò uidetur egisse hostes Gotos.

Aurelianus ad Valerianum Imp.



¶ Cannabas Gotorum Rex cadit, Aureliani uictoria, sub Claudio Imperatore, & triumphus, Gotorum sub Probo reconciliatio. Caput. x.

Cannabas Rex. CANNABAS, siue ut alij uocant, Cannabandes, Gotorum Rex erat, cùm Romanũ Imperiũ Aurelianus teneret. Cui prædecessor suus Claudius adhuc Duci, mandauit, Bellum hoc Goticũ, per Epistolam hanc. Flauius Claudius, Valerio Aureliano suo S. Expetit à te munus solitũ nostra Respub. Aggredere, quid moraris? Tuo Magisterio Milites uti uolo, tuo ductui tribuens. Goti oppugnandi sunt, Goti à Thracia amouendi. Eorũ enim plæriq; Hæmi montem, Europamq; uexant: qui te pugnante fugierunt. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricanos, totumq; limitem in tua potestate constituo. Solitam nobis ede uirtutem. Tecum erit frater Quintilius, cùm occurrerit. Ego alijs rebus occupatus, summam Belli illius, uirtutibus tuis credo. Vides qualis fuerit Gotorum respectus, quibus fortissimũ Ducẽ, cum proprio fratre Imp. duxit exponendos. Sed ille tũ secũdis usus prælijs, Claudianis auspicijs Rẽpub. in integrũ reddidit. Oro, quę fuit illa magnitudo cladis sub Claudio, cũ occisis. 320000. tã cito poterant Goti reparare uires, ut fortiss. Duce opus fuerit ad gentem reprimendã? Est quod sæpè dixi: rem aliter Gotus, ac Romanus

Aureliano Claudius

æquè

æquè docti narrarent. Idem Aurelianus iam Augustus, cùm in Orientem aduersus Zenobiam armasset exercitum: in ipso itinere multa per egit prælia. Nam in Thracia, & Illyrico occurrēs, Gotos uicit. Ducem gentis, quinetiam Cannabam, cum quinq; milibus hominū trans Danubiū interemit. Et post Orientis, Galliarumq; uictoriam, cùm urbē Romã triumphans ingrederetur: inter alios splendore insigni, currus erat cūctis spectabilior, is quē Gotorū Regi fertur ademisse. Eum quatuor Cerui domiti trahebant. Hoc curru inuectus Capitolio fert̄ Aurelianus: cùm Ceruos Ioui suo deuouisset, immolabat. Ductæ sunt & decem Mulieres, quas uirili habitu pugnãtes, inter Gotos cœperat: cùm multæ essent interemptæ, quas de Amasonū genere titulus indicabat. Nam Goti, Sueui, Vuandali, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Germaniq; ducebãtur in triumpho, uinctis post terga manibus. Attamen eò res breui peruenit, uiuente, & adhuc imperante Aureliano: quòd uastatū cerneret Illyricū: ac Mœsiam uideret deperditam. Prouinciam trans Danubiū Daciam, à Traiano constitutam, & à se renouari tentatam: sublato exercitu, & prouincialibus, reliquit: desperans eam posse retineri: abductosq; ex ea populos, in Mœsiã collocauit: suamq; Daciam appellauit: quæ nunc duas Mœsias diuidit. Huius aūt successor in Imperio per mediū Tacitū, Probus, cùm Germaniam omnem pacasset: Sarmatas repressisset: tendit iter per Thraciam, atq; omnes Geticos populos, fama rerum territos, & antiqui nominis potentia pressos: aut in deditionē, si refragarentur: aut si quieturi uiderentur, in amicitiam accæpit. Durauit hic rerum status per aliquot Imperatorū tempora: ut sub hoc Probo, & qui sequebatur Caro, aut etiã sub Diocletiano, & eius consorte Maximiano, nihil in hoc populo nouaretur.

Cannabas cadit.

Triumphus Aureliani.



¶ Galerius Cæsar Rom. fortuna iniqua pressus, Gotorum auxilijs subleuatur. Caput. xi.

GALERIVS Maximianus Cæsar erat cum Constantio, illectus à Diocletiano, & Herculeo Maximiano Augustis: ut secunda potestate fruerent̄ in Romano Imperio. Quorū Maximianus Galerius Orienti Præfectus, bellum administrabat in Narsetē Persarū Regē. Cùm interim Diocletianus in Ægypto: & Herculeus Maximianus in Gallijs bello detonarēt. Interim Galerius, quòd pro ętate insolētior uideret̄: temerè inito prælio, uix æqua manu discesserat. Deinde iterū fortunã retentãs, ferocior imminebat. Ibi uictus, oēm amisit exercitū. Aderat cū copijs Diocletianus Augustus, & corã illo cōtemptui habitus, in purpura pedes ad rhedã Augusti, per multa milia currere sinebat̄. ut ferocis iuuenis animus exasperatus contumelia, cautior in hostes fieret. Igitur reparandis agminibus circum-

Galerij fortuna.

circumſpiciens, Gotos ex Thracijs, Mœſiaquè adiutores promeruit. Quorum forti uſus opera, uictor, pridē uictus, euaſit. Magno prælio & contumeliam detergens, & uictoriam Romanis importans, Gotos auxiliarios diu in precio habuit. Hic uide Lector, ne nominum ſimilitudine fallaris. Nam Herculeus Maximianus hic eſt, quem primū collegam accæpit Diocletianus: ſub quo in Gallijs martyrio coronata eſt legio Thebeorū martyrum. Alius uerò Galerius Cæſar erat primùm: poſtea tamen, cùm & Diocletianus, & Herculeus Maximianus purpuram deponentes, ad priuatam redierūt uitam: factus eſt Auguſtus cum Conſtantio, patre Conſtantini Magni. Cognomento dictus eſt Maximianus: quàmuis apud multos appellatus ſit Maximinus. Sed Pomponius Letus, diligentiſsimus Antiquitatum ſcrutator, ex inſcriptionibus marmorum & æris, Maximianum, non Maximinum teſtatur uocatum. Erat tamen & ante, & poſt Maximinus: hic quidèm in toto Regno ſuccedens Alexandro Auguſto: ille uerò in Oriente Cæſar à Galerio eſt allectus.

Goti Galerio operas locant.

Maximianus.

¶ Conſtantinus Magnus, Gotos memorabili ſtrage debellatur: at fœdere cum illis inito, eorum opera paſsim utitur. Caput. xij.



MEMORIA quidèm Aureliani, qui exercitus reduxit à Datia, & Probi Imperatorum: qui Gotos quieſcentes in amicitiam admiſit & fœdera, quieuere: nec excurſionibus uexauere Romanas Prouincias: auxilia mittētes Romanis Imperatoribus, ubi inuitarentur: & uiciſsim militaria dona receperunt. Nihil perinde magni patrauere: niſi quòd auxiliarijs copijs Rempub. Romanā fulcierunt. Paulatim uerò in obliuionem uenere Romanis. Sub Auguſto deinde Conſtantino Magno ſe commouentes, ubi & Mœſiam, & Thracias excurrere tentauerunt: magno prælio fuſi, non minorem cladem ſub hoc Imperatore, quàm ante ſub Claudio accæperūt. ut Blondus ipſe teſtatur. Et tamen, quòd non contemnenda manus bello ſuperfuerit, indicat fœdus, quod idem Imperator cum illis renouauit. Neqꝫ enim fœdere opus extitiſſet: ſi ad internicionem ab illo cæſi, uires aut uehementer attenuantes, aut nullas retinuiſſent. Quo inter alia comprenſum eſt: ut uocati Romanis ſignis adeſſent: militarentqꝫ Reipubl. Quod ipſum magnificè impleuerunt. Nam eorum forti opera, ſæpè uſus eſt in Sororium ſuum Licinium: quem Galerius Maximianus Cæſarem legit: ipſe Conſtantinus data in coniugiū germana Conſtantia, etiam fecit Auguſtum. Erat enim uir militaris, induſtriæ periтiſsimus, & Reipub. plurimum neceſſarius. Sed exoſor Literarum, & Chriſtiano nomini inimiciſsimus. Vnde factum eſt: ut odium mereretur

Anno Christi 338.

Gotorum clades magna.

Licinius Imperator.

tur optimi Principis Constantini Magni. Cunq; in eum duceret iterũ atq; iterum Constantinus, Gotos semper habuit auxiliatores. Nec semel illum uicit, semper renouantem bella. Vnde factũ est: ut omni honore destitutum, precibus uictus sororis, priuatum illum uiuere sineret in Thessalonica. Sed cùm neq; sic satis quieturus uideretur, scripsit Constantinus Senatui Romano: quid de Licinio faciundum uideretur? Ille rescripsit: Militum eum iudicio permittendum. Vnde euenit: ut iter facientem, milites opprimerent. Hæc idcircò scripsi: ut cognoscamus, Gotos in precio fuisse illa tempestate. Blondus quidèm nostrorum Scriptor temporum, breui commemoratione percurrit Gentis huius memoriam. quoniam ab ea cœpit inclinatio Romani Imperij: quam ille in primis describit. Et tamen originem non explicat: media tempora multa transilit. Id quod nos transiuimus. tamen attingit: Bassianum Seueri filium, leuibus prælijs castigasse magis Gotos, quàm subegisse. Gordianum quoq; minorem, ibi exercitum habuisse: conflixisseq; cum gente. Proxima ætate, Decium Ducem à Philippo Imperatore missum, aliquot prælijs inferiorem, infecta re ad Italiam redijsse: cùm forte causis & uijs sese monstrantibus, in odiũ Philippi ad Imperium Romanum aspiraret. Sed præterit, eundem Decium iam Imperatorem, cum Cęsare filio eiusdem nominis, totis uiribus conflictantem huic genti, cum filio, & exercitu perijsse. At quæ nos in medio, usquè ad Constantinum commemorauimus, silentio transit. Nos uerò compertum tenemus: Gotos sub Constantino Magno. xl. milibus armatorum, quorũ erant Duces Ariaricus, & Atricus militasse: eorumquè forti opera usum: primùm, ut diximus, in Licinium: deinde in alias ubi opus erat gentes Imperio rebelles. Licinij mors.



¶ Gibericus Gotorum Rex, Vuandalos uincit, & expellit; qui ad Imp. Constantinum fugientes, pacem impetrant. Deq; Gentium nominibus uariatis.

CAPVT XIII.

GIBERICVS in gente sua Regnũ tenuit. adhuc Imperante Constantino magno: patre natus Hilderico, auo Ouida. Hic accæpto Principatu, cum Romanis quidèm fœdera seruauit illabata: sed erant uicini Vuandali sub Rege suo Vuisimaro, quos suę ditionis facere cogitabat. Consederant autem ad ripam Danubij Borealem: à Gotis ad Occiduum, supra Marcomannos: qui ab illis ad occidentem habitabant. A Meridie Danubij ripam, ab Aquilone Hermunduros habebant. Gibericus itaq; ducens in Vuandalos, magno illos bello uicit: multis mortalibus utrinq; cadentibus. Victi autem Vuandali, ad Imperatorem confugiunt Constantinũ: pacem ab illo, & sedes in Pan- Gibericus Rex.

nonia postulantes. Et impetrarunt: icto fœdere cum illo. Ibicꝙ conse‑dêre usꝙ ad tempora Honorij Imperatoris: donec à Stilicone euoca‑rentur. Quod in Vuandalia dicemus. Tempore ex illo cœperunt Du‑ces illorum, Imperiali se Aulæ insinuare. Vnde tanta creuit Stiliconis autoritas, ut Imperatorum duorum medius, alterius gener, alterius es‑set socer. Quod suo loco exequemur. Sed tum Goti Vuandalorum ui‑ctores, pacem genti ab Imperatore datam, uiolare non ausi, quietos Vuandalos dimisere. Hic operæprecium est agnoscere: non solùm in hac mundi plaga, uerùm & in toto orbe terrarum, crebrius mutata es‑se nomina gentium: Siue quòd aliunde uenientes, pulsis habitatori‑bus, sedes occuparũt: Siue à magnifico Rege, nomine mutuato. quod Romanis & Ægyptijs acciderat: Siue ab singulari casu sit nomen indi‑tum genti: Siue ueteri populo ad internecionẽ deleto, uictricis gentis uocabulum in loco perdurauit. Quod ipsum exemplis astruere nouis‑simis, utinam non tanta suppeditaret copia. Nam Hungari Pannoni‑as, de suo nomine dixere Hungariam. Turcę Asiam omnem minorẽ, olim suis Prouincijs distinctam, nunc Turciam magnam appellaue‑re. Nouissimi Tartari, olim Sarmatiam, nunc de suo uocabulo Tarta‑riam uocauere. Idem uetustis illis seculis intelligere debemus contigis‑se: ut non difficilè sit commonstrare, qui olim fuerunt Marcomanni: ubi Cornelio Tacito auscultemus, grauissimo Autori, & Germaniæ diligẽtissimo Scriptori: qui ait. In Hermunduris Albis oritur (hi sunt hodiè Moraui. nam & in eorum montibus fons est & scaturigo Albis fluminis) Iuxta Hermunduros Narisci: ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt, præcipua Marcomannorum gloria, uiresquè, atcꝙ ipsa etiam sedes, pulsis olim Böis, uirtute parta. Hanc accipio Böemiam: in qua gens manet Vuandalica. Inde manet nomen: ut apud Ptolomę‑um dicatur, Böiemi gens magna. Et uerè magna etiam nostra tempe‑state, quæ Russiam, Poloniam, Böemiam, Dalmatiam complectitur: una etiam utens lingua Vuandalica. Nimirum Marcomanni gens de‑bet intelligi magna, fortissimacꝙ: quæ Marcum Antonium, pij Anto‑nini successorem, Commodi patrem, triennio fatigauit. ut difficilimũ hoc omnium bellum, & olim Punicis comparandum apud Scripto‑res habeatur. Aurelianus, & Probus quocꝙ Principes in Romana Re‑pub. optimis comparandi, huic genti acerrimum bellum, sed difficilè inferebant: & utricꝙ uictores, domita gente, ab Romanis Scriptori‑bus efferuntur. Aliter Marcomanno ęquè docto, si extitisset, nar‑raturo. Sed ad Gotos nostros reuertamur: qui sub Giberi‑co Rege compositi, pace longæua ad exi‑tum eius quieuêre.

Vuandaliæ lib. 1. cap. 22.

Nominum mutatio unde.

Corn. Tac.

Böemia magna.



¶ Armanarici Gotorum Regis clarißimi, uictoriæ: cum Nationum aliquot descriptionibus. Caput.xiiij.

ARMANARICVS nobili Amalorum familia natus, Gotorũ Regno successit. Qui omnes ante se Reges, magnis rebus domi, forisq́ gestis, non solùm æquauit, sed & exuperauit: longè circumductis uictricibus signis per multas nationes: & cùm Orientẽ uersus, & in Boream longè, lateq́ perdomuerat nationes, à Romanis tamẽ Prouincijs abstinuit. quod fœdere prohiberet. Vnde factũ est: ut in Romanis historijs illius nomen non legatur. Sed inter Gotiæ Reges fertur illustrißimus. Post alias bello subactas, Herulorum gentem bello aggreditur. Ea ad paludes Mœotidis (Ablabio autore) tum consederat: nomen à loco mutuata. Nam loca stagnantia ex paludibus, Græci Hele ferunt appellare: Inde ut fit trans uersis literis, pro Heleris, Heruli sunt uocitati. Gens quantũ pernicitate agilis, tantũ in superbiã euecta. Nulla è propinquo gens, quæ nõ leuem armaturam ex ea natione delegerit. At quæ sæpè illis agilitas, & ad cursum uelocitas profuit: apud Gotos prodesse non potuit. Nam stabilis illorũ pugna, cursum ademit: cõegitq́ manus conferre aduersis hostibus. Vincuntur: funduntur q́: & qui superfuere cædi, manus dare coguntur uictoribus Gotis. Inde in Venetos Armanaricus arma uertit. Nemo explicuit, quæ gens fuit Venetorũ. Cùm & Plin. & Tacitus, & Ptolomæus eam nominent in regione Orientis considentẽ. Cæterum Iordanes ex Ablabio prodidit, quæ gens fuerit: asserens trinomiam esse, Venetos, Anches, Sclauonos. Non alios accipimus fuisse, quàm Vuandalos, gentem latißimam: quæ pro magnitudine sua, uarijs, ut diximus locis, diuersa nomina & tunc, & nunc sortitur. Sclauonorum, siue ut nunc habet consuetudo Sclauorũ, usitatißimũ apud omnes nomen est. Cæterum antiquißimũ est Vuandalorum. ut testis est nobis Tacitus optimus Germaniæ illustrator. Accedit Plinius, qui uetustißimũ amplißimæ gentis tradit Vuandalorũ nomen. Quod uocabulũ usq́; adeò apud multos habetur abolitũ: ut nisi uernacula Saxonũ lingua conseruaret: quæ Sclauonos, Vuenden appellat: hodiè qui Vuandali, & ubi essent, ac olim fuissent, ignoraremus. Cùm bello urgeretur ea gens à Gotis sub Armanarico, infinita multitudine prodijt in aciem, pro copia populorũ. Sed quòd sæpè aliâs, tum etiam apparuit: nihil tam obfuisse uictoriæ, quàm multitudinẽ sine ordine pugnantium. Cessere tamen Vuandali Gotis: & imperium subiere uictoris. Nec ea gente licet latißima in deditionem accepta, quieuit Armanaricus. Stimulauit illum magni nominis umbra: ut à mari ad mare dominationem diceretur protulisse. Estonũ gens est, quæ etiam nunc habitat ad

Armanaricus Rex.

Heruli, Sclaui sunt.

Superantur Heruli.

Veneti, origine Vuandali, seu Sclaui.

Vincũt Goti Vuandalos.

Estones, Liuonien.

tat ad littora Sarmatici maris : quæ nunc Liuonia dicitur . Perseuerat nomen gentis,& lingua sua . Eam sibi subijcere conatus Gotorũ Rex aggreditur. Vnde facilè est intelligere: omnes à Danubio in Boreã na tiones,illi iam paruisse.quòd per illas,tanquàm subiectas, aut pacatas tam longè ductaret exercitũ . Nimirũ maiorem illius partem tunc , & nunc Vuandali tenuere . Nunc tamen Danubio proximi sunt Hun= gari,gens post eam ætatem quam describimus ingressa . Inde Böemi. Post pauca Poloni.Et post Letuanos in littore maris sunt Estones: q̃s suo parere imperio,armis Rex ipse cöegit.Inde bellum illi maius exar sit ab Hunorum gente:quæ tunc transisse Mœotidas fertur paludes.



¶ Hunorum origo,& Armanarici Regis Gotorum mors. Caput.xv.

QVIA Hunorũ gentis celebre nomen,ex hac ętate in tẽ pora durauit Caroli magni: sæpiusq́ illius mentio inci dit nostrę narrationi:operæprecium uidetur, ostendere ex autoribus,quæ gens fuerit,unde uenerit,ubi consederit. Tradit Ior danes Rauẽnas Archiepiscopus,et ante illũ Ablabius Senator Rom. à quibus Sigibertus Gemblacen. Monachus accæpit. Tempore uetu stissimo,cũ primũ Goti egressi Suetia , ad confinia Mœotidis paludis sub Erico Rege peruenissent:fuisse in eorũ medio Magas mulieres, quę tonitrua,fulgura,tempestates aëris pro arbitrio cõcirent. quod genus frequens erat in Suetia,Noruagiaq́. Cùm inibi ignotus adhuc mane ret uerus Deus. Sed tum Ericũ Regem,odio Maleficiorũ,ab exercitu suo profligasse Maleficas,& in ulteriorẽ ripam paludũ transposuisse . ne ullo eorũ cõmercio gens sua contaminaretur. Illæ aliquandiu erra bundæ, uagum hominum genus Scythicæ nationis reperientes,socia runt cum illis connubia. Et quanquàm uetularum ætas maleficijs plu rimum utatur:erant tamen in eis ætate integræ,quæ prolificarent.Co aluit hoc semine breui magna seges hominum.quòd in regionibus fri gidis,rarior est aëris contagio,quæ solet mortales consumere . Et per mansit hoc genus hominum per multa secula nostris hominibus inco gnitum.quòd in alteram paludum ripam , nulla erãt commercia cum citerioribus.Cerua fuit, quæ uenantibus iter monstrauit . Ea canibus exagitata,inuicem tentauit iter,per superiora paludis contendens in al teram cõtinentem. Secutus uenator , didicit paludem fore meabilem : et constitutis per interualla signis,itinere quo uenerat, reuertitur ad su os. Id cùm iterum atq́ iterũ pertentasset: cerneretq́ cultiorem hac par te terrã,quàm in sua regione:Principibus in populo rem aperuit. Qui ubi compererunt uera narrantem,omni suorum multitudine collecta, cum uxoribus & liberis,& cum tenui quam præferebãt suppellectile, nouas

Magæ expulsæ.

Hunorum origo.

nouas sedes quęsituri, paludes transierunt. Noua hominũ facies, terrorem ingerebat cernẽtibus. Nam breuis eorũ statura: toruus aspectus: luminũ puncta potius, quàm oculi: color teter, insuetis tartaream faciẽ pręferebant. Iordanes Incubis spiritibus progenitos primos arbitratᷓ: Alij Faunis agrestibus: quos aiunt syluas incolere, nihil humanũ pręter solam speciẽ prætendentibus, ortos prodidere. Mihi probabilior narratio uisa est, quàm posui, Scytharũ ortos genere. Sed certiora quędam de origine Hunorum nobis tradidit Berosus Babylonicus sacerdos: cui publico munere contigit, Antiquitates renouare, & Annales perennare. Is ultra Cataclysmum ascẽdens, ostendit Noham noui Seculi patrem, quem historia sacra Noe appellat: post diluuiũ genuisse Tuisconem. Is filios reliquit Hunũ, Vuandalũ, Sueuum, Marsum, & reliquos intra Tanaim et Renũ omnes commorantes. Vnde apparet: omnes ex his nationes prodeuntes, Europęas fuisse, nõ Asiaticas. De ea aũt Hunorũ regione, quam Mœotidẽ transeuntes occuparunt, duo sunt probata testimonia: quòd eas tenuerint uastas solitudines, quas olim Sarmatæ, quos Græci uocant Sauromatas, nunc Tartari tenent. Nam Saxo Danicus scriptor, Regũ suorũ diligentiss. cultor, multis locis commemorat: Danorũ Reges Hunis bello fuisse congressos, mediam habuisse Russiam, quã Danus ad Hunos, Hunus item ad Danos profectus pertransibat. Alterũ testimoniũ reddit Priscus historicus. Is enim à iuniore Theodosio, cuius erat Epistolarũ magister, ad Hunorum Reges Orator in Scythiam missus, Imperatori scripsit. Ingentia se flumina transeuntes, ad loca peruenisse: ubi dudum Indigoia Gotorum fortiss. Sarmatũ dolo occubuerit. Indeq́ non longè ad uicum, in quo Rex Atila morabatur, accessisse: uicũ inquàm instar ciuitatis amplissimæ: in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata uiderit: quarũ tabularũ compago ita solidũ mentiebatᷓ, ut uix ab intẽto posset iunctura tabularũ comprehendi. Erant triclinia ambitu prolixiore distincta: porticusq́ omni decore dispositæ. Area uerò curtis, ingenti ambitu cingebatur: ut amplitudo ipsa Regiam aulam ostentaret. Hæc sedes erat Atilæ quondam Regi, Barbariem totam tenenti. Hæc captis ciuitatibus, habitacula præponebat. Huni ergò Gotis, adhuc gens incognita, ubi sub aspectum armati uenerunt, Gotos inuictam gentem, & quæ multas in suam ditionem nationes redegerat, terruerunt. quòd atro colore, minutis oculis, imberbibus genis, uocis incognito stridore uiderentur. Sed tamen in aciem prodire ausi, uirtutem insueti hostis statuunt experiri. Equidẽm turbari potest ad insueta Virtus, perturbari uerò non nouit. Animabant illos tot per gyrũ de gentibus uictorię. Rex ipse omnium opinione inuictus, augebat fiduciam. Sed illũ tum

Hunorum facies & habitus.

Berosus de Hunis.

casus eripuit præliaturis. Nam cùm pridem tulisset acriorem in fœminam, mariti sui desertricẽ sententiam: quòd indomitorũ pedibus equorum alligata, discerperetur: fratres eius obseruato tempore, latus Regis Armanarici gladio foderunt. Quo accepto uulnere, cùm deijcerentur Gotorum animi: Hunorum sunt erecti. Quo fidentius in prælium egressi, Gotorum terras uastabant, nullo in aciem occurrẽte. Rex aũt cùm uulnus corporis incrudesceret: accedente uulnere mentis, de Hunorũ digrassatione, dolore aũt confectus, rebus excessit humanis: plenus dierum. quòd decimũ supra centesimum annum uitæ impleslet.

Armanarici Regis. 110 annorum mors.




¶ Ostrogotorum in uicinos Hunos crudelitas. Tributo se eximentes Goti, congressu tertio, uictoribus Hunis tributarij redduntur, occiso Vuinitario. Caput. xvi.

Vuinitarius Rex.

VINITARIVS Armanarici ex fratre nepos, in sceptra successit. Sed ex hoc die quo Ostrogotæ sub tributo uiuerent Hunorum: Vuisigotæ facta discessione, suæ libertati prospexere. Cæterum Ostrogotæ relictis quas tenuere sedibus, in Ponticum latus, ueterem mansionem abiere: Hunis iam dominis suis cedentes. Gens indomita ferre iugum, iam tunc rebellionem meditabatur. Nec diu differebat concæpta consilia. Quippè uires exacuens, in proximam sibi gentem duxit exercitum: factaq; congressione, captũ Regem, cum filijs, & septingentis Primoribus in exemplum terroris cruci affixit. Exigentibus id eorum demeritis: quòd Gotos priscis sedibus consistere non paterentur. Sed cùm iam tributa Rex Hunorum Valamber à Gotis exigeret: non est passus Vuinitarius, gentem suam, libertati natam, seruire sub tributo: bellum pro ære offerebat. Accepit ille: & comparatis exercitibus ducebat in Ostrogotas. Augebat Gotorum fiduciam recens uictoria. Difficilis aditus Hunorum accesserat. Ita magnis utrinq; spiritibus in prælium itur. Primo certamine Goti uictores fuere. Repetito certamine, idem exitus. Iam certũ erat, uinci posse & Hunos. Itaq; maiore animo tertium quoq; præliũ ineunt. Ibi post multam stragem, fortissimè pugnans, cadit Vuinitarius: danteq; manus Ostrogotæ uictoribus Hunis, pristina tributa non recusantes.

Gotorũ crudelitas in uicinos.

Huni Gotos uincunt.



¶ Turismundus uictis Gepidis, & ipse cadit: quem in. 40. annos luxerunt Ostrogotę absq; Rege. Fit interim memoria reliquorum Regum. Caput. xvij.

HVMMVNDVS potentissimi quondam Armanarici Regis filius, non æquè paterna in sceptra concessit. Quippè ille toti genti solus imperitans, multis adiectis in circumitu nationibus dominabatur: filius autem solis Ostrogotis, Vuisigotis deficientibus, ægrè regnabat, sub tributo Hunorum. cùm etiã magno bello nimis

lo nimis attritæ erant gētis huius uires. Quieta erant Regis huius tempora, quòd extenuatæ uires nihil magni admitterent. Cunq; non diu post in fata concessisset: filius eius Turismundus in sceptra peruenit, primo iuuentæ suæ flore perornatus. Qui secundo Regni sui año mouit in Gepidas: magnoq; prælio iam uictor, ipse super hostium quam fecerat stragem occubuit. Quem sic luxerunt Ostrogotæ: ut per años 40. non aliū sibi regnare Regem paterentur. Tam pertinaciter amori Regis inhærebant. Cuius filius Hermundus, non magnifaciens paternum Regnū, quòd sub iugo uiuerēt Hunorū: cum filio suo Beterico, ad Vuisigotas se contulit: et sub Theodorico Vuisigotorum Rege (is erat, qui cum Etio in Atilam pugnabat: de quo suis locis dicam) tacita generis sui nobilitate, cum magna gloria militauit. Interim Vualamir, filius Vuandalarici, nepos Vuinitarij, Regnū accępit cum fratre Dietmaro: accedente tertio Vuitimaro. Eratq; in tribus fratribus mira charitas, & grata cernentibus contemplatio. Quando Dietmarus pro fratris fulciēdo Imperio militabat: Vualamir pro ornando germano cōtenderat: Vuitimarus utrisquè obsecutus, neutri deerat. Sed hęc postea suis locis explicanda: nunc per anticipationem quandam sunt attacta, ut Regum Ostrogotarum successionem, à Vuisigotis, de quibus mox, discernamus.

Turismundus cadit.

Vualamirus, Dietmarus, Vuitimarus.

¶ Redit ad Suetiæ Reges describendos. Ingo à Danis cum fratre, ab Haraldo Danorum Rege uincitur, & cadit, noua Acierum instructione. Caput.xviij.

VER AVTEM quod ab initio constituimus exequamur, Gotorum pręclara facinora inter Sueticas res commemorare: quòd Suetiæ Regnum, prima gentis incunabula Goti recognoscunt: nunc paulisper Goticis intermissis, quas ad Valentinianum usquè Imperatorem produximus, in Suetiā denuò respiciamus: ut quæ uicinis patrata sunt temporibus, propinqua narratione iungantur. Nequè enim cōgruit longè supra repetere narrationem, quando unius gentis facinora, diuersis Orbis partibus digesta, unum in ordinem contexere conamur. Ingo maior natu inter tres Alueri filios, sceptris paternis iusta & legitima successione potitus, fratribus Olauo atquè Ingello, ditiones suas secreuit: ipse totius Regni iura moderaturus. Prima illi cura fuit, amplificandi Regni: qua fiducia ausus est bellum Danis indicere. Præter enim exercendarum uirium, & augendarum opum causam, & gloriam Imperij prolatati, alij suberant non contemnendi rerum stimuli: uel de finibus: uel de cuiusq; quod prætendebatur, ut fit, iure in aliena ditione. Danorum autem rebus tum HARALDVS præerat: qui sollicitus de futuro bello,

Ingo Rex.

Vide supra lib.1.cap.49.

Visio Haraldo facta. Daniæ lib. 2. cap. 10.

quod Sueci indixerāt, Religionis suæ implorat auxiliū. At illi uisa est astare imago Senis lusci, qui se Othinū memorabat. Is anxio Regi de futuri belli euentu, uisus est tradere rationē struendarum acierum: ut tribus turmis copias partiret: & unamquanq; sua ratione dirigeret. ut ab acie in qua gemini præerant, usq; ad uiginti gradatim cornua densans procederet. Mediam faceret turbam iaculatorū. Postremam uerò ad exemplum primę instrueret: & in subsidijs omniū generum armatos collocaret. Equitum alas iungens lateribus. Hac ratione institutus à Sene Haraldus, tantum fiduciæ, animiq; concæpit: ut non expectatis hostibus, bellū ipse transferret in hosticā terram. Ingo, & Olauus fratres, comparatis agminibus inexpectato hosti obuiam pergunt: confliguntq; uiriliter. Sed tantū præstitit noua acierū instructio Danorū Regi: ut tumultuario de more prelio ingruentes, Suecos facilè superaret, opprimeretq; magno prælio uictos, Regem, cum fratre. Tertius ab annis minor frater, ualetudinis usus excusatione, Legatos de pace mittit ad uictorem. Pacemq; impetrans, pactis conditionibus in societatem rerum omnium assumitur: ab Haraldo eius Sorore traducta in coniugium. ut amicitiæ uinculum affinitate firmaretur.

Ingonis, & Olaui fratrū casus.



Ingellus Rex Suetiæ, consensu Sororij Danorum Regis Haraldi, confirmatur. Caput. xix.

INGELLVS post cęsos in Danico bello fratres, permittente uictore, sceptra paterna arripit. quòd iuncta affinitate, non uulgaris illis amicitia intercederet. Huius autē Regis tēpora, ut fuere breuia, sic nullis ab illo rebus gestis sunt illustrata. Sunt tamen, qui tradant Danici Regis germanam, non illo uolente ductam, sed raptu cognitam, germano abductam: belloq; diuturno repetitam. Quæ res non aliena moribus erat eius gentis. Nam clarissimum facinus duxere: Nuptias gladio promereri. Igitur Ingellus memor fraternorum casuū, armis decernere cum Haraldo non præsumpsit, sed furto instituit germanā abducere: uotoq; potitus, bello ingenti repetitam defendit. Haraldus id quod erat res ipsa, iniuriam posthabuit: & legitimis germanæ nuptijs, meliore consilio præbuit consensum. Ita pax inter Reges firmata, interueniente Coniugij uinculo. Accępta autem uirili ex ea prole, mox rebus excessit humanis.

Nunc impudentissimū.



Belli apparatus in septenniū usq; describitur. Regū item utriusq; partium ad Milites exhortatio. Caput. xx.

RINGO admodū puer, patri Ingello successit in Regno: non tā suis uiribus, quā proximi Danorū Regis Haraldi auunculi sui armis securus. Sed cū iam in seniū uergeret Haraldus, longęuaq; ętate armis desuesceret: malè consultū iri Regno suo

ſuo putabat;quòd nō ullus eſſet armorū uſus. Iuuenta minorū nullis prælijs aſſueta uideretur:Si externū ingrueret bellum, ludibrio hoſtibus futuram. Inciderunt quoq; ſimultatis cauſæ in Nepotem Ringonem:ut in illū potiſsimùm arma pararet. Tantus aūt fuit belli ingruentis apparatus,ut toto ſeptennio Reges præluderent exercitandis uiris, colligendis auxilijs, parandis armis, nauigijs inſtruēdis. Quę res indicio eſt:non tàm acerbis odijs ab Haraldi parte in bella fuiſſe procurſum, quàm erudiendæ Iuuentutis gratia: ut ſe rebus bellicis aſſuefacerent, & militari gloria fulcirentur. Simul, quòd indecorū arbitraretur, uirū ſe per omnem ætatem armis exercitū, magis molli thoro exeſum, morbo tabeſcere, quàm ſemel in acie fortiter pugnantem, militari exitu uitā ſenilem profundere. De auxilijs quę quęq; pars contraxerat, longa eſt Saxonis commemoratio: qui Starcuterū narrationis facit Autorem: ut pars magna belli fuerit. Ita ſe, qui cunctis rebus nō ſolùm intererat, ſed etiam multis præerat, omnia auxilia, pugnamq; multiplicem, eſſe ab illo ſcriptis deſignata. Operęprecium hic ergò agnoſcere: quæ cuiq; auxilia uenerint. Nam Danorū Rex, pręter Regni ſui uires, quas totas cōtraxerat ex Vuandalia, Saxonia, Anglia, Friſia copias multas duxit in arma. Inerant fœminæ armis innatæ, non ſolùm gregarios inter milites operam nauantes, ſed quę ordines ducerent ſui ſexus. Vuandalici generis hæ fuere. Tanta cōfluxit nauiū multitudo, ut mare, quod Scaniam atq; Sialandiam dirimit, iunctis naualibus terreſtre iter pręberet cōmeantibus: quod tamen ubi artiſsimū eſt quatuor milia paſſuū habet in latitudine. Erat in Scania exercitus equeſtris ac pedeſtris: ad ſupplendas, ubi opus uideret turmas. Nauali eī prælio dimicaturi concurrerant. At altera de parte Suetici generis omne robur cōcurrerat. Acceſſere auxilia Liuonū, Eſtonū, Curetumq;: plurimi Noruagi, Tilenſesq;. Nec deerat illis ordinibus decus fœmineū. Hetha nomen erat puellæ, quæ cornu in acie tuendum accæpit. Primi Sueci locū pugnę præfinitū tenuere. Nam Danis aduerſi uenti, aditū niſi poſt ſeptenniū non dedere. Steterant in cōſpectu claſſes. Dirigun tur in ordines pugnaturi. Ibi quiſquè Ducum, ſua agmina, quibus poteſt uerbis concitat in pugnam. Haraldus ſuam ab Ringone contemni queritur Senectam: inmemorem eſſe iuuenem, quòd per Senem regnet. Multipliciter & iura ſanguinis: & ſua benefacta proijci. Meminerint quiquè, quàm ſit iniuriū, Senem ab Iuuene bello laceſsi. Fortia facta Patrum pro ſe quiſq; recolat: paratam eſſe in manibus Victoriam, ſi uiri ſint. Opima ſpolia manere uincentes. At parte altera Ringo circūuectus, ſuos alloquit. Delyrū Senē eſſe, qui hoſtilia regat. Mollē opponi militiā. Quippè eſſe Germanos, Vuandalos, Borealibus armis uinci

Belli apparatus.

Daniæ lib. 2. cap. 11.

Danorum auxilia.

Suecorum auxilia.

Haraldus ad ſuos.

Ringo ad ſuos.

uinci solitos. Auspicari se multis ex rebus uictoriã. quòd uiribus præualeant. quòd animis exuperent. quòd iustiore causa lacessiti, in prælia ueniant. Tantùm perseuerent quibus sunt animis. Nullum fore dubium, uictoriam suis partibus aduolaturam.



¶ Cadit bello Haraldus. Victor Ringo, Regna partitur. Olo Rex à Starcutero sicario nudus transfoditur.

CAPVT XXI.

SIGNA canunt. Prima missilia mittuntur. Subducitur cœlũ densis ubiq; iaculis. Vulnera, necesq; promiscuè fiunt. At ubi propius res agitur: micant in manibus gladij. Cędunt, cęduntur q;. Stabat de suorum parte Starcuterus, uir monstrosæ fortitudinis: fortissimos quosq; obuios sternit: uulnus non leue & ipse excipit. Pro multitudine pugnantiũ uaria erat prælij fortuna: hic uincẽtes, illic uincuntur. Alternant diu spes, & metus. Dubijs diu pennis inter utranq; aciem uictoria uolitabat. Sed Danici Regis interitus, statim uertit in Suecos uictoriam. Vir ætate decrepitus, luminibus cæcutiẽs, iam uitæ pertæsus, in densiora se mittens agmina, telis obrutus cadit. Cadunt pariter animi de hac parte pugnantiũ: eriguntur Suecis. At Ringo ubi comperit Haraldũ corruisse: iam unam cernens ubiq; pugnæ sortem: miseratus causam Danorũ, Receptui cani iussit. Ardentes animos, ex Marte difficilè reuocat. Iam una de parte fuga, sęuitiam uincentibus interdicit. Regium cadauer, Regiorumq; Procerum ad funera dimittit. Ipse disponendis, ordinandisq; in Daniã rebus iam uictor intentus, Hetham puellam, quòd eius ubiq; fortem expertus est operam, Daniæ Regno præfecit. Contumeliam perinde genti inurens: quòd fœmineo digna uideretur Imperio. Cæterum Scaniam ab reliquo Daniæ Regno pręscindens, Oloni Noruagiorũ Regis filio permisit regendam. Sed facilè pertęsum est Daniæ fœminei Imperij: Olonem precibus adoriuntur, demat Danico nomini contumeliam: ipse sibi Regnum omne desumat gubernandum, se spontè defecturos, ut culpa uacet apud Ringonem Sueciæ Regem. Nec difficilè fuit, ambitioso persuadere Regnum inire: uocatam ad se Hetham, Daniæ Regno iubet abstinere: sola Iutia in reliquum contentam: cui tamen annuum imponit, ne libera credatur, tributum. Ipse ad natiuam crudelitatem conuersus, breui effecit, ut pœniteret Danos illum asciuisse. In desyderio illis esse cœpit fœmina quam contempserant. Sed non tam facilè fuit deijcere, quàm Regem constituere. Igitur Starcuterum auro promisso adoriuntur: tyrannum è uita auferat. Ille uel auaricia corruptus, uel sæuitia Oloni Regis permotus, operas pollicetur. Balneis se lauandũ Olo prębuit, Ingreditur Sicarius ex fortissimo pugile. Olo miratus

Haraldus cadit. Daniæ lib. 2. cap. 11. b.

Hetha Danię pręficit.

Olo Daniæ se submittit.

Daniæ lib. 2. cap. 12. c.

miratus uenientem Starcuterum, acri contuitu hominē reuerberat: ut propositi pœnitens, pedem referret. Ea uis erat luminosorum in Rege oculorum: ut quem armatæ acies non terruerunt, nudi hominis aspectum ferre non posset. At Rex conscius luminum suorum, cùm cuperet nosse quid afferret: nihil ueritus proditionem, à pugile inuictissimo oculos deiecit. Ille adortus Regem, nudum gladio confodit. Vno hoc crimine gloriam fortitudinis obscurans. Cuius rei pœnitudo statim subijt: permansitꝗ in finem uitę. Nam in se reuersus, nimium accusauit auariciam suam: quòd Regem nihil de se malè meritum, fidentē, nudū confodisset. Igitur pecuniam, quam precium Regiæ necis accęperat, collo appēsum circumtulit: inuitans omnes eo precio ad necem suam. Multi præteriere, uiri fortis sanguine abstinentes: nonnulli malè sibi timentes, quòd etiam in ipso mortis momento se uindicaret.



¶ Starcuteri cum Hathero Dialogus elegantissimus, Saxonis Carmine descriptus. Cuius Hatheri manu tandem Starcuterus obtruncatur. Caput. xxij.

HATHERVS quidam inter Sueticam nobilitatē nō infimus, in uenatione agens: cùm uideret senem de longinquo, minus agnouit: sed duos ex comitibus admissis equis, iubet præripere uiam, sciscitaturos, si Starcuterus sit quem uideat. Nam illū minimè cessurum de uia. Aduolantes equites ut terrefacerent: conuersus ille, claua sua prostrauit. Secutus Hatherus, ubi uidit casum comitum, nihil dubitauit, esse quem suspicatus erat. Rogat ille Senem. Cur gemino succinctus gladio incedat: cùm sit neuter usui? Si libet, refert ille, experire. Hatherus subinde. Vis alterum mutare uehiculo? Tum Senior. Olim inquit, ab irrisoribus pœnas accæperam: nunc uerò se iuuenum patere cachinnis. Libet Carmen inserere, quod Saxo noster tribuit indignanti.

Vt sine regressu pronas agit alueus undas: *Starcuterus*
Sic ætas hominum cursim labentibus annis
Irreditura fluit: præceps ruit orbita fati
Quam generat, finem rebus factura Senectus.
Illa oculos hominum, pariter gressusꝗ relidit: *Senectutis*
Eripit os, animumꝗ uiris: famæꝗ nitorem *incōmoda.*
Paulatim premit: & claros obliterat actus:
Occupat occiduos artus: frustratur anhelæ
Vocis iter, uegetamꝗ premit torpedine mentem:
Dùm pariter tussis, dùm pellis scabida prurit:
Dens stupet exesus: stomachus fastidia gignit:
Euacuat iuuenile decus: marcore decorem

Oblinit:

Oblinit:& picta crebras ferit in cute rugas.
Obterit egregias Artes:monumenta Priorum
Obruit:& Titulos antiquæ laudis adurit.
Demolitur opes:precium uirtutis,& usum
Carpit edax:transuertit res,& ab ordine turbat.
Ipse ego quàm noceat didici damnosa Vetustas,
Visu æger,uocis modulis,& pectore rauco
Cunctaquè in aduersam fluxerunt commoda sortem.
Iamq; minus uegetum corpus,fulcimine tutor
Flaccido,subiectis innixus membra bacillis,
Lucis inops,moderor uestigia fuste gemello,
Et uirga monstrante sequor uestigia callis,
Stipitis auspicio potius,quàm lumine fisus.
Nemo mei curam celebrat:nec in agmine quisquàm
Ad Hatherum. Solamen ueterano adhibet.Nisi forsan Hatherus
Assit:& infracti rebus succurrat amici.
Ille semel quencunquè pio dignatur amore,
Integer incępto studio conseruat,eodem
Prosequitur:primosq; timet peruellere nexus.
Ille etiam bello meritis benè,præmia crebrò
Digna refert:animosq; colit:largitur honores
Fortibus:& claros donis ueneratur amicos:
Spargit opes,laudisq; suæ cumulare nitorem
Dapsilitate studet,nulli uirtute secundus,
Nec minor ad Martem,pietatem uiribus æquat.
Belligerare celer,labi piger,edere pugnam
Promptus,& urgenti tergum dare nescius hosti.
Starcutterus de seipso. At mihi,si recolo,nascenti Fata dedere,
Bella sequi,belloq; mori,miscere tumultus,
Inuigilare armis,uitam exercere cruentam.
Castra quietis inops colui:pacemq; perosus,
Sub signis Gradiuè tuis,discrimine summo
Consenui,uictoq; metu,pugnare decorum,
Turpe uacare ratus,crebras committere cædes
Egregium duxi,& strages celebrare frequentes.
Sepè graues bello Reges concurrere uidi,
Et clypeos,galeásq; teri,crudescere campos
Sanguine,loricas affixa cuspide rumpi,
Vndiquè thoraces admisso cedere ferro,
Luxuriari feras inhumato milite pastas.

Hic

Hic aliquis fortè egregij conaminis autor,
Marte, Manuq; potens, medium dum pugnat in hostem
Intentam capiti loricam diffidit: alter
Casside perfossa, ferrumq; in uertice mersit.
Hic gladius sæpè dextra bellantis adactus,
Tegmine discisso capiti districtus inhæsit.

¶ Hatherus autem tale Carmen tribuit.

Vnde uenis Patrias solitus scriptare Pöeses,
Infirmo dubium suspendens stipite gressum?
Quóue ruis Danicæ uates promptissime Musæ?
Roboris eximij cassus decor excidit omnis:
Exulat ore color: animoq; amota uoluptas:
Deficit arterias uox, & raucedine torpet:
Deseruit corpus habitus prior: ultima cœpit
Illuuies, formæq; notas cum robore carpsit.
Vt ratis assiduo fluctu quassata fatiscit,
Sic longo annorum cursu generata Senectus,
Triste parat funus: defunctaq; uiribus ætas
Occidit: & primæ patitur dispendia sortis.
Quis uetuit te note Senex, iuuenilibus uti
Ritè iocis, agitare pilam, morsa nuce uesci?
Iam satius reor: ut rhedam, qua sepè ueharis
Venditor ensis emas: facilem ne in fręna caballum,
Aut precio leue curriculum merceris eodem:
Aptius inualidos sua quos uestigia fallunt,
Excipient iumenta Senes: rota proficit illi
Orbibus acta suis, cui planta uacillat inanis.
At si fortè caues cassum uenundare ferrum,
Ereptus tibi te perimat nisi ueneat ensis.

¶ Ad hæc denuò Starcuterus.

Improba uerba feris, facili temeraria labro,
Auribus inconcinna pijs. Quid præmia ductus
Qui gratis præstandus erat, per munera quæris?
Nempe pedes gradiar: nec turpiter ense relicto,
Externam mercabor opem. Natura meandi.
Ius dedit: & proprijs iussit confidere plantis.
Cur cui debueras ultrò dux esse uianti,
Ludibrio insultas, sermone procaciter usus?
Quæq; olim gessi, memori dignissima fama,
Dedecori tribuis: meritum quoq; crimine pensas?

Quid uisu insequeris uetulum pugnare potentem?
Inuictosq́ mei titulos, & splendida facta
Probro adigis: famosa terens, & fortia carpens?
Qua probitate petis indignum uiribus ensem?
Haud latus hic imbelle decet: dextrámue bubulci
Agrestem soliti calamo deducere Musam,
Procurare pecus, armis armenta tueri.
Nempe inter uernas ollę uicinus obunctæ
Crustula spumantis patinæ subligine tingis
Crassi adipis, macrum perfundens unguine panem:
Iusq́ tepens furtim digito sitiente liguris:
Doctior assuetam cineri prosternere gallam,
Indormire lari, somnos celebrare diurnos,
Sedulus officium uidentis obire culinæ,
Quàm bello fortem iaculis aperire cruorem:
Auersans lucem latebræ sordentis amator,
Mancipium uentris miserabile, parquè putaris,
Sordida cum siliquis lambenti farra cultello.
Hercule non tunc me ferro spoliare petebas,
Quando tibi Olonis summo discrimine nati, Starcuteri facta heroica.
Propugnator eram. Namquè agmine prorsus in illo,
Aut gladium fregit manus: aut obstantia fudit.
Hæc grauitas ferentis erat. Quid, quando Curetum
Littus, & innumera constratum cuspide callem
Primus ligniferis docui procurrere plantis?
Nanquè aditurus agros consertos murice, ferro
Armabam laceros subiecto stipite gressus:
Hinc mecum egregijs congressum uiribus Hamam
Enecui. Mox cum Vuino Duce Flebare natos
Obtriui Kyrios: uel quos alit Estia gentes:
Et populos Semigalla tuos. Post hæc Telemarcos
Aggressus, caput inde tuli liuore cruentum,
Quassum malleolis, armisq́ fabrilibus ictum.
Hic primùm didici, quid ferramenta ualerent
Incudis: quantumue animi popularibus esset.
Teutonici quoquè me pœnas autore dederunt:
Cùm natos Suertinge tuos, Frotonis iniqua
Cæde reos, domini uindex ad pocula straui.
Nec minus hoc facinus, quando pro uirgine chara,
Vno septenos necui certamine fratres.

Teste

Teſte loco, qui me ſtomacho linquente pereſus,
Non parit arenti rediuiuum ceſpite gramen.
Moxquè Ducis Kari bellum nauale parantis,
Vicinus egregiam conſerto milite puppim.
Inde dedi leto Vuaram: fabrumq́ procacem
Mulctaui, uatibus cæſis: ferroq́ peremi
Rupibus Auinijs hebetantem tela Vuiſinnum.
Quatuor hinc Leri natos, pugilesq́ ſubegi
Biarmenſes gentis Hybernæ, Principe capto.
Dufflinæ populabar opes: ſemperquè manebit
Noſtra Brauuellinis uirtus conſpecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi:
Quodquè manu geſsi: ad ſolidum celebrare recenſens
Deficio: ſunt cuncta meo maiora relatu:
Vincit opus famam, nec ſermo ſuppetit actis.

Hæc Starcuterus. Sed cùm Hatherus quædam mutuo ſermone reddidiſſet: intellexit ille, adeſſe quem uolebat, cuius laudes ſuperiore Carmine ignarus, præſente ipſo ceciniſſet: feriendũ uiro iugulum ſuũ præbuit. Hortatus: ne patris ſui interfectori parceret. Hæc facientem, auro quod ob necem Regis accæperat, potiturum promittit. Et ut eiuſdem in ſe animum uehementius efferaret; huiuſmodi exhortatione uſum tradit idem Saxo Grammaticus.

Præterea Hathere, priuaui te quoq́ patre Olone: Starcuterus
Hanc mihi quæſo uicem referes, & obire uolentem
Sterne ſenem: iugulumq́ meum pete uindice ferro.
Quippè operam clari mens percuſſoris adoptat:
Horret ab ignaua fatum depoſcere dextra.
Spontè pia fati legem præcurrere fas eſt:
Quod nequeas fugere, etiam anticipare licebat.
Arbor alenda recens, uetus excidenda: miniſter
Naturæ eſt, quiſquis fata confinia fudit.
Et ſternit quod ſtare nequit. Mors optima tunc eſt,
Cùm petitur, uitæq́ piget: cùm funus amatur:
Ne miſeros caſus, incommoda prorogetætas.

Hæc dicens, exerta crumena pecuniam promit. Hatherus autem, tam fruendi æris, quàm paternæ ultionis auidus: obſecuturũ ſe precibus, nec præmia repulſurum ſpoſpondit. Cui Starcuterus enſe proiecto, pronam ceruicem applicuit: ne timidi percuſſoris opus exequeretur: aut ferro muliebriter uteretur hortatus. Præfatusq́: quòd ſi peracta cæde, ante cadaueris lapſum, caput ac truncum medius interſiliret: armis

insuperabilis redderetur. Quod utrum instruendi percussoris, an puniendi gratia dixerit, incertum est. Fore enim poterat: ut saltantem eximij moles cadaueris obrueret. Igitur caput decussum, morsu terrã petiuit, ferocitatem retinens uiuentis. Percussor tamen promissis fraudẽ subesse ueritus, saltu abstinuit. Quem si temerè peregisset: fortè lapsi cadaueris ictu obrutus, occisi Senis pœnas proprio funere persoluisset. Hic exitus monstrosi hominis fuit: quem corporis proceritas, ingens uirium robur, & annorum insolitus numerus, singularem faciũt, & incomparabilem. In quo Saxonis nostri Carmina putaui non prætereunda, ut uetustatis, in celebrandis Carminibus, quam ille reddidit latino sermone, industriam pernoscamus. Simul etiã robustissimi uiri exitum illustraremus. Deniq; ut non uisuris fortè Saxonis historiam, ostenderemus, crasso sub aëre nasci magnos posse uiros, & magna exempla daturos.

Starcuterus sternitur.



¶ Ob latrocinium in Hallãndia, Gotari Regis Sueciæ Legato paratum, Danis bellum infertur: quo Siuuardus Omundi filius cadit. Filiam Daniæ Regis ui abductam Rex coniugem excipit. tandem bello suborto Gotarus perijt. Caput. xxiij.

Gotarus Rex.

GOTARVS interea apud Suecos rerum potitus, Regniq; statum, uicinorum Principum affinitate munire constituens: solenni missa Legatione ad Daniæ Regem Omundum, alteram filiarũ eius poscit uxorem. Nec difficile admittitur: quod uoto concæptum, etiam precibus postularetur. Prospera igitur renuncians, quem misit Suetiæ Rex Oratorem, iubet maiori apparatu regredi: sponsamq; puellam Regno inducere. Nauigat ille instructissima rate: et Hallandiam applicans, ubi se contulit in hospitium, expertus est insigne Latrocinium. Siquidèm caupones, memorabili scelere receptos hospitio peremerunt. Nam collocatis ad quietem hospitibus, pensilem molem desuper iniecerant opprimendis. Circumspiciens Regius Suetiæ Orator, dolum deprendit: commonitosq; suos, iussit cubare in diuersum. Alij qui fraudem non præuiderant, oppressi perierũt. Prima luce latrones decurrunt: Regium Oratorem, uirum opibus, ut cernebant, stipatũ, compressum esse sperantes, aurum iam spe deuorabant. Vident astare armatũ: ut latrocinia, comitumq; suorũ casum uindicaret. Illi quoquè nõ imparati pugnã conserũt: multos ex familitio Legati dejciũt, ipso cũ paucis elabente. Regi suo tristis occurrit: casum suũ congemiscens. Ille Danorũ Regis insidias esse interpretatus, malo errore Daniæ bellũ indicit: nec diu moratus infert. Mouit aũt in Hallandiã Daniæ, puinciã, in qua scelus (quod imputauit) admissum est. Ibiq; conserta manu,

Latrociniũ in Hallandia patratũ.

Siuuardus Daniæ Rex uincitur. Nam Omundus pater, illum pro se misit bello Ducem. Victor classem mittit in Daniam: quæ sponsam pe netralibus extractam abducit: quam abductam, Sueonum Rex coniu gem lætus excæpit. Nec diu post, unum ex primoribus suis insimula tum: quòd Germaniæ Regis stuprum tulisset, occidit. Cuius propin qui ac necessarij conspirantes, necem eius uindicare statuerunt: & ad Iarmericum Daniæ Regem, cuius ille patrem bello oppressisset, sese contulerunt: ueteris facti cōmemoratione utentes ad conciliandos ani mos, & ad prouocandum Regem in bellum: quo patris necem ulcisci præpararet. Bellum Sueonum Regi indicitur: paraturq́. In quo mag no conflictu inito, Gotarus opprimitur, à suis desertus, & ab exteris expugnatus: Regnumq́ cesit Danorum Regi Iarmerico. Siuuardus uincitur.



¶ Iarmerici Suetiæ cum Dania Regis, gestorum summaria repetitio. Caput. xxiiij.

IARMERICVS Danorū Rex, gemino Regno suffultus, pristinæ captiuitatis sortē pulchrè compensauit: etiam Suetiæ imperitans. Quid aūt rerū gesserit, et quomodo finierit: in Dania signauimus. Nā quod Sueticis rebus attinet, nihil præcipuū accæpimus à maioribus. In bello quod aduersus Hellespontícos idem Rex gesit (qua de domo accæptā uxorem, ob adulterij suspicionem malè perdidit) perijsse dicitur. Nauigatione autem instructa, bellum fuisse marinum memoratur. Certè longa nauigatione ex mari Danico, quod idem est Germanicum, peruenitur in Hellespontum: qui Asiam in angustijs disterminat ab Europa. Multo quidèm tempore interposito, postea enauigarunt Normanni in Constantinopolim, eius suburbia uastantes. Sed hac ętate nondū illis erat Oceanus ille pertentatus: præsertim, ut post Cimbricā Chersonesum prę teruecti, Galliam & Hispanias, omni Betica & Italia relictis, ad Græciam usquè pertingerent. Sed hęc relinquamus in medio: grauissimum Autorem nequaquàm mendacij cōarguētes. Potest tamen fieri: ut nominum similitudine deceptus, alterum putauerit pro altero. Iarmericus Rex. Daniæ lib. 2. cap. 16.



¶ Snionis Daniæ Regis narratur amor, & raptus Reginæ Suetiæ, Gotorum Regis filiæ. Atq́ hinc ad res commemorandas redit. Caput. xxv.

IARMERICVS, qui in Suetiæ Regno successerat, euentu quàm nomine ipso notior est. Equidèm Anales cùm factum recenseant, Regis nomen subducunt. Snio Rex Danicis rebus præerat: filiamq́ Gotorum Regis à se uicti, uehemēter amabat. Iustas nuptias non recusasset pater: sed ille liberam uolebat Venerem. Indignum ratus pater, Regiam stirpem, Regale scortū fieri: puellam Regis nomen ignotū

ſam Daniæ Regi ſecretius affectam, Sueonum Regi tradidit uxorem. Irritatus amor, aduerſis uehemẽter incãduit, libuitq; magis, quod cœpit licere minus: iam alienã coniugẽ, iam Suetiæ Reginam, inconceſſo proſequebatur affectu. Submiſit fidum hominem, qui habitu mendici pauperis, translatus in Suetiam, Aulæ ſe inmiſceret Regali: ut caperet occaſionem colloquẽdi ad Reginam. Ille diſsimulator egregius, ad fores ſe collocauit, quibus ſciebat egrediendum eſſe Reginæ. Cunque procederet: ille diſsimulanter propius ſe ingerebat: & quo potuit ſecretius in aurem inſuſurrauit Reginæ. Amat inquit te Snio. Et hæc dicens, ne quis uultum dicẽtis attenderet, alió reſpexit. Illa progreſſa, uelut nihil dicentis uoce moueret, eadem eſt uſa diſsimulatione. Sciebat Regiam plenam fore oculis obſeruantiũ Reginã, ex mandato zelotypi Regis: qui Daniæ Regis inſidias uereretur. Poſt moram regreſſa: cùm procus ille mendici habitu adhuc in loco ſuo cõſiſteret: eadem obſeruatione reſpiciens, alio in aurem ſonuit expectantis, Amantem redamo. Exhilaratus ille: nihil tamen ſigni foris oſtenderat. Sedulus aũt alium obſeruabat egreſſum: uenienti quàm diſsimulanter inmurmurat. Locũ inquit, poſcit amans, & tempus. Interpoſita mora, cùm iterum appareret: Initium brumæ in Bokeror præſignauit. Qui diligentius obſeruauere dicentis nutum, nõ ſatis quid, aut cui loqueretur intelligentes, extremæ calliditatis conſilium amentiæ deputauere. At nuncius omnia perſentiens, certiorẽ facit Regem Daniȩ de omnibus. Ille conſtituto tempori, ac loco non deerat. Egreſſam Reginam lauandi ſpecie, cum mariti opibus in nauim aſſumit: raptoq; potitus, in Daniam enauigauit. Multa deinde prælia Regibus fuere. cùm ille iuſtas nuptias uindicaret temeratus: coniugemq; repoſceret: alter iniuſtas tueretur. Præualuitq; iuſto iniquus. quòd plus armis poſſe tum uidebatur. Multa deinceps tempora tranſiliuit, quem in cõmemorandis Antiquitatibus ſequimur Autorem, Saxo Sialandicus. Nam quorũdam Regum in Dania ſola attingit nomina: multorũ etiam obliuione damnauit. Rerum autem Sueticarum ex hoc tempore egreſsionis Scaniorum (qui poſtea dicti ſunt Longobardi) ſub Rege Snione: qui fuit annus poſt natum Chriſtum, Trecenteſimus octuageſimus ſecundus, iuxta ſupputationem ab Euſebio inchoatam, Hieronymo, Proſpero, & Florentinis diligenter continuatam, uſquè in Carolum Magnum: qui ad octingenteſimum poſt Chriſtum natum peruenit ad Imperium: omnino nihil commemorauit. Cuius rei detrimentum, Goticis narrationibus, quæ ex hoc die magis ac magis inclareſcunt, compenſemus: redeuntes in Prouincias ad Hiſtrum conſtitutas: in quibus diuturna fuit Gotorum cum Romanis colluctatio: donec libertate prouecta, in maiores

Amoris ſolertia.

Procantis uerba.

Regina capitur.

Digreſsio ad Gotos.

De Longobardis, lege lib. Tertiũ Daniæ per totum.

Anno Chriſti 382.

maiores occupandas proficerent. Quod quomodo factum sit, nunc nobis commemorandum.



❡ Vuisigotæ, uel Vuisigoti, indifferenter, ut ab Hunorũ dominatu eximantur, Valenti, & Valentiniano Impp. Rom. se dedunt: perperàm Arriano rum hæresi infecti. Caput. xxvi.

WISIGOTAE, qui eius gentis occidua magis tenuẽre, cùm post mortem Armanarici potentissimi Regis, ab Ostrogotis discederent: cernerentq́ se Hunorum armis premi: diu deliberauere, quomodo consulerent suæ libertati: cùm Hunorum armis obsistere non posse putarẽt. Missa erga Legatione ad Valentem Imperatorem (quem Valentinianus Augustus cõsortem fecit Imperij) postularũt: in Romanis Prouincijs, Thracia, Mœsiaq́ sedes quietas. Simul etiam: ut sub umbra Romani nominis quietius agerent ab incursu Hunorum: polliciti, Romano se Imperio militaturos. Quo què illis maior fides esset, promisere CHRISTI religionem, iamtunc in Romanis Prouincijs florescentem, suscipere: si Doctores illis suæ linguæ gnaros, Imperator prouideret. Eam legationem non inuitus Valens audiuit: hoc in pactis exhiberi, quod ille uotiuum semper habuisset: facilè promisit Prouincias, quas illi armis poterant uendicare: sæpeq́ uendicarunt. Commilitium, quod Reipub. pollicentur, gratus agnouit. Doctores illis Sectæ suæ misit Arrianos, maximum Reipub. Christianæ detrimentum. Quot inde enecati postea fideles? Quot pulsi in exilium Episcopi? Et quod omnia exuperat incommoda: quàm innumerabiles animæ inde perierunt? Hoc iacto principio pestifero, latius serpsit malum in omnem nationem. Nam Vuisigotæ non tam Christiani, quàm Arriani, per Episcopum gentis suæ Vlphiam, Ostrogotos, & Gepidas congentiles suos, fermento quod accæperant, corrupe runt. Nam is erat Gotorum Apostolus, si non Antichristus: qui Goticas literas adinuenit: qui diuinarum literarum sacratissimum thesaurum, in Goticam linguam transfudit, inmixto quod imbiberat ueneno. Ita factum est: ut pessimum seminarium citius, quàm salutiferum latè germinaret: perueniens usq́ ad Vuandalorum latissimam nationem: quæ & ipsa imbuta simili toxico, catholicos seuerissimè, & in Hispanijs, & in Aphrica persequebatur. Tantum potest error in primordijs. Felices, si non Valentem Arrianum, sed Valentinianum catholicum, Christianum Imperatorem, de Religione suscipienda consuluissent. Sed terribile in filios hominũ Dei consiliũ: de profundo suo, dissimulauit in hac gente, perennari perniciosum errorem.

Vuisigotæ Romanis se subdunt.

Arriana secta inficiuntur Goti.

¶ Orto tumultu ob cariſtiam, Vuiſigotæ Romanos truci dant:& fame ſe leuant. Secundò irritati, exercitum prelio,& Regem igni abſumunt. A Theodoſio tamen Imperatore tandem arcentur.



CAPVT XXVII.

VM ergò Vuiſigotæ Valentis permiſſu in Thraciam, Mœſiamcꝫ tranſmigrarunt: cœpit nouis cultoribus, qui necdum terrã ſubegiſſent, rerum inopia ſuccreſcere. Duces aũt limitanei Lupicinus, atcꝫ Maximus, quos Regioni Valens prefecerat, cauſam carioris Annonæ inter Vuiſigotos, uerterunt in occaſionem auariciæ ſuæ: magis atcꝫ magis augentes Cariſtiam. ut Gotos primùm ære, deinde mancipijs nudarent: quæ omnia comparandis frugibus impẽdere cogebantur. Cuncꝫ malorũ nullus eſſet finis, ſed quotidiè fames augeſceret: etiam de diſtrahendis liberis agere nonnulli cœperunt: malentes in ſeruitute filios uiuere, quàm miſerabiliter apud ſe mori fame, duplicicꝫ malo excruciari. Duces erant in Vuiſigotis Fritigernus, & Alatheus, atcꝫ Safra. Clamorem populi nec reprimere, nec ſuſtinere ualentes. quòd non ſolùm tenuiter, ſed etiam ingenti precio uictum, nedum tolerabilem, ſed etiam corruptiſsimũ mercarẽtur, uerba fecere Romanis. Sed ſurdis fabulam narrauere. quòd & de ſuis illi marſupijs implendis, & gente ſine armis ſubigenda cogitarẽt. Excipitur Fritigernus conuiuio à Romanis. Comitũ ſuorũ in alio triclinio clamorem audit. Illi, quòd fame urgerentur, & conuitio: orta, ut fit, rixa inter militares, ad arma concurrunt. Romani plures, facilè paucos compreſsiſſent in ſuo. Aduolauit Dux Fritigernus, & breui aucta eſt Gotorũ manus. Igitur Romani illi Duces, cum commilitio ſuo ad unum omnes necantur. Goti mox ad predã egreſsi, cœperũt undicꝫ rebus cõtractis abundare, imperantes Prouincialibus, importare gratis, quod ante uel magno, uel nullo precio poterant obtinere. Valens ubi audiuit cædem ſuorum, gentiscꝫ inſolentiam rebellantis, Antiochia comparatis copijs exiens, mouit in Thracias. ut gentem reprimeret. Nec ſegnes Goti, obuiam proficiſcuntur. Vbi conſeruere manus, primùm Romanus equitatus diſsipatur. Pedites circumfuſi, ab equitatu Gotorum funduntur. Fit miſera cædes Romanorũ. Imperator diu inter agmina conſiſtens, iam uulnere ſaucius, deportatur in non longinquã caſam. Goti latè perſequentes, omnia ferro & igne uaſtauere. Incideruntcꝫ in caſam, qua illis ignorantibus Imperator delituit. Illi miſſo igne, Valentem cum conſortibus concremarunt. Hic erat Imperatoris illius exitus, hæc prima, & uſcꝫ in eum diem maxima in Romanos exercitus cædes. Ita uindices fuere diuinitatis, ſuæquè iniuriæ neſcientes. Primùm Decium, cum filio, inde

Cariſtia in Thracia & Mœſia.

Cæduntur à Gotis Romani.

Valens Imperator cũ ſuis igne abſumitur.

lio: inde Valentem cum exercitu conterentes. quòd impiam Arriano-rum sectam illis iusserit prædicari. Qua elati uictoria Vuisigotæ, Constantinopolim obsederunt. Eam urbem Dominica Valentis uxor, ingenti in populum pecunia distributa, seruauit. Et Gratianus, cui nepoti Valens occidentale commisit Imperium, afflictis rebus prudentissimè consuluit. Nam Vuisigotos Thraciam, Mœsiam, Daciamque ripensem possidere, ac Romano Imperio imminere intelligẽs, resistere constituit. Et cùm id sibi existimaret soli non possibile fore: accersitum ex Hispanijs Theodosium, ingenti uirtute uirum, consortem Imperij declarauit. Nec fuit postea, cur pœniteret prudentis consilij Gratianum. Siquidèm Theodosius quàmprimum Imperator declaratus, purpuramque apud Seruium est indutus, summo Principe digna gessit. Vuisigotis enim congressus, eos multis, magnisque prælijs uicit: urbem uictor Constantinopolim intrauit: & ne paruam Romani exercitus manum, quotidiè bellando attereret: pacem, fœdusque cum Athanarico Vuisigotorum Rege percussit. Quanquàm scribat Ablabius: Theodosium supradictis in prælijs uincentem, morbum incidisse grauissimum: eaque ratione, gratuitam pacem cum Vuisigotis constituisse: cui Theodosius breui liberatus, ob honorem collegę, libẽter acquieuerit. Theodosius Gotos uincit.



¶ Athanaricus Constantinopoli moritur. Gotorum strages sub Theodosio Imperatore militantium.

CAPVT XXVIII.

ATHANARICVS Vuisigotorũ Rex: qui Fritigerno successit: ob fœdus Constantinopolim ingressus, magna adductus est urbis illius admiratione: & laxatum omnibus curis animum, inspiciendæ ædificiorum, operumque magnificentiæ impendit: urbis sitũ, nauiumque instructissimos portus miratus: ac deinceps Regiam Imperatoris ingrediens, & obsequia, uariaque officia conspiciens, quasi in stuporem uersus: Ea inquit cerno, quæ sæpè incredulus audiebam. Sine dubio, Deus terrenus est Imperator. Et si quis aduersus eum manum erexerit, ipse sanguinis sui reus erit. In tali ergò admiratione, maiori à Principe honore suffultus: paucis mensibus interiectis, rebus excessit humanis. Quem Princeps affectionis gratia, penè plus mortuum quàm uiuum honorans, ipse in exequijs feretrum eius præcessit: Regiaquè sepultura decorauit. Quæ res Gotorum animos mirificè Imperatori conciliauit: ut in fœdere, & fide, etiam sine Rege sub Imperatore diu, feliciterquè perdurarent. Paulò post, cùm Gratianus apud Lugdunum Galliæ ciuitatem interfectus esset: Theodosius in Gallias profectus, Gotorum uiginti (aut iuxta Orosium, decem) armatorum milia secum duxit: gessitquè Imperator ipse ad- Athanarici mors, & exequiæ solennes.

uersus Arbogasten, & Eugenium tyrannos, ciuile illud bellum, Claudiani Poetæ Carminibus celebratum: in quo Goti ab Imperatore præmissi, ad internecionem fuerũt occisi. Postquàm uerò Theodosius apud Mediolanum, inmatura Reipub. morte præuentus esset: Arcadium, & Honorium filios, & in Romano Imperio successores, multi suorum perfidiæ atq; insidiæ causa agitauerunt. Commiserat Theodosius Imperio florens, tres potentissimas Imperij partes, tribus Ducibus gubernandas: Rufino Orientalem, Occidentalem Stiliconi, & Aphricanam Gildoni.

20000. Goto rum cadunt



¶ Alaricus cum Rhadagaso exercitu maximo Italiam petunt. Caput. xxix.

Alaricus Rex.

ALARICVS tum Gotorũ Rex cõstituitur: cùm optimo ac fortissimo Imperatore Theodosio mortuo: discissisq; Romani Imperij partibus, Goti ab Ducibus Romanis, & adolescentioribus Imperatoribus negligerentur. Siquidem militaria donatiua illis, ut prius, nulla prouenerant. Alaricus ergò nobili Baltorum genere ortus, cui erat post Amalos secunda nobilitas. Nam Balta eius stirpis pater, nomen ab audacia mutuauit. Balta enim lingua gentis, audax dicitur. Is Rex cum suis deliberans: suasit, & facilè persuasit: suo potius labore Regnũ quęrere, quàm alieno Imperio subiacere. Mouit igitur Alaricus in Pannoniã: ibiq; confidens, fortiorem sibi Gotorum exercitum conciliauit. Nam erat Rhadagasus Rex agmen ducens Gotorum supra ducenta milia. Qui unde uenerit, nõ aperitur à Scriptoribus. Nisi, quòd Scytham, idolorũ cultorem astruũt. Quòd si de littore Pontici maris fuerit: ex Ostrogotis ueniebat. Sin ex Vuisigotis erat: quomodo nõ sub Alarico fuit: quem Regem sibi gens illa coaptauit? Alaricus igitur, & Rhadagasus Reges, diuisis agminibus Italiam sunt ingressi. Nam unà tantus exercitus incedere non potuit: commeatus habendi gratia. Quicquid terrarũ attigęre, uelut atra tempestas populabantur. Alaricus missa ad Honorium Legatione, sedes postulauit, quibus se cum gente sua collocaret. Imperator Honorius Gallias, & Hispanias concessit. quòd iam Vuandalorum, Sueuorum, Alanorum magnis gentibus uastarentur: maluitq; Imperator, Barbaras, ut uocant, nationes seipsas collidere: quàm ipse uel singulis, uel uniuersis conflictaretur.



¶ Rhadagasus à Romanis obsessus, uincitur. Ipse fuga sibi consulere uolens, capitur, truncaturq;. Post Saulitum insultus, redeuntes Goti in Italiam, Romam capiunt. Caput. xxx.

CONTENDIT Alaricus in Gallias. Sed Rhadagasus

cœpto itinere petiuit Italiam: uiribus, non precibus obtenturus loca quibus consideret. Transmissoq; Apennino, peruenit in montes Fesulanos. Stilico iam Romanum agebat Consulatum, cum Aureliano: uir in Romana Repub. potentissimus: & quem moriēs Theodosius, generum suum, filio Honorio reliquit tutorem. Is comparatis copijs: inter quas & Huni, & Goti Romano Imperio militabāt: Vldinus Hunorum, Sarus Gotorum ductores erant: hostem Rhadagasum ita obsedit in Fesulanis, ut nulla re magis, quàm fame expugnaret. Qua urgente, inops consilij Rhadagasus: ueste mutata, fugam relicto furtim exercitu intētauit, Sed ex ea retractus, captus, & occisus est. Exercitus dissipatus, uenit in manus Romanorū. Impleta sunt omnia ergastula seruitijs: uelut pecora captiui uenundabantur Goti, uili precio distracti, pro multitudine captiuorū. Alaricus uerò Vuisigotorū Rex, permissas prouincias Galliarum petere cōtendit: cùm ad Polentiam sacro die Pascę considerent: sacrisq; pro more Christiano insisterent: subitò in eos uenit Saulus, gente hebræus, ductor tum Romanorū agminū: consilio, ut ferunt, Stiliconis patricij: q erat Honorij socer. Nam utranquè filiam, Mariam, & Hermanciam, alteram post, alterā cùm prima incognita discessisset, coniugio iunxit Imperatori Honorio. Cauerat fortassè genti suæ Vuandalorū, in quos ducebant Goti: ut bellū illis auersum, in Italiam retraheret. Non laudo consiliū: sed propositū coniecto. Video tamen, quid illius temporis historici sentiūt. Ideò per dolum esse turbatos Gotos: ut negociū Imperatori curaret: quo grauissimo bello implicitus, locū faceret filio Stiliconis Eucherio: quem ferūt, occiso Honorio, Imp. destituisse. Vtcunq; fuerit: Goti prima Sauli inuasione turbati, arma corripiūt: Romanos initio uictores fugant, cæduntquè: & ita pleni, omisso itinere, reuersi sunt in loca priora. Cùmq; Imperator pessimo Reipub. consilio, ob suspicionē, quam æmuli Stilicontanæ uirtutis quotidiè augebant, eundem Stiliconem, cum filio de medio tulisset: Goti iam neminem in Italia formidantes, liberè usquequaquè digrassati sunt: & usq; ad urbem Romam peruenerunt: eamquè primi post Gallos cœperunt, ex omnibus gentibus Romano Imperio reluctantibus. Tanto maiori huius gentis gloria, quo maioribus incrementis nunc Roma floreret ab illis pastoralibus casis, quas olim Galli incenderunt.

Rhadagasi fuga, mors, & Rom. uictoria.

Autor.

Vincunt Goti.

Roma à Gotis superatē.

¶ Alarici, Gotorum item depredationes & acta, Hieronymi testimonio narrantur. Caput. xxxi.



RDINEM autem irruptionis, & illatæ calamitatis, libet uerbis S. Hieronymi, tunc in Bethleem degentis, in epistola ad Principiam uirginem de obitu Marcellæ, exponere.

Hieronym. de Roma capta.

exponere. Ait enim. Terribilis de occidente rumor affertur. Obsideri Romam:& auro in salutem ciuium redimi, spoliatosq; rursum crucia ri. ut post substantiam, uitam quoq; amitterent. Hæret uox, & singul tus intercipiunt uerba dictantis. Capitur Vrbs, quæ totum cœpit Or bem. Imo fame perit, antequàm gladio:& uix pauci qui caperentur in uenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientiũ rabies: & sua inuicem membra laniarunt. Dum mater non parcit lactanti infantiæ:& recipit utero, quem paulo ante effuderat. Siue igitur patruo (ut Orosius) ne gocio:siue post passam à Romano populo (ut alij uolunt) acerbissimã famem: Vuisigoti, duce Alarico Rege, urbem Romam, rerum ad id temporis dominam, irruperunt. Qua die, quam Calendarum Aprilis fuisse satis constat, Imperij Romani inclinatio (ut Blondus ait) inchõ auit.

Alarici edictum.

Ingressus Vrbem Alaricus Rex, edictum Vuisigotis proposuit: ut fugientes in loca sacra, præsertim Petri & Pauli basilicas, illæsos ser uarent. Prædam uerò pro posse ingentem ubiq; facerent: sed quoad possent à cædibus & sanguine temperarent. Quod quidem pro uicto ris, antea omnium gentium populi, rem domesticam defensantis forti tudine: proq; Gotorum multitudinis auaricia, atq; insolentia, supra fi dem posterorum obseruatum fuisse, omnes concordant Scriptores. Et tamen aliquantis cædibus, stupris, incendijsq;, Vrbem quondam Orbis dominam, constat fuisse fœdatam. Ea uerò in tantæ Vrbis dire ptione, duo tantùm quæ acciderunt, memoratu digna referri comperi mus.

Gallæ stuprum.

Horum unum est. Gallam Placidam Theodosij superioris filiã, & Honorij, Arcadijq; tunc Imperatorum sororem, in captorum sor tem abductam, uictoris Goti castra fuisse secutã.

Ecclesiæ uasa restituuntur.

Alterum. Vasa B. Pe tri ministerio sacra, pondere, magnitudine, & pulchritudine eximia, ad Vuisigoti cuiuspiam manus peruenisse: & Regis iussu, in Basilicæ cuius erant arcam, magna cum Romanorum, Vuisigotorumq; admi ratione fuisse relata. Profecti Vrbe tertia die, quàm ingressi fuerãt Go ti, Campaniam, Lucaniam, & Brutios populati sunt. Fretum postea traijcere, ut Siciliam diriperent conantes, tempestas coorta prohibuit: quę nauibus illisis, aliquot cohortes consumpsit. Ipsis exinde uarias in recedendi, aut iterum ut traijcerent intentandi sententias pendẽtibus,

Alarici mors & sepultura.

moritur Rex apud Consentiam Brutiorum urbem. Quem gens, iactu ram Sepulchri plurimi facere solita: ne ultio aliqua in mortui ossa pos set exerceri, in deriuati amnis basem alueo condidit: locello ditis sima Regis suppellectile completo. Et ne post eorum pro fectionem, Sepulchrũ id ab incolis sciri posset, amne in cursum restituto, fossores, qui operi inter fuerant, trucidarunt.

¶ Athaulphi



¶ Athaulphi tyrannidem cohibet Galla prudens mulier. Vrbis status describitur. Gotus fœdera cum Cæs. Rom. instaurat. Deq; Impp. filijs, qui degeneres animos habuere. Caput. xxxij.

ATHAVLPHVS ex Baltorum gente, Alarici cognatus, illi succedit. Cui Galla Placida, primo Vrbis captæ die fuerat desponsata: licet uiro nondum copulata esset. quòd nuptias satis constat apud Forũ Cornelij fuisse celebratas. Hæc sua prudentia Regem Gotorum mirabiliter deliniuit: impetrauitq;, ut per Vrbem reuersus, prędа quidèm, quòd nequisset prohiberi, identidem fieri permiserit: à sanguine uerò curauerit, & incendijs abstineri. Nam quod in tanta huiusce cladis Scriptorum inopia, solus testatur Orosius: Paucis post accęptam cladem, aut annis, aut mensibus: si quis populi Romani & multitudinem uidisset, & uocem audisset: nihil mali factum arbitratus fuisset: nisi aliquot restantes ex incendio ruinæ id fortè docuissent. Excedentes urbe Vuisigoti, populóue Romano: an cõstitutis ex gente sua Magistratibus, eam dimiserint gubernandam: nullus refert Scriptor. Multis tamen agitur coniecturis: ut credibilius sit: nullo relicto aut prę sidio, aut Magistratu, eam destituisse: euestigio futuram Imperatorũ, in quorum amicitiam, fœderaq;, Athaulphum Placida inclinare cœperat. Quod enim Orosius B. Hieronymi testimonio scribit: Barchinonensem uirum nobilem narrasse: quòd cõcupiuerit aliquando Athaulphus, euersa Roma, alteram ædificare urbem, quæ in locum demortui nominis Romani, Goticum referret: & quemadmodum ea ciuitas Gotia Romę suffecta esset: sic & ipse nouæ conditor urbis, in Augustorum subrogatus locum, posteris Imperij cognomen relinqueret Athaulphum. Is tamen, memorante Placida prudentissima muliere, consyderauit rem Romanã creuisse: et ad ea tempora stetisse Legibus, ac bonarum Artium disciplinis: à quibus Gotica barbaries abhorreret. Ideoq; in tantum mutauit sententiam: ut Romanæ dignitatis, cuius esse nequiret imitator, optauerit fore restitutor. Hinc Honorij, Arcadijq; Impp. fœdera quęsiuit: quę post factas apud Forũ Cornelij nuptias, omnem emensus Italiã, cùm apud Barchilonem citerioris Hispanię consedisset, indies magis, magisq; petiuit. Inter hęc ignauissimi Imperatoris inertiam magis admirari conuenit: qui per omnes dies, quibus in Italia Goti demorabantur: ne exercitum conscribere auditur: nec se commouisse legitur. Quod inde magis mirũ est: quòd ante paucos annos, duce Stilicone, maior etiam hostium manus sine bello confusa est: ut ducenta Gotorum milia in seruitutem traherẽtur. Tantum ualuit fortissimi Ducis inuicta prudentia. Ego quidèm tanta post tem

Athaulfus Rex.

pora bilem continere non possum: uictricem gentiũ Italiam, saluo Imperatore suo, ita protritam: ut nullus in aciem prodierit: nemo arma commouerit, nemo tantis motibus obgannierit. Capitur Vrbs orbis domina: abducitur Imperatoria proles, eadem germana Imperatorũ: & ne domestico malo gladius uel unus distringitur. Vsu compertum est: Romano Imperio non feliciter euenire, successionẽ filiorũ. Vnus Vespasianus, Titum filium, uirtutis suæ imitatorem habuit. Mox Domitianus degenerauit. Marcus Antoninus nullam unquàm Reipub. iniuriam intulit: nisi quòd Commodum filium reliquit. Seuerus Caracallam fratricidam, & Senatorij sanguinis osorem, post se in Imperio habuit. Magnus Constantinus filium Arrianum, & Iulianũ apostatam dereliquit. Sed digressi reuertamur.

Impp. filij malè secuti parentes.



¶ Athaulphus in Vuandalos mouet. Rediturus tum in Italiam. At Honorius Imp. illum lacescens: dum Proceres offendit rebelles, tumultu orto Rex cadit. Cap. xxxiij.

ATHAVLPHO Duce, Vuisigotæ in citeriorem Hispaniam ad Barchilonem consederant. Nam Gallias Vuandali, Sueui, Alani, Franci diuisis agminibus tenuerunt. Vuandali quidèm ex Pannonijs, quas illis Constantinus Magnus permisit, mouerunt in Gallias: posteaquàm aliquandiu in ripa Rheni consedisset. Sueui uerò, & Alani, iunctis uiribus, in Hispanias transierũt. Franci ad Parisios translati sunt. Ibi nomen suum inuehentes, & Regnum fundãtes, quòd per incremẽta plurima hodiè quoq; floret. Sed Vuandali audito Gotorum ex Italia transitu: memores pristinorũ casuum, quos sub eorum manu graues pertulerunt: non expectato Gotorum aduentu, & ipsi in ulteriora Hispaniarum contenderunt. Ita factũ est: ut Galliæ uacuefactæ, transitum Gotis pręberent. Sed Athaulphus id Imperatorũ gratiæ donauit: quorum germanam tenuit coniugem, ut illis cederet Gallijs: persecutus nationes, quæ ante se in Hispanias mouissent. Itaq; imbelli turba, Barchilone relicta, mouit in Vuandalos, sępiusq; manus conseruit cum illis. Interim cùm quasdã intentaret conditiones Imperatoribus, quas non impetrauit: cœpit respicere in Italiam, ut eó remearet. Sed audiens post suũ transitũ, Alpium castra cõmiuta ab Imperatorijs, tacitam indignationem compressit. In Hispaniam ulteriorem transire disposuit: inde traiecturus in Aphricam. Sed hanc eius cogitationem præuerterunt multæ undecunq; natæ difficultates. Nam Imperator Honorius, cùm liberã iam teneret Italiam: Galliæq; patescerent, quòd Barbari se mutuo metu urgerent: in ulteriora Hispaniæ cogitauit per Comitem Cõstantium, ex Romanis Patritijs primum, Athaulphũ in Hispania citeriore inuadere. quo profligato,

cætera

cætera sibi faciliora arbitratus est conficere. Igitur magno apparatu Constantius expediuit agmina in Vuisigotos. Quod ubi cōperit Athaulphus: indignatione nō mediocri perculsus: quòd Romanus Imperator, cui ipse pepercerit, in se mittere potuerit exercitū: nullo germanæ, quam coniugem tenebat, habito respectu, nulla fœderū contemplatione. Igitur iræ plenus, & ipse exercitum conscribere statuit. Sed Gotorū Proceres euocati ad bellū, minimè paruerunt: asserentes, Ataulphum, unius mulierculæ blandimentis delinitum, Imperatori Romano, quem in manibus habuerit, cuiusq; delendi facultatem accęperit, pepercisset. Igitur contumacia Gotorū paulatim gliscente, tumultus exoritur: & excreuit audacia, quæ usquè in caput Regis ascendit. Nam ille suorum indignatione perimitur.



¶ Sigericus Rex, quòd pacem cum Romanis inisset, à Proceribus Gotorum trucidatur. Caput. xxxiiij.

SIGERICVS in demortui locum Rex cōstituitur, quòd illum Romanę paci, quę offerebatur, infensiorem arbitrati sunt. Nam Constantius Comes, & si magno instructu ad Goticum bellum procederet: terror tamen Gotici nominis, quòd Italiam, & urbem Romam inuasissent, simul etiam magnæ Gentis uires, ad offerendas Pacis conditiones illum fecerant propensiorē. Quæ cùm Sigerico quoq; per Legatos oblatæ sunt: nec ille magnopere abhorreret: Gotorum Proceres, quibus nihil bello tutius esse uideretur, quòd insidijs Romanorum peterentur: indignati, quòd in deligendo Rege longè sua opinione falsi essent: Sigericū, quasi pacis conditiones amplexantem, primum insidijs, deinde aperta ui circumuenientes, contrucidarunt. Ita exosa genti quies erat, quòd ad summa quęquè comprehendenda belli amor, & fiducia uirīū illos animaret. Tantum dabat animorum, urbs Roma capta, & Italia in manibus habita, quam sponte deseruerunt.

Sigericus Rex.

Sigericus à suis trucidatur.



¶ Naufragiū Gotorū in Gaditano mari. Vuallia, Constantio Imp. Rom. suppetias locat in Alanos. Qui & uincūtur, Rege eorum Acace interfecto. Caput. xxxv.

VALLIA inde Rex Vuisigotorū, in locum demortui surrogatur: qui ad pacem & ipse pronus erat: & tamen Vuisigotorum rabiem expleturus, magnam eorum manum nauigio, armisq; instructam, transmittere in Aphricam est molitus, ut allegaret pacis hostes. Sed hi omnes in Gaditani freti duodecim passuum milibus perierunt. Territus ergò maximo Dei iudicio: memor etiam illius acceptæ sub Alarico cladis, cùm Goti in Siciliam transire conati, in conspectu suorū miserabiliter abrepti, & demersi sunt: pacem optimā

Vuallia Rex.

Naufragiū Gotorum.

cum Honorio Imperatore, datis lectissimis obsidibus, cōstituit. Et Placidam, quam post Athaulphi mortem honorificè apud se, honesteq; habuerat, fratri redditam, suam Reipub. operam est pollicitus aduersus cæteras gentes, quæ per Hispanias consedissent. Et pace firmata, Honorius Constantio Cæsari declarato, Gallam Placidam sororem dedit coniugem: ex qua Valentinianum tertium eius nominis suscepit. Exinde usus Constantius Vualliæ auxilijs, in Alanos duxit, Emeritam Lusitaniæ metropolim incolentes. Nam quod Romanæ produnt historiæ, Constantio Constantini tyranni filio Duce, hæ gentes Pirenęi claustra ingressi, prodētibus Honoriacis, Vuandali Beticam, Sueui, Alaniq; Lusitaniam insederunt: & forte iterum inter Alanos & Sueuos ducta, hi Vlysipponem, & quicquid ultra pertinet ad Beticam: illi Emeritam, cum omni Gallicia habuerunt. Soli tamen Cantabri, & Astures Galliciæ prouinciæ populi, summis laudibus extollendi, Romanorum Iudices conseruarunt. Primum autē Constantij Cæsaris bellum, Vuisigotis adiuuantibus, gestum fuit aduersus Alanos: quos graui bello apud Emeritam superauit: & eorū Regem Acacem interfecit. Fuit uerò ea uictoria maximo terrori cęteris Barbaris Hispaniam prementibus. Quæ gentes rem Romani Imperij per Constantij uirtutem, & Vuisigotorum pacem, auxiliumq;, breui restitutū iri existimantes: ab Honorio postularunt, ut pacem secum etiam ipse constitueret: ipsosq; inter se sineret bello detonare, & se inuicem lacerare: futurum prudentissimè memorantes, ut apud quencunq; fuisset uel clades, uel uictoria, Romanæ Reipub. restaurationi, amplitudiniq; accederet. Constantius deinde consors Occidentalis Imperij ab Honorio assumptus, Augustus declaratur. Qua prouectus dignitate, nihil duxit antiquius: quàm cum Vuallia Vuisigotorum Rege fœdera confirmata renouare: ut in Hispanijs, reliquis gentibus opponerentur. Itaq; illi Tolosam, cum aliquot Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus permisit: quę omnis Regio Vasconia nuncupatur: quod nomen ad ætatem usquè nostram retinuit: licet magnam, ut conijcimus, mutationem in Prouinciæ finibus fecerit temporis longitudo.

Alani uincuntur.

ALBERTI

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Vuisigotorum, Ostrogotorumquè gestarum, LIBER III.



¶ Constantio Imp. mortuo, Etius Magister militum dignitate repulsus, Hunos in Romanos excitat. Vuisigoti fidem Romanis seruant: Beticā dein recuperant. Caput. I.

REGNVM à Vuisigotis in Hispania constitutū, firmante Constantio tum Augusto, initiū iure noui operis deposcit. quòd illò Vuisigoti peruenerunt, ubi ingenti gloria finierunt: post captam Romam, post euastatam Italiam, nihil præstantius efficere prȩualentes, quàm ut sedes quietas acciperent: & bello, paceq́ florerent. Quod quomodo factum sit, sequentia monstrabunt. Nam Constantio Augusto, post accæptam Augustalem dignitatem, breui ex hac luce migrante, Etius patricius, patre natus Gaudentio, ex Dorostana Mœsiæ ciuitate oriūdus, uir fortissimus, & rei bellicæ scientissimus, Magister militum declaratur: qui Burgundiones (Vuandalorum id genus erat, ut in Vuandalia ostendemus) nouos tunc primū parantes motus, bello persecutus compescuit: Francosq́ iterū Reni ripas insidentes, quòd Galliam irrupturi uidebantur, magna superatos cæde, repulit in Germaniam suam: & Alanos bello cœpit acerrimo agitare. Hi nanq́ post accæptam à Constantio Cȩsare, adiutoribus Gotis, cladem, apud Vlyssiponem, sub umbra & titulo Sueuorum quieuerunt. Constantij aūt morte audita, ad Emeritam reuersi, eam quærebant Galliciæ Prouinciam sibi in patriam retinere. Sed & Vuandali, atq́ Sueui, metu Cōstantij liberati, pacis spē, uoluntatemq́ abiecerūt: in quam post Vuisigotorū pacem erant procliues: & in Romanum Imperiū coniurantes, arma iunxerunt: in Lusitaniam ad Emeritam ducentes, Alanis præsidio affuere. Etius itaq́ tanta irruente Barbarorū mole territus, in citeriorem Hispaniam se recepit. Tulit eam rem grauiter Honorius: & Etij causam iniustè existimans, ignauiæ subscripsit, quod necessitas facere cōegisset. Eamq́ ob rem Castinū Comitem, genere Scytham, Magistrū militū, & postea Consulem declarauit: misitq́ eum Etio successorē. Nec diu post permansit Honorius in humanis. Quo sublato, Ioannes quidā, annitente Castino Consule, ac Militū Magistro, inuasit Imperiū: Etio non magnopere repugnante. quòd stirpi Honorij, ob accȩptam iniuriam, malè afficeretur. Putatur etiam, ob iniustā reuocationis notā, nouos, & omniū Romanorum Imperio periculosissimos hostes Hunos inuitasse:

Etius Magister Militū.

cùm ageret apud Mœsios, unde paternã ducebat originem. Nec difficilè Huni monitis paruere: audita præsertim Vuisigotorũ gloria: & similibus prouocati succeſsibus, quos ſibi de maioribus uiribus polliciti, facilè ſedes mutauerũt. Vuiſigoti tamen quod Conſtantij temporibus iecerant fœdus cũ Repub. Romana, ſeruauerũt. Et cùm ſatis quieſcere neſcirent: ſtatuerunt bello finitimos agitare. Primam tamẽ expeditionem deſtinarunt in Vuandalos: qui in captis à ſe pridèm Hiſpaniarũ Prouincijs habitabãt. Quod cùm reſciſſent, tremerentq́ Vuandali: inmutationẽ ſediũ prætendere cœperũt. Quando Rom. Imperij fato expoſcẽte, Bonifacius Comes, & ipſe in Aphrica à Siſulpho preſſus, deſperansq́ ſalutẽ, Genſerici Vuandalorũ Regis auxiliũ implorauit: multa exorans prece, ut ſiue mallet ſtipendia, ſiue prædã urbiũ, ſiue ipſas Aphricæ urbes in præmiũ accipere: opem ſibi aduerſus Imp. præſidiaq́ afferret. Amplexus ilico fuit Genſericus oblatam conditionẽ: & Vuandalos cũ uxorib. & liberis, omniq́ ſuppellectili: factaq́ tot per annos in Gallijs & Hiſpanijs prȩda, nauibus imponens, ex Betica Gadicẽſi litore ſoluit: nõ magis Bonifacio auxiliũ afferre, quàm nouas accipere ſedes, in Aphricã uauigauit. Alani aũt, & Sueui mãſere apud captas ꝑ ſortẽ Luſitaniȩ regiões: quas ſibi ſperauerãt cõſeruare. Paulò poſt, Vuiſigoti relictã à Vuãdalis Beticã receperũt. In q́ Alani, et Sueui, diuiſis poſtea tẽporib. ad Vuiſigotos protectores ſuos cõfugierũt.

¶ Alanos probat Salanos, hoc eſt, Saxones dici: Sicambros uerò Francos. Caput. ij.



ALANORVM nomẽ hac tẽpeſtate crebrũ eſt in hiſtoria: quòd Sueuis frequẽter iuncti, ſiue cũ Rhenũ tranſirent, ſiue cùm Gallias infeſtarent: ſiue cũ in Hiſpanijs Prouincias, iunctis armis accæptas in poteſtatem, ſorte dirimerũt. Sueuorum quidèm natio & origo in Germania uſq́ hodiè notiſsima eſt. Sed Alani qui fuerint, unde uenerint, nullus Scriptorũ quẽ legerim attingit. Ptolomæus in Aſia longè ad Orientẽ, inter Scythicas nationes deſcribit Alanos montes & populos. Sed an ea gens populariter egreſſa, nouas ſedes quæſierit: nemo dicit. Gotorũ, Gepidarũ, Hunorũ: & poſtea Bulgarorũ, inde Vngarorũ, Turcarum (ut appellat Mela) nouiſsimè Tartarũ eruptiones tenemus certis autoribus: tempora ſignantur: nominant̃ Duces: unde, quo uenerint cõmemoratur. De Alanis autem, quando, aut quibus Ducibus ſint egreſsi, nuſquàm legitur. Vnde & uenio in ſuſpicionẽ, Salanos fuiſſe olim ſcriptũ: quòd per errorẽ, ut fit, dempta litera, Alani, pro Salanis dicerent̃. Sunt aũt Salani, Saxones, qui Salam fluuiũ habitant, ubi miſcetur Albi. Quod ut conijciã, adiuuat narratio de Francorũ origine: quos habitantes Sicambriam, dicit̃ Valen=

Sueui. Salani, ſunt Saxones.

Valentinianus maior inmisisse Alanis subigendis: quòd inuijs paludibus tutarentur. Sicambri aũt ipsi, sunt Franci Germani: non ut fabula præfert, populi Orientales ad Meotidem. Hi mouente Imperatore, inmissi sunt Salanis, ut Orosius exponit, hoc est, Saxonibus: qui inuijs paludibus tuti uidebantur. Nam Saxonum generi inhęret Frisiorum natio: quę locis palustribus ad mare demoraẽ. Ergo testimoniũ Orosij, iunctum Francorum origini, ostendit Salanos, non Alanos fuisse Saxones. Inopia Scriptorum, & error Antiquorum facit, ut diuinare oporteat in hisce rebus. Facilè patiar, ut ab afferente certiora refellar. Nam institutum meum ab origine fuit: alijs dare inquirendi, scribendiq́ occasionem meliora. Ad institutum reuertamur. Sicambri, Franci.



¶ Atilæ Hunorum Regis expeditio maxima. Remenses horribili fame & clade obsidet, atq́ urbe propellit. In Vasconiam deinde mouens. Caput. iij.

THEODORICVS in Vuisigotis post Vualliã Regnũ accępit: cum quo fœdera renouauit Etius, iam Romanis exercitibus iterũ pręfectus à Valentiniano tertio, Constantij filio. Statim aũt propositi sui etiam pœnitere cœpit: quòd Hunos excitasset. Nam Attila eius gentis Rex potentissimus, qui se natũ ad terrendas & conterẽdas gentes gloriabaẽ: cũ Bleda fratre, iunctis multis nationib. quas partim subegerat, partim in fœdere tenebat, mouit in Gallias. Tum Etius maiores cernens Hunorũ uires, quàm quibus facilè resistere posset: per Italiam, Galliasq́ exercitus cõscripsit. Misitq́ in Romanas prouincias, & ad socios Reges: ut fœderati omnes, adunatis uiribus, Romanæ rei adsisterent. Quibus persuasionibus adducti Burgundiones, Meroueus Rex Francorũ: qui Clodioni patri successerat: & Rex à Romanis erat appellatus: Saxones, Riparioli, Lambriones, Sarmatæ ad fœdera in Atilam conuenerũt. Contraxit uerò, & patrijs eduxit sedibus Atila, non Scythiæ modo populos, sed ad latissimam quoq́ Danubij oram undiq́ expositos: in quibus notissimi fuere, Ardaricus Gepidarũ, Valemir, Theodemir, Vindemir Ostrogotorum Reges fratres: Marcomañi, Quadi, Heruli, & Thuringi: quę ad quinquaginta armatorum milia fuisse comperimus. Cùm igitur se ita compasasset Atila, Germaniam est ingressus: & ea incendijs, rapinis, cædibusq́ uastata multis in locis, transiuit in Gallias. Monstrantur hodiè loca castrorum eius iuxta Traiectum, & in Flandria: Retinent quoquè loca nomen eius. Primò uerò in Remenses ducens, urbem eorum corona cinxit. At cùm ciues tamdiu resistere conarentur, quoad diuitias spontè in prædam permissuri, ab inmanissimo hoste seruitutem, internecionemq́ deprecarentur: refractis subita ui mœnibus, irrupit Theodoricus Rex.

exercitus: tantaq; sæuitia, cædibus & sanguini indulsit: ut nec sexui pepercerit gladius, nec ætati. Eaq; in sæuitia in sanctum uirũ Nicasiũ urbis Episcopũ, ętate decrepitum, grassatum est. Ex cuius ore postquàm abscissum corpori caput iacebat: diuini eloquij Carmina ferunt audita. Post multas inde commissas minoribus in locis & oppidis cùm cædes, tum rerum omnium, etiam sacrarum direptiones: secunda ad Aurelianos Atila fecit castra. Dux erat interea in Vasconia Etius: & Romanis legionibus Theodorici apud Tolosam sedẽtis, Vuisigotorum què copijs iunctis, sociorum copias summo studio cõtrahebat. Quod cùm intelligeret Atila: primùm quid faceret, dubius fuisse fertur. Nam qui semper paruifecisset Vuisigotos, Alanos, Sarmatas, Saxones: ab Hunis sæpè superatos, fugatosq;: Gallos item, & Francos occidentales facilè spreuisset: nisi summam Erici uirtutem, ac rei militaris peritiã sibi cognitã timuisset. Conuertit ergò animũ homo barbarus ad gentis stoliditatẽ: & aruspice accito, exta ritu patrio inspici curauit. Aruspice aũt dubiũ prælium, ac magnam suorum cædem, sed primarij hostiũ Ducis necem portendi, renunciante: in prælium exarsit. Haud dubium: quoniam sublato, ut significari existimauit, Etio: si etiam maiorem exercitus sui partem amisisset, cum reliquijs copiarum, & supplementis, quæ facilimũ duceret comparare: orbis Imperio potiretẽ. Qua spe adductus, omissa Aurelianorum obsidione, in Vasconiam duxit.

Nicasius Episcopus cęditur.

¶ Congressus belli, & cædes maxima describitur: quo Theodoricus Rex cadit. Caput.iiij.



PPOSITI tales, tantiq; exercitus, quantos in Europam nunquàm conuenisse constat: in subiectis Tolosæ campis (Catalaunicos tunc uocabant) acies in hunc modum, prout refert Ablabius, sttuxere. Atila imbellem mulierum, puerorumq; turbam, inter carros, quorũ uis maxima exercitui suo inerat, ad proximos colles primùm semouit. Et inde structa apertis campis acies, sese cum Hunis suis medium locauit. Ostrogotos Reges fratres tres sinistro, Ardaricum Gepidam dextro cornibus præfecit. Structores aũt Theodoricũ, Etiumq; tardauit, Sigibaris Alanorũ Regis perfidia: quem resciuerũt ab Atila corruptum, constituisse: cùm primùm pugnam conseri esset cœptum, ex cornibus, in quorum altero locari sperauerat, ad hostes transire: ut laborantibus in prælio Romanis, & Vuisigotis, à tergo instaret. Veriti tamen Duces, ne si in perfidũ Sigibarem acerbius decernerent: Alanos pessimo loco & tempore abalienarent: & duplici damno eos, qui carerent, hostico adderẽt exercitui: dissimularunt. Sigibareq; quod fieret ignorante, municipij quod Tolosę proximũ obtinebat, portas ab extra obice munierũt: & stationes, ne Huni

Saxoniæ libro.1.ca.23.

Atilę instructa acies.

ne Huni possent ingredi, addiderunt: ipsum uerò Regem cum Alanis curarent acie media inter auxilia contineri. Theodoricus exinde cum Torismundo filio, & Vuisigotis, ne Ostrogotis concurreret, sinistrũ: Etius cum Romanis, & Burgundionibus, ac Merouco Francorũ Rege, dextrũ cornua tenuere. Fortè erat in campo tumulus utrisq; castris pari spacio proximus: de cuius opportunitate, ut apparuit maxima, cùm utriusq; Duces exercitus certassent, occupauit Torismundus. Cõcurrentibus inde cornibus, prælium est initũ, pro numero & multitudine maximũ, atrocissimumq;. Sed in tanta Barbarorũ, quæ utrisq; castris erat colluuione, adeò multiplex, adeo uariũ erat pręliũ, ut nec ipsi qui aderant pugnatores intellexerint, quo ordine sit commissum. Cędem uerò inauditam, riuos, ac medio in campo sanguinis torrẽtem fuisse, scribẽtibus faciliter consentio. Quod necesse fuit accidere. Cùm hinc Romanæ legiones armis instructæ, tantam haberent in quam sęuirent inconditam, ac propè inermem hostium multitudinem: inde ardentes inter se summis odijs Scythæ, mutua feritate & sęuitia concurrisent. Dum autem recedentes Hunos, & in fugam conuersos, ardentiori animo insequitur Theodoricus: suorum magis pressura allisus, quàm hostiũ ferro interfectus, occubuit. Et tunc prælium, quod ad serum diei erat cœptum, in dubiamq; noctem continuatum: interuentu umbrarum utrinq; diremptum est. Atila postquàm magna se cum clade superatum uidit: intra carrorũ septa confugit: scutatisq; in circumitum, ut ualli speciem, pro carris stantes exhiberent, dispositis, sagittarios adiunxit: uim hostium, quę improuisa fieret, quoad acies instrueretur, propulsaturos. Et ne aut uiuus in hostiũ ueniret manus, aut mortuus careret sepultura: iumentorũ clitellas in struem congessit: in qua, si durius quid accidisset, se gladio à domesticis confodi, & subiectis ilico flammis cremari iussit. Cæsa fuisse eo in prælio ex utroq; exercitu centum & sexaginta quinq; milia, qui minus q; ui plus. clxxx. scripserunt. Hic exitus erat Theodorici Gotorum Regis.

Congressus belli.

Theodorici mors.

Atilæ metus.

¶ Torismundus patri Regno succedit. Soluitur exercitus. Atila per Italiam sæuit: Aquilegiam triennio obsessam, tandem, licet diu illusus, expugnat.



CAPVT V.

TORISMVNDVS patri successit in Regno. Is mane inuentũ Theodorici genitoris cadauer, Regij funeris pompa Tolosam deferri, & se à Vuisigotis Regem declarari, ac salutari fecit. Et conuenientibus ad Etij tentorium Ducibus, Etium Torismundus, cæterosq; exercitus Duces, ut uictoria uterentur, primus omnium est hortatus.

Torismundus Rex.

Etij consilium. hortatus. Sed Etio non minus Vuisigotorum, Alanorum, Sueuorumque, & Burgundionum, ac Francorum, quàm Atilæ, & Hunorũ suspecta erat potentia: ideoque alia mens sibi, aliudq́ consilium fuit. Hunos enim, Gepidas, & Ostrogotos, sicut opinabatur, eneruatos, & disciplinę militaris ignaros, uoluit cõseruare. Quia existimauerat, eo sublato exercitu, alios qui unà uicerant Barbaros, prouinciarum Imperij, assuetos direptionibus, & Romanam militiam propè edoctos, reddi Reipublicæ damno ac excidio fortiores. Hinc laudatum, inquè maximam spem erectum Torismundum, admonuit: ut fratrum, qui domi manserant, ambitioni occurreret: ad suscipiẽdamq́ paterni Regni gubernationem, festinus accederet. Quod cùm ille libens facere pergeret: cæteri Principes ac populi, qui Romana secuti erant Signa, Etio dimittente, in patriam sunt reuersi. Atila postquã tanto tremore, quantus non magis ipsum, quàm eius inuaserat exercitum, sese uidit liberatum: in Tungros, Trecensesq́ duxit: ac maxima edidit incendia. Procedensq́ in pristinas sedes, suppleuit lacerũ exercitum: atq́ in Italiam contendit. Quacunq́ incedebat, oppida & urbes direptionibus & incendio uastabat. Per Illyricũ aũt tendens in Italiam: nihil in medio reliquit intactũ. Imperatore Orientis Martiano ad tantum motum quiescente: ad Italiæ principia Dux Valentiniani limitaneus copias suas opposuit uenienti. Sed nihil erat ea tempestate tam magnũ, quod posset Atilæ impetũ remorari. Igitur retrocessit Dux limitaneus: Aquilegiamq́ communiuit. Fortiter oppugnatur: sed fortius defenditur. Cingitur obsidione: multis uijs tentatur irruptio: sed uigilanter ab Romanis legionibus tuetur. Ad ultimũ fame expugnare contendit, firmata obsidione: quæ durauit in triennium. Et cùm iam pertæsum esset Hunis tanti temporis: cogitarentq́, obsidione laxata ulterius progredi: Rex urbem ut solebat speculaturus obequitans, uidit ciconiam pullos efferre. Et conuersus in proximos, Cernite inquit, aues uenturi præscias, iam peritura urbe pullos educere. Igitur oppugnatione instaurata, urbẽ capit. At uerò iam ante prouiderant Ciues affectibus suis: ut uxores, filios, & senes suos, cum thesauris in Gradensem insulam deportarint: quo & ipsi ingruente necessitatis articulo profugerent.

Atilæ sæuitia.

Aquilegia trib. annis obsessa, capitur.

¶ Venetorum origo, Atilæ coniugium, Torismundi in Gallijs erga Atilam uictoria: eius item fratrum suorum insidijs, mors. Caput. vi.



TRADVNT Veneti, idq́ ex archiuis Aquilegiensis Ecclesiæ accępisse contendunt: cùm cernerent Ciues, ob inopiam panis, urbem diutius tenere non posse: nocte statuas per muros dispositas, propugnatorum specie constituisse; & illo aspectu, diu

Stratagema

diu lusisse Hunos, donec abirent. Aues aũt cùm insiderent stantium in muro capitibus, rem prodidisse. Tum effractas portas, urbem solo æquatam, itidem in uicinas urbes sæuitiæ exercuerunt: ut omnis earum partium Nobilitas in paludes confugiens, initiũ fecerit Venetiarũ per ea tempora. Mediolanum præda fuit Hunorum, incendium etiã non euadens. Inuidens Hunus Gotorũ gloriæ: quòd Italiam, & urbẽ Romam perrasferunt: cùm idem cogitaret, deterritũ ferunt exitu Alarici, qui non diu superstes fuit irruptioni. Sed tamen fluctuantem, & ancipiti sententia secũ confligentem, Leo summus Pontifex legatione populi functus, auertit: ut iter retrò flecteret. Abscedentẽ eunuchus Honoriæ uirginis, quæ germana erat Valentiniani tertij, filia Constantij & Placidiæ: quam frater incluserat aulæ: Atilam adoritur, ut uolẽtem coniugio deposcat. Nec diu opus erat, propensum in libidinem Regẽ stimulare. Igitur missa ad Imperatorẽ legatione, puellam deposcit coniugem. ni detur: rediturum Italiæ excidio. Qua (ut quidam scribunt) missa, cum solenni apparatu nuptias Atila celebrauit. Tantumq́ uini lætus hausisse fertur: ut apoplexia, cũ cruore de naribus profuso strangularetur. Alij uerò scribunt, reuersum in patriam, Imperatori Orientis minas intulisse. quòd promissum à Theodosio militiæ donatiuum non acciperet, uenturum se excidio Prouinciarũ. Et tamen aliò intendit exercitum. Galliarũ illi amor inhæserat: ut profligatis Alanis, Visigotisq́, sedes ibi firmaret. Itaq́ armatis agminibus eò contẽdit. Qua profectione crediderim illi occurrisse agmen sanctarum ab urbe Roma Virginum, Vrsula Duce, quod apud Agrippinam coloniam martyrio consecrauit. Torismundus cùm audiret Hunos in Gallias iterũ contendere: Alanisq́ primùm minitari, præuenit Atilæ incursionem. Iunctisq́ copijs suis ad Alanos, prælio excipit uenientem. Nec alius erat quàm prioris pugnæ exitus. Nam uictus, turpiter lacerum in Pannoniam reduxit exercitũ. Torismundus dum post uictoriam ægrotãs, sanguinem de uenis iuberet minui: ab Astaldo cliente, quem fratres eius submisere, dolo peremptus est. Sed iam uicina morte dolos comperiens, apprehenso pedũ scabello, proximos excerebrauit. Ille tamen intentatam à fratribus mortem obijt. Dignissimus uita. quòd & militari prudentia singularis, & animi magnitudine tanto par Regno solus uideretur. Extinctum fratres Regis tumulo decorauerunt.

Venetorũ origo.

Honoria Atilæ despondetur.

Galliam obsidet.

11000. Virgines.

Vincitur Atila à Torismundo.

Torismundi mors.



¶ Theodoricus, Riciarium Sueuorum Regem bello deuincit, Athiulphum Sueuiæ Præfectum capite plectit, Regis illis electionem admittens, tandem fatis cedit. Caput. vij.

THEODORICVS frater Regno succedit: uir satis animo

Theodoricus Rex. II.

animo ualens, nisi quòd ambitione Regnum præoccupare, quàm expectare malebat. Sed quòd ille fecit fratri, patitur ab affine. Siquidèm Riciarius Sueuorum Rex, non contentus Gallicia quam insederat: uicinam Lusitaniam, & omnes Hispanias sub iugum mittere cogitabat. Adiuuit illũ Regni Gotici, mutato Rege, commotio. Solent enim Regnorum initia turbida esse: unoquoq; rebus nouandis intento. Theodoricus comperta affinis sui insolentia, Legatos mittit: commonefaciens, ut suo cõtentus, alienis abstineat: ut mutuis se potius uiribus inuicem tueantur ab exteris, quàm intestino bello uires comminuant. Ille per insolentiam altius animo euectus, remandat. Satis se diu quietũ alienis paruisse imperijs: aduentasse tempus, quo suis auspicijs rem gereret. Nisi pateretur se in longinquos imperiũ perferre: statim se uenturum Tolosam: & de illa secum confligere. Theodoricus Gotorum Rex dissimulanter iactantis uerba accæpit: at interim comparatis copijs, quas armis iussit esse expeditissimas, mouit in affinem, Sueuorũ Regem. Concurritur ad Vbbium amnem, qui Asturiam præterfluit: ibiq; fortiter pugnans, iustior Gotorum pars superauit. Riciarius Sueuorum Rex, cernens uictoriam hosti inclinare, fuga sibi consuluit: arreptaq; nauicula, petit altum. Sed tempestas nusquàm transire passa fugientem, reiecit in littus. Ille uel suis manibus, uel hostium, incertũ, omnino tamẽ perijt, perfidiæ pœnam luens. Theodoricus uictor, ubi hostem occubuisse comperit, receptui cani iussit. ut parceret Sueuorũ reliquijs sub tributo uicturis. Quibus præfecit fidum hominem Athiulphum. At illum dominandi libido, & Sueuorum alieni Imperij pertæsa suggestio impulit, ut Regi suo rebelles proderet animos. Rex aũt missis cum Duce copijs, quos sufficere arbitraretur: exeuntem in pugnam facilè uicit. Captus autem ludibrio est habitus, quòd mallet Rex esse ridiculus, quàm Præfectus sub potẽti Rege magnificus. Igitur ob perfidiam, ille capite plexus, temeritatis pœnas persoluit. Sueui autẽ submissis suæ partis Sacerdotibus, ueniam supplices postulauere, erratorum culpam in Præfectum reijcientes. Theodoricus non auersatus, ueniam permisit poscentibus. Addiditq;, ut quoniam alieno imperio subesse non paterentur, sua de gente Regem erigerent, sublimiori eius Imperio pariturum. Alacres Sueui, & Vuisigotorum Regis magnificentiam prædicantes, suæ sibi gentis Regem creauerũt. Qui tranquilla temporum pace gauisus, suis quidèm præfuit, sed superiorem Gotorum potestatem recognouit. Per quę tempora Theodoricus, tertiodecimo Regni suo anno concessit in fata.

Riciarius uincitur & perit.

Athiulfus plectitur capite.

Sueuorum supplicatio.

Regũ Sueuiæ origo.

¶ Euricus fratri succedit, quo tempore Romani à suis turbabantur. Aruernam Galliæ ciuitatem deuincit. Succrescunt Goti.

CAPVT

CAPVT VIII.

EVRICVS tertius ordine frater, tertio loco decedentibus fratribus Regno sufficitur. Cuius perindè Regnum quietẽ uidit. Quia Romani uersis in se armis, non permittebant sibi foris militare: dum domesticis impliciti perturbationibus, in se arma conuerterant. Multi enim ad Romanum adspirauêre Imperium, post occisum Valentinianum: quem miles Etij, nuper iussu Imperatoris perempti, trucidauit. Hinc Maioranus, Inde Antonius sceptra corripuêre Romana. Nec multò post Olibrius quidam Imperare contendit. Nepos deinde. Et post omnes Augustulus: qui Occidẽtis fuit Imperator nouissimus. Vacabatq́ exinde occidentale Imperium per annos plus quàm trecentos: usquè ad Carolum Magnum Germanorũ, Francorumq́ Regem maximum. Quæ etiam res audaciam fecit Genserico Vuandalorum Regi, iam Aphricam tenenti: ut missis literis, nuncijsq́, inde moueret Ostrogotos: Inde Vuisigotos, inquietas tenere uicinas prouincias. ut Romanorum uires proximis rebus implicitè Aphrica auerterentur: ipseq́ quietus regnaret. Quo etiam tempore, Odöacer Rugiorum Rex, intrauit Italiam: primusq́ exterorũ Imperio tenuit eandem per annos quatuordecim. Quod in Vuandalia nostra sumus executi. Euricus cùm interdum partibus studeret ad Imperium contendentium: Britonem Regem auxilio properantem Antonio, qui se Imperatorem gessit, prius quàm Romanis se cõiungeret, armis repressit: & fugere compulit ad Burgundionum Regem, ea tempestate Romanis fœderatum. Quem persecutus Euricus, Aruernam Galliæ ciuitatem armis cœpit. Ita per quamcunq́ occasionẽ Goti paulatim se propagauêre. Nam Torismundus Hispaniam citeriorem, & Galliæ ciuitates extra Burgundionum, Francorumq́ ditionem, ac ultra Ligerim constitutas: Lugdunensem uerò Anitrę prouinciam, usq́ Massiliam Burgundio occupauit. Et solam Narbonensem prouinciam, cum his quæ Ligerim inter & Rheni fluenta sunt, tunc tutatus est Gernandus quidam Romanus: qui & ille Præfectus à Valentiniano fuerat constitutus. Hoc est ergò illud tempus, quo Romani Hispanias, Galliasq́ amiserant: nec unquàm postea recuperauêre. Et in Gallijs, Francorum, Germanorum, & Burgundionum, Vuandalorum, & in Hispania, Vuisigotorum orta sunt Regna noua: quorum Gotorum quidem Regnum iamdudum euanuit: Burgundionum ex Regno, in Ducatum prouenit. Quod quando, & per quem factum sit, in Vuandalia commemorabimus. Francorum autem Regnum mirificè per Gallias & Hispaniarum partes propagatum, usq́ hodiè efflorescit. Nam Anno qui nunc est post decimum Millesimus Quingentesimus,

Euricus Rex.

Rom. Imp. turbatio.

Gensericí uafricies.

Odöacer Italię uictor Vuandaliæ lib. 1. cap. 35. & 36.

Euricus in Britonem.

Romani qñ Hispaniam & Galliam amiserunt.

Año.1510. Mediolanũ à Ludouico Franciæ Rege captum. tesimus, Ludouicus Rex, Mediolani Ducatum in Longobardia dedi tum, accæpit: cùm Ludouicus Dux, odio suorum declinans, cum thesauris profugisset in Alpium claustra, sub Romanorum Rege Maximiliano delitescens.



Hunorum interitus, & Ostrogotorum fœlix successus describitur. Valemir apud Scythas bello perit.

CAPVT IX.

HOC loco intermissa paulisper Vuisigotorũ commemoratione, ad Ostrogotos nobis ueniendũ est: qui per hæc tempora primùm apud Constantinopolim, deinde per Italiam multo tempore claruerunt. Et quidèm Valemir, & Vindemir fratres (quorum successionem superiori libro explicuimus) Atilæ Regis Hunorum potentiam auxêre: cùm interessent magno illi prælio in campis catalaunicis, Atila post aliquot annos in patria defuncto, primi sese in libertatem uendicauêre: subtrahentes colla iugo Hunorum. Eorum exemplum exinde secuti sunt Marcomanni, Quadi, Heruli, & Turingi. Ita minoratis Hunorum uiribus, minus poterant filij. Hernacum ergò, & Euricum Atilæ filios, ne patris exemplo restitutis uiribus tyranni fierent, memoratæ gentes reliquerunt. Quod cùm ipsi Hunorũ Reguli ægrè ferrent: in Valemirem, & Theodemirem Ostrogotorum, & Ardericum Gepidarũ Reges, seditionis autores, arma sumpserunt: conatiq; sunt, incautos eorum exercitus adoriri. Sed ad primos qui apparuere motus, Ardericus Gepidarum Rex congressus Hernaco: illum triginta armatorum milia habentem, prælio superatum interficit. Valemir autem, Theodemirq;, suis arma corripere iussis: tanto in Euricum incubuerunt pugnandi ardore: ut fractis Hunis, magnaq; cum occasione repulsis, Regulus intra Scythiam fugerit: & semper Huni arma sumere in Ostrogotos formidauerint. Motus interea conciuerãt in Constantinopoli Aspar patritius, genere (ut ferunt) Gotus, qui ut Ardubarem filium Imperatorem faceret: fretus fauore Ciuium, Leoni Imperatori tumultũ in urbe conciuit. Sed Imperator renouata classe, quam in mari habuit expeditam: capto Aspare, & Ardubare, pœnas ex illis sumpsit. Quo motu comperto, Ostrogotorum quos diximus Reges, qui Hunis Atilæ filijs superatis, in Pannonijs consederãt ad Danubium: hactenus quieti, Illyricum uastauêre: nec prius quieuere, quàm Leo Imperator Pannonijs, Mœsiaq; permissis, induciarum fœdera cum illis inijt. In quorum obsidem, Imperator Theodoricũ, Theodemiris ex Arilena concubina filium, accæperit. Tuncq; Valemir illis inuisus inducijs, nihilq; permissis ac datis sibi prouincijs, ab Imperatore timens, duxit in Scythiam. Vbi commisso cum Scythis prælio,

Atilæ mors, & filij.

Hernaci casus.

Valemir cadit.

prælio, occiſus eſt. Sicq́ Theodemir frater, Oſtrogotarum, permiſſarumq́ à Leone Prouinciarum, Regno ſolus potitus eſt.



¶ Imp. Leonis ſingulare liberalitatis exemplum. Theodoricus Sarmatarum Regem Bakach, adoleſcens proſternit. Moritur Rex Theodemir quietus.

CAPVT X.

THEODEMIRE ſolo ex fratribus ſuperſtite Rege, Theodorici patre: cùm intellexiſſet Leo Imp. gentē ipſam, quam impoſsibile duceret ſuperare: ſtatuit in Romani Imperij amicitiam, liberalitate, beneficioq́ allicere illos. Theodoricum itaq́ unicum Theodemiris filium, tale munus nequaquàm expectantem, ex obſide liberum remiſit: Regis indumento, comitatuq́ deductum. Accępit libens Theodemir tantum munus, & quod tacentem Leonem deſyderare intellexit: induciarum fœdera, in optimam Reipub. pacē commutauit. Quinetiā Theodemir ipſe, reducis filij læticiam cumulaturus, eum in Sarmatas cū copijs miſit. Qui adoleſcens impiger, annum tunc duouigeſimum agens, tranſito Danubio irruit improuiſus: & Rege illorum Bakach interempto, uictor ad genitorē in Mœſiam eſt reuerſus. Hæc quidèm tunc apud Conſtantinopolim Imperatorem acta. Et erant Oſtrogotarum per tempora Theodemiris Regis quietiſsima omnia: qui felici pace compoſitus, in gente ſua obdormiuit.

Theodemir Rex. Stratagema. Mors Theodemiris.

¶ Theodoricus Rex maximis honoribus à Zenone Imp. ornatur: commendato ſibi pop. Rom. & tota Italia: in quam ferro ſibi uiam facit. Caput. xi.



THEODORICVS patri ſurrogatur in Regnum: maioribus, ut mox apparuit, natus Imperijs: q Romanos magna ſibi, & dulciſsima conſuetudine, in Cōſtantinopoli notos adamabat. Hinc quoq́ ad Zenonem tūc Imperatorem uocatus, eó ſe contulit, facilitate qua Leo illū remiſerat genitori. Conſtituit uerò Imperator, Theodorico Regi & exercitui ſtipendia, & patriciatus dignitatem: inſignitoq́ Regi, equeſtrem ſtatuam ex ęre in palatio locauit. Fuit (ut conijci datur) aliquot annos Theodoricus apud Zenonem. Sed quantocūq́ ibi fuerit tempore, Oſtrogoti ſui licet ſtipendia acciperent: & Pannonia inſuper, Mœſiaq́ Prouinciæ, non ad uictum modò, ſed ad gentis opulentiam neceſſaria ſuppeditarent: angebantur tamen, & animi eorum diſcrutiabantur: quòd audirent alios ex Scythiæ, Danubijq́ clauſtris, ſecum, uel ante profectos, opibus & gloria florere: Vuiſigotos, Sueuos, & Alanos in Vaſconia, Aquitania & Hiſpania, Vuandalos in Aphrica, Burgundiones in Gallijs: & dæmum in Italia Herulos & Rugios. Tantis itaq́ precibus, iurgijs, atq́

Theodoricus Rex. Honor Theodorico exhibitus. Oſtrogotorū ambitio.

comminationibus apud Theodoricum institerant, ut eorum importunitati ultra nequiuerit reluctari. Hic Theodoricus rupto quo tenebatur pudore, animorũ gentis suæ ferociam, primùm Imperatori indicauit: quòd omnibus abundans rebus, florensq́ꝫ, nesciret quiescere. Et tamen postea à suis uictus, petijt: quod Imperatoris ac Reipublicæ cõmodo æquè, ac suorũ importunitati opinabatur satisfacere. Ostendit enim: quòd si Italia, & urbs Roma sibi permitteretur: futurum, ut aut Ostrogoti sui, cum Herulis & Rugijs pugnando delerẽtur: ac Imperium tanto stipendiorum onere leuarent: aut uictores essent: sicquè Herulis atqꝫ Rugijs inimicis Imperio, barbaris ad internecionem cæsis, ipsi Ostrogoti, emolumento Reipub. honoriq́ꝫ in posterũ sine stipendio forent. Ea Zeno cùm ad Senatũ retulisset: peruicit sententia: non æqua solùm forè, sed ultrò offerenda, quæ Imperio (prout longa experientia edocuit) affectus Rex Theodoricus duxisset, postulanda. Itaqꝫ Zeno Theodoricum sacro honestatũ uelamine: quod erat tunc maximũ à Principe factæ concessionis stabilimentum: dimissurus Senatum, illi populũ Romanum, & Italiam commendauit. Mouentem uerò cum Ostrogotis Theodoricum, prius quàm Pannonijs educere, & Noricum ingredi posset, aliquandiu distulerunt & distinuerunt ingentis illius Atilæ exercitus reliquiæ. Siquidèm Stratilia Gepidarũ Rex, qui erat Arderico defuncto surrogatus: & postea Busaris Bulgarorum gentis, Danubij accolæ Dux: illum in itinere sunt aggressi: & in maximas aliquando adduxerunt difficultates. Vicit tamen præstantissimi Regis Theodorici perseuerantia: & illis prælio sic superatis, maximoq́ꝫ affectis incommodo, uiam sibi ferro aperuit.

Roma, & Italia Theodorico commendatur.



¶ Theodoricus uictorijs clarus, Rauenna tandem dedita, Odöacrem, cum filio & Primoribus, seruatis Herulis, interimi iussit. Italia tota, & Roma potitus.

CAPVT XII.

THEODORICVS ingressus Italiam, ad Sontium Aquilegiæ dirutę fluuiũ castra communiuit. Eò Odöacer, qui omnes eius motus anno ante habuit exploratos, paratissimũ adducens exercitũ: sese illi tam propinquus opposuit, ut castra solo amnis alueo sint dirempta. Primus tamen pugnandi copiam fecit Theodoricus. Et cõmissum est prælũ: in quo post multam cædem mutuò illatam, superauit Ostrogotus. Odöacer uerò ad Padũ, cuius oppida & uada classe, pręsidijsq́ꝫ cõmunierat, delatus: eum in locũ ubi nunc est Hostilia Veronensiũ: de fuga substitit. Destitit uerò insequi Theodoricus: & Veronam ducens, eam dedentibus ciuibus breui cœpit. In qua præsidijs firmata, prædã ubiqꝫ factam, impedimentaq́ꝫ, ea ratione constituerat

Superatur Odöacer.

Veronam Theodoricus capit.

depo-

deponere: ut Odoäcrem quocunq; fugeret, expeditior sequeretur. Sed Odoäcer copijs breui reparatis, in campos processit latissimos Veronæ subiectos: & copia pugnandi facta, Theodoricum lacessiuit. Eduxitq; item Theodoricus fiducia plenus, & prœlio acri Duces fortissimi dimicarunt. Tamen Odoäcer, qui lacessiuerat, ab auxilijs Padi accolarum desertus, succubuit: atq; etiam fugatus, maiorē eorū qui secum in pugna permansēre partē amisit. Inde Romam petens Odoäcer, cùm portas occlusas, ciuesq; de mœnibus repugnare uidisset, suburbiorū ædificia, agrumq; latissimis fœdauit incendijs. Romani nanq; de Theodorici aduentu ex Cōstantinopoli facti certiores, ipsum iam ut dominum expectabant. Qui quidèm Theodoricus omnibus transpadanis Italiæ ciuitatibus, oppidisq; breui potitus, Mediolani cōstitit: & exercitu auxilijs aucto, Romam in Odoäcrem ducere constituerat. Odoäcer cōmeatibus, quos Romani in Vrbem, minutaq; oppida conuexerant, deficientibus: Rauennā se contulit. Ei tamen Odoäcri, populos Italiæ pertentanti, consenserunt plurimi: in quibus fuēre Signorū suorum desertores Padi accolæ, Atusa Flaminiæ, & Æmiliæ Præfecto, magnæ autoritatis uiro, in spem maximā præmiorū, si uicisset Odoäcer, adducti. Id cùm exploratum habuisset Theodoricus, cursu uictoriæ retardato, sese intra Ticinū communiuit. Cùm uerò Odoäcrem sese Rauennæ continere comperisset: animo est auctus: & matre, sororibusq;, ac Ostrogotorū mulieribus, cum impedimētis, et imbelli multitudine in Ticino (cuius urbis mœnia arcemq; cōmunierat) relictis, Rauennā duxit. Cœpit aūt ilico oēs Prouinciæ ciuitates, oppidaq;, quamprimū ea adijt. Præter Ariminū, & Cesenā. Odoäcrem uerò, & Rauennā per trienniū obsedit: castris secundùm littus ad oriētalem plagam, in loco cui Candiano nūc est, tumq; erat nomen, ea ratione firmatis: quòd posita pariter ad Cesenam castra, inde faciliter tueretur. Fiebant tamē ab obsessis crebræ eruptiones. Traditq; Agnellus in uita Ioannis Episcopi: quòd Theodoricus egredi ausum Odoäcrem, bis iuxta Cesenam iusta acie uicerit in campis Candiani. Qua elatus uictoria Theodoricus, ilico Ariminum successit: eaq; urbe breui potitus, Dromones in Ariminensi portu captos, misit ad Rauennatē portū, Bidentis amnis, qui tunc Porcellio dicebatur. Nam apud classem urbem tunc erat maior partus, omniū Italiæ celeberrimus. Sunt aūt Dromones uerbo Græco Nauiculæ subductiores, tabernaculis undiq; ad propugnacula, castelliue, speciem cōmunitæ. Itaq; Theodoricus Porcellionis ostio Dromonibus clauso, partem copiarū in insulam, quam Bidens amnis, padusaq; Padus, & mare efficiunt, locauit. Ipse cum cætero exercitu Rauennam in circuitu obsedit. Vnde ad tantam rerum penuriam in ur-

Secundo superatur Odoäcer.

Rauennam Theodoricus obsidet.

Ariminum capit.

Dromones nauiculæ.

 be de-

be deuentum eſt: ut ſordida, maligniq; ſaporis herbas, clauſi mandere cogerentur. Qua impulſus difficultate Odoăcer, hortante Epiſcopo, deditionem fecit. Ingreſſus eſt autem Rauennam Theodoricus, Epiſcopo Ioanne cum clero, & Sanctorum reliquijs obuiàm procedente. Continuitq; Odoăcer eo die: & poſtea in palatio, quod dicebatur Hilantum, Rauennæ tunc inſigne: ſperans quod cum Theodorico ſolenni fœdere pactus erat, aliquã particulam ſibi, & Herulis attribui poſſidendam. Sed Theodoricus miſsis qui illum, & filium adoleſcentem, Primoresq; gentis interficerent: Herulorum plebem conſeruauit. Breui exinde omni Italia, & poſt Roma, ſummo Senatus, & populi Romani applauſu, potitus eſt.

Rauẽna dedita Theodorico.



❡ Rauenna Theodoricus ſecedit, paci ſummoperè ſtudens, pietate & zelo plenus, decreta Reipublicæ deſcribit honeſtiſsima. Caput. xiij.

THEODORICVS ergò omni Italia, & Roma potitus, omniũ quos Italia et Roma pertulerat exterorũ Regum mitiſsimus fuit. Quod quidèm ſtatim initio Regni, unico in negocio oſtendit. Siquidem mittens ſanctũ Epiphaniũ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopũ, in Burgundiam: ingentem illi pecuniarũ uim ex publico fiſco dedit: quarum impendio redempti ſunt, & in patriam reuerſi multa mortaliũ milia, ex his, quos Gundebaldus Burgundionũ Rex in prædam abduxerat. Autor eſt Agnellus, Epiphaniũ ſanctitatis ſuæ meritis, & ſingulari prudentia, ab immani Gundebaldo obtinuiſſe liberationem ſex miliũ captiuorũ: qui in ſum̃a precij à Theodorico dati, non fuerant comprehenſi. Theodoricus uerò, ſiue Romãnorum fidem adeò duxerit ſuſpectam: ut uitam illis ſuam cõmittere dubitauerit: ſiue ut Imp. Conſtantinopolitano, & alijs exteris Imperij inuaſoribus propinquior habitaret: Romani Senatus curę & gubernationi reliquit: ſedemq; Regni Rauennæ conſtituit. Oſtrogotis aũt ſub Theodorico Romam, & Italiã ſum̃a in pacis quiete habentibus, Franci Regnum ſuũ adaugebant. Sed hæc alibi. Theodoricus Rex, licet Rauennæ ſedem habuerit: amauit tamen, ornauitq; urbem Romam: & multa publicè prouidit, ac neglectę inſtaurationis, ſupra fidem eorum qui barbarũ fuiſſe meminerunt, maximam ſuſcępit curam. Quod qui à fideli & copioſiſsimo teſte uoluerit certius intelligere: legat Caſsiodori eius Epiſtolarũ Scriptoris uariarum libros: in quibus uidebit, ipſum Regem Religionis Chriſtianę, ſacrorũ locorum, ceremoniarumq;, & Pontificũ Romanorum dignitatis curam geſſiſſe. Senatui ſæpènumero commendauit loca Vrbis cùm ſacra, tùm etiam à Maioribus ſummis uiris Reipub. fundatoribus frequentata. Præfectos, Architectosquê

Opus Theodor. in captiuos pium.

Epiphanij Epiſcopi ſanctitas.

Theod. Regis religio, & cura Reipub. Rom.

quė instituit sacris ędibus: Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, Cloācis, Aquæductibus, & cuiusq; opificij officinis, in pristinā formam, melioremue restaurandi. Præfecit uigiles, qui curam die, noctuq; susciperent: ne Vrbis ornamenta, Statuæ, & ingeniorum monimenta ex ære, aut marmore excisa, exportarentur. Sepulchrum Augusti in ualle Martia, Tiberim inter, & uiam Flaminiam, instaurari mandauit. Et Amphitheatri, quod iam maiori ex parte corruerat, saxa, non moueri, nisi in solam murorum Vrbis instaurationem, prohibuit. Statuas Principum æneas, aut marmoreas, equestres, pedestresq; nominatim multas, & generali edicto omnes iusit conseruari: adhiberiq; curam, ne illę interirent, quibus fides posteris assereretur: uiros fuisse pręstantissimos, uirtuti magis, quàm fortunæ innixos: per quos, in id magnitudinis Res Romana creuit. Legesquė & instituta seruari: malos ciuitatis mores à sanctioribus corrigi: omnia deniq;(excepta militari disciplina) ad uetustam Ciuitatis, quam primus Reipub. oppressor Cęsar sustulit, formam redigi optauit. Spectacula proprijs suis Fisci pecunis, ex uetusto more edi, & alia munera publica exhiberi uoluit. Et cùm aurum, argentúmue in nummos signari suis temporibus oporteret, nullum ipse signum aliud, quàm stante Repub. consuetum, cudi passus est. Vt autem ciues, uel nouis erigendis, uel instaurandis uetustioribus ędificijs, maiorem haberent commoditatem: calcarias in quibusdam Italiæ insulis fieri procurauit, calcemquė postmodum ciuibus, quorum principia ædificiorum cernerentur, sine precio est largitus. Prohibuit autem edicto, & curam impendit attentiorem, ne quis Romanus, aut paterna origine Italus, nedum militaret, sed ne arma domi haberet. Saionibus (ut ipse appellat) ex Ostrogota gente, per Vrbem, regiones Italiæ constitutis, qui Præfectorum, Centurionumquė uice fungentes, gentiles suos, in pace & ocio, à ciuium & prouincialium iniuria prohiberent: educerentquė in turmas & phalanges: cùm bella, aut tumultus ratio postularet. Simili pietate usus est erga uniuersas Italiæ Vrbes. Quod maximė ostendit edictum adhuc (ut ait Blondus) extans: in quo ciues iubet toto anni tempore, pręterquam tribus messium, & autumni mensibus, ciuitates & oppida frequentare, obire munera, quibus antea quietissimis REIPVBLICAE temporibus consueuerant. Non solùm enim agrestes tunc, sed etiam honesto nati loco, motibus fatigati, quibus tamdiu Italia iactata fuerat, rura incolebant. Papiæ, & Modœciæ, quæ oppida post Rauennam amauit, Palatia Arimini sancti Stephani, & Rauennæ sancti MARTINI in cœlo aureo basilicas, Spoleti quoquė amplas ædes, magno sumptu ædificauit. Sipontinam Ciuitatem, iam tùm in ruinam uergentem,

ut instauraretur, tributorũ uacatione donauit. Appiani balnea, quæ ager Paduanus habet, muro concludi, ædesq́ superædificari curauit.



Rauennæ origo, Theodorici item Regis ac suorum matrimonia narrantur. Caput. xiiij.

VIBVS, aliјsq́ bonis artibus præstans Princeps, effecit: ut per omnes Regni sui annos (excepto extremo) & Roma, & Italia, Octauij Augusti, aut Traiani, Adriani, uel melioris cuiuspiam Principis tempora non desyderauit. Et cùm Roma ipsa ab inclinatione cœpta, paulisper sub illo Rege respiraret: creuit interim, & opibus aucta est Rauenna. Nã licet uetusta esset: quę (ut Plinius est autor) Sabinensium ante Vrbem conditam, fuit oppidum: tamen primũ habuit incrementũ sub Augusto Cęsare: qui apud eam classem tenuit, perpetuò anni tempore expeditam: quò aut subitis in tumultibus, aut destinatis in bellorũ apparatibus, Illyricum, Epirum, Macedoniam, Achaïam, Propontidem, Pontũ, Cretam, Cyprũ directa nauigatione celerius petere posset, quàm si ex Vrbe, aut aliјs Italiæ littoribus soluisset. Fuitq́ maxima Rauennę amplitudinis accessio oppidũ Classense: quod militum, turmarumq́ eius classis causa, à mercatoribus, conuenisq́, secundùm portus Candiani littus ædificatum: multis fuit postea annis populo, & quidem diuitè frequentatum. Rauẽnam item à Tiberio Claudio Germanico cinctam fuisse muro, qui nunc extat, indicant literæ ad portam ciuitatis. Sed hæc alibi. Super omnia Theodorici Regis pacatam urbem Romam, Italiamq́, Regentis mora tanto tempore illic facta, multũ profuit huic Vrbi. Quandoquidem præter ędem beati Martini, de qua diximus, columnis marmoreis è Constantinopoli, & aliјs marmoribus, tùm ex Vrbe, ex palatio Pinciano, tùm etiam aliundè auectis, Rauennam Princeps prædictus ornauit. Qui Aquæductum quoq́ eiusdem ciuitatis, cuius nullũ extat uestigiũ, instaurauit. Prospexit etiam prudentissimus Princeps Theodoricus, externarũ gentium, à quibus solis tunc sibi in Italiam timendum fuit, irruptionibus: & Herulis, post occisum Odoäcrem, ut ostendimus conseruatis, nouum Regem constituit. Cuius nomen nõ exprimit Cassiodorus: quem Regem cum suis Herulis, in extremis Italię partibus, apud Augustam prętoriam, & sub Alpibus, Apenninoquè habitare permissum, ipse Theodoricus in filiũ adoptauit. Clodouei Regis Francorũ filiam, nomine Adelfledam, Theodoricus in uxorem accæpit. Sororem uerò suam nomine Amalafredam, Honorico Vuandalorum, & filiarũ unam Alarico Vuisigotorum, alteram Gundibaro Burgundionum, neptemquè Amalabergam Hermimfredo TVRINGORVM Regibus, in matrimonio coniunxit.

Rauenna olim Sabinensiũ urbs

Theodorici Regis, & suorũ desponsationes & matrimonia

Euchario

Euchario etiã nobili ex Baltorũ prosapia oriundo, qui Veterici fuit filius, tertiã filiã Amalasuintam in uxorẽ tradidit. Quo Genero per aliquot quibus supuixit años, tanq̃ filio usus fuit. Possedit uerò ex prisco Romanorũ Principũ instituto, administrauitq́ Rom. Imperij prouincias Occidentales: quæ à nullis dictarũ gentiũ Regibus tenerent. Necdùm enim unq̃ cum Francis, Burgundionibus, & Vuisigotis bella suscepit: sed eos, aliosq́ exteros Imperij oppressores, quõad potuit simul in pace continuit: missis Oratoribus, qui cum Epistolis, quę extant, ne aliqua inter eos nata dissensio, Cõstantinopolitanis Imperatoribus, Romanisq́ uiam faceret ad iura Imperij readsumenda.

¶ Quibus gentibus Theodoricus Rex superatis, Imperium Occidentale auxerit. Caput. xv.



SED in Hispanijs nulla ui armorũ, quod quidèm lectũ sit, captis: inde eum scimus aliqua tenuisse: quòd Cassiodori extãt decreta, ad Hispaniarũ gubernationem edita. Extant & literæ ad Magistratus in illis constitutos datæ. Quanquàm suspicari possit: gubernationẽ Hispaniarũ inde processisse: qa is Princeps suscępit curã Vasconiæ eripiendæ Francorũ manibus: & postea pro Generi filio conseruandæ. Cùm enim Clodoueus Francorũ Rex (quod suo loco ostendet̃ infra) Alaricũ Vuisigotorũ Regem, in campis Vaglodensibus interfecisset: Vasconiamq́ cum aliquot Hispaniæ partibus accæpisset: Theodoricus Rex arma induit in socerũ, pro Generi ultione. Quo in bello Franci ad. xxx. hominum milia desyderati sunt: qui Vasconiã, Hispaniamq́, pro Amalrico Alarici filio, non paruo tempore gubernauit. Siciliam uerò, & adiacẽtes Italię Insulas, Dalmatiã, Liburniamq́, & Illyrici partẽ in Adriaticũ uergentẽ, armis obtinuit. Duxitq́ paratissimã expeditionẽ trans Alpes, et Prouinciã Romanã primùm. Post Rhodano transmisso, Narbonensem Galliã, ac ea Galliarũ loca, quæ extra Burgundiã ad Teutones ptinẽt, exceptis Aluernis, Regno suo adiecit. Quas quidèm Prouincias, ciuitatesq́, Theodotus nepos eius, qui postea fuit tertius gentis Ostrogotæ Rex, multo tempore administrauit. Extatq́ Theodorici Epistola, per quã Arelati mœnia iussit sum̃a diligentia instaurari. Pannoniam itẽ Sirminensem, tanto prius tempore ab exteris laceratã: & Noricos (qui nũc sunt partim Austrani, partim Boiarij, Regno suo adiũxit. Quibus Prouincijs Colossum ciuem Romanum, à Senatu Romano Præsidem dari noluit. Nam post eius ex Thracia profectionem: Bulgari relictis sedibus, quas ad Danubij ripas secundum Pannonias & Noricum habere consueuerant, tunc Thraciam deuastabant. Nec poterat tunc resistere Imperator Zeno: cùm propter cæteram Imperij debilitatem, tùm quia

Hispania. 30000 Francorum Theodor. cædit. Sicilia. Dalmatia. Liburnia. Illyricum. Alpes. Galliæ partem. Pannonia. Norica.

Italiæ claustra. tùm quia temporibus illis Constantinopolitana urbs maximo cõflagrauit incendio. Quinetiam Theodoricus futuris prouidens temporibus, claustra Italiæ, ab ipso Alpium maritimarum initio, usq; ad Tridentinos montes, attribuit Gotorum Proceribus inhabitanda. In tramitibus autẽ, per quos ipse, & cæteri exteri erant ingreßi, oppida excitauit: ciuitate, cui nunc Tridento est, eratq; tunc nomen, muro cincta, & Veruca arce, ad Norici & Italiæ fines, eo in loco cui nunc Montifalconi est nomen, à fundamento ædificata.



¶ Pacem sub Theodorico, tandem Pontificis summi electio turbat. Caput. XVI.

HACTENVS quieta Romanis sub hoc Principe fuêre tempora. Initium autem turbationis ab ipsis exorit̃, in Romani Pontificis electione. Nam Anastasio decedente, scinditur populus in binas sententias. Nam alij, quorum sententia finaliter præualuit, utpote maiori subnixa ratione, Symmachũ uoluêre Pontificẽ: Alij uerò Laurentiũ quendã præferebant. Delata res est Rauennã ad Regem Theodoricũ. Et quamuis in Ecclesiasticis rebus, suũ non esse iudiciũ agnosceret: conciliandis tamen partibus operas impendit: & Symmacho quidèm Rom. Pontificatũ, Laurentio minorem esse dandũ arbitrabatur. Composita pax uidebat̃: sed tartarea Romanis inceßit insolentia, ad tumultũ redeuntibus. Inuenit utraq; pars Cõsulares defensores: sed Symmachi partem fouentes, solæ innixi defensioni, ab uindicta & iniurijs abstinuere. Laurẽtij uerò propugnatores, parem in uirgines ac sacerdotes inmanitatem exercuêre. Multũ innoxij sanguinis profusum. Nec quieuêre tumultuantes, quõad superesset Idolum cui studerent. Cùm uerò Symmachus coràm Synodo se de obiectis purgasset criminibus: una omnium uoce damnatur Laurentius.

Scisma.



¶ Ad Vuisigotos redit Autor. Alaricus eorũ Rex, ab Clodoueo cadit. Cuius uindictam sumens Theodoricus, 30000. Francorum prosternit. Caput. XVij.

WISIGOTORVM commemorationem Regũ aliquandiu intermissam, locus hic deposcit. Nam hoc tempore multũ apud eos innouatũ est: translatæ sunt itẽ Regni sedes. Nã Alaricus Eurici filius, patri decedenti surrogat̃ in Regnũ: tenuitq; per años aliquot, quę accęperat paternę ditionis. Huic filiã dedit Theodoricus Rex Italiæ. Qua affectione deuinctus, cùm Clodoueus (quẽ alij uocant Ludouicũ Francorũ Regem. erat enim binonius: quę res errorem legenti creat) Siagrium Romanũ, Ducẽ Suessionis urgeret bello: & ille tanto impar Regi, bello uinceretur: confugit ad Vuisigotorum Regem Alaricum, Theodorici Romanorum & Italię Regis Generũ.

Alaricus Rex cadit.

Ille

Ille confugietem defendit. Inde omnem belli molem in se uertit. Concurritur utriusq; gentis totis uiribus. Sed tum cadente Alarico, cedunt Goti. Franci uictores, usi uictoria, uictos perurgent Tolosa, & quicqd intra Pyreneum est cedere: urbes & oppida Franci sumunt in deditionem: Alias ui captas, diripiunt. Theodoricus Italiæ Rex ubi comperit: pro Genero bella suscepit in socerum. Tenebat enim filiam Clodouei coniugem. Missoq; Duce cum expedito exercitu, graui bello Francis congreditur. Cæsa sunt tum uno in prælio Francorum. xxx. milia. Sed tamen urbium & oppidorum ditioni Franci non cedebant. Itaq; ex hoc die augustatum est Gotorum in Hispanijs Regnum. Francorum clades.

¶ Amalricus patri succedit. Clodoueus Francorum Rex, Vuisigotos cum Aluernis superatos, Arrianę hęresi, non minus quàm Genti inuisus, uindicat. Cuius audaciam Theodoricus Italiæ Rex refrænat. Caput. xvi.



AMALRICVS admodum puer, cæso patri surrogatur in Regnum Vuisigotorum, aui materni uiribus defensus. alioqui insolenti Francorum Imperio resistere non ualens. Assiduè enim Franci Vuisigotis infesti permansere: propter Arrianam hæresim, quæ in ea gente diu permansit. Clodoueus autem postquàm ad Christi confessionem peruenit: synceram, & catholicam induit religionem: non minus ob CHRISTI honorem Arrianis, quàm incredulis infensus. Cùm graui prælio urgeretur, diuo Martino, cui insederat, caballum deuouit, si uictor euaderet. Voti compos factus, Martino diuo equum obtulit: & pręcio constituto, centum aureorum, cum equus dimitti non uideretur, ducentos impendit: & tum iumentum iam liberum sequitur expectantem. Tum Rex, Bonus inquit Martinus adiutor est, sed stipendio pręciosus. Procerum quoq; consilio apud Parisios habito, cùm satis de gerendo bello esset constitutum, uouit basilicam Principi Apostolorum (quæ nunc eius in ciuitate insignis uisitur) si uictoriam de fidei hostibus obtineret. Igitur Vuisigotis Aluerni, originem suam in Italos referentes: Romanæ Reipub. fidem ad ea usq; tempora seruaturi, tùm etiam bello adhærere. Ideoquè Apollinare quodam Romano, qui dudum apud Aluernos fuerat, hortante: Vuisigotorum, ut diximus, partes sunt secuti. quoniam eis seruauerāt pacem à Constantio Comite constitutam. Commissumquè est prælium: in quo Vuisigotis & Aluernis superatis, utriusquè partis Ductores ceciderunt. Secundum id pręlium misit CLODOVEVS Theodoricum filium suum ex ancilla suscęptum, in Albienses, Rutenosquè Vuisigotorum subditos: ac in Aluernos, ut diximus socios. Quibus subactis,

Amalricus Rex.

Clodouei Religio.

Vincuntur Vuisigoti à Francis.

& Fran-

& Francorum Regno additis, in Tolosam adhuc caput Regni Vuisigotorum, Vasconiamq́, quod proximè diximus, Theodoricus arma conuertit. Amalricus uerò, quem Alaricus unicum habuit filium, sese intra Pyreneū communierat. Quarè licet Tolosam, cum paternis thesauris, & Vasconiam amiserit: Hispaniam tamen ulteriorem, cum Pyrenei saltibus prout pater possederat, defensauit. Cunq́ pacem obnixè peteret: procliuis in illam primo fuit Clodoueus: & tamen pauló post Arrianam hæresim audiens, in Euglosina, & Burdegalla ciuitatibus, magis quam alibi in Vuisigotorum Regno feruere: eas egressus ciuitates cœpit: diripuitq́, & cæde Vuisigotorum, ciuiumq́ qui hæresi abrenunciare diutius recusarunt, commissa, Episcopos & illis catholicos instituit. Ea cùm essent Imperatori Anastasio renunciata: gauisus est, ultionem de Vuisigotis Imperij sui euersoribus esse sumptam temporibus suis. Et ob eam rem benè gestam, Clodoueo Regi tunicā blacteam, epistolasq́ misit: in quibus eum Patricium, Consulemq́ appellauit. Erat Turonis Clodoueus, quando tantū ab Imperatore Romano munus accæpit. Quare uotis ritè solutis, post solennes Christianorum cerimonias, eam induit uestem: & sedens in equo, numos in multitudinem, quæ magna ex Francorum Regno ad id solenne conuenerat, dispersit. Acclamauit uerò hunc multitudo: non patritium fore, & Consulem solùm, sed Augustum etiam Clodoueum. Qui ea sociatus pompa, Parisios accedens, eorū urbem tunc primo Regni sedē Francorum, prout in hunc diem est, seruatum forè constituit. Quæ intellecta Theodoricus Ostrogotorum Rex, tunc in Italia potētissimus, ægerrimè tulit: uel quia soceri Clodouei audaciam damnauit: uel, quod magis est uerisimile, indignè tulerit, tantam illum cum Romanorū Imperatore amicitiam coniunxisse, super omnia uerò, quòd nepotem ex filia Amalricum, patria possessione depulerit. Itaq́ Theodoricus coāctis lectissimis quibusq́ militibus, qui ad. 20. armatorum milia fuère, maiori parte ex Gepidis: Ilbiam Comitem præfecit Ducem. Eiquè in Vasconiam ducenti, occurrerunt Franci, quos Clodoueus prouinciæ illius præsidio deputauerat. Commissum est autem prælium utriquè exercitui periculosissimum. Superiores autem fuerunt Itali Regis copiæ: & Francis, qui in Vasconia erant. xxx. hominum milibus profligatis, magnaq́ parte cæsis, recuperata est pro Amalrico, defuncti Alarici filio Vasconia, quam illi certo tempore Theodoricus, prout supra diximus, proprio Ostrogotorum præsidio defensauit. Quia uerò exercitus, quem Ilbia Ostrogotus, in Hispanos Vuisigotos duxerat, per Liguriam transiens, eam afflixerat prouinciam: Tribunus aliquot annorum Ligustinos frumenti copia ex horreo publico donauit. Quo in tem=

Arrianæ sectæ ultio.

Victoriæ Pompa.

Francorum clades.

in tempore ut aduersus omnes motus, qui per Hispanias, aut Gallias orirentur, paratior foret: naues omni in maritima Italiæ ora, nouas fieri, & Rauennam duci curauit idem Rex Theodoricus.



¶ Theodoricus Arriana secta infectus, Pont. Ro. Ioañem cum Symmacho, Boëtio, & Romanis aliquot, tyrannide necat. Tum uitam & ipse finit. Caput. xix.

THEODORICVS autem Italiæ aliàs Rex optimus, labem unam Religionis non emendauit. Nam Arrianam hæresim, quam ex Valente Imperatore, omnis ea natio imbiberat, pertinaciter seruauit. Iustinus aũt Imperator, hęresum radicibus per Orientem extirpandis intentus, Eiecit oẽs sectæ illius Episcopos: priuauitq́ commissis Ecclesijs sacerdotes. Tulit eam rem grauiter Theodoricus Arrianus. Hinc optimos ciues Romanos Symmachum, & Boëtium suspectos habuit: eosq́ exacto Consulatus anno, deferentibus Opilione, et Gaudentio factiosissimis ciuibus, Papiam relegauit. Quo in tempore Theodatum nepotem, ex Narbonensi prouincia reuocans, Etruriæ præfecit: cuius prouinciæ nonnullas illi urbes attribuit iure proprio possidendas. Et ne Romani ciues ob Symmachi & Boëtij relegationem, de solita benignitate diffiderent: Rex Senatui permisit, unum ex gente patricia mitterent, Theodato in Narbonensi prouincia successorem. Et tamen eo qui secutus est anno, Ioannem summũ Pontificem, Agapitum, & Patritium Consules, ac Theodorum, ac Importuium, alterumq́ Agapitũ, Senatores, præstantissimos ea tempestate uiros, Roma eijcere, & omnino tollere constituit. Idq́ ut aliqua simulatione tectus faceret: ipsos Legationis nomine misit Constantinopolim ad Iustinum Imp. Vtq́ eam Legationis simulationem melius concinnaret: Ecclesię Rauennatis Episcopum, ipsis Oratoribus adiunxit. Fuit uerò Legationis sũma: ut agerent cum Iustino Imp. de Episcoporum, Sacerdotumq́ eiectorum restitutione. Qua denegata, aut diutius dilata: sese cominatus est, omnem Italiam, & urbem Romam cędibus et incendio uastaturum. Appulsa Constantinopolitanæ terræ naui, quę tantos detulerat Oratores, Iustinus cum cleri & populi pompa obuiam est progressus: ad Pontificisq́ pedes prostratus, illum pro DEI Vicario adorauit. Is summus Pontifex, maximis honoribus introductus: mandata simul cum Romanis consulibus, Senatoribusq́, & Rauennate Episcopo exposuit. Quibus ab Imperatore auditis: magna utrinq́ dicentium, audientiumq́ commiseratio oborta est. Hinc fidei causa, si Arriani tolerarentur: Illinc Vrbis, & Italiæ desolatione, si impio Regi non satisfieret, animos distrahentibus. Vicit tamen grauissimorum in quibus timor Domini sanctus permaneret, uirorum sen-

Theodoricus Rex Arrianus.

Theodatus.

Tyranni in gemitum.

Legationis Theodoricus summa.

Humana, frugiq́ cō silium.

tentia: postponendam, quæ ad tempus in integrum restitui posset, fi- dei causam: Vrbis & Italię saluti: quarum populos gladio occisos, nul la posset Principum, nulla Pontificum, aut Consulū potentia restau- rare. Sic dimissurus Oratores Iustinus, ut in illorum honore suo item consuleret: à Ioanne Pontifice, Consulibus Romanis, Senatoribusq́ subministrantibus, uoluit coronari. Adduxerunt uerò impensi effu- sius Pontifici, & Romanis, à Iustino honores, Theodoricum maio- rem in suspicionem. Et qui prius summa dignissimus laude, tot per annos, melioribus quos ante acta tulissent secula, Principibus Roma nis æquari meruit: ad extremum uitę, flagitijs se inquinauit. Nam ten tos Rauennæ Ioannem Pontificem, Consules, & Senatores Roma- nos, famis cruciatu in carcere occidit. Boëtium uerò, & Symmachum in Papia, ubi aliquot exulauerunt annis, iussit iugulare. Quo tempo- re Eclesius Rauennæ Episcopus, ab infausta illa Legatione reuersus, Basilicam sancti Vitalis, quæ nunc Rauennæ insignis uisitur, simul cum Iuliano Argentario exędificauit. Factum autem uidetur, in cru- delitatis, qua Theodoricus mores suos uerterat, ultionē: ut apoplesi, siue ut uult Agnellus, uentris profluuio interierit: nonagesimo octa- uo die postquàm Romanus Pontifex Ioannes, & Romani illi obie- rant: atq́ anno duodequadragesimo, postquàm Italiæ dominio po- titus erat. Quanquā Procopius in belli Italici aduersus Gotos princi- pio refert: Theodorico post occisos Boëtium et Symmachum cœnan ti, cùm esset caput piscis oblatum, horrendam in illo uisam Symma- chi faciem: quæ labro inferiori mordicus apprehenso, sibi toruis ocu- lis minaretur. Eoq́ consternatum pauore, Regem incidisse ægritudi- nem, in qua lęuitatem suam confessus fuerit: quòd scilicet Pontificem uirum sanctum, & cum eo alios insignes Romanos ciues, tunc maxi- mè præstantissimos uiros, Symmachum & Boëtium, ad perditorum hominum suggestionem occiderit: & paulò post eam confessionem expirauerit. Simile, certiusq́ testimonium inflictæ subitę mortis Re- gi Theodorico, ad pœnam iniquitatis, affert Sanctæ Ecclesię Doctor Gregorius, in Dialogo, ubi scribit: Solitarium magnæ uirtutis uirum, apud Lipparim insulam in eremo habitantē, qua die functus est Ra- uennę Theodoricus, Goto cuidam nobili tunc dixisse: uisam à se The odorici Regis animam, quæ à Ioanne Rom. Pontifice, & Symacho, quos per id temporis occiderat, in ollam Vulcani mergēda portaret.

Theodorici in Pont. Max. & Legatos tyrannis.

Theodorici mors.

¶ Amalasuinta, cum Atalarico octenni filio, qui primis iuuentutis annis per educatores facilè corrumpebatur, Regno succedit. Verùm, mortuo Iustino Imperatore, in se ductores filij, morte animaduersum est. Caput. xx.

AMALA-

MALASVINTA filia Theodorici, uidua, cum Atalarico filio suo, quem ex Euchario Ostrogoto magnæ Nobilitatis uiro susceperat, octauum ætatis annum agente, in Regno successit. Adhibuit uerò prudẽs Regina singularem in subditos cùm humanitatẽ, tùm districtionis moderationem: quæ cum Gotos seuerè ne quenquã lederent, contineret: laxiore quàm Theodoricus fecerat gubernatione est usa. & inter alia quæ rescidit à genitore facta, filijs Symmachi & Boëtij patrimonium reddidit. Sed Atalaricũ filium ea erudiri, et Romanorum moribus & disciplinis imbui diligentia curare cæpit: ut facilè inoptimum Principem fuerit euasurus: nisi tres Goti illius educatores, rapinis quibus assueti erant, inhiantes prudens id Reginæ consilium præuertissent: Non placere Gotis dicentes, eorum Regem sub præceptoribus uiuere: formidinẽ sibi per uerbera, minasq; incutientibus: cùm econtrà expediret, uitam inter Gotorum duriciem acturũ, omni solutum maiorum reuerentia, interq; cõequales uiuentem, arma & equos tractare: qbus animi uigor, generositasq; à maioribus accepta, indies augeatur. Quę cum Amalasuinta, Barbarorum insidias timens, libenter audisse simulasset: Atalaricum paulò maioribus permisit educandum. Tametsi sodales, puerum omnibus statim uitijs infecerunt: matri tamen obsequens erat. Quod cùm Gotos educatores suos terreret, Iustini optimi Imperatoris uirtus, in quam Theodorico etiam potentissimo Regi, ut ostendimus, suspectã, Romanos, Italiæq; populos respicere formidarent. Hinc pacẽ cum Francis, Vuandalis, Vuisigotis, Burgundionibusq;, et alijs exteris à Theodorico paratam, communi consilio conseruauerunt. Turbauit uerò hanc Reginæ et Nati concordiam mors Iustini Imp. quæ ad finem primi illorum Regni añi, Lampadio et Orreste consulib. secuta est. Siquidẽ ea in rerũ, animorumq; commotione quam Principum mutationes efficiũt: Atalaricum sodales, metu Imperatoris liberati, facilè in lasciuiorem uitam trausuersum egerũt: adeò, ut nedum matrẽ non audire, aut alloqui dignaretur. quin potius parari illi insidias paterẽt. Quibus artibus cùm se priuari Regina Regno uideret: Theodatũ primùm sibi ex gente Amala consobrinum, multas per Etruriam ciuitates tenentẽ, & eam administrantem prouinciam: qui & ipse pueri seductoribus consentiret: coërcuit, pecunijs mulctatũ, dissoluendis Etruriæ populis: à quibus repetundarum fuerat accusatus. Inde filio Atalarico cũ sodalibus Romæ relicto, Rauenam se contulit. Et cùm nequiret filium à perniciosa uita reuocare: quod proximum fuit, tres Gotorum Proceres, qui malorum consiliorum puero suasores erant, interfici curauit. Eam autẽ dicit Procopius,

Amalasuinta Regina.

Regiæ iuuẽtutis seductores.

Iustini Imp. mors.

 Iustiniano

Iustiniano Imperatori, quẽ Iustinus ex sorore nepotẽ reliquit successorem, suasisse Italiæ recuperationem. Quod cùm à prudentis fœminæ, quam omnes Scriptores summis efferũt laudibus, uita & moribus abhorreat: & nullus alius uel tenuiter innuit: uerò simile non uidetur.

Atalarici Regis mores & Decreta. Caput. xxi.



Atalaricus Rex.

ATALARICVS ergò paulò adolescentior, Theodorici ex filia nepos, cõtempta matre, gubernacula præripit. Sed hũc inquinatissimis fuisse moribus, testantur Scriptorẽs. Cassiodorus autẽ, illum omnia in exemplar aui Theodorici gessisse: & quandoq; etiam melioribus consilijs, cùm etiam illius Epistolarum magister esset, testatur. Siquidem licet Arrianus esset: Bonifaciũ, et Ioannem, cui etiam Mercurio nomen fuit, summos Pontifices: quos sua habuerũt tempora: non solùm ipse prosecutus est fauoribus et honore, sed et à Romano Senatu, ac Populo honorari curauit. Decreta cuius extãt. De Episcopis à Romano Pontifice, & nullo alio orninandis. De rebus sacris à nemine distrahendis. Et demum, De Ecclesiastica libertate sæuerius conseruanda. Ciues etiã Romanos, & Italię populorum urbes frequentare: ac bonis Artibus operam dare edixit. Stipendia in urbe Roma liberaliũ Artium, Præceptoribus quod multis annis fuerat neglectum, constitutis: et inchöatam à Theodorico publicorum Vrbis ædificiorum instaurationem, adeo continuauit: ut marmora oportuerit aliunde aduehi, quę in ruinis incæperãt deesse. Nec quicquàm ab eo conijcimus perperam factũ: prę ter Opilionis, Symmachi & Boëtij delatoris, sublimationẽ, ad Comitiuã sacrarũ largitionũ: quę uidetũ fuisse Ærarij pręfectura. Titubauit tamen ad extremũ pueri Regnũ: ob Francorum, Burgundionumq; in Italiam aduentum. Qui hunc maximè in modum fuisse uidetur.

Cassiodorus ab Epistolis Regis

Atalarici decreta.

Atalarico uita functo, Regina Theodatum Regni consortem aduocat: qui Italiam externo hoste pulso, liberat. Caput. xxij.



CLODOVEO Francorũ Rege mortuo, Clodomir, Childebertusq; eius filij, in Regni paterni diuisione, partes Burgundionũ Regni, Alemannorumq;, quas occupauerat Clodoueus: & quæ què in Alpibus ad Italiam spectant. Theoberto eorũ nepoti, quẽ in Regem Metensibus constituerũt. cùm illi benè uellent: ipsi locis cedentes, regendã, possidendamq; dederũt. Is itaq; Theobertus adolescẽs, rapinis pridèm assuetus, utpote quem Theodoricus pater, in Alemannorũ expeditiones duxerat: Prouinciã Romanã, cuius caput est Massilia uexauit: quę Regis Italici esset. Quod cùm intellexisset Amalasuinta: ad Reges Francorũ mittit: pericula ostendẽs, ab Imp. Iustiniano

Metensium Rex Theobertus.

Iuſtiniano tunc florente imminentia: ſi Romanæ Reipub. Prouincia rum inuaſores, præſertim Italiæ propinqui, bellis inuicem diſsiderent: fœderaq́ inter Atalaricum filium, & Theobertum fieri impetrauit. Etſi uerò qualia fuerint fœdera, non ſatis compertũ habeamus: tamen conſtat, Theobertum, Romanam Prouinciam in uim ipſorum fœde rum tenuiſſe. Acceſsit etiam pueri Regis incõmodis: quòd Theoda tus, ob acceptam à Regina Amalaſuinta iniuriam: & quia Francos, Burgundionesq́ uicinos Italiæ ſolos timeret: cum Iuſtiniano (prout Autor eſt Procopius) egit: ut Italiæ receptã per Etruriam, manus inij ciens, pecunijs ſe ditaret: quarũ adminiculo, ocioſam in Conſtantino poli uitam ageret. Sed eam Reginæ animi perplexitatem, et Theodati cogitationes, in noua mutauit conſilia, Atalarici Regis obitus. Octa uo enim quàm cum Regina matre Regnum aſſumpſerat año, defun ctus eſt. Tunc Amalaſuinta commodius ſibi proceſſurum gubernati onem arbitrata: ſi quempiam aſſumeret adiutorẽ: Theodatum ex gen te, ut diximus, Amala, ſibi conſobrinũ, ad ſe uocauit: & multis in eam ſententiam dictis: ut facilè potuerit homo cupidus, illatam mulctæ in iuriam anteactæ uitæ potius, quàm Reginæ ſimultati attribuere. Illum poſt reconciliatam gratiam, Regni conſortem declarauit. Erat uerò Theodatus Latinis, Græcisq́ literis eruditus: & inter Philoſophos, quibus operam impederat, Platonem maximè ſectabatur: qui, ut aſſe rit Caſsiodorus, temporum ſuorum hiſtoriam ſcripſit. Cæterum qui omni in uita iners, inconſtansq́ fuiſſet: tunc ætate iam grandior, adeò imbecillis, eneruusq́ fieri cœperat: ut nulli rei magis, præterquàm cu mulandæ pecuniæ, cui auidiſsimè inſeruiebat, uideretur idoneus. Et tamen Regina impellente, unicũ inito Regno edidit uirtutis munus. Nam dùm Amalaſuinta ipſum in Rauenna Regni conſortẽ forè con ſtituit: Theobertus Metenſium Rex, Burgundionum multa armato rum milia in Liguriam, atq́ Emiliam, Alemannorum uerò in Veneti am miſit: in quos delatus eſt cum Gotis, Italisq́ militibus Theodatus. Et licet multo minora fuerint, quàm de ſe per literas Caſsiodori ipſe prædicat: utranq́ tamen gentẽ, nõ ſine illorũ cæde Italia expulit: atq́ etiam miſſo exercitu, quem utraq́ in expeditione habuerat, Prouin ciam Romanam per Legatos receperat. Tegebat autẽ multum ipſius Regis ineptias, uirtus Reginæ, omnia adminiſtrantis.

Atalarici mors.

Theodatus Rex.

Auaricia Regis.



¶ Theodatus Rex, Reginæ ſolertia mirè prouectus, eam licet immeritam exilio relegat, ac truculenter interfici procurat. Caput. xxiij.

THEODATVS ergò, quia illum Amalaſuinta thoro dignatur, Regni conſortiũ meruit: & pro Rege cũcta

Theodati prouectus.

Rex ipse administrauit: consilio, ut diximus, prudentissimæ Reginæ. Hinc illa processisse uidentur, quæ Cassiodori Epistolę ostendūt prouisa prudenter. Pax à Iustiniano Imperatore, & pariter à Francis Regibus, Theobertoq; nepote: per datas multiplices Epistolas, missosq; Oratores, etiam ex Senatu enixius petita. Hinc sumi Pontificis ueneratio: & suscępta accuratius cleri, sacrarumq; rerū protectio. Hinc aduecta magnis sumptibus à Constantinopoli marmora, quibus Romā ornauit. Hinc liberalitas processit, qua in Ligures, Æmiliensesq;, & Venetos usus fuit. Ipsis enim populis, ob accępta à Burgundionibus, Alemañisq; damna, tertię partis unius anni annonam, ex publico est largitus: quam quidem annonā Ligures, et Æmilienses ex Terdonensi, Papiensiq;: Veneti ex Taruisino, et Tridentino horreis accęperunt. Hunc etiam Regem, scribit Cassiodorus, elephantos tunc ex ære, uia sacra, ad naturalem bestiæ magnitudinem extantes, qui ruinam minabantur, instaurari iussisse: ea ut uidetur ratione: quòd populi Romani conduceret animorū seruandę generositati: si pueri, adolescentesq; bestias intuerentur, in quas Maiores pugnare nō horruerint, decori inseruientes. Sed cùm Theodatus rapinis, pro ingenij sui uitio, manū apposuisset: dissuasissetq; illi primò: posteà etiā obstitisset Amalasuinta: mox homo perditissimus, sum̄a ingratitudine usus, eam in lacus Vulsinensium insulā relegauit: occidiq; permisit à filijs & agnatis Gotorū

Reginæ relegatio, et interitus.

Procerum, quos Atalarici corruptores, Reginam ostendimus interfici curauisse. Tulerunt eam mortē ęgerrimè non Ostrogoti modo, sed & Romani, Italiq; omnes: ut si aliquis apparuisset, ad quem tunc summa rerum deferri potuisset, fuerint, à Rege defecturi. Fuit nanq; mulier illa (si Cassiodoro credimus Autori grauissimo) inter primarias,

Eius laudes.

rarissimasq; annumeranda. Quam ille dicit uidere, uenerandam: audire loquentem, fuisse miraculum. Quæ Græcis, Latinisq; literis egregiè imbuta erat. Omnium gentium, nationumq;, quæ Romanum inuiserant Imperium, linguam, ex illarū uernaculo uocis sono loquebatur. Eā uerò tantæ grauitatis, tantę in simulando & dissimulando prudentiæ prædicat fuisse: ut cùm dischołos, insolentésq;, & crassiores cōpescere curaret, nullam illi ab ea offensam perpessos & dicerent, & sentirent. Vnde tantam comparauerat autoritatem, tantum sibi conciliauerat omnium amorem: ut rem illi odiosam com̄isisse, si etiam nulla timeretur pœna, nefarium duceretur. Ita illius morte post factū consyderata, Theodatus anxius, Ostrogotis proprio timētibus periculo, maximè memorantibus: existimare cœpit, quantum emineret periculum, si Iustinianus sumpta occasione necis Amalasuintæ, cuius uirtutem dilexit, Italiam inuaderet.

¶ Pro



¶ Pro placando Iustiniano, Legationem Constantinopolim Rex mittit Agapitum Pont. Max. Euticianæ hæresis, coactæ electionis, pacis, & annonæ caritatis fit mentio. Caput. xxiiij.

ITAQVE placaturus Imperatorē, inter multas quas ad illum, uxoremq́ Theodorā dedit Epistolas, unam accuratius scripsit: in qua Romam, Italiamq́ loquentes facit: pacē optimo Regi, doctissimo Principi, Romę et Italię amantissimo, patri, mitissimoq́ Domino implorarent. Et cùm esset uisum, in tanto timore suo, parum Senatores Romanos mittere Oratores: Agapitū etiam Pontificem summum misit. Nec tamē illum commeatu in uiaticū iuuit. ut bonus Pontifex, uasa aurea, argēteaq́, ex beati Petri sacrario sumpta, fœnori subijcere, quò pecuniā ab usurarijs acciperet, fit coactus. Quem cùm Iustinianus summa ueneratione in Constantinopolim deductū, de Euticiana hæresi interrogasset: orta est inter eos de rebus fidei ultima dissensio. Iustinianus enim ab Antonio Constantinopolitano Episcopo seductus: petijt eam labē à summo Pontifice confirmari. Cui nedum dissensit Agapitus Pontifex, sed magno resistens animo, illum pro Iustiniano appellans Diocletianū, resipiscere fecit: & Antonio hæresis fautore eiecto, Mennam in Constantinopolitanū Episcopum ordinauit. De pace uerò, cū mandata Pontifex exposuisset: ita adulanter & simulatè respōdit: ut posthac nimis sibi securus Rex Theodatus uideretur: multaq́ fit ausus, quæ illius statū ad ruinā pertraxerunt. Siquidē Agapito quamprimū Romam redijt defuncto, Clerum Romanū (quod nullus ante illū tyrannus intentauit) Theodatus Rex, in Electionem quam faceret, illata ui, cōsensum promittere coëgit: & pecunia per pactionem accæpta, Silueriū Pontificē creauit. Qua ex re cùm maximā conflasse inuidiam, & multos se delatū Constantinopolim ipse comperiens: incæpit melioris uitæ institutionem populo ostendere: Tributis alicubi imminutis: & omnibus liberatis, qui fisco obnoxij, aut delicti in Rempublicam comissi causa in custodia tenerentur. Eius tamen ineptissimi, & omnibus inuisi Regis conatus maximè inanes reddere cœpit annonæ penuria, per uniuersam Italiā orta. Cuius multò minorem, quàm Vini suscæpit curā. Nanq́ audiens in Veronensi agro Acinaticū esse uinū, saporis, odorisq́ suauissimi: magnā eius uim, sumo cū Fisci impēdio Romā aduehi curauit. Vinū etenim illud, asserit Cassiodorus, colore purpureo fuisse Regiū, sapore pręcipuū: dulcedo cuius ineffabili suauitate sentiebatˀ: cū tn̄ interim tactus eius dēsitate pinguesceret, ut carneus liquor, uel potio edibilis uideretˀ. Sed anonę penuriā subleuandę causa factū est: ut ad Tribunos maritimos Venetiarum dederit

Iustinianus secta Euticianæ.

Siluerius Pont. Rom.

Vinum Acinaticum.

rum dederit Epistolam, quæ nouæ urbis Venetæ paulò ante inchoā-tæ, prima incrementa, qualia fuerint, ante oculos ponit: & haud secus designat, quàm ad tanti populi, tamq; excellentis urbis ostendendam originem, tunc à Cassiodoro, à Rauēna oriundo, & qui locum inspexerat, perscripta fuisset.

¶ Theodati Regis, ad Venetos Epistola, pro annona sibi mittenda. Caput. xxv.



VM itaq; misisset Theodatus Rex in Histriam Laurentium quendam, procuraturum annonam, quæ Rauennam aduceheretur, exercitibus & Italiæ populis distribuenda: dictis Venetiarum Tribunis in hæc uerba scripsit. Data pridem iussione censuimus, ut Histria prouincia, uini & olei species, quarum præsente anno copia indulta perfruitur, ad Rauennatē feliciter dirigeret mansionem. Sed uos, qui numerosa nauigia in eius confinio possidetis, pari deuotione grata prouidete: ut quòd illa parata est tradere, uos studeatis sub celeritate portare. Similis quippè erit utriq; gratia prouectionis, quando unum ex his dissociatū, impleri non permittit effectum. Estote ergò promptissimi ad uicina: qui sæpè spatia transmittitis infinita: per hospitia quodammodo uestra discurritis, qui per patriam nauigatis. Accedit etiam cōmodis: quòd uobis aliud iter aperitur, perpetua securitate tranquillum. Nam cùm uentis sæuientibus, mare fuerit clausum: uia uobis panditur per amœnissima fluuiorum. Carinæ uestræ flatus asperos cùm expauescunt: terram cum summa celeritate contingunt. Putantur eminus per prata ferri: contingit alueum non uideri. Tractæ funibus ambulant, quę stare rudentibus consueuerunt. Et conditione mutata, pedibus iuuāt homines naues suas: uectricem sine labore trahunt: & pro panno uelorum, utuntur passu prosperiore nautarum. Iuuat referre: quemadmodū habitationes uestras sitas esse perspeximus. Venetiæ prædicabiles, quondam plenæ nobilibus: ab Austro Rauennā, Padumq; contingūt. Ab Oriente iocunditate Ionij littoris perfruunt: ubi alternus æstus egrediens, modò claudit, modò aperit faciē, reciproca inūdatione camporū. Hic uobis aquatiliū auiū more domus est. nanq; terrestris modo cernitur insularis: ut illic magis existimes esse Ciclades: ubi subito locorū facies aspicis immutatas. Eorum quippè similitudines per æquora longè patentia, domicilia uidentur sparsa: quę non natura protulit, sed hominum cura fundauit. Viminibus flexis illigatis, terrena illic soliditas aggregatur: & maritimo fluctui tam fragilis munitio, nō dubitatur opponi: quando uadosum littus, moles nescit eijcere undarum: & sine uiribus fertur, quod altitudinis auxilio nō iuuatur. Habitatoribus igitur una

Theodatus ad Venetos.

Venetiarū ueterum situs & mores.

copia eſt, ut ſolis piſcibus expleātur. Paupertas ibi diuitibus ſub ęqualitate conuiuit, unus cibus omnes reficit, habitatio ſimul uniuerſa concludit. Neſciunt de penatibus inuidere, & ſub hac menſura degentes, euadunt uitium, cui mundum conſtat eſſe obnoxiū. In ſalinis autem exercendis tota contētio eſt. Pro aratris, pro falcibus, chilindros uoluitis. Inde uobis fructus enaſcitur, quando in ipſis, & quæ non facitis poſsidetis. Moneta illic percutitur uictualis, arti ueſtræ omnis fructus addictus. Poteſt aurum aliquis minus quærere? Nemo eſt qui ſal non deſyderat inuenire. Merito, quando iſti debet omnis cibus quòd poteſt eſſe gratiſsimus. Proinde naues, quas more animalium ueſtris parietibus alligaſtis, diligēti cura reficite. ut cùm uos uir experitiſsimus Laurentius, qui ad procurādas ſpecies eſt directus, cōmonere curauerit, feſtinetis excurrere. quatenus expenſas neceſſarias, nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris, compendiū uobis eligere poteſtis itineris. Hæc de Venetijs ex Epiſtola Theodati Regis libuit inſerere.



¶ Iuſtinianus Imp. in Theodatum expeditionem parans, conditiones illi offert: quibus ſpretis, fruſtra pacem petit. Caput. XVI.

PROINDE dum Theodatus Oſtrogotorū Rex, urbis Romæ, & Italiæ Regnū ineptè ſimul & auarè adminiſtrat, Italiamq́ Annonę inopia premere cœpit, Iuſtinianus Imperator expeditionem in Italiam deſtinauit. Quam quia diu durauit, & uaria, maximaq́ habuit belli facinora, mox exponemus. Nā bello Parthico proſperè geſto, per Belliſariū in Aphricam copias miſit, expulſis Vuandalis. Quod in ipſa Vuandalia dicemus. Prouinciam Romano recuperauit Imperio. Belliſario igitur poſt triumphum Aphricæ Conſtantinopoli agente, Theodatus, qui reſciſſet, Iuſtinianum ſibi infenſiſsimum eſſe, cœpit ſolito magis angi. Et tamē qua erat ingenij tarditate, nihil ſolitò accuratius prouidit, ſed ad ſuas confugiēs ineptias, Oratores ad Iuſtinianum mittens, alias item Epiſtolas, quę extant, ad illum dedit, in quibus pacem ab illo impetraturus, Romam, & Italiam inter cętera colloqui fecit. Et ſi Aphrica libertatis parte frui occępe rat, non tamen debere Iuſtinianum optimū Principem, Italiam, à qua Imperij nomen, decusq́ accęperat, in eandē libertatē animis erectam, motibus incertis exponere, qui inter oppugnandū, defendendūq́ neceſſario orirent. Iuſtinianus uerò reſpondēs Regi, præ ſe tulit deſyderium Vrbis, & Italię liberādę. Miſitq́ ad illū Oratores: quorū Legationis hęc ſumā fuit. Vt aut Italia, et eius Inſulis decedēs, Cōſtantinopolim Theodatus ſe cōſecret, diuitias accępturus maximas, & in ocio, quod à teneris annis fecerat, Philoſophiæ operā daturus. Aut ſi id facere recuſaret; Cōditiones Regi offeruntur.

cusaret: bello quod ex tunc indictum sibi esset, necessaria præpararet. Is uerò hominum ineptissimus, nec oblatis consensit conditionibus: nec se contra uim magis solito communiuit.



¶ Pax cum Regibus Franciæ conscribitur. Bellisarius in Siciliam nauigat: Mundus Dalmatiam infestat, Solonamque urbem capit. Caput.xxvij.

IVSTINIANVS ubi ab Oratoribus suis factus est certior: Theodatum & si postulatis non fecisset satis omnia negligenter prouidere: Bellisarium iubet, simulata in Aphricam nauigatione, classem soluere: & ea in Siciliam ducta, pro uiribus incumbere Insulæ recuperationi. Cauit tamē prius Imperator: ne cùm Vuandalos in Aphrica oppressisset, similem intentaturus Ostrogotorum oppressionē, aliâs Romano Imperio dudum inimicas gentes, in se concitet. Ad Clodomitrem nanque, Childebertumque, & Clotarium Francorum Reges, ut & ipsi quiescerent: & nepotē Theodebertum, Liguriam tenentem, quiescere curarent: multa et maxima misit dona. Additis literis, quarum fermè sententia hæc fuisse uidetur. Grauè fuit hactenus, Ostrogotorū Reges, qui Theodorico indigni successerant tolerare, cùm propter illatas nobis penè per dies singulos iniurias: tū maximè, propter Arrianæ hæreseos labē: qua urbem Romam, et Italiam inficere non desinunt: Insuper à nobis requisitus Rex Thodatus: non resipiscit, sed conuicia, iniuriasque, uir petulās adiecit. Quod cùm diutius ferre Christianos Principes indignū ducamus: bellū illi indiximus: spem maximam uictoriæ in uestris, aliorumque principū Christianorum uiribus, non minus quam in nostris repositam habentes. Postquàm autem reges rescripserunt Epistolas, spem pacis facientes. Iustinianus Mundū quendā Ducem suum, cum copijs Dalmatiam inuadere imperauit. Et Mundus quidèm Gotis, qui Solonam præsidio tenebant, prælio superatis, Solonā cœpit: inuoluitque tumultu Dalmatas omnes, Iustiniano subijci renitentes. Annos tunc urbs Roma duosdequinquaginta sub Gotis Regibus: Theodorico.xxxviij. Amalasuinta, & puero Atalarico octo: ac Theodato duos, adeò floruerat. ut nullam ipsa imperij inclinationem ultrò sentire uideretur, quin appareret primùm, quem fortè creari contigisset excellētioris animi atque ingenij, siue Regem, siue Imperatorem, illius statū ubique ad integrum orbis Imperium posse redigere. Sed quæ alluxit ob aduentum Bellisarij Ducis præclari, & uiri certè optimi, spes libertatis, per Imperatoris Iustiniani auariciā atque socordiam, in contrarium successit. Nanque et libertas omnino perdita: & Vrbs intus, extraque diruta ac desolata, ad stupendam calamitatem perducta est. Quòd sequentia monstrabunt.

Iustiniani consiliū.

Solona capitur.

Roma sub Gotorum Regibus ann. 48.

Iustiniani tempora mala.

Amalricus



¶ Amalricus Vuisigotorum Rex, Arrianus, ducta Regum Franciæ Sorore Christiana, à Childeberto sternitur. Hispaniam is mouens, Toletum capit. Soror rediens uita fungitur. Caput. xxviij.

SED intermisso paulisper Ostrogotorum euentu, ad Vuisigotos in Hispaniam respiciamus: ut quæ uno sunt tempore patrata, una dicēdi serie contexantur. Amalricus Rex, quem arma Theodorici aui, Regis Italiæ defenderunt: cùm magno præliorū labore, ad paternam ditionem per Vasconiā redisset: coniugio proximorum Franciæ Regum propinquitatem, & Regno suo stabilimentum perquisiuit. Duxit enim coniugē Rotildam, Franciæ Regum germanam. Facilè aūt moribus conuenissent, si de Religione sensissent idē. Nam illa erat Christiana admodū fœmina, quę nimis horreret perfidiā Arrianā: cui pertinaciter Rex inhæserat. Mortuo quidèm Clodoueo fortissimo Francorum Rege: Amalricus, dùm fratres, Clodouei filij, paternam ditionē partirentur: intentis singulis ad sua, amittere uires per distractionē uidebantur: hic Rex in antiquam facilè irrepserat possessionem. Vnde tollēs animos ad Reges Francos, ea de re nuncium mittit: petitꝗ eorum amicitia frui liceat: atꝗ ex eorū familia ducere uxorem. Non indigna petitio Regibus uisa est. Sororē illi dant coniugio uirginem. Quam Regio fastu susceptam Amalricus liberaliter primùm, mox cōtemptissimè habuit. Quippè, qui ut diximus, Arriano ueneno imbutus, rectę fidei mulierē despiciebat: adeuntemꝗ ex more Christiano templa, contumelijs persequebatur: lutoꝗ peruiam à pueris mandabat contaminari. Id diu passa mulier, Regibus fratribus per literas significat, quæ à uiro infideli toleraret: laturaꝗ foret, nisi Amalrici petulantiam, temeritatemꝗ compescerent. Crebro mulieris quæstu perciti Reges, cogunt exercitum. Childebertus Rex unus ex his sublimi uir animo, non expectato fratre, militem in Amalricum educit. Cognito quid in eum à Childeberto pararetur: magnam quam potest Amalricus manum, terra mariquè comparat: tueri se certus. Aduenientibus Francis hostiliter occurrit: & quanquàm militum numero inferior esset, in robore tamen suorum spem fouebat: qua præuia, & eximia uirtute, crebras ante uictorias comparauit. Pugnatum est æquis uiribus diu, acriterquè: sed Gotis cedentibus, uictoria penes Childebertum fuit. Fugientem Amalricum dùm aduertit miles Francus: excitato calcaribus equo, hostem in fuga confodit. Qua re cognita, Rex Francus mediā petit Hispaniā: Gotos incredibili feruore persecutus: donec Toletū, ad amnis Tagi ripā, ualidissimā urbem accessisset. Quam obsessam, & à ciuibus nō segniter defensam, capit: captam

Vuisigotorum series.

De hoc Rege supra libro eodem, cap. 18.

Amalricus Arrianus.

Cadit Amalricus Rex.

Toletum capitur.

captam militi tradit diripiendam. Atq; ita sorore recepta: et mox morbo dùm reducitur absumpta, patrio sepulchro conditur. Ita uacuè facta Gotici sedes Regni, Regem alium sibi deposcit.



¶ Theuda Amalrico succedit. Childebertus Cæsaraugustam obsessurus, reliquijs S. Vincentij auertitur: cui ædes Parisijs erigens, tandem moritur. Theuda uerò à suis interficitur. Caput. xxix.

Theuda Rex. THEVDA procerum uoluntate in Regnum surrogatur Amalrico, quod ille prolem masculam nullam reliquisset: et Rege armorũ peritissimo opus uidebatur. Nam Franci graues illis imminebant: necdũ plenè recuperatis, quæ bello proximo in morte Amalrici perdidissent. Igitur Theuda uir militaris industrię peritissimus: integrando Regno quoād potuit institit. Childebertus tamen Parisiorũ Rex, fortem illi manum sępius opposuit: uicti, uictoresq; promiscuè alternant. Peruenit aliquando Francus cum exercitu ad oppugnandam Cęsaraugustam: quod Arrianam ibi perfidiam uigere putasset. Percunctatus autem hominem, quem in agris deprendit: quam sequerentur urbis habitatores religionem? Catholici ne Christiani, an Arriani forent? Ille pro captu suo, uir rusticus, ut poterat respondit: Sanctam inibi in Deitate Trinitatem, & Vnitatem in Trinitate credi. Gauisus Rex, hominẽ mittit, qui loci Pontificem euocaret. Adest ille uocatus: fide publica interposita de more, Quandoquidem inquit Rex, Catholicam plebem audio habitare urbem: arma inde retraho, quæ sumpsi in Arrianos. Sed quem interim ueneratur hęc urbs inter cœlicolas patronum? Ille refert Diuum in primis martyrem Vincentium, esse loci defensorẽ. quòd eius in terris reliquiæ ibi demorarentur. Cui Rex. Ne tantum laboris ex itinere frustra susceperim, partem sacrorum ex memoria Sancti martyris dono datā magnifacio. Refert Pontifex Regis postulata ad clerum. Ille non grauatus, annuit Regi tanto gratificari. Igitur stolam, et tunicā martyris, Regi dono contulerunt. Ille suscępta dona quàm sanctè asseruata, secum duxit Parisium. Exercitus tamen commeatuum gratia agros populatur. Reuersus in sua Rex, Ædem diuo Vincentio dicat: Monachis ibidem institutis, quibus eas quas de martyre induuias iã habebat attribuit. Theuda uerò Vuisigotorum Rex, cùm per annos. xvij. Regnum tenuisset: à suis non satis aperta ratione perimitur.

¶ Rendigisilus æquè ut Theudas, ferocia Gotorum à suis trucidatur. Caput. xxx.



Rendigisilus Rex. RENDIGISILVS Procerum item uoluntate in Regno succedit. Nec erat melior exitus illius quàm prioris. quia uix

quia uix annis duobus in Regno expletis, opprimit à suis. Ferox populus: & qui per tot secula, totiens mutauit cœlũ: ferociam tamen non amisit: bellis innutritus, armis ab adolescentia in omne æuum seruiẽs. Quæ dùm erga exteros nihil exercet, in suo uersus uiscera tumultuat. Hæc est omnium potentissima causa: cur toties Reges immutauerit. Et ipsi Romani, omnium, ut solẽt gloriari, disciplinatissimi, ea tempestate dùm exercitus Imperatorem creãret, exercitus etiam totiens perdidit. Sic perierunt Aurelianus, Probus optimi Imperatores: & ante eos plurimi. Ab his enecati, à quibus in Imperium sublati erant. Gotorum ferocitas.



¶ Bellisarius Siciliæ aliquot urbes, totamq; Insulam subigit. Theodatus conditiones pacis Iustiniano Imperatori offerens, non auditur. Caput. xxxi.

IN ITALIAM reuertamur: Goticum bellum à Bellisario gestum executuri. Bellisarius quidèm patricius, à Iustiniano Imperatore, belli Italici aduersus Gotos Dux declaratus classem parauit: militibusq; impositis, traiecit in Siciliã: ubi præcepta Iustiniani secutus, tanquàm nauigaturus in Aphricam, nihil hostile in principio ostendit. Præfecerat uerò Equitatui quem adduxerat Valentinianum, Innocentium, & Magnum: & Pedestres copias, quæ satis erant magnæ, Constantinus, & Bessas, Herodianusquè ducebant. Idoneo exinde tempore captato, Catinam urbem adortus, occupauit. Postea Siracusas cùm duxisset urbe munitissima, dedentibus ciuibus est potitus: fecitq; statim Siculorũ in Gotos odium: ut quàmprimum copias Bellisarius ostentauit, propositumq; aperuit: mirabilis uictorię cursus fuerit: populis urbes, oppidaq; certatim Romano Imperio, cuius desyderio pridem tenebantur, ultrò offerentibus. Hortabat aũt ad id eos maximè Bellisarij præsentia: qui cùm à Vuandalis Aphricã liberasset: pariter sperabatur Siciliam, Italiamq; à Gotis erepturus. Et adiuuabat Theodati ignauia: qui nullos per Italiam fecerat apparatus. Attoniti itaq; subita ciuium defectione Goti: maiorem subitò spem in fuga, quàm in resistentia posuère. Vnica tamen in Panormo munita ciuitate, cui ualidũ inerat præsidium, Goti resistere sunt ausi. Sed Bellisarius Dux peritissimus, urbem in circumitu contemplatus, aduertit portum patere ad mœnia: quæ aliquot locis à nauium malis altitudine superabantur. Quamobrem classe in portum delata, propugnaculisquè pro malorum summitate dispositis: Sagittarios, funditoresq; in illis collocauit: qui subiectos hostes feriẽtes, ilico mœnia defensoribus nudarent. Tùm subeuntibus ad mœnia sine metu alijs militibus territi ciues, sese Bellisario permiserunt. Hæc Theodato cùm essent in Italiam nunciata, anxio animo Legatos ad Iustinianũ mittens, huiusmodi

Belli Italici cum Gotis initium.

Catina, Siracusa capiuntur à Bellisario.

Panormum se dedit.

Theodati oblatio pacis

mandata dedit. Sicilia se sponte decedere. Et in Italia tributum, recognitionis signum, coronam auream librarũ triginta: ac in omnẽ quamcunq; iusserit Imperator expeditionem Romanos milites tria millia polliceri. Insuper in Episcopos, uirosq; Senatorios iurisdictionẽ permittere. Et ut Maiestas Imperij in Vrbem & Italiam restituta esse uideretur: se curaturum, nomen Imperatoris inter sacra, ceremoniasq; primùm offerri: statuamq; nullam Regi Italico, nisi secundum Imperatoriam collocari. Indicat uerò pictura musiuo opere facta, quã Rauennæ conspicere licet in æde diui Martini, in cœlo aureo, à Theodorico, ut diximus, ædificata, Theodatum quod fuerat pollicitus incæpisse. Ex eo nanq; musiuo cęteris elegantiore, quod Italia nũc, uel noui habet, uel ut ferunt uetusti operis, Iustinianus & Theodora uxor, & ipse Theodatus loco inferior, nunc ut ferunt, picti cernuntur. Quo in loco aliqua fuerunt ad ornatum addita, quæ & Scriptorũ supplent defectum: & certè ostendunt multa, quæ scripta uidentur incredibilia. Sed hæc Legatio nihil profuit.



¶ Congressu insperato in Dalmatia ante Salonẽ inito, Mauricius filius, dein Dux Mundus pater cadunt. Theodatus Gotus uictoria potitur. Caput. xxxij.

IN Dalmatia Goti post Mundi Ducis aduẽtum, copias reparauerũt: in Salonamq; ducentes, eam urbem constituerũt obsidere. Quibus cùm occurrisset Mundi filius, adolescẽs egregius, cum parua equitatus parte, obuiauit illi Gotorum turma: quæ pariter quid circa Vrbem fieret, inspiciẽdi gratia prodierat ex castris: & præter utriusq; exercitus expectationem commissum est prælium, tanto animorũ ardore: ut cùm multi, præstantioresq; ex Gotis cæcidissent, ipse etiam Mauritius sit occisus. Interim obęquitans mœnia, munitionesq; quas circum ea faceret Mundus: uno, eodémq; in tempore Mauritiũ in hostem pugnare, eundemq; primo uincere, postea superatũ, mortuumq; esse audiuit. Quo pculsus dolore homo bellicosus, ira incensus, furensq; in hostem ruit. Viderant aũt Goti præliũ à paucis, quos castris emiserant cõmitti: quibus, ut senserãt, maiori ex parte occisis, ad arma omnis exercitus corruerat. Hinc nõ prius improuisos adoriri potuit Mundus, quàm illi ex præparato pugnandi copiam fecissent. Et cùm totis copijs hincinde per multas horas sit certatũ, cædes utrinq; maxima cõmissa est: Goti tamẽ, qui cæsim recedere cœpissent, urgente uehementius Mundo fracti, se in fugam contulerunt. Nec destitit uictoria uti Mundus: quinimò profligatos longè insecutus, dùm in filij necis ultionem sanguine nequit satiari: à fugiẽte agmine occisus est. Repulsi eum in modũ Goti mœrẽtes, in remotiora retrocessère. Et milites

Mauritius cadit, Ducis filius.

Cadit Dux Mundus.

milites Imperatoris non minori, quàm hostis cæde profligati, ob Ducis necem mœrore confecti, attonitique, Salonas deseruêre. Eam ciuitatem paulò post Gripa Gotus, reparato aliquantisper exercitu recępit. Inclinatámque in Dalmatia Theodati rem, per Duces priores adeò restituit: ut Iustiniani exercitus, omnia quæ Mundus cœperat, relinquere sit coâctus. Elatus tanta uictoria Theodatus: & simul audiens Bellisarium in Aphricam traiecisse: nedum spreuit ea, quæ cum Iustiniano agere cœperat, sed illius Oratores quoquè, ut ab incæptis discederet, persuadêre conatos, in custodia haberi curauit. Et ut meliorem de se spem ostenderet: sacra uasa, quæ pridem Agapitus Papa ad usum Legationis in pignus tradebat, redemit, Italiæ loca quæ inedia laborabāt, remisso tributo subleuabat. Vide supra cap. 24. a.



¶ Bellisarius Italiam ingressus, deditis aliquot urbibus, Neapolim ui exuperat. Ostrogoti Vitigem deligunt, fuga trucidantes Theodatum. Caput. xxxiij.

INTEREA Iustinianus in Dalmatiam aliū submisit Ducem Constantinū. Bellisarius aūt compositis in Aphrica rebus, in Siciliam nauigauit: ibique opportunis locis præsidia imponens, in Italiam transportauit exercitū. Vbi primùm applicuit Regium, mox ciues se Imp. submiserunt. Secuti exemplū cæteræ urbęs, odio Gotorū Imperatori facilè cesserunt. Erant ex Gotis, qui magnitudine apparatus conspecta, cùm cernerent impares uires suas, mox manus dederunt Duci, Missique Constantinopolim, non paruo sunt honore suscępti. Iusserat classem Bellisarius oram legere terrarū. ut ubique adesset. Castrametanti, Brutij, Lucanique sine magno cessêre conatu. Ventum est ad Neapolim: ibi clausis portis, Ciues Gotis seruauêre fidem. Dux loca contemplatus, oppugnare parabat. Emisêre ciues uirū eloquentia præcipuū, qui Bellisario ostenderet, Obsides se pridem Rauennam uxores & liberos misisse Gotis, magnū insuper in urbe præsidiū Gotorum, quod cōmouentibus se ciuibus imminêret. Parceret urbi deuotæ Imperio. Vbi per iustū metū licuisset, Romani peteret. nam eius Vrbis fortunā proculdubiò omnes mox secuturos. Canebant surdo apud Bellisariū. Ille se non abiturū, nisi aut dedita, aut capta Neapoli, ait. Consulerent sibi in tempore. Vbi ad uim uentū foret, iam se non parciturum. Legatus relaturū se quæ audisset promittit. Quibus in urbe intellectis, inclinabat pars ciuiū maxima, portas patefacere. Cęcidêre Gotorū animi. Inuenti sunt inter ciues, qui reclamarent, non se futuros proditorū eorum, quibus fidem præstiterunt. Concurrit in muros. Bellisarius cùm nemo prodiret, apparatū explicat, urbem oppugnat. Nec segniter defenditur. Alternat aliquandiu fortuna. At tùm perseuerantissimè op-

Regium se dedit.

Legatio Neapolitana.

Neapolis capitur, prædatur.

pugnatur, ciuitas capitur. Cæduntur Goti, ciuesq́ promiſcuè. Vrbs à militibus diripitur. Sed tamē placati oratione Ducis milites, rem mediocriter temperarunt: abſtinere incendio, à ſtupris ſe cohibere, quæ in promptu iacebant, in prædā uenēre: penetralia non peruaduntur. Interea cùm apud urbem Romam Theodatus incertus conſilij deſideret: Gotorum Proceres, iam ignaui Regis deſidiam peroſi, aliter rebus ſuis conſulendum putauerūt. Igitur unum in locum confluentes, nouo deligendo Regi inſtiterunt. Creatus Vitigis, uir impiger ad arma: mediocri nobilitate natus, ſed magno animo, et militari diſciplina inſtructiſsimus. Theodatus ubi comperit, in fugā ſe conijcit: ſed miſſo poſt eum militum agmine, in ipſo itinere trucidatur.

Theodatus trucidatur.



¶ Vitigis Gotorum Rex, Romanos hortatur, ne à Gotis deſciſcant, Rauennam inde adit. Illi autem Belliſario aduocato, à Gotis deſciſcunt. Goti apud Peruſiā bello à Romanis ſuperantur. Caput. xxxiiij.

Vitigis Rex.

VITIGIS Rex initio, Principatus Romā contendit: Pontificē, Senatumq́ hortatur, ut in fide Gotorū permaneant: tantas eſſe Gotorum uires, ut nemo eos ſine ſua pernicie tētauerit. Inter ſuos de gerendo bello conſultat. Operæpreciū uideri: relicto in Vrbe præſidio, Rauennam contēdere: Gotos, quos per Italiā Theodatus ſparſerit, in unū contrahere: fortiſsimumq́ conſcribere exercitū, quem opponāt uenienti Belliſario. Igitur in Vrbe Luderū Præfectum declarat: quatuor milia illi præſidiū tribuit. Ex Senatoribus delegit: quos ſecū abiens obſides habeat: contenditq́ Rauēnam. Ibi Mathaſuintā, Amalaſuintę filiā, uxorem ducere conſtituit. Illa auerſata, ignobilē uirū dedignatur. Ille tamē magnis apparatibus nuptias inſtituit: nihil intermittens quod gerendo bello ſubueniret. Belliſarius interea Romā ducere contendit. Pontifex cum Senatu, inito concilio: cùm audirent uires uenientis exercitus: non ſolùm admittere, uerùm etiam quo gratior ueniret: miſſo nuncio uocare deliberant. Mittitur qui accerſiret. Ille properauit. Goti Romanorum conſilia perſpicientes, cùm reſiſtere haud poſſent: fide publica interpoſita, à Romanis abire impetrāt. Erat inter eos uir Primarius: qui noui Regis crudelitatem ſciens: maluit ſe Romano populo, quàm Regi ſuo committere. Per portam Aſinariam exercitus Belliſarij intromittitur. Multa Dux peritiſsimus magis neceſſaria, quàm dictu ſpecioſa contulit cum Senatu ac militibus. Præfectum Gotorum, qui ſe ciuibus permiſerat, miſit Conſtantinopolim: Vrbem locis opportunis communierat: ſciens Gotorum uim futuram. Ex ductoribus, quos ſecum habebat, alios in Etruriam, alios in Picenum miſit, ut urbes, aut deditas, aut fractas reciperent. Proſperè

Belliſarius Romam uocatur.

ſperè omnia cedunt: ſine magno labore multarum fiunt deditiones. Apud Peruſium trepidatum eſt. Circumſedêre Imperatorij. Goti ſuperuenientes, magno illis prælio ſunt congreſsi. Acriter pugnatur utrinq;. Cadunt multi. Ad extremum cedunt Goti. Id erat conſilium Ducum Romanorum: ut qualicunq; conditione Goti diſtinerentur: ne urbi Romæ ſuperuenirent, prius quàm repararet mœnia: tùm impetus ſuſtinere uidebantur.



¶ Vitigis ad Anienem fluuium exercitus. Belliſarij item congreſſus impar: & uictoria primum fortis, tum multitudini Gotorum cedens. Caput. xxxv.

VITIGIS aũt Rex, ubi ſuos ad Peruſiam malè pugnaſſe comperit: omiſsis cæteris Italię ciuibus, ad Romã caput ire contendit. Itaq; centum milibus, & ut alij dicunt, centum & quinquaginta milibus militũ copias educit. Veniens ad Anienem, cùm illum ob profunditatem uado tranſire non poſſet: comperit Belliſariũ iam ante ſtrauiſſe pontem ſuper eo, utraq; in parte ripæ turrim communitam, firmatamq; præſidio. Ibi caſtra fixit: deliberaturus de gerẽdis rebus. Belliſarius quoq; mille equitibus accęptis, ſpeculatũ exibat: ut caſtris capiendis locum uideret, & conſilia hoſtiũ experiretur. Manè primo egreſſus, ubi propinquat amni: uidet hoſtile agmẽ tranſiſſe pontẽ: uel accæpta pecunia, uel metu à ſuis proditũ. Ibi ſuorũ paucitate ad illos comparata, reſpicere milites ſuos ubi uidet ad Vrbem, ut fuga ſibi conſulerent: fortiſsimus Dux auſpiciũ belli à fuga ſumere nolens, ſuos adhortatur. Meminerint Gotos eſſe quos uidẽt, ſępè à ſe uictos: fortunã eius aſpiciant: præſenti modo ſint animo: uictoriam de hoſtibus futuram. Hac fiducia manum conſerũt. Fortiſsimè utrinq; pugnatur. Goti intelligentes eſſe hoſtiũ Ducẽ qui occurriſſet: denſius conglobati, in illũ infeſtiſsimi incurrunt. Sed à domeſtica ſuorũ manu ſtrenuiſsimè defenſus eſt: retroactiq; ſunt Goti multi à paucis ad Pontis præſidia, quę prius accęperãt. Illi uerò caſtris effuſi, ſuis ferũt ſuppetias. Quo urgẽte globo, in Vrbẽ retrò Belliſarius paulatim tẽdit. Exierat iã ad famã magna militũ, ciuiũq; manus: et hoſtẽ diſtinẽtes, Duci, equitibusq; copiam in Vrbẽ ſe recipiẽdi fecerũt. Belliſarius ſingulis ſuorũ Pręfectis ſingulas portas attribuit tutãdas. Ipſe uicatim circũuectus, ciues bono iuſſit eſſe animo: erexitq; in ſpem Ciuitatis ſine negocio defendendæ. *Vincit Vitigis.*



¶ Goti Romam obſident: Romani ediuerſò fortiſsimè tutantur. Suppetias Belliſarius ab Imperatore petitas, accipit. Caput. xxxvi.

NOCTE illa Goti ad caſtra ſua redierunt. Primo mane ad obſidendam duxêre Vrbem. Caſtra ſex in locis firmauêre.

mauêre. ut omnium portarũ ingreſſus et egreſſus obſeruarent aduſq; Tiberim. Turribus ac propugnaculis loca firmauerũt: ut excurſiones facerent: ac fugati fortè, in præſidia ſe promptè reciperẽt. Non minor in Vrbe Belliſarij cura, portis ac mœnibus cuſtodiendis. Ipſe ſe maioribus Gotorum caſtris oppoſuit: alios Duces locis opportunis collocans. Corruperant Goti omnes Aquæductus, qui aquam in Vrbẽ deriuauere. Hi quatuordecim extiterũt; inter quos ex Ianiculo quidam præcipites piſtrinorũ uſum præbuêre. Quibus deſtructis, lembos in fluminis medio binos iunxit inter capedine certa. ut impetus fluminis rotas deuolueret. Arietibus pulſantur muri: intus obiectu terræ ſuccurritur. Multis in locis uaria fortuna fuit. Ad molẽ Adriani fortiſsimè pugnatur. Cadunt utrinq; plurimi. Ad Viuarium maius periculum, Ibi Beſſas præfectus, quo in ſtatu res ſit belli, ſanguine ſignificat. Ille relicto præſidio aduolat. Acrius pugnatur præſente Duce. Goti inualeſcunt. Sed tamen fortior erat defendentium conatus. Goti ad tria ibi milia cæciderunt. Interea Romani perſpecta hoſtium multitudine, & Belliſarij militũ paucitate, indignati murmurauerunt: ſeq; accuſarunt, qui ſe tanto diſcrimini permiſiſſent. Belliſarius ubi cõperit (neq; enim obſcurũ erat, quòd populus trepidaret) ſcripſit Imperatori: Copias ſuas per præſidia, quæ impoſuit in Sicilia & Italia, deditis urbibus, nimium eſſe comminutas: opus fore, maiori militum numero: ad continendos Italiæ populos in fide, aduerſus numeroſiſsimos hoſtes. Populũ Romanum iam diſſuetum bellorum tumultibus, de ſuorum paucitate iam incerta uoluere conſilia. Si Imperio, ſi Italiæ uelit conſulere: ſupplementa non pauca militiæ eſſe circumſpicienda. Imperator acceptis literis Belliſarij, non mediocriter motus eſt: copias quas habuit paratas, nauigare iuſsit in Italiam. Præerat illis Valerianus: ſed hyemare in Græcia cogebantur. Romani tamen accæpto de Suppetijs Imperatoris nuncio, recreati ſunt.

Imp. mittit Suppetias Romanis obſeſsis à Gotis.



Roma fame laborat. Obſides Romanorum, Vitigis Rauennæ trucidat. In belli populo clam dimiſſo, & urgente penuria, parat belli congreſſus. Caput. xxxvij.

INTEREA uerò in Dalmatia res uariè gerebantur. Conſtantianus Imperatoris Dux, Salonas recepit. Goti maiorem in modũ adunati, urbẽ obſederunt. Dux Romanus clam egreſſus foris, cœpit hoſtes urgere: ut obliti obſidionis, in ſe uerterentur. Leuibus ſæpè prælijs concurſum eſt: nihil inibi memorabilium rerum peractum. Pendebant omnia ueluti incerta ad euentus Italiæ: & maximè urbis Romæ: quam ſciebãt omnes, arcta ab Gotis obſidione circumuallari. Interim Vitigis circa urbẽ Romam ſæpè oppugnationem

nem aggreditur:nihil intentatũ relinquens. Inexpectato agmine Portuensium urbem occupauit:ut nihil Romanis importaretur. Ea res in famem maximam respexit. Misso nuncio Rauennam. Obsides quos pridem duxerat, iussit occidi. Pauci præsentientes, fuga sibi in Gallias consuluerunt. Bellisarius famem ueritus: imbellem multitudinem Neapolim, & in Campaniã iussit emitti: quo res frumentaria leuaretur. Romani uxores, liberos, matres, senes, & quicquid bello inualidum, noctu emisere. Neq; enim omnes uiæ ab hostibus insidebantur. Intereà cùm añona diligentissimè Romæ distribueretur: superuenêre Imperatoris Supplementa, mille sexcenti equites, sub Martino et Valentino. Quibus accæptis aliam gerendi belli rationem iniit Bellisarius. Nã emissos per portas equites, iussit exerceri in hostes: ut & genus pugnæ cernerent: & hostẽ paulatim sustinentes inciperent contemnere. Ea re factum est: ut parem manũ fugarẽt, maiorem sustinerent: paulatim proficientes in contemptũ. Bellisarius diu à Præfectis stimulatus, cum inedia cępisset urgeri: confligere statuit. Igitur Valentinũ ad Molem Adriani, cum expedito equitatu, ac peditũ copiis iussit ostentare potius, quàm exhibere pugnam, quo Gotos ad Aureliani uiam sedentes, distineret: ne suppetias aliis ferrent. Ad portas in Orientẽ uersas, ubi Rex erat hostium, duabus turmis perarmatis: equitum peditumq; copiis instruxit. Vitigis ex transfuga intelligens pugnam parari: & ipse suos instructis ordinibus collocauit.

Obsides Romani occiduntur.



¶ Egressi Romani, cum Gotis pugnant non leui iactura. Fames, ciuium insolentiam excitat. Sedantur tamen Ducis hortatu. Caput. xxxviii.

ORTA luce, portis apertis Romam prorumpunt: genti occurrunt non segnes. Cædunt, caduntq; nunc uicti, nunc uictores. Alacritate milites Bellisarii, multitudine superant Goti: qui semper nouis supplemẽtis aciem instaurauêre. Ad Aureliã uiam Romani cùm de montibus se ostendissent hostibus, ut in pugnã currerent: Valentinus consertos uidens, suis fert opem. Fugantur Goti: Romani castris hostium diripiendis imminẽt. Dum ibi impediti præda implicantur: conglobati iterum Goti, impeditos, & onustos aggrediuntur: prædam iterum ad se recipiunt. Castris quoq; Regis, non dissimilis erat fortuna. Nam usq; eo progressi Bellisarii equites, à fronte & latere impugnati, cedere cogũtur: & ad pedites se recipere. Nec ibi satis erant tuti, urgentibus pro multitudine sua Gotis: uix portis recipiuntur: & qui exclusi fuerunt, stantibus ad mœnia uersis uultibus in hostem, præsidio fuêre qui de mœnibus iaculabantur. Hoc prælio Romanorũ uires satis attenuabant. Magis aũt fames urgebat pręcipuè

Romani uicti.

Fames horrida.

quidem in Vrbe. Sed tamen peruniuersam Italiã ea caritas durauit: ut post fœda cadauera, mater infelix filium ad cibum trucidaret. Bellisarius non iam totis copijs, sed leuibus prælijs hostẽ lacessebat in campis Neronianis: ubi quondam theatrũ erat gladiatorũ. Hunc locum diuersæ partes occupauêre: iam Romani, nũc Goti: insuper ad Pincianam similis fortuna per singulos dies. Interea dum portus occluditur commeatus: tamen ex alijs portubus terrestri itinere importabantur. Hoc suspicantes Goti: castra noua intra Latinã & Appiam uias, à fornicibus Aquæductuũ, quæ aliquoties cõcurrunt, communiunt. Ibiq; equitum aliquot milia collocant, ad opprimendam fame urbem. Milites clam egressi noctibus, rapta ciuibus uendidêre. sed hæc nimiũ pauca multis. Intereà Romani circumfusi Bellisario: querũtur in quas difficultates se proiecerint: dùm fidem implẽt Imperatori. Suos Rauennæ occisos: Vrbẽ ignominiosè obsessam, extra mœnia uastata omnia, intus fame intolerabili perurgeri. Duci in hostem orant, satius gladio, quàm fame perire. Ille placidis eos uerbis consolatur, affuturũ de proximo cõmeatus abundè, cum supplemento militum, expectarent: sibi curam fore, ut salua essent omnia. Misit ex suis opportuna in loca Præfectos, cum equitũ ala: qui obsidentes uias, eandem annonæ difficultatem facerent Gotis, quam ipsi paterentur. Iuxta S. Paulũ castra communiuit, aduersus castra in Fornicibus.

Furit populus.



¶ Romanis suppetiæ & commeatus ab Imp. missi, uix recipiuntur salui. Induciæ fiunt trium mensium, at à Bellisario uiolantur. Caput. xxxix.

VENERE interim supplementa ex Constantinopoli equites, & pedites non pauca milia, cum commeatibus, & quidem importãdi magna erat Romam difficultas. Sed utriq; uijs publicis insederant: ut dum colluctarentur pugnantes, currus transiere. Eam rem comminiscens Bellisarius, cœpit hostes ad mœnia defatigare. quo esset terra, mariq; auxilijs Romanorum uia ad perueniendum quo instituere. Igitur supplementis in ciuitatem, cum commeatibus iam accæptis, Goti difficiliorem sibi, quàm obsessis obsidionẽ rati. quòd multi in castris morbo, multi uulneribus morirentur, missis in Vrbem Oratoribus, inducias trium mensium paciscuntur. Medio tempore Iustinianum etiam Goti faciunt arbitrum causæ, obsidesq; hinc inde tradi, pro inducijs ex fide seruandis. Bellisarius Romam, Goti castra asseruauêre. Sed milites in præsidijs nonnunquam, ut fit, excursione facta, commeatus tulêre. Goti ea gratia Portuensem, quam tenuêre Vrbem, ad horam liquêre: Bellisarij milites occupauêre. Idem de Centumcellis, dequè Alba factum. Goti Romam, de

uiolatis

uiolatis fœderibus quæstũ misére. Suos non reliquisse urbes, sed euocatos à Rege exisse: Restituenda quæ contra ius induciarum essent occupata. Bellisarius respondit. De euocatione constare nihil. Cæterũ quæ pro derelictis habita fuit, licitè occupari poterant, Goti de querimonia irrisi. Mittit interea in Picentes Bellisarius ualidam equitũ manum, cum mandatis: Si maneant induciæ, nihil commouendum. Si à Gotis moueantur: tũ quas possent urbes excipiant. Esse ibi solas Gotorum uxores. Quicquid sit uirorũ, in Romana castra commigrasse. Per idem tempus Datius Mediolanẽsis Archiepiscopus, et cũ eo quidam Mediolani ciues, urbem Imperatori apud Bellisarium offerunt: si modicum illis præsidium mittat. se quidèm satis esse uiribus potentes, Gotos omni Cisalpina Gallia pellere: si solo id Imperatoris nomine fieri permittatur. Bellisarius collaudatos, bonã spem fouere iubet: se in tempore illis affuturum pollicetur.



¶ Bellisarij periculum. Gotorum insidiæ Vrbis potiundæ, deteguntur. Soluunt Goti exercitum ad Rauennam, à Romanis persecuti. Caput. xl.

INTEREA Bellisarius omnia circumspiciẽs, ex pusilla re, maximũ incidit uitæ periculũ. Tribunus erat Constantianus: cuius milites preciosum ciui Romano gladium abstulissent. Questus ille, nihil profecit. Iubet Dux restitui. Non paretur. Vocatus Constantianus, cùm durius increparetur: gladium distringit in Bellisariũ: penèq; Ducẽ interemisset: ac subuertisset omnia Reip. consilia. At ille pœnas luit. Goti ex insidijs urbẽ capere adorti sunt per uiã Aquęductus. Sed lux uisa candelæ, eos prodidit. Inde ratibus impositis, secundo flumine à ponte Miluio milites campum Martium intrarunt. Murus erat à flumine tum humilis: nunc est nullus: Sopiri uigiles medicamine tentantur à duobus pecunia corruptis ciuibus Romanis. At alter pœnitentia facti motus, rem prodit Bellisario. Socius eius cum ueneno deprenditur. Præcisis naribus & auribus, asino transuersim impositus, ad castra mittitur Gotorum. Quo rem intelligant patefactam. Interea cùm toties Goti soluerunt Inducias: scripsit Ioanni, quem in Piceno equitum turmæ præfecerat: rem strenuè exequatur. Ille quantum poterat urbes, & arces occupauit in Prouincia: Anxinum, & Vrbinum, quòd essent munitissimæ, præterijt: quòd diutius ibi sedendum uideretur. Ariminum tanto terrore concussit: ut Goti qui inerant, desperatis rebus abirent Rauennam. Ciues portam Imperatorijs alacres pandebant. Vitigis ubi tam propinquo loco Rauennæ periculum imminere comperit: soluta urbis Romæ obsidione, eò contendit, ne primaria sedes detrimentũ acciperet. Incendit ad Vrbem

Gotorum insidiæ.

ad Vrbem castra: & festinat transire pontem Anienis. Bellisarius tempora seruans cũ opportunitatibus: medio iam exercitu trans pontem stante, nouissimum agmen inuadit: eóq; perduxit angustiæ: ut præter cæsos, multi de ponte præcipitati, perierunt. Durauit ea obsidio annũ integrum, & dies nouem.



¶ Ariminum Goti expugnare non ualentes, fame torquent. Romani Mediolanum, cum aliquot urbibus obtinent. Caput.xli.

GOTVS urbes suas præsidijs nouis firmauit: festinans ad obsidendũ Ariminũ. Bellisarius eó mittit diuerso itinere peditum ualidam manũ. eo consilio: ut educto Ioanne cum equitatu ualidissimo, qui intra urbem nullius usus, & in prouincia necessarius esset: & iumenta difficili uictu intra urbem tenerentur. Pedites in locũ cederent equitum, urbi defendendæ: Goti pro multitudine impedimentorũ, & exercitus magnitudine tardius iter fecêre. Prę uenerunt ergò pedites Bellisarij Ariminũ ingressi. Ioannes ubi audiuit mandata Bellisarij, neq; ipse paruit: neq; Damianũ patruelem suũ cum quadringentis parere passus est. Ergò qui à Bellisario missi sunt Præfecti, persuasis equitũ turmis, equitatũ Ioanne nolente deducunt, pedites reponunt: dimisso ibi Ioanne & Damiano cum suis contubernalibus. Interea accedentes Goti, cinxerũt obsidione urbem. Turrim ad oppugnationem Goti erexêre. Eam nõ boues, ut ad Romanas arces, sed milites inclusi trahebant. Ioannes unius noctis opera eam cogitationem præuertit. Nam fossato eiecto, & uallo coniecto, aditũ Machinæ prohibuit. Egressus deinde cũ copijs, oppugnauit obsidentes, turrim parans incendere. Graue fit prælium. Cadunt ex Gotis multi. Molem tamen tuentur incendio. Itaq; ui expugnandi oppidũ, spem ponebant. Fame aggrediuntur. Interea Mediolanenses à mari per Ianuam, præsidium Bellisarij accipiunt: permittentibus Metensis Regis Ducib. lembi curribus impositi, ad Padum deferũtur, ut milites traijciant. Ticini (quæ nunc Papia est) ualidũ erat præsidiũ Gotorũ. Egressi uenientes adoriuntur. Sed in oppidum retunduntur. Itaq; Mediolanum deditur Imperatori. Prę fectus Bellisarij ultra progrediens: Comum, Bergamum, Nauarram, exemplum secutus Mediolani, deditas urbes accipit. Vitigis ubi quid ageretur intellexit: fratris filiũ cum expedito mittit equitatu, ut reliquas urbes in fide contineat, quæ nondum à Gotis defecerant: & quæ iam defecerant, si quid posset recipere, qualibet conditione conaretur. Bellisarius inde auctis copijs, Romam ingreditur: Gotisquè in præsidio manentibus Vrbium quas tenebant, se ostendit, ut terreat. Illi longè esse Regem suum cum exercitu scientes,

se Impe-

se Imperatori permittunt. Ad Anconam Goti ducentes, penè recepissent oppidum. Veniunt nouæ ab Imperatore copiæ. Consultant cum Duce Præfecti. Multa in utranqꝫ partem dicũtur. Ariminũ obsidione soluendum erat. quòd extrema fame Ioannes inclusus cum suis urgeretur. Alij Anxinum obsidendũ: Ioannem Duci suo contumacem, contemnendum putauerunt. Id ubi ab alijs animaduersum est: totis dicendi uiribus incumbunt, ut Arimino subueniatur.



¶ Ab Arimino Goti soluunt. Mediolanum sese illis dedit. Fesulas fame premunt, & obtinent. Fontem Anxinum Bellisarius frustrà demoliri conatur. Caput. xlij.

IGITVR hoc probato consilio, terra, mariqꝫ Vrbi subuenire Bellisarius contendit. Classem sub oculos Gotorũ nauigare facit. Copias per ignem noctu ostendit maiores diuersis in locis quàm essent: ignibus ubiqꝫ crebrescentibus. Ita Gotis obsidentibus metum immittit. ut formidine circumueniendi ab exercitibus, obsidionem soluant. Discedunt Rauennam. Obsessi pallore horrescunt per famem. Inde urbium frequens per Flaminiam deditio sequitur. Mediolanum iam deditum Imperatori, fame urgeri uidebatur: quòd aditus intercluserat Vraias Dux Gotorum: fretus auxilijs Ligurum: quæ illi Regis Metensiũ Præfecti, ad ea loca manentes permittebant. Bellisarius dùm copias liberando Mediolano immittit, dumqꝫ alias submittit, tempus teritur: & ingrauescente fame, urbem extrema passi, dedere coguntur Gotis. Intereà Rex Metensium cùm bella geri conspiceret in uicina sibi regione: arbitrabatur, uictoris prædam futuram etiam prouinciam suam, ni caueat. Igitur Francos, & Burgundiones magna multitudine immittit: qui uel Gotis præsidio sint, siue emolimento. Descenderant ex Apennini iugis magno agmine ueniẽtes. Goti arbitrati sibi auxilio uenire: animos erexerant. At statim (incertũ unde) consilio, an imprudentia multitudinis orta rixa inter uenientes exteros, & ipsos Gotos: quæ usqꝫadeò processit, ut tota agmina permearet. Ad extremũ Goti castris cesserunt. Mirati Imperatorij, cùm Gotos cernerent palantes: adesse Bellisariũ existimarunt. Nec diu post, apparuêre Franci et Burgundiones cum Ligustinis: & uno impetu inuecti etiam illis, castris eos exuerunt. Ita uno die, duos exercitus inuicem hostiles, castris expulerunt. Interea Bellisarius non quiescens, per Etruriam urbes recepit. Fesulas diu obsessas, extrema perurgẽte fame, Goti uitam pacti, & res dediderunt. Ad Anxinum, ubi ualidum inerat præsidium, intendit animum. Penè ad extrema & ibi uentum fuit, si aquarum usus intercluderetur. Fons erat unicus nõ longè à muris, unde potabant. Bellisarius intercludẽdum putauit. Itaqꝫ submissis qui aliorũ tecti clypeis demoli-

Stratagema

Mediolanũ se Gotis dedit.

demolirentur: Goti oppugnatores fore rati, per muros ſtetêre. Vbi uident ſuffodi fontem, erumpunt. Conſeritur graue prælium. In quo de ſuperiori loco pugnantes, ſuperiores fuêre Goti. Sed præſens Belliſarius urgebat integros pro saucijs, aut cęſis ſubmittens. Sed Goti pertinaciter reſtitêre. Ad extremum uicti multitudine, defatigantur: & intra mœnia repelluntur. Tum iterum demoliendo fonti inſiſtitur. Sed erat opus tanta firmitate ſubnixum, ut prius ſaxum de monte, quàm particulam auferres de fornicis muro. Hic fruſtratus, corrumpendæ aquæ, per fœtidos ſuccos, & animalium cadauera intendit. Quæ res difficultatem Gotis ingerebat.



¶ Anxinum à Gotis Belliſario pactis conditionibus deditur. Rauennę horrea incendijs flagrant. Expugnatur Rauenna, Vitige capto. Caput. xliij.

VITIGIS autem obſeſſis opem ferre pollicitus, eius rebus implicabatur, ut non ſineretur. Obſeſſi de deditione uerbum fecêre, pacti libertatem cum rebus. Milites direptionem urbis ſperauêre. Dux perniciosum Reipub. uideri: tot uiros fortes iam penè captos, hoſtilibus dimittere augēdis uiribus, ſed tamen quia pertinaciter urbem ſeruauêre, nec ſine magno ſanguinis detrimento poſſe capi uidebatur, & tempus ſedendi ad obſidionem Ducem urgebat, quòd audiſſet Francos & Burgundiones Gotorum partibus inclinare, maiores caſus pręueniens, hac pactione deditionem permittit, ut dimidia rerum parte miles gaudeat, altera maneat dominis, & ipſi dediti maneāt in exercitu Imperatoris, ibi facturi ſtipendia. Sic deditur Anxinum. Qua urbe recepta, Belliſarius in Vitigem, & Rauēnam caput rerum ducere cōſtituit. Muniuit autem inprimis Padi ripam, ne quid importaretur à terra. Nam à mari nullus erat aditus Arimino, & Ancona cum Venetijs pro Imperatore facientibus. Magnam uim frugū nauibus impoſitam, per fluuium Goti importare contenderant. Sed ſubitò, cunctis mirantibus, fluuius ita deceſſit: ut plæręq; naues hærerent in fundo. Pugnante rerum Natura pro Imperatore, Goti cędunt. Naues capiuntur. Rauennę laborant inedia. Venerant interea Francorum nuncij, Gotis pollicentes auxilium, ſi in partem dominationis admitterentur, quingenta milia adducturos ſe iactant, quibus, ſi ſaperet, non ſe opponeret Belliſarius. Ille ubi comperit, & ipſe legationem mittit Vitigi, pollicitus pacem ex arbitrio Imperatoris. Gotus Francorum auxilia magnifecit, ſed ęquas cōditiones à tam fortibus ſeruandas non putauit. Itaq; omiſsis Francorum auxilijs, ad Imperatoris pacem protinus inclinauit. Interea Rauennæ publica horrea conflagrabant, maximum deſperandarum rerum monimentum. Id à cœleſti igne, aut à facino-

Goti amittunt naues in Pado.

Incendium Rauennæ.

à facinorosis, aut à submissis, aut Reginę technis, quę ab initio Regem oderat, factum sit: incertum erat. Goti de hostibus, ut fit, malè suspicabantur. Intereà foris non melius res gerebãtur. Nam Goti Alpini inclinabant ad Imperatorem. Et erant, qui Ildonadum, unum ex Ducibus Transpadanis, Regẽ dicerent. Ille ad pedes Bellisarij, fertur à quibusdam, insignia deposuisse: pollicitum, si ille Rex Italiæ esse uelit: se cum omni gente illi pariturum. Sed Bellisarium non auscultasse. Venerant interim ab Imperatore Senatorij Legati, de pace componẽda. Summa autem pacis ineundæ hæc fuit: ut Transpadanam prouinciam Goti tenerẽt suo iure: reliqua Italia cederet Imperatori: dimidium Regalis auri in ærarium mitterent publicum: reliquo gauderent. Has leges auersatus est Bellisarius. Nam plenam Gentis uictoriam in manu se habere arbitratus est. Itaq; subscribere noluit. Goti nisi ille subscriberet, nihil actum esse rati, persistebant. Crescente ergò fame in urbe, perseuerabat oppugnans Bellisarius: superbissimè contemnens scita Imperatoris sui. Extrema perurgebat inedia: deditur Rauenna. Vitigis Rex cum Proceribus mittitur Constantinopolim. Ipse Bellisarius, cùm essent constituti, qui pro Imperatore regerẽt Italiam: domum iam post añum quintum ex quo uenerat in Italiam: uictor Gotorum, uictor Italiæ, redibat ad triumphum. Rauenna deditur.

ALBERTI KRANTZII Chronographi Hamburgensis, Rerum per Gotos gestarum, LIBER IIII.

¶ Auaricia Imperatoris, & suorum Procerum effrænis licentia in Subditos, Gotos incitauit, ut Regem sibi rursum deligerent.

CAPVT I.



IAM IMPERATORII IVRIS ERAT ITErum Italia. Goti uiribus exhausti quieuerunt: manusq; uictori tradiderunt. Mansissetquè res eo diu statu: si ea uirtute prædití fuissent, quos reliquit gubernatores Bellisarius, qua fuit ille. Sed defuit humanitas: defuit Militaris rei disciplina. Vnum erat studium exsatiandę Auaricię Imperatoris: nec priuatarum suarum quisq; rerum immemor fuit. Exhaustæ urbes ære promisso Gotis: exacta ratio ab omnibus, qui per tempora Gotorum in administratione aliqua fuẽre. Tanta sæuitum emunctione pecuniæ, ut omnes Gotorum imperia, etiam Itali rursum inuocarent. Nec melior erat rerum ratio in exercitu Imperatoris. Stipendia malè, & auarè soluebantur. In ærarium, & in Marsupia quisq; Auaricia Præfectorũ & Imp.

ſua cũcta cõgerebant. Iam rapinæ, iã hoſtica oĩa in pace maiora fuêre, quàm bello. Iam ſanctimoniam, quam Belliſarius præferebat, ut ne poma in arboribus pendentia, à militibus decerpere pateretur, cuncti requirebant. Quam rem cùm Goti perſentirent: erexere animos: & in rebellionẽ reſpexerunt. Regem creauere: conſtitueruntq́ Vraiam Ducem, bellicæ rei ſcientiſsimum. Sed ille honeſta ſe ratione retraxit: afferens indecorũ ſibi uideri: Regnũ aſſumere, uiuẽte adhuc patruo Vitige. Approbata uerecundæ recuſationis legitima ratio: delatumq́ Regnũ ſe autore, Ildonado. Is erat inter Tranſpadanos Dux clariſsimus.



¶ Ildonadus Rex eligitur à Gotis: quorum rem mirabili uictoria adauxit. Vraiam morte perſecutus, & ipſe à cuſtode corporis ſui trucidatur. Caput. ij.

Ildonadus Rex.

ILDONADVS inter relictos Gotorum Duces, uir magnæ autoritatis, & qui Veronę diu eſſet dominatus: inde euocatus Papiam, omnium uoluntate Procerum Rex conſtituitur: purpuramquè indutus, cogitare iubetur, de totius gentis non modò ſalute, ſed etiam prouectione. Vehementer enim deiecta, & uiribus exhauſta erat. Is nomini & dignitati creditę, facturus ſatis: omnes Gotorum & Italorũ, qui conſenſerant, uires & arma ad diem Papiæ iubet conuenire. Initio quidèm paucos exercitus: & qui facilè ab Imperatorijs contemnerentur: ſed propè diem etiam atq́ etiam adauctæ uires, in eum modũ inſtructæ ſunt, ut contemni non poſſent. Adiuuabat, ut diximus, uehementer Gotorum partes: acerbitas exactorum, & auaricia Imperatoris, cum ſuperbia Auguſtæ Theodoræ: quę pro arbitrio, muliebrem, ut ferunt Imperatorem, in quam uoluit partem facilè flexit. Itaq́ milites pariter, atq́ Itali, tantis iniurijs impulſi: ruinam Imperij facilè affectabant. His creſcens in diem Ildonadus: omnes trans Padũ, omnesq́ Veneticæ regionis urbes, in poteſtatẽ recepit: & Italorum, Gotorumquè multitudine, exercitus eius cõpletus eſt. Quamobrem haud multò poſt educere in aciem, ac fortunam pugnæ tentare non dubitauit.

Ildonadi uictoria.

Prælium hoc non procul à Taruiſio fuit, aduerſus Vitalem: qui unus erat ex Iuſtiniani Ducibus. Victorq́ Ildonadus, tanta ſtrage Vitalis exercitum concidit: ut uix Dux ipſe cum paucis euaderet: reliqui omnes aut interficerẽtur à Gotis: uel captiui ducerent̃. Ea uictoria & magna, & clara: mirabile, quantum Gotorum animi creuere: quantumq́ fractæ ſunt aduerſariorum uires: non ſolùm trans Padum per Galliam & Venetias, uerùm etiam ab Romana urbe citra Padum Gotorũ partes confirmarentur: nomenquè Ildonadi celebre fieret apud Imperatorem, aliasq́ nationes. Nec multò poſt Vraiam, maximũ inter Go-

Vraię mors

tos uirum, Ildonadus Rex perſequitur: & ad mortem uſquè perduxit.

Quæ

Quæ res & genti discrimen, & capiti illius ruinam importauit. Suspicionem prætenderat Rex, quòd cum hostibus is Dux sensisset. Reuera autem, ex motibus processit multorum. quòd inter Reginam, & uxorem Vraiæ, quæ illum penè locum habuisset, contentiones essent. Accessit, quod Regi suspectus esset, tantus hominis & nobilitate, & uirtute conspicui potentatus. Mortem Vraiæ permulti Gotorum improbarunt. Cuius causa Ildonadus ipse Rex, à Builla uno ex custodibus corporis sui, dum exhiberet Proceribus conuiuium, fuit occisus. Mors Ildonadi Regis.



¶ Araricus quinquè mensium Rex, & ipse à suis interfectus est. Caput. iij.

ARARICVS illi in Regnũ fuit suffectus. Quod uix mensibus quinquè tenuit. Nam & illi in sua gente, nullis rebus magnis gestis, fuit interfectus: ita ut intra biennium duo Reges occiderentur. Iniquo tempore Goticæ genti: quando non Reges, aut Proceres de medio tollere, sed alios etiã introducere, res prostrata uidebatur poscere. Sed quid facies Genio populi ferocis? quem necdum amisit: nec potuit sub miti cœlo tanto tempore demorata, mansuefieri. Mira res, tantum ualere, & tam diu durare in posteritate, nociuam illam uim, quam sub Boreali cœlo antiqui retrò partes extulerunt. Araricus Rex.



¶ Totilas Rex creatur. Veronam Imperatorij Duces molestant, proditoriè portam occupantes. At à Gotis repulsi, pœnam luunt. Caput. iiij.

TOTILAS, qui & Baduilla, Regnũ deinde promeruit, uir malo Italiæ natus: & sub quo labores prisci renouarentur. Nam ut ad Regnum perueniret, sic se res habuit. Ildonado Rege interfecto, Baduilla nepos sibi timens, in Taruisio ciuitate Venetiarũ, quam paterna hæreditate obtinebat, sese cœpit continere. misitq; clam Rauennam, & cum Iustiniani Ducibus pepigit, ad eos transire. Interea Goti pœnitentia ducti, quòd Araricum Regem creassent, hominem nequaquam tanti, ut Gotorum gentem, aduersus tantas hostiũ uires defendere ualeret, ad Totilam Ildonadi propinquũ respicere, atq; illum Regem optare cœperũt. Quare cùm de ipsius Totilæ cum Iustiniani Ducibus, fœdere rescissent, tandem in maiorem salutis suæ adducti consyderationem, Ararico de medio sublato, Totilam ipsum Regem creauerunt. Cognouerat interea Iustinianus ea, quæ in Italia cõgerant, & Ducum suorum imperitiam increpauit quod in tantis hostium discordijs, tantisq; motibus, ipsi opportunitatem rerum agendarum nacti, nihil peregissent. Quibus increpationibus moti Duces, Rauennæ simul omnes conuenerunt. Ibi cum de inferendo bello consuleretur, Totilas Rex. Socordiam Ducũ Imp. culpat.

placuit ante omnia, ad urbem Veronam ducere: cuius capiendæ ſpes aliqua offerebatur. Erant uerò hi Duces undecim: quorum præcipui habebantur, Conſtantianus, & Alexander: in Italiã nuper à Iuſtiniano miſſus, ad pecunias colligendas. Profecti igitur cum ingentibus copijs, ubi Veronæ propinquarũt: ſpem dudum ſibi præbitam experiri ſtatuerunt. Erat enim Martianus, uir quidã domi Nobilis, caſtellum habens non procul à Verona: is quia partes Imperatoris animo præferebat: cuſtodem unius portarum ad exercitũ Imperatoris recipiendum induxerat. Re igitur arcanè compoſita: cũ eó perueniſſet exercitus: pręmittitur Artanades Armenius, cum manu delectorũ militum, qui portã ante capiat: & reliquum exercitũ pręſtoletur. Nihil præmiſſorũ hoc loco defecit. Nam intempeſta nocte, cùm ad portã ueniſſent milites: proditor aperiens, intra urbem eos accępit. Illi portã ingreſsi, mœnibus quoq; ſuper eam captis, exercitui ſignificarũt. At Goti ſentientes hoſtes eſſe in Vrbe: per diuerſam portã aufugerunt. Duces uerò captam à ſuis portam audientes: iter quidèm ſtatim ingreſsi ſunt. Sed antequam ad urbem uenirẽt, de præda inter ſe diſceptantes, quinque milia paſsis ab urbe conſtiterũt. Inter hæc dies eluxit. Arx eſt Veronæ urbi ſupereminens: ex qua intra & extra urbem proſpectus eſt, Goti igitur, qui in Arcem refugerant: cernentes paucos intra urbẽ hoſtes; exercitũ uerò extra urbem manere: necdum mœnibus appropinquare: ſubitò ex Arce impetu facto, urbẽ peruicerunt, & portam quæ tenebatur ab hoſtibus, receperũt, atq; clauſerũt. Milites uerò qui per noctem fuerant ingreſsi, partim oppreſsi ſunt: partim ad mœnia confugiẽtes, deſuper repugnabãt. Venientes aũt paulò poſt Duces, cùm clauſam portã repperiſſent, quanquã intus eſſent milites, qui eos uocabant: ac ne ſe deſererẽt precabantur: tamẽ eueſtigiò abierũt. Militũ uerò pars ſe muro demittẽs, euaſit. Quorum de numero fuit Artanades eorũ Præfectus. Cæteri uel capti, uel interfecti ſunt. Per hũc itaq; modum, prauitate et auaricia Ducũ, res apud Veronam nón proceſſère.

Vincũt Goti, Veronæ.

¶ Totilæ exercitus longè minor, maiorem Ducum Imperatoris fugat, ſuperat, cædit, capit. Duello certantes, ambo cadunt. Caput. v.



OST hæc Iuſtiniani Duces, quando cæpta Veronæ flagitioſè, turpiterq; euaſerant: diſcordes inter ſe, & alijs alij ſuccedentes, ex his locis abierũt, tranſmiſſoq; Pado amne, Placentiam ſunt profecti. Totilas Papiæ per id tempus degebat. Cognitoq; hoſtium aduentu, quaſcunque potuit copias properè contraxit. Duces inter hæc ultra Placentiam progreſsi: ſecus ripam Padi amnis caſtra faciebant. Totilas autem, quanquam foret admodum impar, tamen cum

men cum his quas habebat copijs, obuiã illis exire, & fortunã pugnæ experiri cõstituit. Cùm igit̃ in propinquo essent castra: ac pugna decernere utrisq; placuisset: Totilas per noctẽ partẽ exercitus præmisit. Quibus iussit: ut uiginti ferè stadijs ultra hostiũ castra Trebiã flumen transirẽt: & cùm pugnari cœptũ esset: hostem à tergo tumultu quàm maximo possent adorirentur. Ipse uerò cùm tempus uideretur, in hostes duxit. Idem fecêre Iustiniani Duces. Erat ante aciẽ Totilæ uir Gotus, nomine Valaris: qui equo insigni uectus, ipse quoq; insigniter armatus, in singulare certamen oẽs prouocabat. Aduersus hunc, ceteris obsidentibus, Artanades Armenius (cuius in ingressu Veronę mẽtio fuit) prodijt. Spectantibusq; utrinq; aciebus concurrerũt infestis, sese cuspidibus petentes. Armenius Gotũ dextro latere hasta transfixum occidit. Ipse uerò in hastam interfecti casu hęrentẽ solo, ui atq; impetu adactus, cuspide trãsfigitur: ruptoq; thorace uulneratur. Ex quò uulnere mox die tertio interijt. Acies simul congressę, præliũ acerrimum inierunt: omnisq; ferri experientia in eo certamine uersabat̃. Stabant utrinq; uiriliter certantes. Æquata pugna satis uidebantur: cùm magno clamore irruentes Totilæ, quos pręmiserat equites, maioris agminis specimen prætulerunt. Igitur ante & retrò oppugnati Duces: primo trepidè, inde effusa fuga sibi consuluerunt. Cæsi, captiq; multi. Inde clarior Totilæ uictoria, quòd dimidia uix parte militum, aduersus maiores duplo copias audebat confligere.

Stratagema.

Cadunt ambo Duello certantes.

Vincit Totilas.

¶ Totilę successus prosperi narrantur, in deditionibus urbium, regionum item, & hostium timore. Caput. VI.

INDE in Etruriã ultrò mouentes Goti, urbes aliquot spontè deditas accæpêre. Alijs intulêre terrorem. Iustinus ex Imperatorijs Ducibus unus, qui pugnæ interfuerat: audiens uenire Gotos, Florentiã se recepit: obsidionẽ, quàm pugnam sustinere malens. Sed cùm non satis essent comeatus prouisi: famẽ ueritus, Rauennã misit ad consortes: ut obsesso sibi ferrent auxiliũ. Illi non segniter exercitum expediuêre: qui Gotis in Etruria opponeretur. Goti cõperto, uenire hostiũ maiores copias: se ad pugnã opportunis locis, ab obsidione discedentes, parauêre. Qui uenerãt Duces alio itinere ingressi Florentiã, post colloquiũ de gerendo bello, exeũt: prælio cum Gotis certaturi. Præmittitur ex eis unus cùm expedito agmine, qui fortunã pertentet. Moles ipsa exercitus insequitur. Goti uisis hostibus, nõ distulere pugnã. Acriter concurritur. Et cùm splendido loco quidã ad latus Præfecti Imperatorij cecidisset, creditũ est, ipsum cecidisse Præfectũ, et fuga inde intentata, cùm uenissent ad exercitũ suũ, maiorẽ in modũ tumultuatum est. Additoq; illis timore, Duces in diuersum dissipati,

Vincunt Goti.

Gotis in conspectū non uenêre: nec diu post unum in locum coierūt. Totilas deinde Rex arma circumtulit per Flaminiam: urbes pactionibus, aut armis cœpit. Inde in Etruriam, similē uictoriæ cursum habuit. Transmisso Tiberi, mouit in Vmbros. Inde in Campaniā. Beneuentum urbem captam, mœnibus spoliauit. Inde duxit in Neapolim. Quam obsedit: quia portas clausit, non tamen oppugnauit. Misit partem copiarum ad uicinas urbes recipiendas: in quibus magnā pecuniarum uim consecutus est. Mulieres Romanas nobiles hac in regione inuenit: quas honesto comitatu suis remisit: gratiā comparās. Nullus autem Dux partes Imperatoris in ea prouincia curabat. Inde Lucaniam, Apuliā, Calabriā per Duces suos, mira celeritate recepit. Et inde Græcis ductoribus, nulla in reliquum pecunia prouenit. Quæ res eó deducta est: ut milites nullis stipendijs præmiati, neq; exire in expeditionem, neq; domi magnoperè contendebant, sed uersi ad amicorum rapinas, omnia perturbauêre. Inde & Duces, clausis urbiū suarū portis, quas adhuc tenebant, soli custodiæ incubabāt. Ioannes Romæ, Cyprianus Perusij, Iustinus Fesulis, Constantinus Rauennæ.



¶ Neapolis obsidetur à Totila. Demetrius nauali bello isthic superatur & repellitur. Vrbs Regi Gotorum deditur: cuius mira in hostes humanitas & iustitia declaratur. Caput. vij.

NEAPOLIS durius inde cœpit obsideri. quando nemo prodibat ad ferēdas suppetias. Prouiderat enim Totilas: ne mari, aut terra quicquam importaretur. Certumq; fuit, urbē in manus Gotorum uenturā breui, si nemo tueretur. Imperator Præfectum Prętorio misit cum classe Italiæ subsidio. At is uir bonus, militię autem non satis peritus, tēpus protrahebat. Demetrius, qui sub Bellisario diu militabat in Italia, iubetur in Siciliā nauigare, & inde rebus Italiæ consulere. Is ad omnia gerēda promptissimus, excogitauit terrere Gotos. Omnibus quas ex Sicilia contrahere potuit nauibus, in classem comparatis, milites suos diuisit. ut speciem magnæ classis præberet. Nauigabat in conspectu Gotorū, & uidentes irritabat: obsessos autem recreabat. At ipse conscius paucitatis suorū, adnauigare nō ausus, Romam contendit ut impositis ibi militibus: iusta classe ornata, Gotis occurreret. Sed qui Romæ erant milites, bis prælio uicti à Gotis, inscendere recusabant. Inde cum solis quos eduxerat, ire in hostem cogitur. Verùm Totilas iā in portu Neapolitano naues habebat uelocissimas, & quæ satis uidebantur superueniēti ab urbe Roma Demetrio. Igitur primæ incurrunt, & Demetrij classem inuadūt. Vana magnitudinis ostentatio euanuit. Aparuit pugnantiū in magna classe raritas. Nec mora, capiuntur

piuntur onerariæ cum cæteris. Demetrius cum paucis cedens in lembos, euasit. Captæ fruges, ditauere Gotos. Capti milites, qui cædi superfuerant. Sed non diu post, Maximinus quem diximus Prçfectũ Prçtorio, cum copijs & frugibus peruenit in Siciliam: & eadẽ qua prius ignauia rem differebat: non ausus se hostibus obiectare. Superuenêre Imperatoris minæ: & pro illo, Demetrium præfecit classi. Hyems erat: nec poterant imperare nauigantes uentis, quo minus detruderentur in loca ab Gotis occupata. Ibi capiuntur naues cum militibus. Demetrius in uinculis producitur in conspectum urbis: ut concionetur ad populum. Vocatus Conon Præfectus, cum militibus & ciuibus. Ibi Demetrius. Nullam esse expectandam illis opem de proximo, testatur: Videre ipsos, quo in statu res sit. Cedendum necessitati. Ibi miserabilis Ciuium facies: ora macie pallida, luctum & extrema prçferebant. Totilas alloquendos ciues putauit. Testatur: nulla se ira, aut indignatione percitum uenisse ad obsidendam urbem: magis autem, ad referendam populo gratiã, ex iugo seruitutis erepturum adesse. quòd egregiam fidẽ ad extrema Gotis seruassent: & nunc eodem se manere animo. Erubescere magis se: quòd populo tam fido genti suæ, ea mala, quæ necessitas habuit, intulisset: non se ultionem, sed magis beneficia ab illo prestolari Neapolitanos, iustum fore. Militibus non irasci: si secum uelint stipendia facere. sin saluis rebus abire, liberum cuiq; esse. Tanta regis benignitas, recreauit angustatos. Orant triginta dierum interualla. quo si nullæ ueniant auxilia, honestior fiat deditio. Ille non solùm hoc, sed ter. xxx. daturum respondit. Mirati tantam in Rege benignitatem: cùm certi essent, nulla superuenire auxilia protinus se dediderunt. Ingressus ciuitatem, mira in tali Rege uisa est humanitas: ut curarit fame confectos per momenta reficere: positis custodibus, qui ad mensuram largirentur. ne se cibo post longam famem obruerent. Cononi Præfecto, cum militibus abituro, naues præbuit. Cùm autem diu uentus demoraretur: eandem prorogauit securitatem. Sed cùm nec sic nauigare possent: terrestri itinere abituris iumenta dedit, & commeatus: iunxitq; Gotos, qui securos deducerent. Interim miram in suos disciplinam exercebat. Raptori pœna erat mors: & bonorum amissio: quæ iniuriam passo dabantur. Contra, nihil erat miserius Italicis Imperatori parentibus: qui à militibus Imperatoris intus, ab hostibus foris premebantur.

Demetrij classis superatur.

Classis altera capitur, cum Demetrio.

Totilæ oratio ad populum.

Neapolis Totilæ deditur.

Totilæ humanitas & iustitia.

Lex Totilæ militaris.

¶ Bellisarius à Persia reuocatur in Italiã. Cui Totilæ fortuna obstat: obtentis passim urbibus, etiam à resistentibus.

CAPVT VIII.


MPERATOR de his certior factus, in Bellisariũ iterum respexit. quod cęteri ne seruare quidem possent, quæ acceperant. Hic medio tempore in Cosdroem Persarum Regem (& ut alij ferunt, Parthorum) bella gerebat: quibus non satis benè finitis, in Italiam iterum conscribere milites, iubetur. Thraces ad quatuor milia conscripsit. Cũ his enauigans Salonas: præmisit ex Præfectis, qui Hydrunto Calabriæ ciuitate, diu à Gotis obsessæ, fruges importaret. Goti negligentius obsidebant, quòd neminem adesse putabant: omnibus ad sua uota fluentibus. Aderat Valentinus improuisis, & quod iussus est impleuit. Milites recentes pro exhaustis imposuit: Comeatus in annum dedit: & ad Ducem suum reuertitur. Inde Bellisarius Rauennã nauigauit. Per omnem aũt Italiam cuncta spe sua deteriora cõperit. Milites nullis stipendijs præbitis inuitos: Prouinciales exhaustos. Igitur optimũ Ducem, & incomparabilẽ, quòd nullas pecunias, & exiles copias adduxisset: concionantẽ Rauẽnæ non libenter aut ciues, aut milites audiuêre. Statimq; aduentus illum sui pœnituit. Totilas autẽ Rex ubiq; prosperatus, Tibur facile accæpit: propter ciuiũ dissensiones. Quæ res Romanis difficultates importauit. Solis enim xvi. milibus passuum à Roma distat. Inde Anxinum, mouens in Picentes, obsidet. Bellisarius autem unum ex Ducibus Bononiã misit cum satis ualida Illiricorum manu. In urbe recæptus, deseritur ab Illiricis, spontè domum abeuntibus. Quòd dicerent: suos Domi ab exactoribus tributorũ angustiari. Bellisarius Anxino supplementa misit tria milia equitum. Venientes ingressi sunt. Sed cùm nocere hostibus non possent: & essent socijs onerosi: ad Ducem redierunt. In itinere passi incursionem hostiũ, aliquot cohortes amiserunt: cum uestibus & impedimentis, quæ muli portabant. Fanum & Pisaurum urbes ad littus Adriaticum, superiori bello communita, Bellisarius instaurat. Goti impedire conati, præueniuntur: mirati, tam paucis diebus rem tantam esse peractam: cùm nusquam prodiret Bellisarius ad pugnam, pro suorum paucitate. Goti quoquè sedere otiosi nolebant Asculum, & Firmum oppida in Picentibus circumsedere. Obsessi opem implorantes, cùm non acciperent: cessere Gotis. Intereà Bellisarius misso ad Imperatorem nuncio, ostendit Italiæ statum: supplementis, & pecunia opus esse. Quæ cùm non satis promptè mitterentur: non se mouit loco, tantùm seruandis urbibus operam impendit. Intereà Goti in Vmbriam mouentes: Spoletum aliquandiu defensum, cùm nemo succurreret, deditũ accepêre. Assisium se defendit. Occiso Præfecto, tanti uiri solatio destituti ciues, nec de proximo auxilium sperantes, cessêre uictoribus dediti. Apud

Totilæ successus prosperi.

Apud Perusiam cùm fortissimè defenderetur à præsidio, & cùm Præfectum eius Cyprianum, nullis ujs, neq; promissis, neq; armis potuit superare: obærato quodam ex militibus eius, curauit occidi. Sed milites persecuti parricidam, urbem tuebantur. Igitur frustratus ibi Totilas: nec tempora perdere uolens, duxit Romam.



¶ Roma à Gotis obsidetur. Excursionibus Romani uincuntur. Frumenta è Sicilia aducta diripiuntur à Gotis. Legatio Romana nihil agit. Caput.ix.

VRBEM Romam iterum obsidere uenientes Goti, satis firmum inuenêre ibi militum præsidium. Præfectus erat Bessas: & cum illo Conon Neapoli nuper emissus, cum non contemnendo supplemento, quòd nuper miserat Bellisarius. Totilas autem inprimis curauit: agrestibus & ruricolis nullã inferri molestiam, ab initio in finem usq; suæ gubernationis. Militum non contemnenda cohors urbs egressa cũ Præfectis, castra metantes, Gotos lacessunt. Orta est pugna. Et primò cedere Goti uisi. Inde ubi incaluêre brachia: multis cæsis, minor pars ægrè in Vrbem retruditur. Inde famis timor, quòd classem Totilas teneret in mari, eam quam habuit ad Neapolim. Et in ipso Senatu facta proditionis suspicione, Cetheus uir primarius pellitur Centumcellas. Bellisarius autem Portuensi urbi præsidium immisit. Qui egressi in mare, classem uexabant: multumq; per uices commeatum importari procurauerunt. Sed dum illis audentius inuehuntur, à maiori numero opprimuntur. Qua occasione Onerariæ, quas frugibus onustas misit Sicilia Romam Papa Vigilius, ibi exulans: ex itinere quod accæpit in Constantinopolim pausans: intercipiuntur à Gotis, & crescit fames in Vrbe. Interea manus Gotorum alia, iubente Rege, Placentiam urbem ad Padum obsedit: quæ sola eius Prouinciæ in fide permansit Imperatoris. Bellisarius opem ferre uolens, & urbi Romæ, & Placentiæ, copias tantas non habebat: & erat terrificum, cum parua transire manu per Prouincias, quæ Gotis paruerunt. Igitur ipse disposito Rauennæ satis firmo præsidio, nauigauit Dirrachium. ut exciperet ibi nouas copias ab Imperatore uenientes. Interim captis frugibus, quas Papa submiserat: extremæ famis metus urbem præmebat. Ciues Pelagium Diaconum, multa pietatis opera exerentem, in ea calamitate adoriuntur: rogantque, ut Legatione suscæpta, ad Totilam Regem paucorum dierum inducias oret: intra quas si nullum sit obsessis auxilium, futuram deditionem. Suscæpit ille ciuium præces: & exiens Regem uoluit conuenire: iam scientem ex transfugis, quis esset rerum status in Vrbe. Volentẽ exponere mandata, Rex præuenit, graui oratione increpans Romanorum

Lex laudabilis.

Vigilius Papa.

Legatio Rom. ad Totilam.

Romanorũ ingratitudinẽ. quod nulla apud eos esset memoria benefi ciorũ ab Rege Theodorico, & in omni gente. Nullũ se audire Legati onis uerbũ: nisi Romani æmolitis mœnibus, se in fidẽ uictoris permit tant: accæpturi leges, quas uictor imperauerit. Pelagius audita sæueri tate, constanter respondit. Quandoquidẽ inquit Rex, uocẽ Legati au dire nõ sustinuisti: sed præcidisti omnẽ colloquij uiã, ad Deũ confugi mus: q solet superbis resistere. Hæc fatus, e uestigio in Vrbẽ reuertit.



¶ Romam nouis copijs Bellisarius contendit. At Totilas uiam illi obstruit. Ceduntur interim Goti apud Dirachium, oppido amisso. Caput. x.

CIVES autem cernentes re infecta redijsse Pelagium, miserabiliter animis conciderunt: incerti quo se uerterent. Statuerunt tamen, extrema omnia pertentare, prius quàm se cru delissimo hosti permitterẽt. Passi sunt hac fame infanda. Interea uenerant à Constantinopoli nouæ copiæ Dirachium ad Bellisarium: sed non quantas res poscebat: maiores autẽ Vere aspirante missurus Imperator, gentes ad Danubij ripas incolẽtes præmisit nuncios. Iam in Concilio apud Duces uertebatur: quis rerum gerendarũ ordo esset. Omnes Romam ex difficultatibus eruendã censuerunt: at qua id uia fieret, sententiæ discrepant. Erant quibus uideretur, toto agmine per Calabriam et Campaniam eundum Romam. ne in partes discissæ copiæ, minus hostibus obstarent. Bellisarius eam probauit sententiam: si non diuturna Romanis expectantibus mora esset. Sciebat famis angustiam, suorum ad mare interitum, ademptionem frugum de Sicilia missarum. Itaquè quàmprimum Romæ subueniendum. quòd quinta die portum, flantibus uentis, teneret: per terram uerò nimis longinquum, & itinere ipso, & hostium incursu uidebatur. Itaquè classem suam appulit Hydruntum. Goti obsidentes, cessêre maiori agmini, transeuntes itinere duorum dierum usq; Dirachium: quàmprimum significantes Regi suo, uenisse Bellisarium cum nouis copijs (ut ipsi rebantur) inde terrestri itinere ducturum Romam. Quod cùm audisset Totila: statim se præparauit magnis uiribus, obuiam proficisci. Vbi uerò cognouit à mari uenire, totum se ad resistendum iuxta urbem apparabat. Et ut Tibris innauigabilis fieret, ubi maiores artant fluuium angustiæ, ibi pontem instruit, catenamquè grandem uenientibus à mari opposuit. Ad extrema pontis turres ligneas, firmis præsidijs locauit, ut aditum obstrueret uenienti. Et Bellisarius quidèm nauigans, tenuit cum classe portum. Ioannem unum ex Præfectis cum equitatu Hunorum fortissimo, misit itinere terrestri. Qui in prouisos Dirachij Gotos adortus, fudit, oppidumq;

Pons supra Tibrim.

Cadunt Goti.

dumq; cœpit. Inde quartis castris Canusium uenit. Ibi ex Lucanorum primoribus offendit hominem, qui Græcorum iniurias in Lucanos, Brutiosq; ostendens: coactos populos defecisse contendit iterū ad Gotos: facilè redituros, si clementiā cū benignitate Dux illis monstraret.



¶ Lucani & Brutij Imperatori se dedunt. Ad pontem Tiberis fortiter pugnat Bellisarius, igne immisso. At Isaac Præfecto capto, cedit. Caput. xi.

TOTILAS id comperiens: expeditum è suis equitatū Capuam quàm occultissimè ire iubet: à tergo adorturū copias Bellisarij equestres: cætera sibi curæ fore. Ioannes ubi intellexit Gotos in insidijs latere: timēs, deflexit ex itinere in Brutios, Lucanosquè: & Præfectum Gotorum ibi manentem, prælio aggreditur. Funduntur plurimi, cęteri cum Duce suo deduntur Ioanni. Quo uiso, Lucani, Brutijq; statim ad Imperatorem rediere. Bellisarius autem accusabat, Ioannis tarditatem condemnans. quòd nō cum Gotis, qui Capuę erant, congressum instituisset. Igitur destitutus eo consilio, cùm tantas copias nō haberet: ut fideret terrestri itineri, per Tiberim statuit introire Romam cum cōmeatibus. Bessę in Vrbe Pręfecto mandat, ut propè diem parato agmine, hostes distineret, quo sibi tutior foret aditus. Ad rumpendū pontem, & expugnandū hæc excogitauit. Rates duas ferreis rostris munitas, tignis iunxit, & sup utramq; turrim erexit sublimiorem quàm essent ad pontem. Inde dromonibus fruges imposuit, armauitq; fortissimo milite. Reliquam multitudinem per ripam naues trahere, & ad pugnam stare præcepit, ipse in unam ex dromonibus aderat. Goti se nusquam ostentarunt, donec ad catenam perueniretur. Ibi se opponunt transeuntibus. Sed uincuntur. Itaq; catena sustollitur. Goti se ad suos recipiunt. Cùm ad pontem peruenitur, Goti fortissimè dimicant ex turribus, & Pontis subsidijs. Ibi Bellisarius de sublimiori sua turri, uas piceum incēdit, proiecitq; in turrim Gotorū. Quæ ipsam cum Gotis incendit non minus ducentis. Iam propè erat, ut uictores Græci Pontem rumperent. Reliquerat autem Bellisarius ad urbem Portuensem in dextra fluminis uxorem cum suppellectile uaria, & pręfecit cohorti Isaacem, qui tueretur. Ad primum autem incendiū turris, nuncius uolitabat in portum: Bellisarij prospera nuncians. Tùm Præfectus Isaac uolens & ipse cumulare gaudia uictoriæ, cū militibus amne trāsmisso, Gotos lacessabat, & primo quidē impetu fugatos exterruit. In se aūt uersi, Isaac Pręfectū, cū multis cœperūt, nonnullis antè cæsis. Huius infelicitatis nuncius uenerat Bellisario anteq; pontē expugnaret, ueritusq;, ne in periculo uxor, cū omni suppellectili esset, omissis ad pontē rebus, aduolabat. Vbi uidit salua esse omnia

Vincuntur Goti ante pontem Tibris.

Isaac capit.

in Portuēsi oppido, comperit & uictoriam pulchram de manibus ex- tortam, & casso se timore territum.



Romanorum fames horrenda, Totilas proditione Vrbem ingreditur, & obtinet. Parcit tamen populo Pelagij diaconi intercessione. Caput. xij.

INTEREA Romæ intolerabilis fames. Equi, muli, asini consumpti: ad canes, et mures uentum erat. Fecerat hanc pertinaciam, & proxima Bellisarij, sed frustrata expectatio: & irati Regis in Romanos indignatio. Multi fame intra domesticos parietes interierūt. Alij herbas, & herbarum radices, etiam bestijs intactas, desyderauêre. Quatuor erant ad portam Asinariam Isauri milites: qui proditionis consilium inierunt, demissi per funem Totilam adierunt, ostendentes capiendæ Vrbis uiam. Mittit cum illis è suis, qui consyderent. Quibus uidentibus, Isauri per funem reascenderūt. Totilas armatum exercitum ad se iubet conuenire, pręmittit qui ex condicto per funem ascendant. Illi protinus ut conscenderant, ad portas demissi, securibus aperiunt, exercitum Totilæ intromittentes. Continuit aūt cùm esset ingressus, exercitum in ordine ad portas, donec dilucesceret. Romam esse captam, rumor urbem peruolitat. Fœda & misera ubiq; fuga per diuersissimas portas. Alij in templa confugiunt. Alij domibus occluduntur, morituri in penatibus. Sæuit ubiq; gladius. Sternuntur obuij sine discrimine ætatis, sexus, cōditionis. A Laterano per Vrbem Rex ibat uersus S. Petrum. Ad latera eius stillantes sanguine gladij. Ad Vaticanū occurrit Pelagius, sacris indutus, Euangelia Christi baiulans, & genubus nixus, misericordiā implorabat. Num tandem inquit Rex, Pelagi, uenis supplicatum? Ille refert. Quando superna Maiestas te mihi, populoq; dominum imposuit, supplicare pro hoc grege populi nō erubesco. Parce, miserere. Motus Rex, iussit gladios recondi, neminem ex hoc iugulari, matronas forè intactas. Prædam rerum Militi permisit, corpora libera esse mandauit. Non erat Gotis leue Totilæ Regis edictum. Sciebant sæueritatem eius in disciplina militari. Itaq; interdictis abstinuêre, solis usi permissis. Inde cōuersus ad suos. Videte inquit rerum fluxam conditionem humanarum. Cernite fortunæ mutationes. Paucis ante nos annis, Ducenta Gotorum milia, septem milibus expugnauit & uicit Bellisarius. Ego non totis quatuor milibus, uiginti Græcorum milia superaui, & iam Vrbem Romani orbis quondam dominam, sub pedibus tenemus. Proinde non superbiendum nobis, sed DEVM præ oculis habentibus, fortunæ mutationes extimescamus.

Proditores Vrbis.

Roma capta.

Totilas ad suos.

* * *

13.

Roma-



¶ Romanos Rex Totila ingratitudinis uitio arguit. Legatos mittit ad Imperatorem cum mandato satis duro. Caput.xiij.

INDE uocatis Romanis, grauiter illos cōarguit: quòd bonorū ab Gotis immemores: cùm Theodoricus Odoācrem tyrannum illis abstulisset: tributis liberos, omni honore affecisset. Nulla ab Gotis affecti iniuria, tam facile ad Gręculos, à quibus nulla unquàm bona haberent, defecissent: qui nullis rebus, nisi emungendis thesauris studerent: Ciuitates sub Gotis liberas, tributis onerarent: uectigalibus præmerent. Meritò illos luisse, liturośq; pœnas tam inhumanę ingratitudinis. Ita sine ulla spe bona Romanos dimisit. Accusabatur illa tempestate Rusticiana, nobilis mulier, uxor quondam Boetij: quòd statuas Theodorici subuertisset. Totilas ubi audiuit: iusto dolore, ob occisos patrem & maritū innocētes uiros, percitam id perègisse fœminam, absoluit. Inde Legatos ad Imperatorem misit: Pelagium, de quo supra, & Theodorum Romanum ciuem. Eos maximis sacramentis obligauit, fideliter mandata peragere: & ad se properanter redire. Summa mandatorum hæc fuit. Si uelit Imperator Gotos habere amicos, fœderatos ad omnes expeditiones bellicas: fidele, magnūquè promptè laturos auxilium: tùm se Romam conseruare, & amplificare paratum. Sin aliud sibi consiliū sedeat: Romam euestigiò euertendam. Neq; enim occupato bellis, eam seruare sit facilè, neq; hosti permissurū ea frui incolumi. Nauigarunt Oratores: & Imperatorem conueniūt: addentes præces cum lachrymis, nisi misereretur ille urbis Romæ, actum de illa. Scire se, Goti Regis sęueritatem. Semel extinctam Romam, secum trahere clarum ibi ortum nomen Imperij. Ille nihil aliud respondit. Esse in Italia Bellisarium: illius arbitrio rem fore permissam. Manebat in portu Bellisarius febre laborans. Ioannes aūt in Lucanis ea agebat, ut & Gotus arma isthuc mitteret, quæ conatibus illius resisterent. Et tamen Romani Legati, cùm hoc quod accęperant, responso abire nolentes: obuios præhensabant, qui apud Imperatorem possent aliquid, ut misericordiam pro Imperij matre impetrarent.

Suetiæ lib. 3. cap. 12.

Totilæ humanitas in sexum muliebrem.

Mandata Totilæ.



¶ Romam Totilas incendio consumit: penitus uacuam relinquens. Calabros, Lucanos, Bruciośq; deuictos recipit. Caput.xiiij.

CVOS penè iam erat annos ibi Papa Vigilius, causam dicens aduersus Imperatricem: de restituēdo Anthemio ad suam sedem, quod pollicitus esset ante Pontificatum. Et ille se tuetur: Non posse sedentem in Petri cathedra aliud, quàm quod iustū sit sentire. De malis promissis se satis penitêre. Et cùm Imperator huic

causæ adhiberet Pelagium: si Papam flecteret. Ille, quo sæpius ad conspectum Imperatoris ueniret, non recusauit, Noluit tamen scelus suadere Pontifici. At quicquid bonus Pelagius cum suo consorte, ad flectendum rigorem Imperatoris, ad comiserationem urbis Romę intenderant, uanus erat conatus. Nihil proficientes, tristes redierunt. Audiens autem Rex Totilas Imperatoris responsa: dubius quid faceret hęrebat. Et tamen negari sibi conspiciens, quæ equissimè poscere uidebatur: consiliũ sumpsit euertendę Vrbis. Auxit indignationem: quòd Ioannes in Lucanis treugas uiolasset. Igitur insurgens crudelitate mirabili: mœnia pro tertia parte solo æquauit. Capitolium incendit: circa forum, & Suburrã, & uiam Sacram omnia conflagrauit. Fumabat Quirinalis mons: Auentinus flammã incẽdijs euomebat. Fragor ruentium domorũ ubiq; audiebatur. Inter hæc incendia multitudo urbana, cum coniugibus & liberis, sedibus patrijs educebantur. ne deplorandi quidem miserias suas libertatẽ habens. Totilas populum ac turbã per oppida Campaniæ dispersit. Senatores uerò & Patricios, obsidum loco circa se retinuit. Roma post hęc cum toto exercitu egressus: eam desolatam penitus, ac uacuã reliquit: ut neq; uir quisquã, neq; fœmina remaneret. Inde Totilas exercitus partem contra portũ collocauit: in loco qui dicitur Algidone. Ne Bellisarij milites quicquã moliri per eius absentiã ualerent. Ipse cum reliquis copijs aduersus Ioannem in Calabros profectus est. Ioañes uerò simul ac Totilã aduersus se uenire cognouit: nõ prius constitit, quàm Hydrunto se recepit: quod est ultimũ Calabrię oppidũ. Itaq; ubi ad eas partes Totilas peruenit: paruo momẽto Calabros, Lucanos, Brutios, præter Hydruntos recepit. Intereà cùm ubiq; Gotis omnia prosperarentur: Spoletũ ab illis defecit. Custodiebatur arx sola. Nã mœnia Totilas euerterat. Arx uerò facta erat ex Amphitheatro, quod antiquitus in ea urbe fuerat. Autor uerò defectionis fuit Martianus quidã Constantinopolitanus: q cùm inter custodes esset, inita cum. xviij. militibus cõiuratione, Pręfectum pręsidij interfecit: arcemq; Bellisario Duci suo tradidit. Tarentũ inde oppidum calabri, non totũ tamen, sed partem eius comminuentes, reparauêre: Inde Totilas omnibus in ea regione Italię oppidis præsidio firmatis, in recuperandam Rauennam cœpit respicere.

Roma incẽdio deuastatur.

Spoletum deficit.

¶ Romam Bellisarius dirutam, breui instaurat occiso Totilæ Signifero, Goti uexillum tutantur. Senatores aliquot Romam remittuntur. Ioannem Ducem Totilas persequitur. Caput. xv.



OMA post Gallorum Senonensium memoriam, nunquam

quàm deserta: nunc ab Gotis euersa, mansit sine habitatore. Sed Bellisarius febre liberatus, consilium quàm occultè cœpit de ea reparanda. Paucosq́ conscios habens: cùm portum modico, sed quod satis uidebatur, præsidio firmasset, Romam mirabili celeritate reparauit: conuulsa mœnia, & oppleta fossata, militum diligentia, ac promptissima utens opera, intra uicesimumseptimum diem, plus in ea muniendа peregit, quàm posset quisquam suspicari. Portas tantùm nullis repagulis firmauit, quòd fabri deessent. Totilas cùm comperisset: omissis rebus omnibus cum Rauenna, aduolauit: nouam molitionem impediturus. Aduenerant iam ante ciues de propinquis oppidis, ad patriæ reparationem alacres. Goti primo statim impetu capere urbem præsumentes: cum cernerent opinione sua munitiorem, ad pngnam accinguntur. Nec segniter Bellisarij milites resistunt, conglobati ad portas, et per mœnia dispositi. Repellunt sępè Gotos. Aliquando ipsi repulsi, retrocedunt. Et pugnam in noctem protrahebant. Peruigiles excubias egere. Vtcunq́ poterant, portas obturauêre. Postera die innouata ad omnes portas pugna, pertinaciter continuata est diu. Con currerant aliquando magnis uiribus. Signifer Totilæ prosternitur. Ibi uerò contentio durissima pro Signo. cùm suum Goti uendicarent: & Romani decus suum cogitantes, nouo ardore ad capiendam instarent. Sed Goti defenderunt. Totilas Tibur, quòd tenebat, redit. At Romani: ne per Anienem incursaret, pontes præsciderunt: & habet ripas amnis ille præruptè altas, & uado est intransibilis, ut difficile fuerit à Tibure Romam incursare. Ad Perusiam deinde à Gotis diu laborãtum est, frustra obsidendo. Ioannes compertum habens, Bellisarium Romæ esse: gratiam inire uolens: Senatores, quos sub Militum custodia Gotus per ciuitates distribuerat, reducere ex oppidis, quorum nulla per Campaniam erant mœnia, contendebat. Et hoc prospiciens Totilas: manum illuc ualidam equitum ire iussit. Sed collatis uiribus: à Ioanne uicti cesserunt. Itaque repertos ibi Senatores, Romam misit. Pręter Clementinum, & Horrestem: quorum alter Imperatoris iram ueritus, alter equos causatus sibi non esse, restiterunt. Maior tamen Senatus pars in urbe Portuensi erat. Ibi recepta, cùm Gotus urbem incendisset, fœminas plures Senatorij ordinis Ioannes remisit. Totilas hæc audiens: relicta ad obsidionem Perusij parte exercitus, ipse cum expeditis magno itinere per Picentes in Campaniam contendit in Calabros: sumpturus de Ioanne uindictam. Conuenerant sub noctem, & collatis uiribus, non multi ceciderunt: sed Ioannes cum suis fatigatus est: & dissipatos milites, in Hydruntum collegit. Splendidum erat hoc Regis factum, pro celeritate magnorum itinerum:

Romã Bellisarius reparat.

Aniens fluuius.

Remittuntur Senatores.

nerum: quæ ipse eques armatus cum militibus confecerat.



Conon auarus, Romæ à militibus trucidatur. Victi Goti, rursus uincunt Græcos. Rusianum illis deditur. Perusiam ui capiunt. Caput. xvi.

IMPERATOR literis quàm frequentibus Bellisarij pulsatus, nouas copias misit peditum, scribens Bellisario, ut illas in Calabria expectaret. Eò nauigans Dux, Cononi Legato urbem Romam commisit. Is auarè annonam uendens: & precium quotidiè augens, suo intentus lucro: à militibus occiditur. Bellisarius copias receptas exponens: equites præmisit in locum pabulo promptu. Quorum pars incidit in Gotorum obuiam manum: quam misit Rex ad Rusianum occupandum, quod Ioannes tenebat. Commisso prælio, Imperatorij superant. Quod cum Rex Gotus acciperet: didicissetque, indisciplinatam Græcorum stationem, superueniens, omnes penè cæcidit. Solus alter ex Præfectis, cum duobus equitibus elabitur. Bellisarius accæpto nuncio de amisso equitatu: mare iterum cum peditibus tentauit: & ui tempestatis adactus, à Crotone Italiæ, in Messanam Siciliæ dispellitur. Rusianum interea à Gotis obsidetur. Pacti milites, nisi infra certum tempus adiuuarentur, deditionem facere. Intereà Bellisarius Hydruntum cum classe redijt. Superuenêre noua supplementa. Iam auctus copijs, obsessis opem ferre statuit. Adnauigat Rusianum. Goti per littora dispositi, aciem ostendere. Territi Græci, retrò abeunt. Decernunt in Concilio: equitatum ire in Picentes: ibique lacessêre Gotos. quo Totilam ab obsidione auocent. Ille missis equitibus, occurrit tumultuantibus, in obsidione perdurās. Et cùm omnia obsessis defuissent, pacti sunt deditionem. quando nullum ostendebatur auxilium. Rex paciscentibus respōdit. Vnius perfidi inter eos pœna contentus, cæteros in militiam suam, si uellent, conscriberet. Alioqui abituros cum singulis uestimentis. Ita Rusianum deditur. Præfectum militum, quòd eius iussu in diem præfinitum, deditio non fieret, iussit occidi. Remansit cum eo magna pars militum. Cæteri relictis equis & armis, Crotonem uicinam urbem petierunt. Hoc in rerum statu cùm esset Bellisarius Romæ: iam pertæsum est illi, diutius bellum gerere: præmissa Antemia uxore, apud Imperatricem agere præcepit: ut reuocaretur. Et Imperatricem quidèm fato functam reperit. Apud Imperatorem facilè impetrauit. quòd belli Parthici metus recrudescebat. Et abiens Bellisarius: Roma Diogenem uirum prudentem & fortem, Legatum reliquit: cum tribus milibus militum. Eo abeunte, Goti Perusiam diu obsessam, armis cæpêre.

Cononis auari mors.

Rusianum Gotis deditur.

Bellisarius militiæ cedit.

Perusia capitur.

Romam

¶ Romam Totilas secundò, proditione obtinet.
CAPVT XVII.


OTILAS prosperatis undiquè rebus, cùm abscessisse Bellisarium intelligeret: urbē Romam tertia cinxit obsidione. Iam autem in eam formam reparata ciuitate: ut quoniam forte inerat præsidiū, nulla spes capiendæ Vrbis foret Gotis: nisi fame. Nam finitima oppida in Gotorum erant potestate: & expugnata Portuensi urbe, nihil à mari importari sinebant. Erant Constantinopoli ciues Romani, & ad hoc missus insuper Godyngus uir Senatorius: qui agebant, ut Imperator Bellisarium Italiæ procurandæ remitteret. Alioqui actum esse de Vrbe. Ille sibi res Italicas curæ respondit fore: sed alijs interuenientibus, res antiquatur. Cùm iterum atquè iterum urgerent: Liberium quendam ex Nobilitate Romana, pronunciauit Ducem Italici belli: & apparatibus comparandis cœpit indulgere, sed ex alijs intermittitur. Itaq; Roma laborasset fame: nisi prouidentia Legati rebus consuluisset. Is omnia pridem loca intra Vrbem uacantia, frugibus conseuit, in hortis, in diuerticulis, in campo Martio. Quæ res inopiam sustentabat. Et erat Vrbs eo modo in longum sustinenda: si non proditio interuenisset. Nam milites ad portam Capenam, quæsti: quòd nullis diu stipendijs præmiarentur, ad Totilam ibant: præmium magnum pacti, traditæ portæ. Ea erat S. Pauli. Rex ubi audiuit, collaudatos, benè sperare iubet. Intereà tubicines per noctem lembis impositos, per Anienem iubet introire Vrbem: & quàm maximo possent strepitu, tubis clangere. Ille interim ad portam stabat parato exercitu. Clangebant tubæ, & Vrbis uelut captæ signum præbuêre. Dum trepidant alij, concurrentes ad clangorem, proditores Vrbem referant: exercitum sinunt ingredi. Ita nunc secundò ab Totila Vrbs capitur. Præfectus cum militibus, diuersa porta dilabentes, fuga sibi consulunt ad Centumcellas. nam ea in fide Imperatoris fuit. Hoc Gotus prospiciens: insidias eò collocauit, quas inciderunt prodeuntes, & alijs aut captis, aut cæsis, Diogenes ipse elabitur.

Stratagema.

Roma secūdò à Totila capitur.

¶ Paulum Siculorum Prefectum, cum militibus suis in gratiam recipit Totilas. Romam instaurat. Vaticinia audit S. Benedicti. Caput. xviij.


AVLVS equitum Præfectus ex Sicilia, uir fortissimus: ea nocte multis in locis, prælia multa perfecit. Ad extremum, cum quadringentis equitibus, pontem & molem Adriani apprendit, grauiter afficiens propinquantes Gotos. Totilas aspiciens, Sinite inquit hos sine sanguine, & impendio meorum euocandos: non habentes unius diei escam. Igitur diem illum sine cibo agen

tes: inter se quid faciant, deliberant. Deditio turpitudinem habere uidebatur: & erat incertum, si permitteretur, qua fide impleretur à Rege truculento. Erant quibus equi in cibum mactandi uiderētur. Horrebant insuetum cibum. Fugę nulla spes. Igitur Paulus in medio suorum concionatur, uir fortis ad fortes. Quocunque nos uertamus commilitones, extrema nos circumstant. Nam fugæ nulla facultas est: circumfusis hostium copijs, ac nos impigrè obseruantibus. Deditio autem, supra turpitudinem, uilitatemque consilij, cruciatus insuper, & excarnificationes portendit. Barbarorum enim sæuitia, simplici mortis genere contenta esse nō solet. Durare uerò in obsidione, ac cibo equorum pasci, eorum esset, qui auxilia sibi uentura expectarent. Nobis autem carentibus ea spe, nulla ratio suadere hanc tolerantiam potest: nisi uilissima detrectatio mortis. Ceu pueri formidulosi, dolore conficī malunt, quàm ferro secari. Ego uerò dedi hostibus, & tabescere inedia: eorum puto, qui cor & sanguinem non habent. At nobis strennuis, & præliorum non insuetis, gloriosa mors complectenda est. Sic enim moriamur: ut sanguine hostium madentes, non inulti cadamus. ne rideat hostis nostri interitus, sed fleat. Nec iugulum nostrum præbeamus, sed iugulum suum ferro nostro perfringamus. Quid enim paucorum annorum accessio nobis prodesset: cùm & si nunc seruati, paulò post simus obituri? Gloria extendere uitam hominibus potest: natura non poterit. Ite igitur mecū ad gloriosam mortem, quam ciues simul & hostes admirabuntur. Hic dictis incensi equites, morti sese deuouerunt. Quocircà complexi inuicem, & osculati, certissimo moriendi proposito, ad dimicandum se parant. Erat uerò consilium: in proximam Gotorum stationem irruere, factaque permagna hostium cæde, pugnando interire. Quos cùm uideret Totilas, ad extremum casum parari: ueritus, ne hominum desperatorum conatus, maiorem quam pro numero Gotis cladem adferret, Caduceatore ad eos misso, optionem permisit. An recęptis armis & equis, militare uellent Totilæ? Aut illis omissis, ire quo uellent? Statim omnes militare Regi peroptarunt. Præter Paulum præfectum, & Isaurum quendam, qui quòd uxores haberent, & liberos, ire Constantinopolim elegerunt. Quos ex uiatico, & cæteris rebus adiutos, ire permisit. Romanos autem, qui ad Templa confugerant, liberos esse iussit. In Vrbem Romam non amplius desæuit: sed quantò ante studio destruxit, tantò nunc impensius cuncta instaurare connititur. Ædificia pridem incensa renouauit. A Bellisario semiplena consummauit. Ludos equestres, ac cætera magnificentiæ opera, quæ florentibus rebus celebrabantur restituit. Quo ciues sparsi, maiori in patriam desyderio redirent.

Fames Romæ.

Oratio Pauli ad suos.

Vna salus uictis, nullam sperare salutē.

Romā Totilas reparat.

rent. Hanc morum in Rege, ac animi mutationem: Alij uoto, quod sanctis creditur Apostolis emisisse, prodire uolunt. Alij ad commoditatem gerendi belli referunt. Nonnulli uerecundia adactum ferunt, quòd cùm nuper Francorum Regis filiam deposceret coniugem, responsum illi aiunt. Non credi illum Regem esse Italiæ, qui caput eius subuertisset. Sed uerò similius est (quod scribit beatus Gregorius) post primam urbis captiuitatem, adijsse Regem S. Benedictum, qui in Apollinis pridem templo, in Bauro castello tum demorabatur. Voluit Rex experimenta sumere sanctitatis: si Benedictus incomperta nosset: Vnum ex satellitibus Regio indutum apparatu, ipse in turba secutus est. Benedictus obuiam prodibat Regi superbo in anteriora. Cesserat turba deuia simulato Regi, cùm prodiret Benedictus. Stabat solus in conspectu S. Patris. Ille hominem iussit in turbam concedere, & oculis designatum Totilam euocabat. Hortatur, ut Iustinianum sectetur, Sanctimoniam ueneretur. Prædicit iterum ab eo Romam capiendam. Et Siciliam eius potestatis futuram, & nouo anno Regni occidendum. Creditum est, cùm pars ab eo denunciatorum esset impleta, finem uitæ denunciatum, terruisse Regem, ut mansuesceret. Vaticinium S. Bernardi.



¶ Centumcellas Rex præfixo tempore, dedi mandat. Proficiscens in Siciliam, Tarentum, Ariminum & Regium prius obtinet. Italiæ prouidet Imperatore. Caput. XIX.

ROMA iterum in potestatem Gotorum facta, iam meliori spe agebat. quòd Rex mutatis moribus, iam habitaret quasi pater cum filijs. Igitur in Siciliam respexit, inquè eam submittendam, armari & fabricari classem iussit, longas naues, cum onerarijs. Prius tamen Centumcellas, uicinam Romæ urbem, adhuc solam Imperatori in ea regione parentem, subijcere conatur. Inq; eam ducit paratum exercitum. Defendit eam Diogenes nuper Roma elapsus, cùm urbs caperetur. Totilas oppugnaturus, alloquitur Præfectum. Vrbem dedat, aut ad pugnam prodeat. Ille respondit. Pugnare, sibi in animo nõ esse. Vrbem dedêre antequã Imperatori insinuet, si ille eam tueatur, indecorum sibi fore. Si patiatur, permittatq; tempus, ut insinuetur, & ad terminum constitutũ nihil fiat, tum se dediturũ. In hæc pacta dantur utrinq; obsides, ut nihil tamẽ Rex tempore medio in oppidũ moliatur. Inde classe iã expedita, in Siciliã transfretare contendit, & in ipso itinere (quòd exercitus per terrã ibat) Regiũ in finibus Italiæ obsidetur. Tarentũ capitur. Submissis aũt ad Regium copijs, reliquũ exercitũ transportat in Siciliã. Interim in Italia Ariminũ Goti accipiunt: Tarentum. Ariminũ.

Regium. Regium quoq; non diu inde à Græcis per deditionem accipitur. In Sicilia parua quidèm oppida, statim Gotis cesserunt. Apud Siracusas diu sedendum fuit. Intereà Senatores, qui Constantinopoli fuere: quotidiè Imperatotoris aures pulsabant, ut liberandæ Italiæ intenderet. Nec audiebantur: donec uno die ex multis urbibus, Italiæ aduersa nunciarentur, quòd captum Ariminum, Tarentum, Regium: Sicilia quoq; peruasa à Gotis. Tum motus Imperator, Germanum fratru elem suum, Italico bello aduersus Gotos Ducem declarauit. Magno apparatu ille in Italiam ducere parabat: uir magnæ apud cunctos autoritatis, & rei bellicæ Dux non imperitus: genti præterea Gotorum uenerabilis: qui Mathasuintam Vitigis Regis relictam, Theodorici neptem, coniugem haberet post Vitigitem. Et cùm expedito exercitu iam teneret Illyricū: iussū Imperatoris subsistere cœpit. quòd gens Sclauinorum (Vuandali hi sunt) dudum ad Danubium habitantes, iam transito amne, Macedoniam, Thraciámq; inuaderent. Substitit ille iussus: et exercitus sui terrore, quamuis in illos non duceret, Vuandali latius non excurrerunt. Quæ mora Gotis per Italiam & Siciliam tempus dabat, quæ cæperant peragendi. Exibant interea dies, quos sibi Diogenes ad tradendum oppidum Centumcellas præstituisset: & iam tradere monitus, respondit: rem esse non sui iuris, esse Ducem Italicum in itinere, cuius arbitrio res gerenda. Vna erat ea expectatio totius Italiæ: in eum respexère omnes. Sed dum ille in Illyricis moratur: morbo correptus, tantam omnium de se expectationem frustratur. Mox factus de eius morte Imperator certior: filios, quos secum duxit puberes, iussit patris loco exercitus curam suscipere. quòd per illos non minus, quàm per patrem, sperabat gentem Gotorum sibi conciliare: accedente procuratione Ioannis Vitaliani, iam per Italiam multis clarè rebus gestis, noti Ducis. Is cum adolescentibus exercitum Salonas perduxit: inde aspirante Vere mox Rauennam traiecturus.

Vide supra libro. 3. cap. 34. a.



¶ Narsetem Salonas mittit Imperator. Cuius aduentu non expecto, Valerianus cum Ioanne & Græcis, Gotos nauali prælio deuincit. Caput. xx.

PER eadem tempora tuendæ Siciliæ, iam cum bonis copijs Liberium misit Imperator. Ille Gotis impedire non ualentibus, per portum Syracusas intrauit. At ueritus, ne socijs ad commeatus caritatem, sua multitudo accederet: breui inde soluens, Panormum peruenit: ibiquè substitit. Intereà Imperator mutato proposito: Narsetem eunuchum suum, Ducem Italici belli declarat: Ioanni scribens, ne Salonis soluat, sed aduentum Narsetis præstoletur. Erat Narses

Narses uir præcipuus autoritate, apud Imperatorem primus: pecuniarum receptor & dispensator: cuius consilio plura ab Imperatore gererentur, apud Deum religione fulgens: qui orationibus & uigilijs plura, quàm armis cæteri conficerent. Apud exteros reges nominatus. Omni uirtute prȩditus. Armorum scius. His artibus pollens: omnem bello necessarium apparatum instruens, terrestri itinere per Thraciam contendit. Philippoli subsistens. quòd Huni duobus agminibus eam Prouinciam inuasissent. Quamprimum potuit inde mouens, Salonas contendit. Iam Totilas cognito apparatu hostium in Italiam, ex Sicilia redierat: quam quatuor ex suis Ducibus commendabat, ipse de Italia curaturus. Et ut potentiã suam Græcis ostentaret: classem suam iussit per Græciam nauigare, omnia rapinis, & cædibus, incendijsq; fœdare. Igitur multi intercæpti nauigantes, mare omne infestum habuere. Totilas Anconam obsedit: terra, mariq; oppugnans. Valerianus Rauennæ Præfectus, cùm uiribus suis diffideret: Ioanni rem per literas aperit. Ille & si præceptum Imperatoris haberet, Salonas ante Narsetis aduentum, non deserere: tamen in tanto sociorum periculo nihil cunctandum ratus, naues perarmat, Valeriano cum sua classe proficiscenti fit obuius. Colloquium inter Duces eò contendit: ut iunctis uiribus, ferantur in hostem, socijs obsessis suppetias facturi. Adnauigant animis erectis. Goti quoq; multitudine nauium superantes, obuiam proficiscuntur. Fit nauale prælium, magnis utrinquè uiribus & animis initum. Acerrima diu pugna fuit. Sed Græci experientiores maritimarum rerum: Gotos insuetos tali pugna uicerunt. Mersæ aliquot naues, cùm militibus perierunt. Captæ aliæ. Decem solæ fugam ineuntes. Vbi ad littus uenerant milites: ne hostis potiretur, naues incenderunt: terrestri itinere castra petentes. In quibus tanta fuit trepidatio: ut soluta obsidione, mox illa pro desertis habuere. Victores portum ingressi, socijs gratulati sunt: et illi uicissim. Mox castra oppugnaturi descendunt. Vbi uacuata cernunt: commeatus in urbem misêre.

Narses Dux.

Græci Gotos uincũt.



¶ Superantur Goti à Græcis in Sicilia. Narses Totilam, Longobardorum suppetijs, bello sternit.

CAPVT XXI.

HOC initium ruinæ Gotorum, sic effregit animos: sic erexit Græcorum fiduciam, ut ex hoc tempore magna fuerit inclinatio rerum Goticarum. Redibat Valerianus Rauennam, & Ioannes Salonas. Totilas partem copiarum ex Sicilia deuocauit. Itaq; Artanades Iustiniani, qui Liberio successerat: multis locis in Sicilia superior fuit. Nec multò post Crotoniacas, longa Gotorũ fessos obsidione,

Vincunt secundo Goti à Græcis.

obsidione, Græcorum classis superueniens eripuit: Gotis partim Tarentum, partim in proximos montes fugientibus. Hæc secunda Græcorum uictoria, Gotis rem minuebat. Et iam præfectus Tarenti, & Acherusiæ Goti, cernentes inclinationem rerum: diffisi rebus Goticis, cum oppidis ad Imperatorem transierunt. Cùm hæc esset conditio rerum per Italiam, Narses per brumam copijs congregatis, se ad iter comparauit. Habebat uerò tantum solus exercitum, quantum uix omnes simul Duces per belli huius tempora. Pecunijs enim abundans, & ipse in elargiendo munificus: multa undiq; arma ex Thracia, ex Græcia, & aliunde contraxit. Nam & Longobardum duodecim milia pugnatissimorum hominum fertur habuisse. Eos Albuinus Rex illi concessit: qui in Pannonijs tum consederat. Quod in Dania nostra monstrauimus. Et Heruli, & Huni, gens natiuo (ut uidebatur) odio, Gotos insectata: auxilijs Narsetē intolerabilem fecêre. Persæ quoq; cum non contemnenda suorum manu Narseti aderant, rebus Orientis plurimum claro. Et Gepidarum manus tanto deesse exercitui non passa est. Sed & Ioannes cognomento Fagos, Græcorum et Thracum ualidam manum egit. Et Ioannes Vitaliani, iam filiorum Germani, iustum exercitum Rauennam transportauit. Mouens ergò Salonis cum tantis copijs Narses per Dalmatiā atq; Liburniam, peruenit Aquilegiam. Inde duo illi erant itinera ad Rauennam. Alterum breuius per maritima: sed ibi paludes & stagna, & fluuiorum ostia difficultatem plurimam habebat. Alterum mediterraneum ex Verona per fluuiorum uada: ubi pauci multorum transitum facile tenerent. Sit enim ripæ: sic aquæ in altum descendunt, ut difficilè transeantur. Eas sciens difficultates Totilas: Teiam ex Ducibus præstantissimum misit: qui ad Veronam copias hostiles Athesi prohiberet. Sin minus: ponè sequeretur, terga lacessens. Narses duodecim milia equitum Longobardorum Mediterranea misit: ut hostem distineret, quo ad ipse cum copijs transiret maritima. Longobardi gens noua: quæ non longinquam ab Gotis originem haberet: nullo repugnante, Athesim, & deinde Padum transeuntes, ad Brixilli oppidi mœnia peruenêre. Parebat hoc semper Rauennatibus. Teias paucitati suorum diffisus, hosti longè numerosiori, confligere non audebat. Narses autem adiutus nauigio Venetorum, fossas ac paludes, latus ac ostia fluminum transibat: Rauennam ingressus. Ibi relicto per dies nouem exercitu, Romam contendit. Arimini Præfectus ex Gotis transitum impedire fategit, sed commisso prælio occiditur. Trepidi milites, in urbem refugiunt. Allatum caput hostis Narseti. Gauisus est ille bono auspicio, quòd primo statim prælio, Dux hostium cecidisset. Et quanquam

Daniæ libr. 3. cap. 5.

Arimini præfectus occiditur.

quàm facilè Ariminum cœpiſſet: noluit tamen tantas copias, unius oppidi obſidione teneri: ſed alacris iterſuum continuans proficiſcitur. Longobardi, qui iam ad Brixelli mœnia conſederant, multam ex uicinis agris prædam fecerunt. Totilas autem furens indignatione: in nouam gentē educere parat, raptim uocatis Tranſpadanis: tantumque fidebat feſtinans, ut Teiam fortiſsimum Ducem, non expectaret. Longobardi equitatu, peditatu Goti præualuêre: Sed quod pleriſque accidit ad extrema Ducibus, nunquàm diligentius ſtruxiſſe aciem: nec unquàm perſpicacius cuncta luſtraſſe: quid ageret hoſtis? quid ſuæ uires poſſent? nunquàm circumſpectius, fortiuſque pugnaſſe. Sed tum fortuna fuit, ut caderet, ſub Longobardorum eſtera gente: quam Albuinus Rex exercituum docuit ad prælia paratam: quotidiè educens ad gentes Danubij accolas. Occiſo Totila: qui ſuperfuêre ex Gotis, Papiam ingreſsi, tum primùm ex fuga ſubſtitere. Longobardi maximis à Narſete muneribus honorati, ad propria remittuntur. Totilæ mors.



¶ Teias Rex Totilæ ſurrogatur. Burgundiones & Francos ſibi ille conciliat. Romani Narſetes obſidet; inito fœdere cum Siſualdo Brentorum Rege.

CAPVT XXII.

TEIAS Rex in locum demortui Totilæ à ſuis creatur. Is cernens molem belli à Narſete maximam: uicinæ gentis Duces bello ſibi ſocios aſciuit, Burgundionum, Francorum, ac Liguſtinorum Duces: quos in regionibus illis Theobaldus Metenſium Rex reliquiſſet. Itaquè Apenninum tranſeuntes Duces ipſi cum maximis copijs, ad Claſtidium conſedèrunt: quod eſt agri Papienſis oppidum, Pado uicinum, unde poterant commeatus facile ad illos comportari. Theias autem theſauros Totilæ Papię reconditos ſuſcipiens: uires in priſtinam Gotorum potentiam reparauit. Narſes autem tranſiens Romam, urbes, & oppida, quæ in medio fuereplurima, aut deditione, aut armis cœpit: reliquas copias ad obſidionem remiſit. Cùm autem ueniſſet Romam: & eam clauſam reperiſſet, quòd eam forti Gotorum præſidio teneri perſenſit: obſidendā curauit. Ibi triſte nuncium accæpit: de ſocietate quam inijſſet Teias cum Burgundionibus, & Francis, unde maiora ſibi, quàm putauerat belli pondera imminēre. Sed recreabat Siſualdi Brentorū Regis oblata pactio. Is erat ex reliquijs Odòacris Rugiorum Regis, cuius populum Theodoricus iuſſit conſidere inter Alpes, et Apenninum in Taurinis: Rege illis præfecto, quem generum ſibi fecit, & filium deſtinauit. Pactionis ea forma fuit. Vt uictis Gotis, ſocius Rex aſcribi ſineretur in amicitia Romani Imperij, Teias Rex.

Imperij, semper permansurus. Et quoniam Narses multo maioribus copijs, quàm adduxerat ad obsidionem Vrbis, opus habebat: Ioannem Fagonem, cum Græcis & Thracibus suis redire iussit per itinera quibus uenerant, ad obsidēdum Ariminum. Alia etiam agmina Spoletum misit: ut Vmbrię imminerent, & siue per pactionem, siue per arma reciperent oppida. Ipse interim Romanæ obsidioni intenderat. Vrbs Roma pro sui magnitudine, necdum aut ciuium multitudine, aut ædificiorum instauratione redierat in florem suum. Multæ uiæ uacuæ: plurima ædificia necdum restituta. Instíterat quidèm Totilas, sed ciuium exhaustæ uires, & multorum uoluntaria exilia, necnon paucorum cædes, super omnia Bellorum incumbens prouisio, Regem Vrbi deditissimum, ab implemento detinuerunt.

¶ Romam Narses ui occupat, pulsis Gotis. Præfecti Tarentini fraus narratur. Caput.xxiij.



OTI cùm se uiderent & numero, & uiribus impares, ad tantam Vrbem, aduersus tam multiplicem exercitū defendendam: ad Molem Adriani rebus necessarijs importatis, locum communierunt refugio. Et tamen ubicunq; fiebat oppugnatio, alacres aderant. Intentata unū in locum fortiter oppugnatione, cùm Goti totis resisterent uiribus: Græci diuersam Vrbis regionem animaduerterunt indefensam. Et cùm Goti penè omnes ibi distinerentur: illi allatis scalis, mœnia apprehenderunt, inq; captā Vrbem exercitum suum Narses introduxit. Romani (qua solent Itali leuitate) uictoribus plaudebant: barbariem, ut ipsi uocant, execrantes. Goti in suam concessēre munitionem. Inde tamen pactione breui transeuntes, ad suos redierunt. Præfectus Tarenti Gotus: qui ut diximus, ad Imperatorē transijt, facti pœnituit: cùm audiret Teiam Regem, & Burgundionum, Francorúmq; belli societatem: sed obsidum ei traditio ad redeundum obstiterat. Qua ratione, ut illos abduceret, hęc excogitauit. Hydrunti Præfectum Græcum orat, ut supplementa illi aduersus Gotos mittat. Ille nihil fraudis prospiciens, misit milites qnquaginta. Hos quàmprimum accæpit, in uincula coniecit, renuncians Præfecto, Si illos uellet liberos, suos illi remitteret obsides. Ille fraudem comperiens, paucis ad custodiam domi relictis, cum maiori parte copiarum ducit in Tarentinum Pręfectum. Nec segnior ille occurrit. Collatis uiribus, uincitur Tarentinus, fuga prolapsus ad suos.

Romam Narses capit.

¶ Varius bellorum passim motus recitantur. Teias Rex, præterquàm expectationem, Ariminum, fuga cedente Ioanne, obtinet. Caput.xxiiij.



N CISALPINA (quam Itali uocant Galliam. nam nobis

nobis est Transalpina) res uariæ fuere. Auxilia Burgundionũ, Francorum cꝫ, Brixellum, & Tanetum occupare conati: audierunt, Valerianum, unum ex Narsetis Ducibus, Bononia mouere cum copijs ingentibus: quieuêre. Sisualdus audiẽs à Narsete fœdera comprobata: paratum exercitum ducit in uicinos Gotorũ fines. Nullus diu ibi pauor. Apertæ urbium portę: nihil parati, omnia uelut ad manum exposita. Quæ res excitauit Sisualdum arma mouere. Itacꝫ ab nihil timentibus, omnia improuisò facilè sunt oblata. Teiam Regem hoc audientem, indignatio subit: simul & apud Ariminum obsidio, & in Picentibus Græcorum motus illum turbauêre. Igitur uocatis in conciliũ Ducibus: non modò suis, sed & Burgundionum, & Francorum, deliberabat. Seditcꝫ sententia: ut quemadmodum Narses non uno loco, sed diuersis sparsas haberet uires, ipse quocꝫ diuisis Prouincijs, res erigeret turbatas. Socijs Ducibus, negotium dat Sisualdo occurrendi: ipse cum suis Gotis Italiam sumit contuendam. Et primum quidèm Arimino subuenire statuit. Sed id occultissimũ habuit, etiam his, quibus secretissima communicabat. ne qua permaneret ad Valerianum. Igitur in Etruriã ire contendit. Risisse fertur Valerianus cùm audiret, quòd tantum exercitum in rætia duceret: arbitratus ibi tantas Græcorũ uires: ut facilè illum interciperẽt. Sed Teias inopinatus Bononiæ appropinquauit. Qua ex re territus, risum uertit in uerũ timorẽ: & prius quàm prospiceret, adfuit Arimino. Ioannes Fagos, qui obsederat, certior factus de aduentu Regis, cessit in montes. Teias Ariminum ingressus, suos confirmauit. Inde castra intra Cesenam & Ariminum posuit ad amnem. ut utranquè tueretur urbem. Ioannes in idipsum intentus, si posset Cesenam capere, tempora obseruabat. At Teias illum præueniens, eò duxit: oppugnauitcꝫ infelici rebus suis consilio. Ibi terens tempora, quibus in Picentes ante brumã, quę imminebat, ducere potuisset. Nam cecidit inde tam magna nix, quanta ab hominum memoria uix uisa: quę terram diu tegebat, ut equi culminibus alerenť domorũ.

¶ Narses plurium oppidorum superator, Romam ciuibus opplet. De Thesauro altero Totilæ Cumis deposito, certior factus est. Ducum utriusꝗ partis auaricia notatur. Caput.XXV.



NTERIM qui in Picentibus prȩerat Gotorum rebus, omnia fermè oppida pro Imperatore cœpit. Teias autem magna iumentorum suorum perdita parte, & reliqua inualida, non ante summum æstatis in Picentes peruenit. cùm hyemem totam ad Cesenam perdidisset. Narses tam longam ab hoste nactus quietem, omnes in Campania urbes, præter Cumas, recepit, multas in Lucanis, plures in

Brutijs, per Duces suos. Ipse interim Romę manens, reparationi Vrbis, & Ciuium reuocationi, atq; Vrbe implendæ totus incubuit. Narses inter cæteram prædam, mulieres aliquot Gotorum Nobiles, in potestatem accæpit. Inter quas erat præcipua quædam Totilæ propinqua: quæ rem miram Narseti aperuit. Totilam thesaurum suum binis locis constituisse. Papiæ: quam partē Teias tulit. Et Cumis in Arcem: cui etiam tunc Totilæ frater præerat asseruandæ. Narses eò misit magnam copiarum partem: ad expugnandam Cumorū Arcem. At dum rebus suis Teias strennuè in Etruria, atq; Picentibus intenderet: socij bello Duces, in citeriore ab urbe Gallia, non eodem animo gessere. Sisualdus Eporediam urbem cœpit. Taurinum diu frustra obsedit. Nemo illi se ex animo obiecit. Post interualla secretò inter se collocuti Sisualdus, & Burgundionum Duces, & Francorum: in aperto quidem hostilitatem prætulerunt, sed reuera Prouincias ad prædam inuicem sunt partiti: tàm eas quæ Gotis, quàm quæ Imperatori parebant. Deinde Cumis obsessis, Teias opem ferre properauit. quòd thesauros ibi reconditos non ignoraret.

Totilæ thesaurus.

Ducum infidelitas.



¶ Nuceriam Teias deditam occupat. Belli congressu maximo in biduum, Teias cadit. Conditionibus pacis, Ostrogotorū nomen obliteratur. Caput. xxvi.

AD Nuceriam ex itinere obsidendam Teias diuertit. Ea & si in partibus non esset, sibi tamen applicare conatus est. Deditam accæpit, antequàm Narses aduentaret. Qui multum momenti in Ducum fortuna constituens, totis cum Gotis uiribus confligere statuit. Nec detrectauit Gotus. Propinquis locis, solo amne Tantilo interueniente, castra fixerunt. Per ripam leuia sagittarij sæpè prælia faciebant. Et erant ipsi sibi inuicē Duces timori, quòd magnis uterquè uiribus niteretur. Hoc erat Gotus secundior: quòd pontem, qui solus erat in flumine, in potestate haberet, pręsidio munitum. At Narses facilitate inuehendorum commeatuum pręualebat. Nam Teiæ naues, quæ commeatus inueherent: partim procellis, partim hostibus euersæ sunt: ut nisi terra quam insederat, naturas præbuisset fruges, fame laboraret. Absumptis autem illis, pabulatores longè abibant: sæpè hostium insidias inciderunt. Quæ res in Concilio deliberantes, retrò ad montes abire coëgit: non tamen ab amne diuersi. Secutus Narses, sub ipsis montibus castra fixit, certus: Gotos duriorem ibi famem experturos. Cunquè illa perurgeret: statuunt in aciem descendentes confligere. Expectabant id alacres Narsetis milites. Goti Signis prælatis: & iumentis in monte relictis, quadrato agmine incurrētes, ab alto descendunt: & primo quidē impetu Narsetis milites loco pellunt: adiuti

montis decliuitate. At Græci collectis animis, redeunt in prelium, acriter decertantes. Erat prelium hoc non modo ferox, ſed & inhumanũ. cùm nullus hoſtis caperetur, ſed omnes paſsim obſtãtes trucidauêre. Teias optimi Imperatoris, & fortiſsimi militis unà operã fecit. In medio, in cornibus, ubi pugnans aderat. Suos recreauerat. Iam clypeũ ſagittis plenum mutare uolebat: cùm obuerſo latere alium poneret, nouum ſumpturus: allapſa ſagitta, latus perfodit. Ita Rex cadit. Goti tamen ordines ſeruauêre pugnandi: iam mitius occidentes. quaſi manu pacem flagitarent. Sed protractum eſt prælium in noctem. Luce orta, ijſdem animis reditur in prælium. Græci gentem delere: Goti ſeſe tueri annitebantur. Aliquando Gotorũ de parte, pacis mentio fiebat: ſed Narſes et optimates diſsimulauêre. Is etiam dies penè conſumptus eſt prælio. Cùm Narſes, ſuis potius, quàm Gotis parcẽs, de pace audiuit: Leges hæ ab uictore dicebantur. Vt Goti ſuas quiſq; in ciuitates non redirent: prius quàm illæ in manibus eſſent Imperatoris. Erant enim intra. lxxij. annos ab introitu Theoderici, omnes in Italia geniti. Interea omnes Goti in Etruria, & Paduana regione arma deponerent: non antea reſumpturi, quàm ab Magiſtratibus urbis Romæ iuberẽtur. Ex hoc die Oſtrogotorum nomen euanuit: omnibus ut erant in ea regione nati, ſe gerentibus pro Italicis. In quam rem multum iuuit nouæ nationis, non diu poſt Longobardorum in Italiam ingreſſus. Quem in Dania plenius deſcripſimus.

Teias cadit.

Daniæ lib. 3. per totum



¶ Dagiſteus Dux Græcus, Gotos Duce nouo poſt Teiam erecto, bello proſternit. Captis eorũ Ducibus duobus, tertio cæſo, Siſualdo cruce ſuſpenſo, gens Gotica Italis immiſcetur. Caput. xxvij.

PROFLIGATA maximo illo apud Nuceriam prelio, Gotorum gente, cùm Rex ipſe cecidiſſet: & ſuperſtites Goti leges ſubiſſent uictoris: Narſes ad debellandas reliquias, & ad reſiduas urbes, in quibus erant Gotorum preſidia, recipiendas, Duces ſuos miſit: qui Forum Cornelij, & Lucam obſederunt. Goti cum ſocijs Francis, & Burgundionibus, opem ferre ſuis laborantibus ſtatuere. At Narſetis Duces, eorum peruenêre conſilia. Dagiſteus erat ex Græcis copiarum ductor egregius: qui quantis potuit copijs ſe obiecit hoſtibus, ad Bononiam concurrentibus. Nam Luca, & forum Cornelij iam deditæ Imperatori fuêre. In hoc exercitu ſpes omnis Gotorum. Concurſum eſt totis agminibus, magno ardore animorum. Goti frementes, indignanteſq;, aut ditionem recuperare: aut fortiter interire ſtatuerũt. Igitur incompoſitis ordinibus circumfuſi hoſtibus pugnauerunt. Oppreſsiſſentq; Græcos: niſi illi ſeruatis ordinibus diſciplinæ militari inſtitiſſent.

Dagiſteus Græcus.

Fugantur Goti. stitissent. Itaq; impetus incurrentium primo sustinuere. Inde etiam repulere: & sine ordinibus pugnantes, in fugã uertere. Cæsus unus ex Ducibus exterorum. Cęteri Placentiam confugiêre. Illi communi placito non iam Regem, sed Ducem ex Gotis creauêre Vuiditim. Franci cum Gotis & Burgundionibus nouum Ducem Veronam perduxere. Id ueritus Dagisteus: quanto celerius potuit, Pado transmisso, in Veronam duxit. Ergo uenientes cum Duce suo Goti, Veronam non sunt intromissi. ne tantam molem belli in se uerterent. Redire statuunt Papiam: sed interclusis undiq; uijs, cùm ubiq; Dagisteus adesset: antequàm deliberarent quid fieri congrueret: à superueniente hoste opprimuntur. Captus Dux, Narseti mittitur: ab illo Constantinopolim. Alij ex Ducibus unus febre correptus, interijt, cùm Germaniam petisset: alius à uictore interficitur. Sisualdus captus, trabe pependit ab alta, propter perfidiam. Dagisteus reliqua Gotorum oppida in deditionem accæpit: & illis Legibus, quibus apud Nuceriam cæteri, Gotis uitam & res permisit. Ita decimooctauo Anno, postquàm cæptum est hoc Goticũ in Italia bellum: per Narsetem hoc modo terminatum est. Cùm amisso Gotico nomine, gens illa Italis intermixta, in eam tota transijt nationem.

Vuiditis Dux Gotorum.

Goti cadunt.



¶ Redit ad Vuisigotorum Reges autor. Tendigislaum biennio regnasse: Agilan huius successorem nouem annis, ambos absq; belli tumultu. Caput. xxviij.

Eod. lib. 3. cap. 8. sup.

WISIGOTORVM in Hispania nomen, et Regnũ diuturnius, ex eo loco, quem nouissimè attigimus, repetamus. Tendigislas Vuisigotis non amplius duobus añis imperauit. Cui mox in Regnum surrogatur Agesilan per annos nouem. Quo tempore in Italia, quod proximè diximus, Totilas Ostrogotorum Rex, Italiam contra Bellisarium defendit. Quid uerò rerum hic Rex gesserit, non tenemus. cùm nulli Annales, nulla extent Scriptorum monimenta. Vnum hoc satis magnum est: quòd inter inmensos Gentis suæ populos, ac Reges fortes, Regnum tenuerit incolume. Et nisi Francorũ Reges illa tempestate Hildericus, et Clotarius plus quàm ciuilia bella tenuissent: quòd fraternis inter se odijs sepè cõfligerent: nõ siuissent Gotorum Regem Arrianũ, in pace & tranquillitate agere. Sed domestica mala sicut nunc, ita & tunc Reges implicarunt: adeò, ut CHRISTI honorem, quem omnibus præponere Christianos, par esset, cogantur posthabere. Hic tamen cùm in gente sua insolenter Regnũ ageret: uictus à successore, Regno decessit. Alij ferunt, in conuiuio trucidatũ. Quod ex more Gentis, Proceribus exhibebat.

Infra cap. proximo.

¶ Atanagildus deuicto Agesilanto succedit. Rexit annis. xxij. Quid

Prouincia,

Prouincia, qui Alani, & unde Catalani, exponitur.

CAPVT XXIX.



TANAGILDVS Agesilanti Regno surrogatur: uictus ab illo, Romanorũ, ut ferunt, auxilio. Narses em̃, extincto in Italia Ostrogotorũ Regno: cùm omnem Regionem Imperatori denuò subiecisset: ex Romani Senatus decreto, Præsidem dedit Prouinciæ Gallicanę. Quæ diu fuit, & pmansit in Romanorũ ditione: & adhuc seruat nomen: ut Prouincia dicatur. Appropriato sibi nomine, quod habent omnes tributo subactæ regiones cõmune. In hanc ergò Prouinciã Narses Amatũ patriciũ, ciuem Romanũ declarans Prouincię Narbonensis, Anitiensisq́;, & Romanę, & Alpiũ Pręfectũ: copias illi attribuit, quibus & illam tutaret̃ Prouinciam: & illa in parte, aduersus Francos, Burgundiones, & Vuisigotos, claustra Italiæ cõmuniret. Huius ergò Præfecti Romani auxilio, Atanagildus antecessorem suũ Regno insolescentem uicit: eiq́; in Regnũ successit: quod tenuit per años uiginti & duos. Iuuat hoc in loco Blondi sententiam inserere: quam de hac gente cum Alanis cōalita fouet. Verba illius ponenda sunt. Ea inquit, longæ pacis quiete, Vuisigotis Hispanias, Citeriorem, Vlterioremq́; pacatissimas habentibus: Alani cũ Vuisigotis ita cōaluerunt: ut in illius gentis nomen suum censim confuderint, atq́; amiserint. Eos enim Alanos ostẽdimus: noluisse cum Vuandalis in Aphricam nauigare. Et postea pulsos à Sebastiano Valentiniani Imperatoris Duce, ex Betica, quam sperauerant retinere: ad Vuisigotos confugisse. Qui ducẽtos eos suspectos, nunquàm simul in uno secum loco habere statiua permiserunt: imò ne unquàm possent, aut per seipsos rebellere, aut in Vuandalos gentem amicam respicere: continuerunt illos in Hispania Citeriore. Qua ex populorum mixtura facta est, quæ ętate etiam nostra permanet: gentis utriusq́; nominis compositio: & qui eo modo incoluerunt Citeriorem Hispaniam, Goti & Alani, nunc dicuntur corrupto uocabulo Catalani, gens profecto ferociæ illius, quæ generi suo in omnibus respondeat. Et siue casu factũ sit: siue ex ingenio, benè habet. quòd primam cõposito in nomine obtinet partem, Gotica gens præstantior, quæ & Romam capere potuerit florentissimam, & capta paulò post Hispaniæ Regna, mille iam annos, supraq́;, licet aliquando minus integrè conseruauerit. Hæc si uera sint, non laboro. Cùm Catalanos habitare, ubi caput est regionis Valentia, plurimi contendant. Et Hispaniæ Regna post Gotos, sæpè mutarint dominos: præsertim paulò ante Carolum Magnum, occupata omni Prouincia per Sarracenos. Sed hæc alibi plenius tractata.

Atanagildus Rex.

Prouincia quæ.

Blondus.

Alani.

Catalani.

¶ Lenigildus Rex Arrianus, filium eius pium, securi percuti iubet.

Bello ob id lacefsitus: tum in Italiam per Imp. auocatur Hildericus. Caput. xxx.



ENIGILDVS inde Regno fuccedit, cum fratre Lemnia, per años aliquot. Quo uita functo, fedecim annis folus Regnũ tenuit. Præter Religionis caufam, Rex optimus. Nam Arrianã hȩrefim pertinacifsimè defendit. Hic rebellantes Hifpaniæ ciuitates, bello perdomuit: ut colla fubmitterēt. Sed ut diximus, perfidiæ Arrianȩ hic erat promptifsimus defenfor. Filiũ habebat Ermigildũ: cui uxorē accȩperat de domo Francìȩ Ingundem, germanã Francorũ Regis Hilderici. Grauiter tulit cordata fœmina: uirũ ferre in Religione diuerfum: & falutis eius pcupida, egit cũ Leandro Pontifice: ut maritũ fuũ Regiũ iuuenē inuifere: fecũmq; de uera Religione tractare dignaret. Inuitatus religiofus Pontifex, non cunctanter annuit, pietatis obire minifteriũ: quòd ille per quamcũq; occafionem diu quȩfiffet. Conferens ergò cum illo de uera Religione: oftendit impietatē ex Scripturis Arrianæ perfidiæ: & egit ufq; adeò: ut iuuenē uolentē Chrifto lucraret. Senfit ergò de Chrifto cum catholica Ecclefia Ermigildus. Quod pater ubi cõperit, filiũ ferro uinciri iubet: & in carcerē protrahi. Erat facræ Dominicȩ Refurrectionis nox, ab inferis Lucifero furgēte illuftrata: cùm Rex impius, recordatus filij in carcere delitefcentis, excanduit: inftigante malorũ omniũ incentore diabolo: & miffo in locũ fpiculatore, optimũ iuuenē fecuri pcuffum, Chrifto martirē prȩciofum cõfecrauit. Vxor occifi cruentã Regis irã abominata: fugiēs cũ paruulo filio, incidit in manus militũ Romanorũ: quos tunc Mauritius Imp. per quãcunq; occafionē in Gallijs haberet. Capta, in Siciliã pducitur: ut inde Cõftantinopolim ad Imp. pro obfide mitteretur. Non tulit tenera fœmina militaris feftinationis incõmoda: et nauigationis infueta, uix terrã tetigit Siciliȩ: & ineuitabili morbo correpta, ultimũ fpiritũ Deo reddidit. Filiũ eius Imp. deducũt. Mox Hildebertus (quem alij fcribũt Hildericũ) ut iniuriã fororis uindicet: exercitum cõparat: mouetq; in Hifpaniã, Regē Lenigildũ petens. Nec fegnior ille recurrit. Magna utrinq; animorũ contentione, præliũ init. Feruent odia. Et Francis quidē pietas ipfa ftimulos præbet. Cadũt utrinq; plurimi: fed ex Gotis pars maxima. Nec alia res, quàm iufti doloris uindicta quæfita eft. Inde Imp. Mauritius, Hildericũ uocat in Italiã: ut Longobardis, quod inter eos cõuenerat, confligat. Mifit enim pridē ingentem uim auri: ut in eã militiã Regem obligaret. Et primus qdēm conatus irritus fuit. Nunc eo libētius eò contendit: quòd Germanã, quam adhuc uiuere credebat cum filio, effet recepturus. Igiť exercitu quanto potuit maximo cõfcripto: Alemaños in focietatē belli deuocauit, et

Ermigildi conuerfio ab Arriana perfidia.

Pater filium necari iubet

iam

iam agminibus magnis contēdit in Italiam. Sed orta inter Francos, & Alemannos graui cōtentione, quę ad arma ſpectabat: Alemañi cū ſuo agmine diſceſſēre in Patriā: irritamq́ fecerūt tantam Regis molitionē.



¶ Richardus Rex, Synodo.72. Epiſcoporū uocato, Arrianam hæreſim ſupprimit: cum omni gente ſua factus Catholicus, Gotorū gloria maxima. Cap.xxxi.

RICHARDVS alter ex filijs, patri ſurrogatur in Regnum. Is fraternos ſecum caſus uoluens: perſpiciensquè omnem circa ſe Chriſtianiſmum, aliud ac ſe cum gente ſua ſentire de CHRISTO Domino: effecit, ut Synodus.lxxij. Epiſcoporū per Franciam, Italiamq́ conuocaretur. Inter quos de Religione, déq́ ęterna Chriſti diuinitate conſtitueretur, quid ſentire oporteat. Ibi Leander Hiſpalenſis Epiſcopus, uir fide catholicus, & in Lege Dei exercitatiſsimus, ſimul etiam in Scripturis doctiſsimus, diſſerens: adeò confutauit ſectam Arrianam, ut Richardus ipſe, cum Proceribus, & omni gente ſua, renunciaret paterno & gentili errori, ſéq́ cæteris per catholicam Eccleſiam fidelibus, religione & fide conformaret. Quæ res per omnes Gallias, & Italiam gaudio plena, Gotorum nomen altius extulit, quàm prioribus annis ulla potuerint arma. Hoc ergò iacto fundamento ad æternam ſalutem, Rex ille temporum tranquillitatem promeruit, poſt annos Regni ſui quindecim, hinc ad meliora tranſiens. Richardi Rex. Synodus 72. Epiſcoporum. Leander Epiſcopus.



¶ Becterícus annis ſeptem Regnum moderatur, domi & foris tranquillus. Caput.xxxij.

BECTERICVS poſt illum potitus eſt Regno, filius, an ne aliquis magna de ſtirpe nepotum, incertū eſt. Neq́ memorabilium rerum aliquid traditur ſub eo geſtarum, Niſi quòd añis ſeptem Regno præfuerit. Vero ſimile eſt, tranquilla nactum tempora, nihil præter nomen, & Regni tempora, ex illius rebus eſſe miſſum in Annales. Quàmuis hoc ipſum magnum ſit, & annotatione dignum (ſi illa ſit ęquitas & moderatio Regum) ut nequè intus tumultus, aut foris bella patiantur. Per eius tamen tempora Taxilo Rex Baiororum conſtituitur, annitente Auſtraſiorum Rege, qui tum in Metenſibus, & uicinis Alemannorum Prouincijs dominaretur, Francis latè tum imperantibus. Becterícus Rex.

¶ Siſebodus Rex clariſsimus, rebelles, cum conſiliarijs Ducibus Romanis bello coërcuit. Iudæos, optione præſcripta, aut fugat, aut Chriſto lucratur. Caput.xxxiij.



SISEBODVS illi ſurrogatus, feliciter per multa tempora regnabat. Peruenit enim Regnum eius ad annos Siſebodus Rex.

usquè.29. Multa enim eius & præclara fuere facinora. Erexerant animos in libertatē quidā ex his urbibus, quas in ea regione suę ditionis fecerāt Vuisigoti. Spem dabāt Romani pręsides, qui Prouinciā Narbonensem tenuêre. At hic Rex cōtracta suorū ualida manu, eas ad pristinam redegit obedientiā. Nec cōtentus ea uictoria, in omnes eos qui labori huic causam prębuêre, duxit exercitū, & post multa, quæ inuicē luctantes fecere prælia, uariantē diu Fortunam superans, superior factus, Romanis Ducibus retropulsis, eam Prouinciā suæ fecerat ditionis. Qua in re unū erat pręcipuū Regis Christiani factū, quòd Iudęos ea in regione multos demorātes, coëgit aut possessione rerū cedere, aut Christi sacra subire. Quę res illi magnum diu nomen apud Posteros parturiuit, ut Regum omnium sui temporis clarissimus diceretur.

¶ Sintilan biennio regnat. A populo suo occiditur.

CAPVT XXXIIII.

Sintila Rex



INTILAM hunc Regno præficiūt Vuisigoti. Cuius pręclara nulla memorantᷣ facinora. quòd breui tempore regnauit. Nam Regnū eius uix impleuit biennium, cęsus in medio populi sui. Quę res insolentiam eius ostendit. Malus enim diuturnitatis custos, est metus. Nam quem quisq; timet, perisse cupit. Quem uerò oderūt multi, non est facilè diu superesse. quòd à plurimis obseruetur luminibus.



¶ Sisenandus, consentiente Dagoberto Francorum Rege, Regnum.xx.annis administrauit. Caput.xxxv.

Sisenandus Rex.

ISENANDVS hunc Regno insequitᷣ, ad quod peruenit, añitente maximè Dagoberto Francorū Rege. Tenuitq; Regnū annis.xx. Ea tempestate Vasconia, quam dudū Goti tenuerant. Francorū Regibus cessit. Nam fratrem suū Aribertū, ea Prouincia Dagobertus donauit. Et cùm mortuo Ariberto, Vascones se ab Francorum obedientia retraxissent, magno bello pressi, redire ad pristina iuga cōpelluntur. Vnde perspicuum est, Dagoberti nomē ea tempestate Gotis fuisse terrificum. Indéq; minus conuenit admirari, si ex eius uoluntate, Regem sibi Goti consciuerint.

¶ Chutilan Rex succedit. Contentio oritur super Primatu Regni Franciæ. Caput.xxxvi.

Chutilan Rex.



HVTILAN Sisenando substituitᷣ in Regno, quod per annos.xvi. fertur tenuisse, eo tempore, quo Regnū Franciæ Theodoricus teneret, Clodouei filius. Iam eo

xij. Patres Franciæ.


peruentum fuit, ut omnis administratio FRANCORVM, apud maiores domus esset, in Rege autem inane nomen. Vnde factum est, ut contendentibus de Prioratu, aut de Maioritate domus, hoc est, de admi-

de administratione Regni, Ebruino, atque Vulfoaldo: cùm Ebruinus pro Theodorico Regnum gubernare contenderet, Vulfoaldus autem pro Hilderico Austrasiorum Rege: quæ tum fuit proxima Regi Francorum potestas. Superabat tum Vulfoaldus: & capto Ebruino, tonsoratum detrusit in monasteriũ Luxomiense. Theodoricum Regem, simili sorte conclusit in Monasterio S. Dionysij. Quæ contentio plus quàm ciuilis, effecit: ut Chutilan Vuisigotorum Rex, tranquilla tempora haberet, uersis in se mutuò Francorum armis.



¶ Tolgan Regno quadriennio puer potitur: tum Monasterio subtruditur. Theodoricus è Monasterio in Regnum uocatur. Cui Ebruinus insidias locat. Caput. xxxvij.

TOLGAN Chutilanis erat filius, q patre mortuo, admodum puer peruenit ad Regnum. Sed non fuit ea temporum conditio, ut Goti puerum dominari sinerent. Propterea tonsoratus, postquàm annis quatuor præfuit, detrusus est in Monasterium. Hoc genus destitutionis clemẽtius, Imitati sunt Goti, quod in Francis, & Gręcis Imperatoribus usu probatum accæpissent. Per quæ tempora cùm Hildericus Rex, in uenatione caderet, coniurantibus in eum Proceribus, quòd ferox iuuenis, in eos non ex more Nobilitatis sęuiret. Quo cadente, Theodoricus Monasterio eductus, ad Regnum sublimatur. Ebruinus contemni se uidens, quòd alius se pręterito præficeretur Palatio, quendam sub imagine, quòd filius Lotharij diceretur. Regem nititur constituere. Multisq; ad se concurrentibus, exercitum nõ contemnendum adunauit. Cernens Theodoricus Ebruini potentiam, fide publica interposita, accersitum Aulæ suæ præfecit. Ille autem pręmens alto corde dolorem, pacem simulauit, donec occasionem acciperet eius trucidandi, quem Proceres ante præfecissent Aulæ, & alium iterum Martinum, uirum primarium, qui se cum Pipino Breni Ebruino obiecerat, uocatum interfecit. Passus tamen est ille quod fecerat, occisus & ipse per dolum. Quibus, ut dixi, temporibus, in se uersi Franci, tranquilla tempora Gotis dedêre, quandiu se ciuilibus armis non immiscerent. Sed hæc infra plenius explicabuntur. Tolgan Rex.



¶ Chintasindus annis uiginti regnat. Narratur sub eo dissensio Maioritatis Franciæ catalogus, usq; in Pipinum. Caput. xxxviij.

CHINTASINDVS, puero ut diximus tonsorato, ad Regnũ, uolentibus Proceribus peruenit. Quod añis tenuit uiginti. Quo tẽpore adhuc uiguit in Frãcis de Maioritate dissensio. Nã Ansigisus Pipini Brenis pater: quẽ Proceres, præterito Ebruino, Atilæ Chintasindus Rex.

no, Atilæ præfecerant: à Gunduino, qui studeret Ebruino, perimitur indigna morte. quòd ille multis ac magnis muneribus affecisset. Repertitius erat infans Gunduinus. Ab Ansigiso excipitur: ad baptismi gratiam, illo adnitente perducitur. Manibus eius sustinetur. Affectu filij ab illo educatur: & ad maximos militiæ honores per eundem prouehitur. Nunc illum, malè gratus, manu sua perimit. Sed Pipinus filius, accito Martino, ex Ducibus primario: bello aduersus Ebruinum insurgit. In quo uicti, fugam ineunt Pipinus, atq; Martinus. Ebruinus autem euocatum postea Martinum perdit. At cùm Ebruinus uersus in superbiam, acerbè Proceres haberet: Heruenfridus Neustriæ primarius, illum peruicit: confugiens ad Pipinũ. Pro occiso autem Ebruinó, Vuaraco maior domus constituitur. Pipinus autẽ semel accęptam dignitatem fortiter defendit. Nam Gislemarum Vuaraconis filiũ, bello superat: & ille cum parente Breni concessit in fata. Bertarius autem gener Vuaraconis, dignitatem Maioratus aduersus Pipinum, fauente sibi Rege Theodorico, defendit. Pipinus autem, & Regi, & Bertario se opponit: utrunq; sustinens in bello. Et quidem graui prælio cõmisso, Bartarius opprimitur. Rex ipse capitur. Iam sine controuersia Maior domus factus, Francię statum in meliora reponit. Quam rem ideò sumus prosecuti: quòd propria Vuisigotorum facinora nõ tenemus. Nam & ex hac propagine natus est Carolus omnium clarissimus: cuius in alijs nostris descriptionibus præclara monimenta recolimus.

Pipini uictoria.



¶ Flauius Rescindendus patre regno renunciante, Rex declaratur. Is Sarracenorum attigit tempora. Vnde Vuisigoti dicti sunt. Caput. xxxix.

Flauius Rescindendus Rex.

FLAVIVS Rescindendus, patre ob senium dimittente Regnum, adhuc uiuenti succedit. Peruenit iste ad calamitosa tempora: quibus Sarraceni magna parte Asiæ in suam ditionẽ redacta, ex Ægypto Aphricam omnem occupauêre. Et ex illa transmittentes in Hispaniam uenere Abdirama Duce circa Annum Domini Septingentesimum decimum. Hi Vuisigotorum Regnum, Sueuorumq; sub illis (ut supra commemorauimus) degentium, sustulerũt: ut uix tenuis quædam portio, quam Ducatum Aquitaniæ dixerunt, illis remaneret. Finitum hoc tempore Regnum, quod añis plus quàm trecentis in Hispanijs Goti tenuêre. Hi, quos Vuisigotos, hoc est, Occidentales dixêre: non ob eam causam, quòd in occidua mundi parte in Hispania regnarẽt: sed quia hoc nomen ad Danubiũ renouatũ, ex primęua sua patria Suecia secũ extulere. Vbi hodiè quoq; discrimen est Orientaliũ, & Occidentaliũ Gotorũ. Ex prima aũt illorum de Suecia egresione, ad hęc usq; tempora Leonis Imperatoris, paulò minus annorum

Vuisigoti Occidentales cur dicti.

annorum ad duo milia ducenta, quibus gens iſta primùm ad Cimmerium Boſphorum, inde ad mare Ponticum, poſtea in Thracia atque Mœſia: inde ad ripam Danubíj: iterũ in Thracíjs: poſtea per Italiam, & Hiſpanias, res maximas, Regnis conſtitutis peregerũt, computant.

¶ Eudo Vuiſigotorum Dux, Carolo Martello bello maximo congreſſus, deuincitur: amiſsis & proſtratis. 300000. Sarracenorũ. Sine prole decedens, ceſsit Prouincia Carolo. Caput. xl.



VDO non iam Rex, ſed Gotorũ Dux: in anguſtum inde à Sarracenis, hinc uerò à Francis artatus: rebus prȩfuit labore plurimo. In Francis tum rem adminiſtrabat Carolus Martellus, uir ad arma natus: Pipini Breuis filius: & quem niſi illo ſȩculo fata dediſſent: Sarraceni ſicut Hiſpanias, ita Galliam quoque omnem ditione tenuiſſent. Emerſiſſe ferunt adoleſcentẽ hoc modo. Conuentus erat omnis per Franciam Nobilitatis: & poſt feria quæ agebantur, ludi militares ex more agebãtur. Incurrerant infeſtis inuicem haſtis: Sociali (ut uocant) haſtiludio. Martellus ad eũ diem incognitus, & qui nullo precio eſſet apud cæteros: firma ueſte, & armis omnibus in atrũ deformatis, in clypeo tres martellos ſimili colore prȩferebat. Tectus uenit in æquor. Tectus occurrit obuius omnibus: & quencunque illi ſors obíjceret, ſine diſcrimine proſtrauit. Verſi omnium oculi in atrũ militem, curioſi quærebant omnes, quis ille eſſet? Nec facilè inuentus eſt qui diceret: cunctis æquè ignorantibus. Ad poſtulata uirginũ ac dominarum, galeam detraxit: & inuentus eſt Carolus Pipini Breuis filius: inde cognomen mutuatus, ut Martellus diceretur. Verumtamẽ quàmuis Sarraceni gens impuriſsima, latè tunc permittente Deo, Imperium ſuum propagaſſent: Cantabri tamen, & Aſtures, qui nouiſsimi in ditionem Romanorũ conceſſerunt (ita labente Romano Imperio) ſoli ſe armis, protegente fide Chriſti, tutati ſunt: ut neque primùm Gotis, nec deinde Sarracenis unquàm ceſſerint. Hæc eſt quæ nũc Gallicia dicitur: genus hominum inuictiſsimum. Sed ad Eudonem reuertamur. Cùm is eſſet rerum ſtatus in Francia, ut Dagoberto ſecundo, Childeberti Regis filio, regiũ nomen tenẽte, Plectrudis relicta Pipini Breuis, pro filio paruulo Theobaldo res Regni adminiſtraret, Carolúmque Martellũ, prioris matrimoníj Pipini filiũ, iuuenẽ ſtrennuũ, in uinculis haberet Colonia, Dagobertus morte ſubtrahit, et Martellus uinculis elabit. Interim Franci cum aliũ prȩfeciſſent Aulȩ, & Regiũ ſemen non haberent, Danielem quendã ſacerdotem, quòd bonȩ exiſtimationis eſſet, appellatũ Chilpericũ, capillo ouiũ, & barba promiſsis, Regem ſalutauêre. Martellus autem Clotarium quendam, Regíj ſanguinis uirũ, ipſe Regẽ cõſtituit. Ita duobus Regibus, duobus etiã domibus Maioribus, res ad pugnam

Eudo Rex.
Carolus Martellus.
Cantabri, Galliciæ populus.

pugnam peruenit. Chilpericus Ranfredum maiorem, & Frisonum Ducem, suarũ partium habuit propugnatores. At Martellus cum idolo suo delectum militum habens, se ad prælium comparauit. Inita pugna cessit Martellus, at renouato prelio, uictor fugat Chilpericũ. Eum fugientem Eudo Gotus, quòd in acie illi auxilium tulisset, exceptum, secum perduxit in Vasconiam. Martellus autem Ranfredum Andegauiam petentem, cum ciuitate in deditionem accæpit. Clotarius uita decedit. Tum Martellus missis in Vasconiam ad Eudonem Legatis, Chilpericum reposcit ad Regnum. Ille fidei illius commendatum, remittit. Non tamen diu superstes erat, quin rebus excedens humanis, Theodoricũ Dagoberti filium, cunctis in commune Proceribus hoc approbantibus, habuit Regni successorem. Sed rerum omnium administrator Martellus erat. Intereà dum idẽ Martellus per Germaniam, cui ex longa successione Regum, Francię prçerat, primum Sueuis, inde Boiaris, postea etiã Saxonibus domitis, omnia prosperè gessisset, uertere arma constituit in eundem Gotũ. memor, quòd ille prioribus ipsi annis restitisset. Eudo uiribus impar tanto hosti. quòd omnes in se Germanorum, & Gallorum uires uidisset conuersos, auxilium undecunq; postulauit, etiam ad baratrum iustæ defensionis præsidium euocasset. Itaq; Abdiramam Regem Sarracenorum in Hispanijs regnantem, suæ defensioni prætendit. Magnus utrinq; conatibus bellũ paratur. Acerrimis odijs concurritur. quòd indignaretur Martellus, Christianorum hostem, à Christiano Principe inuocatum. Tantis uiribus concurritur, ut confecto prælio, cùm uictoria apud Martellũ esset, plus quàm trecentena Sarracenorum milia in ea pugna cæsa inuenirentur. Solet enim ea gens usq; hodiè, non tam industria, quàm multitudine pugnantium fidere. Congestis spolijs, Martellus milites suos donat. Sed Proceres uiribus exhausti, quęrũtur, per crebra, & longinqua, diuturnaquè bella ita se exhaustos, ut nisi insigni aliqua Principis prouidentia adiuuarentur, actum de illis esse. Tantum æris alieni conflatum, ut suis facultatibus nullus esset exitus. Motum Carolum, ferũt suasisse Pontificibus, sinerent Cleri Decimam, quàmdiu bella aduersus Christi hostes gererentur, Proceribus. Illum quàm sanctè iurasse, si uiueret, magnificè omnia Clero repensurum. Eudo, quo uocante Abdiramas in Franciam demigrasset, Martello reconciliatus, magnam cladem in eos qui superfuêre hostes, fecit. Breui aũt rebus excedens humanis, cùm filios non reliquisset, Carolus Prouinciam suæ fecit ditionis.

Sarracenorũ. 300000. occisi uno bello.

Prouincia Franciæ iuncta.

ALBERTI



ALBERTI KRANTZII
Hamburgen. Chronographi,
Rerum Suetię gestarum,
LIBER V.

X SECVNDO RERVM SVETIcarũ Libro digresi, prosecuti sumus GOTORVM, quæ huius gentis portio est, præclara facinora, per residuam Secundi Libri partem, & duobus proximis executi: quæ Gotica gens per Thracias & Pannonias, per Illyricum & Italiam gentem inde egressa in Gallias, & Hispanias, quę Regna fundarit, tenueritq; usq; ad tempora Caroli Martelli, qui auus erat Caroli magni Francorum Regis, & deinde Romani Imperatoris, explicuimus. Res aũt Sueticas per annos Trecentos, & amplius, aut inuidit nobis Antiquitas, aut subduxit. Nihil enim in literas relatum est de ijs. Quam nos defectionẽ Goticis rebus compensauimus iamdudum commemoratis. Sed cùm illi Regno in Gallijs & Hispanijs finis sit factus per Carolum Martellum: tandem in Suetiam redeuntes, exequamur quæ nobis ad illa tempora sunt ad cognoscendum relicta. Fatemur tamẽ: non usq; adeò deletam Gotorum in Hispanijs memoriam, quin etiam post ea tempora diu perseuerauerit apud Barchinonem clarum gentis uocabulum. Sed ut sunt rerum omnium certi limites, gens gentem perculit, & nomen eius Posteritas intermittit: succrescentibus nouis ubiq; Regnis. Quod enim Goti in Hispania fecêre Romanis: hoc ipsum passi sunt primùm à Saracenis: & deinde à Francis. Inter quas Gentes cõangustati Goti, paulatim uires amisêre, & ex Regio nomine, ad Ducalem Principatum descenderunt. Ex illo autem paulatim etiam imminuti, cum uiribus nomen diu seruatum amisêre. Sed in Patria prouincia, semper, usq; in hodiernum tenuerunt: nullo facto discrimine inter Sueticam, & Goticam administrationem. Ex hoc enim tempore Goti, qui in sua semper patria perstitêre, Suetiæ Regno adunati, unis Legibus & sceptris semper paruerunt. Igitur ualefacto forensibus Gotorum rebus, ad Sueticas ex hoc tempore commemorandas stylum uertamus.

Continuatio ad præcedentia.

Gentium uicissitudo.

Sueci, Goti.

¶ Fro Suetiæ Regis libidinem & constuprationes, muliebris exercitus uindicat. Caput. I.



VM Romano Imperio Ludouicus Caroli Magni filius præsideret, Suetiæ Regnum tenuit Rex, cui nomen erat Fro. Huic bellum erat cum Siuuardo Noruagiæ Rege:

Fro Suetiæ Rex.

Rege:incertum quibus ex causis. Sed exitus ostendit intemperantem fuisse libidinis hunc Suetiæ Regem. Vnde facilè conijcimus: ob petitas nuptias, aut denegatam amoris sui copiam, bellum exercuisse. ut erat crebra illa gentium Borealiũ, prius quàm Christo crederent, belligerandi materia. Suetię igitur Rex Fro, magno animi ardore, armatas copias duxit in Noruagiã. Collatisq́ aciebus, uictor Suecus, Noruagiæ Regem oppresit: & Regno per uim occupato, laxauit fręna libidini: Regiasq́ fœminas quotquot deprehendit, constuprauit. Ingemuêre Proceres. Quid uerò facerent uictori? Cuius armis cesserunt, eius imperia tolerare necesse fuit. Respexêre tamen Daniæ Regem Regnerum, adolescentem ab armis, sed feruentẽ ad uindictam patriæ regionis. Erat enim illi maternũ genus ex Noruagia. Imploratus ille uenit: oppresis futurus auxilio. Nobiles fœminæ, aut iniuriam passæ, aut quæ formidauêre, uenienti Danorũ Regi armatę occurrunt. Nec enim tùm primùm in ea prouincia armari fœminarum agmina audiebantur. Vetus illud fuit in gente. Quod in Dania, & Noruagia, & supra in his Sueticis rebus aliquoties ostẽdimus. Collatæ acies pugnauerunt. Insignis erat uirtus fœminarũ. Et tum temerator nuptiarum Fro Rex, oppressus cadit. Pulchrũ erat uidere, fœminas in aciem pręliantes. Cæsariem demisere, sexum professę: quo illustrior uirtus esset in corpore, quod per naturam creditur imbecillũ. Sed arsit dolor iniuriæ uel acceptæ, uel formidatæ, in pectore fœmineo: euicitq́ pertinacia uindicantium: ut faterentur uicti, uictoresq́, eam accæpto ferre uictoriam præliantibus fœminis. Adeò ad pericula primæ, adeò interritæ ad arma fortiũ sunt conspectæ. Turgentibus buccis Græci Pentesileam, Romani Casmillam prædicant. Si talia reperirent in suis Antiquitatibus uirtutũ exempla: qua uoce detonarent? Quanquàm Gręci Pentesileam Gotis debeant: ex quorum illa sanguine, quod supra suis locis ostendimus, prodierit. Tum uerò Suetiæ Rex geminas pœnas dedit, & inuasi Regni, & honestatis corruptioni.

Daniæ lib. 4. cap. 6. Noruagiæ lib. 1. cap. 37.

Exercitus muliebris.

Fro Rex cadit.

Supra lib. 1. ca. 8. 9. & 10.



¶ Heroti Suetiæ Regis filiã, Regnerus Daniæ Rex, Draconum expugnatione meretur. Haraldi primi plantatoris Christianismi in gente sua, fit mẽtio.

CAPVT II.

HEROTVS illi Suetiæ surrogatus in Regno, cuius perinde uel maximè nomen inclaruit: quòd insigni forma puellam filiam eius, coniugem deposceret Regnerus Daniæ Rex potentissimus. Iam autem satiatus amore eius puellæ, quam pro fortibus factis in prælio, quod gesserat in NORVAGIA, idem admiratus, coniugem duxit. Quæ etiam repudiata; non se de contemptore suo

Herotus Rex.

suo uindicauit: sed prælio laborantem (quod in Dania diximus) armis adductis fecit esse uictorē. At Regnerus Heroti Suetiæ Regis filiam coniugem deposcit. Negare tutū non fuit: sed armis (ut tùm consueuerant) petenti amatā uindicare oportuit. Tali uerò genero filiam permittere, perquàm optabile uideri poterat Sueonum Regi. Sed tamen ea tum inerat sententia uiris primarijs: ut filias suas nemini desponderent, nisi qui præclaro facinore comeruisset: Nobilitatem non sanguini, sed præclaris facinoribus deferentes. Igitur filiam Regis deposcenti, proponitur conditio superandarum beluarum. Res mira dictu, sed quæ in Antiquitatibus memorabiliter scripta legitur. Potuit per aliam uiam Rex potentissimus, qui pridem Noruagiam sub egisset, cupitis perfrui amoribus: indecorum tamen ratus, à se quicquàm difficile pro ea Virgine recusare: duratā uestem comparat: quam neq; ferrum, neq; dentes beluarū possent ulla ui peruincere, atq; perstringere. Eaq; indutus, beluas expugnauit. Dracones extitisse, uult Danicus ille Scriptor Saxo, quos pro amoribus Rex iste perculit. Vellem adesset: ut ostenderet, quomodo sub algidissimis Aquilonibus Draco uiueret, animal feruidissimi sanguinis. Cetæ grandia prius deprehendas in mari, quàm Dracones in saltibus. Sed fidē antiquitati non derogamus. Ille suos secutus Autores, hoc scripsit quod repperit. Nos itidem facientes, fidem reijciamus in primos Annales. Rex Suetiæ Herotus, Daniæ Regem fortè incognitum (sic enim placuit Veteribus à uirtute conseri, cognoscíq; magis, quàm à Stemmate patrum) propositæ militiæ munere functum, uictoremq; deuocat in Regiam, ueste qua pugnauit indutum. Quare nomen illi indidit: ut Lochbrot lingua suæ gentis diceretur. Ille se remiges suos primùm inuisêre uelle præmonet. Ibi tum Regio cultu, famulitio cinctus splendido, Regiam petit. Tùm primùm conspexisse ferūt Suetiæ Regem, quis, quantúsue fuerit, qui pro sua filia tantū putauit periculi subeundum. Nec mora: optatis potitus nuptijs, multiplicis inde sobolis fructum accæpit. Nec alia huius Suetici Regis ulla in Antiquitatibus memoria est. Hæc tamen illa esse tempora meminisse debemus: per quæ Haraldus primus ex Dania Rex, Christianismum Moguntiæ, sub Imperatore Ludouico primo accæpit: missusq; cum auxilio in Regnum, Saxonum uiribus peruenit in Iutiam: secum trahēs Anscharium, tum adhuc nouæ Corbiæ monachum, postea Hamburgensem Archiepiscopum: ut in Dania prædicādo Euangelio incumberet. Sed cùm minimè tum prosperaretur Haraldus: iterū atq; iterum repulsus armis: non potuit nisi clam, diuini Verbi semen in terram iaci. quippe Rege Regnero cum filijs, quos multos habebat, promptissimè patrijs erro

Noruagiæ lib. 1. ca. 40. Daniæ lib. 4. cap. 6. & 7. a.

In Saxonem.

Haraldi Christianismus. Daniæ lib. 4. cap. 7. c. Noruagiæ lib. 1. ca. 40.

ribus inhærente.



Sorlus Heroto succedit: quem Regnerus cum tribus filijs suis, octonem duello deuincit: tum prelio interimit. Caput, iij.

Sorlus Rex.

SORLVS Heroto in Suetiæ Regno succedit. Hunc lingua nostra Carolum dici coniecto: quem tum Dani Sorlum, Galli etiam Arlum uocitant. Cùm autē audisset Daniæ Rex Regnerus: præteritis leuiris suis, alienum hominem Regno incumbere, dissimulandū non putauit. Nam ad se quoque eius rei contemptum pertinere interpretatur. Itaque Regnerus conscripto in militiā grandi exercitu: assumptisque tribus in societatem expeditionis filijs: qui iam per ætatis ferendis armis uidebantur idonei, mouit in hostē. Vbi autem ex propinquo Reges castra sunt metati: prior Sorlus, suæ partis insignem, septem cum filijs pugilē, iubet aduersus ex castris prouocare uel Regem, uel alium quemlibet totidē filiorū auxilio prædictum. Sic enim comparatū est apud Veteres huius nationis homines: ut parens cum filijs una persona censeretur. Quod idem Imperatorum nostrorum Leges non refugiunt. Regnerus Daniæ Rex, magno uir animo, octonis congredi, quartus ipse tum recusauit. Attamen indecorū reputans, si ulla conditione Suecis concederet: animis auctus, pugnæ sortem subijt, quatuor octonis obijciens. Sic enim cōuenerat: ut cuius partis pugiles superarentur, is Rex uictus censeretur. Duabus rebus Suetici Regis ius excellere putabatur. Quòd non ipse pugnæ sortem subijt, Rex aduersus Regem pugnaturus: sed alium submisit, Daniæ Rege in persona decertāte. Deinde: quòd octo aduersus quatuor confligere uidebantur. Regnerus tamen interritus: assumptis tribus filijs, descendit in campū iam metatum: Suetico pugile cum septem filijs occurrente. Ibi pro uictoria, proque uita acriter certatur. Omnes qui prælio interfuêre, grauiter uulnerati sunt: preter unum Regneri filium Biornem: qui ex ea re nomen accepit, ut Ferrei lateris diceretur. Igitur uictor illo certamine Regnerus: non solū oblatos pugiles oppressit, uerùm exercitu aduocato, totis uiribus conflixit cum Sorlo: eiusque copias, cum ipso, ad internecionem deleuit. Ita Regno potitus, quem uoluit Regem imposuit.

Daniæ lib. 4. cap. 8. a.

Duello uincit Regnerus.



Regnerus uictor, Biornem filium Suetiæ Regem declarat. Hesberni filiam stuprat: ex qua natus Vbbo, bello capitur, patre strato. Caput, iiij.

Biornis Rex.

BIORNIS Regneri filius, quòd in pugna insignem operam nauasset: paterno munere Regno Suetiæ præficitur. Iam quod in occupatore Regni antea uindicabat, ipse faciebat: legitimis

legitimis hæredibus præteritis, alienum præficiebat. Sed est, quod sepè aliâs compertum habemus: Regna & Imperia non legibus, sed armis & capiuntur, & conseruantur. Cùm autem Regis pater Regnerus prouincias filij obiret: multa circumspiciens, quæ adolescentes fallerent: ut erat intemperans libidinis, Primarij cuiusdam in Suetia uiri filiam, insigni forma puellam amauit. Nec ui, sed insidijs agendum putauit: ut amore potiretur. Sumpta igitur fœminea ueste, per multos gyros peruenit ad amatam: seq; quis esset aperiens, oppressam puellam reliquit pregnantem. Pater ubi filiæ crimen deprendit: puellam adortus, autorem criminis uoluit extorquere. Illa flens, uim se passam queritur à potentissimo, simul & nobilissimo uiro. nec ultra adijciēs, patrem in suspicione reliquit. Ille plenus irarum, Regem Regnerum aggreditur: uim filiæ quæritur illatam: adolescentiorem Regem suspiciens. Non tamē accusauit, sed atrocissimam domui suæ questus illatam iniuriam, poposcit ultionem. Rex percunctatus, quem accusaret. Incompertum sibi esse uiolatorem ostendit: sed Regia inquisitione perquisitum, latere non posse. Tùm Rex seuocatum, secretius admonuit: quicquid illud foret, quod filia eius gestaret in utero, suum esse: proinde quiesceret: filiam suam non esse ignobilis adulteri scortum. Ille iram in tempus dissimulauit. Sed amicis eam quæstus cum lachrymis uim: multos permouit: ut facilè Danos alieno Regno incubantes, odissent. Tantorumq; sibi promissa sunt auxiliaria arma: ut si Duces Suetiæ illi accederent, facilè Danorum Regem Suetia, cum filio pelli. Pertentati sunt Duces: si uim passo, ad ulciscendum iniuriam accederent? Illi nihil, nisi ex sententia Regis sui Biornis acturos se responderunt. Tentatus ille quoq;, submissa legatione, quæ improbam patris libidinem accusarent: Biornem quoq;, nisi uindex accederet, unà simul cum parente, odio omnium esse inuoluendum: Proinde uidere, quid Regno suo conduceret: patrem, an Regnum mallet relinquere. Valuit apud Biornem amplius paterni nominis reuerentia, quàm aut ulla promissa, aut minæ quantælibet. Reiecit indignans Oratores. Hesbernus (id enim erat patri puellæ nomen) ubi neq; à Rege, neque à Ducibus suppetias retulit: suorum fretus armis amicorum, quos non paucos in Suetia, atq; Noruagia habebat: duxit in Danorum Regem Regnerum: nepotem ex filia (iam enim adoleuerat) Regneri filium, secum in arma ducens. Sed tum Regnerus uictor, Hesbernum fudit: uiresque illius profligauit. Vbbonem filium captum: quòd maternum animum potius, quàm patrem sequeretur, ad ueniam peruenire fecit. Biorn autem cùm aliquot annis Sueticis rebus præfuisset, tùm concessit in fata.

Daniæ lib. 4. cap. 9. a.

Hesbernus cadit.

 ¶ Vuichsertum



¶ Vuichsertum Suetiæ Regem, Daxon Orientis Rex insidijs captum, cum duodecim militibus igne absumit. Regnerus filij mortem, mira clementia uindicat in Daxone. Caput. v.

Vuichsertus Rex.

VICHSERTVS inde Regneri alius filius, Suetiæ rebus succedit: cùm antea Orientis partibus, parta ibi uictoria, eundẽ gubernatorem reliquisset. Dion Rex erat orientis: cuius filij Dian, & Daxon, Rusſi Regis filias matrimonio sibi coniunxêre: armisq; freti socerorum: in Vuichsertũ Suetiæ Regem bellum excitant. Namcùm pater Regnerus, Hellespонticos uicisset, Legesq; uictis dictitasset: Vuichserto filio Suetiæ Regi, uicinarum sibi partium permisit Imperium. Operæpreciũ est hic intueri: quos uocet Saxo noster Hellespon ticos. Non eos, qui angusto incubant mari, quod Europam, Asiamq; disterminat. Nam ad illos Rex Daniæ aut Suetiæ, quo modo peruenisset? Sunt enim multa centena milia, quæ separant terras: nullo illic mari interfluente, quod peruiũ præstet iter Danis ad Græciam. Sed quoniã Dionis filios, Rusſi Regis filias matrimonio duxisse asserit: Vuichsertumq; in eos Principes mouisse exercitũ: gentem Rusſis nõ longinquam ille uocat Hellespонticã, non quam Ptolomęus, & cęteri omnes Historici, & Geographi illo nomine dignãtur. Daxon qui solus patri supererat (nam parentem, & fratrem eius, Regnerus magno prælio oppresſit) cùm in aciẽ ductilibus rotis, equos æneos, rumpendis ordinibus immisisset: is inquàm Daxon, cum Vuichsertũ Suetiæ Regem armis superare diffideret, ad insidias uertitur. Nam facta cum illo pace, ut credebatur integerrima: in una urbiũ Orientaliũ, quam Sueci pridẽ ab hostibus cęperant, conuiuio excipitur Daxon ab Sue corum Rege. Ibi omnia ex fœdere se agere asſimulans, specie mercatorum multos suorũ iubet introire. Nemo dolos sentiebat. Excæpti urbe omnes aduenæ, quasi merces uarij generis importantes, infinita multitudo cõfluxerat. Vbi nox incubabat: ad arma uersi Orientales, inuadunt Suetiæ omnes parentes. Rex ipse magna circumfusus multitudine, capi non potuit. Aceruum magnũ circum se fecit trucidatorum. Sed iam fatigatus cæde, cùm euadere tumultu cæsorũ non posset, capitur. Duodecim cum illo fidisſimi milites capiũtur item. Quibus redeundi in patriã permissa optione: eligunt, & proponunt, cum Rege suo mori, quàm illo deserto uiuere. Victor Daxon, Vuichsertum miseratus: quòd esset egregij corporis dignitate conspicuus: uitã illi permittit, si patiatur aut se superiorem, aut Imperio parem habere.

* Cui ille. Paternum uultũ captus, & uictus, non perfero: mori malim,
* quàm tuo beneficio uiuere. Miratus Daxon, quid tã obstinatè mori

In Saxonem.

Hellespontica gens quæ.


Daxonis insidiæ.

uellet:

uellet: arbitrium saltem eligendæ mortis admisit. Neq; hoc inquit acceptum fero. Nam scio, patrem segnius in ultionē armari, si degeneri me animo, audierit mortis genus delegisse. Ille subsequitur. Quid ait, si me uersa rerum fortuna captū teneres, moriq; uolentem: quo genere absumeres? Incēdio, ait ille. Idem ergò tibi erit exitus, ait uictor. Igitur cum captis comitibus, extructo rogo, uiuū superiniecit. Pater ubi comperit: incōsolabili dolore perculsus, ab uxore increpatus est: Cur se dolori permitteret: & non potius uirum esse se meminerit. Qua uoce animatus, ultionem parauit. Igitur ducēs in filij peremptorem, turmarum Præfectis præceptum dedit: super omnia, capiendi, si ullo modo fieri posset, Daxonis: ut uiuus in eius perueniret potestatē. Nec illum spes frustrata est. Captum enim hostium Ducē, perduxerunt ad Regem. Ibi animi generositatē ostendit: solis uinculis coërcens, quem potuit acerbissimo cruciatu excarnificare: uictor primùm hostis, deinde sui. Potuit illum ad clementiam & hoc inuitare: quòd accepisset, filio uiuendi esse ab illo arbitrium permissum, quo uti uoluisset. Sed tum hosti etiam libertatem reddidit: tributa añua, cum duodecim Patribus discalciatis pensitaturum. Ea se contumelia grauius uindicatum existimans.

Daniæ lib. 4. cap. 9. b.

Mira Regneri in hostem clemētia.



¶ Regneri cum filijs describitur expeditio maxima mari & terra. Ericus alter ex filijs Suetiæ Rex, ab Osteno opprimitur. Caput. VI.

ERICVM deinde alium filium (nam erat multa prole numerosus Regnerus) cui Ventosi pilei cognomen erat. Regno Sueciæ pater præfecit. Biornem autem dudum inde translatum, iussit in Noruagia regnare. Quibus filijs in societatem belli euocatis, Orcades populatur. Ad extremum Scotorum finibus appulit: eorumq; Regem Murial, prælio uictū, pariter oppressit. Quo tempore longinquā ingressus militiam, mare Mediterraneum longa circūitione petiuit. Inde etiam assidua in Orientē nauigatione cùm Hispaniam omnem reliquisset: et in Austrum flexus, in Orientem inde uersus, uerum illum Hellesponticum, ad angustias Europæ atq; Asię scribitur peruenisse: obuia quæq; populatus. Nec hoc mirum censeri debet. Nam & Italorum testimonio, in Noruagia nostra ostendimus, Danos ad Constantinopolim per occiduas mundi partes nauigando peruenisse, eiusquè suburbia igni, ferróq; uastasse. Facilè tū rebus, & uiribus exercitatissimo fuit, uincere Græcos, ciuilibus bellis inuicē attritos. Mirum tamē: qua audacia, in tantū pręsumptionis erupere Dani, ut circūita magna parte orbis terrarū, uires in tam longinquā extenderint regionē. Hoc quoq; admiratione non uacat, cùm breui sæpè traiectu, grauia maris

Ericus III. Rex.

Regneri expeditiones.

pericula imminerẽt: quomodo tam diuturna nauigatione nihil incide rit, quod eam remoraretur: præsertim nauigijs Danorũ in hoc genus fluctuum marinorum minus conuenientibus. Sed erat ea tempestate Danis à cœlo permissum: ut terris omnibus, quas contingere potuissent, graues imminerent. Tunc enim littora omnia maris Germanici, & Britannici habuêre infesta. Tunc Britanniam impugnauêre crebrius: Gallias occuparunt: & ea non sine Numine faciebant, quæ ante illos Goti, & Huni, & post eos Sarraceni, Turcæ, & Tartari factitarũt. Prætereo Vuandalos, & Vngaros: quorum excursiones (incredibile memoratu est) quot terris & regionibus uastitatẽ induxerũt. Sed per hæc tempora inquietæ erant Galliæ ciuilibus bellis: Italia emasculata: ut nihil ibi uiriũ remansisse uidebatur. Grçcia tumultuabatur. Iam tanta Imperij facta diminutione, ut per Carolum magnum, ante hçc tempora, occidentale Imperium, ab Orientali maneret separatum. Sed nunc ad Suetiam nostrã reuertamur. De Erico Rege post eam cum patre expeditionẽ, nihil memorabile legimus, nisi quòd ab Osteno Regij sanguinis uiro uictus, & oppressus, uita simul & Regno excessit, æmulo relinquens Principatum.

Erici Regis mors.



¶ Ostenus Suetiæ subtruditur. Regneri mortem filij ulciscuntur in Hella. In Ostenum tum parantes bellum, incerta clade mutuò atteruntur. Caput. vij.

OSTENVS uir Regij sanguinis, incertum quo parte cretus, oppresso Erico Regnum occupauit. Pertæsum fuit Regni Proceres, tanto tempore Danorum de sanguine Reges illis imperare. Iam pater Regnerus Rex uictoriosissimus, in fata concessit: defuitq́ꝫ, qui pro filijs uictricia arma circumferret. Ille quidèm captus ab hoste Britannorum Rege, & in carcere excruciatus, quod multis intulit, passus est. Miserabilis exitus, & Regi insolitus. Filij eius ubi audiuêre paternam calamitatem, Iuuarus quidèm tum spectaculum edidit populo, nec passus est uultum demittere, sed in eadem perstitit hylaritate. Populum autem quem rumor perculit, ubi demissiore uidit animo, uetat theatro excedere, sed ad finem usq́ꝫ spectaculi perdurare. Siuuardus eodem quo comperit momento: telo, quod manu gerebat, pedẽ proprium percussit, planta perforata. ut indignationẽ exprimeret, quam animo concçpit. Biorn fortè aleam exercebat, ubi nuncius paternç necis aderat, talos quos manu tenebat ita compressit, ut cruor de manibus stillaret. Hoc primo parentationis genere in parentem usus. Hella uerò Britanniæ tyrannus, qui Regum patrem peremerat, ubi audiuit, qua fronte parentis necem filij excæpissent, Iuuari profundiorem iram interpretatus, uehementius timuit, qui altius animi dolorem abscondit.

Ostenus Rex.

Daniæ lib. 4. cap. 10.

ſcondit. Nec falſus eſt exiſtimatione ſua. Omnes enim Regneri filij in eum duxêre: ſed acerbius nemo inſectatur Iuuaro. Nam apprenſo in littore oppido, ipſum communiuit: importatis ad ſufficientiam commeatibus. Inde auctus fratrum uiribus, mouit in reliquam Angliam. Crebris uaſtationibus Hellam ad arma exciuit. Nam expedito agmine Danis ſe opponit, manuſq; conſerit. Sed tùm uictus ille ceſsit: captuſq;, ad cruciatum ſeruatur. Memores enim filij, parentem ab illo ſuum, ſerpentibus immiſsis excruciatum, atrociorem pœnam excogitarunt. Vulturem illi à tergo famelicum imminere curarunt: qui uiſceribus ſuis paſceretur, donec exhalaret ſpiritum. Hæc quidem Sueticæ rebus aliena: inſerenda tamen pro ſui nouitate putaui. Cæterum Oſtenus Suetiæ Rex, ubi Ericum, fratrem Iuuari, Biornis, Siuuardi Regum oppreſsit: ſciens, quanta illi iminerent à fratribus bella: Regios portus & arces comuniuit: exercitumq; conſcripſit ualidiſsimum: tutaturus quod inuaſerat Regnum. Fratres autem oppreſsi Regis, & ipſi Reges, in ultionem armantur. Agnerus Angliæ, Iuuarus Daniæ, Biorn Noruagiæ præſidentes: agmina ſua iunxerunt, in Suetiam mouentes. Sed dum alienum ſitiũt ſanguinem, impenderunt proprium. Nam Agnerus Angliæ Princeps, ibi cum multis milibus cæſus occubuit. Nec tamen Oſtenus uictor fuit. Siquidem mutuis attriti cladibus incertum reliquerunt, quo loco uictoria conſtiterit. Nam cruentiſsima erat ubicunq; fuit.

Hellæ mors horrida. Daniæ lib. 4. cap. 11. a.

Agnerus cadit.



Sturbiornus Suetiam ſubit. At ea per Ericum fratruelem pulſus, uix præcibus, ex Rege fit Regni Præfectus. Caput. viij.

STURBIORNVS erat Biornis, pridem Suetiæ, inde Noruagiæ Regis filius, qui proximus ſceptra Suetiæ legitur tenuiſſe. Nam ea tempora apud Saxonem noſtrum turbatiſsima ſunt, multis in medio rebus omiſsis, et Regum nominibus uix recenſitis. Erat ea tempeſtate in Dania Ericus Rex, quem ſibi beatus Anſcharius familiarem effecit, eius indulgentia prædicans in Dania Chriſti Euangeliũ, ad nouiſsima Pontificatus ſui tẽpora. Ericus erat alius Regneri ex Olauo filio nepos, qui cũ fratre patruele Sturbiorno, de Regno Suetiæ armis grauiſsimè contenderat. Ea eñ fuerat Regnerus auus fortuna, ut filijs ſuis Regna partiretur plurima. Tenebat enim Daniã primario iure, cui præfecit Siuuardũ filium. Suetiam occupauit, in qua Biornẽ, inde Ericũ filios præfecit. Noruagiam quoq; tenuit, in quam tranſtulit Biornem. Sed Agnerum, poſt fata eius, fratres Angliæ præfecerunt. Tam latum filijs reliquit dominium. Sed, Non minor eſt uirtus, quærere quàm parta tueri.

Sturbiornus Rex.

Euangelij in Dania prædicatio.

Regnorum Regneri in filios partito.

Ingens

Ingẽs illa uirtutis acrimonia, paulatim in filijs elanguit: magis autem in nepotibus. Nam Sturbiornus, & Ericus fratrueles, ubi uires inuicẽ sibi opposuere, magnis se conatibus exhausêre. Sed tùm cessit Sturbiornus: uictor Ericus, Regno deturbauit Sturbiornũ. Ille concessit in Daniam ad Haraldum: quem ut artiori sibi affinitatis uinculo deuinciret: germanam illi despondit sororem in coniugẽ. Erat is Haraldus, qui ad tempora primi Ottonis peruenit. Cuius mater Thira Angliæ Regis filia, longissimum illum iecit aggerẽ, qui hodiè quoq; cernitur à mari ad mare porrectum. Pudebat, tedebatq; optimam fœminam: Saxones quoties uellẽt, in Iutiam irrumpere: ideò claustris uoluit cohibêre. Nam memoria eius Henricus primus Germaniæ Rex, Ottonis pater, exercitum duxit in Iutiam: Slesuicum occupauit, Coloniamq; fecit Saxonum: constituto ad eum limitem Marchione, qui uicinos populos in fide contineret. Ad cuius mortem cæso Marchione, pulsa est Saxonum de Slesuico Colonia. Non est passus Otto filius: qui expeditionem renouauit in Iutiã congressus Haraldo. Quod in Saxonia, atq; Dania diximus. Nunc ob eam tantum rationem commoramus, ut quæ tempora fuerint quæ nũc scribimus, innotescat. Haraldus ergò Daniæ Rex, à Sturbiorno leuiro, Sueciæ Rege imploratus, aderat. Iam copijs comparatis, ingressus mare, peruenit Hallandiam. Ibi accæpto nuncio: quòd Otto Romanorũ Rex, ingenti agmine Iutiam inuasisset, repedare compellitur: ut proprios magis fines tutaretur, quàm alienos inuaderet. Ita desertus Sturbiornus armis auxiliaribus: nec suis potens æmulum Regno pellere, quibuscunq; conditionibus pacem à Rege accipiens, Regni Præfectura donatus, quieuit. Appellauêre tum Præfecturam, quam hodiè Ducatum dicimus. Vnde & Slesuici diu dixerunt Præfecturam, quem nostri à multa & longa memoria Ducatum, ut est hodiè, habuerunt.

Ericus Rex. *Haraldus Daniæ Rex. lib. 4. ca. 19. & 20.* *Saxoniæ lib. 3. ca. 25.*

¶ Sueno Dania per Ericum eijcitur. Septennio exul, Erico mortuo, tandem Christum uerè professus, reuocatur. Olauus Erici filius, Suetiam tener adhuc deducitur. Caput. IX.



ERICVS Olaui filius, Regneri nepos, sine æmulo potitus Regno Suetiæ: memor, quòd Haraldus Rex in se copias duxisset, ab æmulo imploratus: iniuriam in filium Suenonem uindicare constituit: non sine spe, eum protinus Regno deturbandi. quòd iam ter captus à Vuandalis: Regnum ære, se autem uiribus exuisset. Amicisq; destitutus, ad uictoriam facilis putaretur. Nec illum spes frustratur. Siquidem congressus inuicem prælio Regibus apud Sialandiam, Sueno aliquandiu uires hostium sustinens: ad extremum uictus, fuga

Ericus Rex. *Daniæ lib. 4. cap. 23.*

fuga sibi salutem quæsiuit. Ita pulso Suenone Christianæ pietatis desertore, Ericus Daniç Regnum Suetiæ coniunxit. Instructus ergò duorũ Regnorũ Principatu: Daniæ crebrior, ne quid innouaretur, aderat. Septemq́ totis annis tenuit: quo tempore Sueno apud Scotiç Regem exulabat: cùm pridẽ à Britanniæ Principe, & Galliarũ Ducibus, suis ab olim cõgentilibus, contemneretur. Nam secuta est illum ultio diuina. quòd gemina impietate, in parentem Haraldum: & summum omniũ patrem DEVM nocentissimus foret. Nam (quod in Dania atq; Vuandalia commemorauimus) patrem, quòd Christianam foueret religionẽ: ciuili, imò domestico bello, impijssimè ad mortem usq; Regno deiectũ persequitur. Suscæptam aũt sub Ottone Rom. Rege, patrino suo, religionẽ, & ipse abiecit: & in omni Regno suo ut abijcerent, autor fuit. Sed ubi ex errore resipuit: ad cor reuersus, dedit illi pridem uindex, nunc propiciatus Deus, gratiã in conspectu Procerũ suorũ: ut post septem exilij sui annos, mortuo Erico Rege Sueciæ, in Regum Daniæ reuocaretur. Reuersusq́, Deũ integerrimè coluit: edicto emisso, ut passim omnes Christi religionem uirtutibus plenam ambirent. Sed Regina Erici Regis relicta, cùm filium Olauum ex Erico haberet: uerita, ne dum duobus Regnis incertò incumberet, utroquè frustraretur: relicto Daniæ Regno in manibus Procerum, quos Suenoni suo inclinare persenserat: in Sueciam, cui propter agnationem, & paternum ius magis fidebat, se contulit: Suenoniq́ Regnum suum uacuefecit. Ipsa autem filium tenerum, ad legitimos annos sub tutoribus educauit.

Daniæ lib. 4.cap.21.

Reuocatur in Daniam Sueno.



Olauus Erici filius, primus baptismate uocatur Iacobus, Suetiæ Rex, felici diuturnitate sceptra Regni tenuit. Caput.x.

OLAVVS Erici filius, post patrem Regno potitur: primus in Regibus Suetiæ, qui Christi religionem publicè acciperet: in fonte sacro lotus, Iacobi nomen suscępit. Fuère quidẽ priuatim plurimi, qui iamdudum in eo Regno, à memoria diui Anscharij Christi iugũ adsumpserint. In quibus erat Bircæ Præfectus: & multi sine nomine. Nam & Rembertus inmediatus Anschario Pontifex, & aliquot interpositis, Vñi Hamburgen. & ille Archiepiscopus, Christi fidem in Suetia disseminauère. Quo in labore peregrinationis Vnni (quod in Metropoli diximus) uitam impendit: tumulatus in ea quam diximus Birca. nisi quòd caput relatum est in sedem suam. Huius autem Regis matrem, Erici relictam, initio reditus sui in Regnum, Sueno Rex Daniæ sibi uxorẽ adsciuit. quo affinitatibus cõmunitus, securior foret aduersus omnes casus iniquos, quos multos ille præter

Olauus Rex Christianus primus.

Suenonis uxor Syritha.

cæteros

cæteros fuit expertus, captus, & exilio diuturno distentus. Ex qua coniuge Sueno filium sustulit Kanutum, omnibus Danorum Regibus prælucentem: qui etiam finitimorum omnium gloriam, rebus domi, forisque gestis obscuraret. Cuius in Dania plenam fecimus mentionem. Cùm eadē fœmina, ab Olauo Noruagiæ Rege, non illo sancto, primùm ludificata esset. Quod in Noruagia nostra recensuimus. Iste Olauus Christiano ritu iam Iacobus, satis feliciter, atquè diutinè sceptrū Regni tenuit. Cùm interea Kanutus uterinus frater eius, in Dania: & S. Olauus, huius quem diximus filius, in Noruagia dominaretur. Trium Regum optimorū felicissima tum Regna, dixerim, quando Christus omnium in medio, feliciter gubernaret. Erat autem Annus post natum Christum Millesimus, paucis additis: cùm in Romano Imperio ageret, itidem Rex S. Henricus eius nominis Secundus: si Romanorum Reges recensemus. Alioqui Imperatoriæ Maiestatis eo nomine primus erat: primus quoquè, qui de constitutione Electorum prodiret ad Imperium.

Cap. 25. & seq. Noruagiæ lib. 3. ca. 5.

Anno Christi. 1000.



¶ Emundus Suetiæ Rex, in Kanutū Daniæ Regem mouens, superatur. In Scania uincunt Sueci. Rex ἄθεος & tyrannus, tandem uetulus moritur. Caput. XI.

Emundus Rex.

EMVNDVS Olaui Iacobi frater, ex concubina natus, solo nomine Christianus, ad sceptra succedit: & ideò, quia ueræ religionis uel contemptor, uel dissimulator erat: non satis fuit rebus bello gerendis fortunatus. Filium enim Amundum, quem ampliandæ ditionis gratia misit in Orientem: statim bello oppressum amisit. Inita tamen belli societate cum Olauo, qui postea in Sanctos relatus est: Daniæ Regem Kanutum bello insequitur. Erat tum in Suetia uir primarius Vbbo: qui Estrocham Kanuti Regis germanam, pridem à Richardo Normanniæ Gallicę Principe repudiatam, coniugem promeruit: & is Regi Kanuto non satis gratus, autor oppugnandæ Daniæ fuit Emundo. Olauo autem Noruagiorum Regi, altera bellandi causa suberat. Quòd cùm in Angliam societatem belli cum Kanuto iniisset: neque captæ Prouinciæ illi portio prouenit: neque thori sociam, quæ Olauo inhærebat, ab iniuria potuit uendicare, quo minus à Kanuto contaminaretur. His incitus rebus Olauus, cum Emundo incentor belli esset Vbbo, mouerunt in Daniam. Cumque à mari incumberet Olauus, à terra per montana Scaniæ Emundus Suetiæ Rex imminebat. Contulēre manus maritimo bello Dani, atque Noruagii: sed uictoria Danis incumbebat. Interim pars copiarum Kanuti, Emundo congreditur in Scania. Illi Vbbonis solertissimi Ducis industria, tracti in uadum Dani, cedēte de industria hoste, inhærentes limo Dani,

Vincunt Dani. Vincūt dolo Sueci.

passim

pafsim à Suecis cæduntur, decepti magis quàm uicti. Ea tum fuit fortuna Emundi: ut Vlfonis militari peritia superior haberetur. Emundus autem reuersus in Regnum, nihil secius ac prius Religioni fauebat: Subditis quoque grauis admodũ imminebat. Eandem enim ipsam contumaciam exhibebat: hominibus quoque tyrannidem monstrauit. Nam missos ab Archiepiscopo consecratos in prouinciã Episcopos, abiecit: contempsitque Secutus acephalum hominem: qui mentitus literas Papales, Archiepiscopum se dicebat consecratum in Suetiam: cùm esset solùm consecratus in Polonia: ubi nulla fuit superioritas disponendarum rerum in Prouincias Aquilonares. Contemptos ergò Oratores Archiepiscopi Hamburgensis, cùm Rex à se reijceret: Stinkel Regij sanguinis adolescens, miseratus laborem ac contemptum uirorum, eos fauoribus & obsequijs prosecutus est: donec uenirent ad Reginam uiduam, quam pro sanguinis propinquitate, Sueno Rex, Sacris adactus, repudiare compellebatur: quæ illos materno affectu transmisit in Daniam. At illi tum consecuti sunt in Suetia casus: agrorum sterilitatem: & unde illa prouenerat, aëris inæqualitatem. ut culpam suam recognoscens Rex, oratum mitteret in Bremam: uenirent legitimi Pontifices in Prouinciam. Nihil moratus Albertus Archiepiscopus, misit qui poscebantur in Prouinciam à se consecratos. Hic autem Rex diu uiuendo, ad eam peruenerat senectam, ut cognomine ab annis ducto, Vetulus, siue Añosus diceretur. Nam fratri non paucis annis regnanti, diu superfuit. ἄθεος Rex & tyrañus.



¶ Stinkel Rex Suetiæ pijssimus, idolum Vpsolæ exterminans, Christique Religionem obseruans, tandem in pace moritur. Caput. xij.

STINKEL deinde optimus Rex, Suetiæ sceptris succedit. Cui id laudis uel maximè tribuitur: quòd in diebus illius CHRISTI religio, maximum in Regno accæperit incrementum Exterminatis Idolis, quibus gens illa prę multis alijs dedita fuit, quod toto hoc mundi secreto, uenerabile illi fuit templum Idolorum apud Vpsolam, nũc quoque caput gentis & metropolis. Quod Idolum tam pertinaciter coluêre Gentiles: ut Reges etiam suos Christi sacris initiatos, adigerent munera mittere in templum. alioqui Regno exigendos. Inuentus est Rex, tanta in Christi religione feruens, deuotione inclytus Amander, qui Regno carere, quàm sacrilegio fidem suam polluere maluerit. Ibat itaque gaudens à conspectu Consilij, quoniã dignus habitus est, pro nomine Christi abijci, & Regno destitui. Sed iste Rex, cuius tempora nũc scribimus, Stinkel perfecit, cùm sanctos Pontifices asciceret, ut ipsi corã populo stupenda mirabilia Stinkel Rex. Amandri pietas.

peragerent, atquè in eam ſententiam uicti populares perducti quoq; ſunt, ut paterentur ſua Idola concremari. Quæ cùm ſibi auxilio adeſſe nō poſſent, cui tandem opitulari poterãt? Eminebat tum Pontificum ſacra fides, Popponis, & utriuſq; Odinkari: ut multis ad aſtantium fidem corroborandam clarerent miraculis. Quæ partim in Metropoli noſtra deſignauimus. Hic tamē Rex nihil omittebat, quod ad propagandam pietatis & ſalutis religionem pertineret. Quocircà iuſtitia, & religione ipſe inſignis, temporum promeruit ſuorū tranquillitatem, in pacéq;, quod rarum eſt Regibus, præſertim Aquilonis, quieuit: circa Añum Chriſti poſt Mille centum, paucis uel additis, uel demptis. Nam punctualis annorum calculus malè deſignatus eſt.

Anno Chriſti. 11000.

Erici duo, ſuper corona Suetiæ bello diſceptantes, ambo, cum omni penè Nobilitate cadunt.

CAPVT XIII.



ERICI duo deinde de Regno contenderunt, tantiſq; uiribus atq; odijs concurrerunt, ut non ſolùm ipſi, uerùm & omnis penè Nobilitas ſuccideretur. Erat tamen ex diui Kanuti genere (qui patrē habuit Suenonem Regem, auum autem maternum Magnum illum Kanutum, quinq; Regnorū Regem potentiſsimum. Cuius laudes in Dania attigimus) multiplex in Suetia Nobilitas. Nam cæſo tum per ſummam iniuriam Kanuto Rege, per eam tumultuationem, quam in Dania deſignauimus, Regina relicta, cum filio Carolo in Flandriam redijt. Cuius Principatum idem filius poſtea adminiſtrauit. Cæſus & ipſe pro iuſticia et pietate: deiectus Oratorio, quod ſibi fecerat ſub teſtudine in Suggeſto Eccleſiæ Sancti Donatiani, in oppido Brugis. Filias autē, quas binas ex Kanuto accępit, in Suetia uiris primarijs commiſit. Nam primam nobiliſsimo gentis Folconi dedit coniugem. Ex qua ille ſuſtulit filios Kanutum, atq; Benedictum. Ex quibus ortus eſt Birgerius Dux, uir potens, horum alterius filius. Alteram uerò filiam tradidit coniugem Carolo Gotorum in Suetia Duci. Qui ex illa filios ſuſcæpit Carolum, atquè Kanutum. Ipſa uerò in Italiam uſq; ſe contulit, thoros ſuos ſemper in longinquo habitura. Nam Comitem Apuliæ Rogerium, ſecundum habuit illa maritum. Hęc idcircò dixerim, ut quàm latè Regium diui Kanuti genus propagatum ſit, agnoſcamus, quando non alijs rebus tempora inſignita leguntur.

Daniæ lib. 4. cap. 28.

Halſtenus Suetiæ Rex, populari tumulto mox Regno deijcitur. Caput. xiiij.



HALSTENVS ſuperioris Stinkel filius, legitimo iure poſt duos Ericos mutuò ſe pręlio conficiētes, Rex eſſe promeruit. Sed nihil diuturnū, quod non totas agat radices.

Halſtenus Rex.

radices. Erat in populo, uel nimia nouandarum Regũ licentia: uel in Halſteno intolerabilis ſuperbia. Incertũ enim, quibus ex cauſis. Certũ eſt tamẽ: populari tumultu mox Regno deiectũ. Crediderim, non imparis Nobilitatis uiros, de quibus proximè diximus, grauiter tuliſſe, ſupra ſe Regis Imperiũ, nõ omni uirtute conſumati. Cùm interim in Dania Regnũ ſibi per manus traderent Suenonis filij. Ea lege patris uoluntate poſt inuicẽ regnãtes: ut nulla liberorũ ratio haberetur: ſed decedente proximo Rege, nõ eius filij, ſed fratrũ unus natu proximus Regno ſuccederet. Sic Haraldo Kanutus, Kanuto ſucceſsit Olauus: illi uerò Nicolaus. Quam in Dania ſucceſsionem narrauimus.

Regno eijcitur.

Daniæ lib. 4. cap. 34.



¶ Amander eligitur. At Religione Chriſti perſtans, Amander reuocatur, ſed non multò poſt iterum Regno eijcitur. Tranquillè priuatus, reliquum ætatis abſoluens. Caput. xv.

AMANDER pulſo Halſteno, is qui pridẽ pro uitando ſacrilegio Regnum contempſit: nunc populi iudicio reuocatus, recepit. Nõ aliter ac in Romana Repub. Valentinianus pro Chriſti nomine Tribunatu, quẽ gerebat, à Iuliano amotus, Imperiũ promeruit poſt deiectorem ſuum recipere. Ita nunc Amander Regnum: quod pro Religionis amore amiſit, ne ſe ſacrilegio contaminaret. Eodẽ populi impetu nunc reuocatus, rurſus accipere promeruit. Sed reuocatus, tùm à priſtino ſęueritatis ſuę rigore nihil remitteret: renouata ſunt in eum odia intermiſſa: iterumq; Regno depulſus, ſeceſsit in abditũ optatæ quieti locum commodum: ut ocium in tranquillitate perageret: uir pro contemptu Regni, Regno digniſsimus. Vtinam tanti ſui animi, uel unum reliquiſſet imitatorem. Ita paſsim omnes ambiunt Imperia, inquietiſsimum uiuendi negocium.

Amander Rex.

Supra cap. 11. a.



¶ Aquini Regis Suetiæ, ignota acta. Sub Erico, Daniæ Rege floruit. Caput. xvi.

AQVINVS tum Regno ſurrogatur. Cuius de rebus geſtis nihil eſt in literas relatum. Per cuius tempora, Ericus ille inter Danię Reges nominatiſsimus: qui & urbẽ Romam inuiſens, Regno ſuo Metropolitanum dari impetrauit: et poſtea deuotionis gratia, dùm ſepulchrum, quod iam à fidelibus teneretur, inuiſère decernens, Imperatori Conſtantinopolitano, quem ex itinere ſalutabat, ſui fecit miraculum: quòd grandi corpori uires reſponderent: comitatusq; famulorum non diſpar eſſet Regi. Is tamẽ in ipſo profectionis ſuæ itinere deficiens: interregnum fecit biennio in Dania: prius quàm certus mortis ſuę nuncius rediret. Interim uerò Aquinus in Suetia rerum potitus: quomodo reliquerit Regnum admini-

Aquinus Rex.

Daniæ lib. 5. cap. 4. & ſeq.

 ſtratum,

ſtratum, in incerto permanſit. Cùm Danis imperaret Nicolaus, unus ex fratribus memoratis: cuius filium Magnum, ut proximè dicemus, Goti ad Regnum ſuum pertraxerunt.



¶ Goti Magnum & Gotiæ & Suetiæ Regem deligunt: trucidantes quem Sueti ex ſuis erexerunt. Deq; Magni in Dania fratricidio. Caput. xvij.

Magnus Gotorũ & Suecorũ Rex. I.

MAGNVS erat Nicolai Daniæ Regis filius, adoleſcẽs acer: quem Goti, pertæſi crebræ in Suetia mutationis, ſibi Regem aſciuerunt. Iterum ſe à corpore Regni ſeparantes: uel ſperantes, reliquũ ſibi Suetiæ accedere: ut ſub unius Regis, quẽ ipſi delegerant Imperio, omne Regnum eſſet. Sueti autem ueteri ſuo iure, creandi Regem, ſe depelli non ferentes, ſuo Regem arbitratu creandum eſſe putauerunt. Suæ ergo gentis hominem ad Regnum prouehentes, Gotorum Regem contempſere. Goti tamen ſententiæ ſuæ pertinaciter inhærentes: nouum Suetiæ Regem bello aggreſsi, oppreſſerunt: Magno à ſe Regi electo, Regni ſedem uacuefecère. Aliquandiu ergò ille Gotis, & Suetis regnauit. Sed cùm Daniæ quoq; ſucceſsionẽ pertinaciter defenderet: in eas incidit difficultates, ſub quibus demum obruebatur. Nam Kanutum Sleſuici Ducem, poſtea etiam Obotritorum Regem, Erici Regis, illius qui peregrinationẽ terræ ſanctæ ingreſſus, in itinere defecit, is filius erat. Apud milites illi paternæ uirtutis memoria profuit. Acceſsit propria Kanuti induſtria: quę hoc effecit, ut à multis nõ amari non poſſet. Sed cùm coronam quoq; in Vuandalis ab Imperatore mereretur Lothario, eamq; in conuẽtu Regni publicè perferret: tum Magnus exarſit inuidia: Nicolao Rege diſsimulante, pro ætatis ſuæ prudentia. At Magnus æquanimiter tolerare non potuit. Vides inquit pater, quàm uiolẽta præſumptione etiam te Nicolao uiuo ad Regnum contendit Kanutus? Nicolaus autem & ſi diſpliceret, quòd ſe præſente, in Danici Regni conuentu, corona Regina Kanutus uteretur: diſcernens tamen inter Romani Imperatoris, & Danici Regni iura: ſciebat hoc ad præiudicium ſibi non pertinere. Vnde interpoſitis partibus, reconciliationem inter ſe adoleſcentum intentabat: increpito ad patrem utroq;. Durabat aliquandiu renouata fides: ſed urebat ſemper Magnũ, Kanuti apud omnes amor: fixumq; tenebat animo: ſi Kanutus ſupereſſet, fruſtra ſe Regni Danici ſucceſsionem præſtolari. quòd uterq; Regis filius eſſet: ſed Kanutus uirtute & amore ciuiũ præſtare uideretur. Itaq; inſidijs conſtitutis, Kanutum opprimere imparatum decreuit. Et proſperatus eſt malo ſuo. Nam euocatũ ad colloquium, inermem armatus excipit, & nihil tale metuentem oppreſſit: uirum omni uirtute præſtantiſsimum: & qui talibus poſt mortem

Danię lib. 5. cap. 11. b.

clareret

clareret miraculis: ut post instãte filio eius Regè Vualdemaro, qui ob id ad sedem Apostolicam nuncios misit, inter Sanctos relatus sit. Magnum autẽ furiæ agitabant: ut uiuente adhuc patre suo, ab Erico Kanuti fratre, sed notho, uindictam fraternæ necis moliente: Magnus temeritatis Ducis pœnas lueret: & quòd uirum innocentissimum perdidisset: & quòd sacra Pentecostes solennitate acies eduxisset: ab hoste oppressus interijt.



¶ Suerco Magno succedit in Suetia, rerum bellicarum Rex obscurus. Caput. xviij.

SVERCONEM Sueci post Magnum erexère Regem: non sanguinis claritudine pollentẽ: non rerum gestarum gloria insignẽ, sed quòd quemlibet indigenam, externo putarent præferendum. Hic magni nihil fertur in rebus bellicis peregisse. Nisi quòd Vluildam Noricam, Nicolao Danorum Regi, post mortem insignis fœminę Margaretę nuptam: clamdestinè sollicitatam, missis deinde ad hoc nuncijs, thalamo Regis abstractã, sibi deuinxit: ac loco coniugis habuit Regiam concubinam. Nicolaus autem, quo minus thori ulcisceretur iniuriã, proprij Regni intricatione remoratur. Nam filij insolẽtia tam multis Daniam implicuit bellis, ut se expedire non posset. Quo enim Kanutus, quem ille perdidit, omnibus amabilior: eo maiori se cum filio implicuisse omniũ odio uidebatur: quòd talem, ac tantum uirũ Magnus trucidasset: nec pater Nicolaus acriorem uindicem se gessisset Kanutianæ necis. Proscripsit quidèm ad tempus Regno filiũ: sed ubi multa illi aduersa succrescebant, præsidium sibi in filio futurũ sperans, illum reuocabat. Tum uerò omnes patrem, filiumq́ pari odio insectabantur. Et oppresso primùm filio, in patrem inde arma uertebant. Quæ res impunitatẽ peperit adultero. Accessit: quòd Nicolaus grauis ab annis, nõ magni penderet incontinentem fœminã, adulteri uiriles annos, suis senilibus prætulisse. Sed continuo tum odio suorum omnium Nicolaus laborare perseuerans: Slesuico exceptus Regio more à Clero: ab ipso tumultu ante populo opprimitur. Ex hac autem qualicunquè coniuge, Suerco filium sustulit, post se Regni sceptra moderantem, circa ea tempora, quibus de corona Daniæ Sueno, Kanutus, Vualdemarus conflictarunt.

Suercõ Rex.

Regis stuprum.

Daniæ lib. 5. cap. 16.



¶ Ioannes Caroli Suetiæ Regis frater, horrendum committit stuprum. Sueno Daniæ Rex id uindicaturus, Suecorum Regis interuentu, auertitur.

CAPVT. XIX.

CAROLVS Suerconi patri succedit in sceptra: cuius tempora frater eius Ioannes, uir malè sibi temperans à libidine, tem-

Carolus. I. Rex.

 perauit.

perauit. Erat alius tũ Carolus, uir Danici Regni primarius, Hallandiæ Præfectus, hodiè Ducem uocant. Is uxorem habuit ſpectatæ pulchritudinis, ac pudicitiæ ſingularis: ſororemq; uirginẽ. Quarum & ſpecie, et honeſtate irritatus uir improbus: poſitis inſidijs, egreſſo iam Carolo ad negocia Regni, raptas ſecum perduxit in Suetiam. Alternisq; abutens ſcortorum in morem: ubi fœdam expleuiſſe libidinem uidebatur, utranq; remiſit dedecoratã. Fleuêre optimæ fœminæ atrocem iniuriã. Quid amplius potuere? At Carolus, & coniugis, & germanæ non leuem, ſed atrocem iniuriam, ut erat, contumeliamq; altiore uoluens animo: Regi Suenoni, qui tum Daniæ præerat, cumulatè, additis lachrymis detexit. Ille in uniuerſam Suetiam, rem uindicaturus, uires promittit & arma: nec minus parat expeditionem. Suetiæ Rex Carolus, Legatione ſolenni pacem pertentat: Fratris eſſe facinus: à ſe quoq; uindicandum: quid demeruerint Sueciæ uel Proceres, uel ſubditi? Alienæ libidinis crimẽ luere non merentur. Conquieſcat Daniæ Rex, ſe uindicem eſſe ſinat in fratrem: facturum, ut omnes intelligant, fraternum flagitium ſibi fore odioſiſsimum. Sed fruſtra fuit ea legatio. Nam Dani tam certa ſpe Suetiam inuaſuri erant: ut iam inuicem connubia Nobilium fœminarum in Regno paciſcerentur. quaſi iam uictores, bellum ad nutum confeciſſent. Exercitum autem per brumam terreſtri itinere deportandum curauit in Suetiam: longo itinere circum actum atq; fatigatum. Vbi ad Phinnos per ueniunt (pars illa Suetici Regni) illi ſe Daniæ Regi ſubmittunt: omnia ſua pollicentes: commeatuq; præbito, placauit exercitum tranſeuntem.

¶ Rex Sueno infœliciter in Suetiam mouit, & ab hoſte & cœli inclementia repulſus, lacero exercitu re infecta in Daniam redijt. Caput. xx.


VENITVR ad Vuarendenſes: qui ſe defenſioni præparauêre. Flammis ac ferro omnia eorum confinia uaſtantur. Incolæ nemorum fauces truncis arborum obſtrinxêre: deiectis tranſuerſo ordine altis de montibus arboribus, ingentia robora prouoluerũt. Sueno Rex indignatus, ruriculas armato exercitui iter intercludere: relicto quod paratum erat prandio, equo inſidens inuolitat. Cui ex propioribus quidam, Nihil temerè agendum tanto Regi ſuggerebat. Ille conuerſus in monitorem, Qui noua inquit uxore ducta, timidus eſt, domum reuertatur. Exprobrãs illi recentes nuptias. Nec timidius ille reſpondit. Faciam quod Sueno non audebit: ne me timidum uocet. proinde merentibus exprobrare memento. Protinus ubi uentum eſt ad hoſtes, primus ſe illis obiecit, ubi periculi erat plurimum:

plurimum: nec minus fortiter pugnans, quàm dicens occubuit. Damnum exercitui putabat, talem amisisse uirum. Nox prælij laborẽ diremit. Nam Dani transitum ferro apperiebãt. Hostes repugnauere, roboribus obuolutis. Postera lux deditionẽ hostiũ uidit: cùm perseuerranter Dani ferro sibi uiã fecere. Sed tantus erat rigor brumæ, tam frigus intemperãs: ut ne iumenta quibus ueherẽtur milites, salua essent. Qui amissis equis, ex equitibus pedites facti fuere milites: onera sua aliorum iumentis imponentes, ante se egerunt: retróq; uiam legerunt in Scaniam, Rege etiam missionem non faciente. Rex ubi comperit, multos militum diffluere: expertus difficultatẽ terrestis per Scaniam itineris, iubet receptui cani: permittítq; ueniã redeundi: aliam expeditionem meditatus. Intereà qui iniussu Regis festinabant ante alios in Scaniam: intercæpti à finitimis, iam fidẽ imitantibus, ut solutam sensere expeditionẽ, opprimuntur. Alij inclusi domibus, cùm ignis inijceretur, unà concremantur. Iam enim contemptui habebantur reuertentes: qui transeuntes cunctis iniecere formidinem. Ita magno apparatu sumptu & labore: instituta per Scaniam in Suetiam expeditio in uanum cessit. Nam inuij montes, & saltus profundissimi, simul & angustæ fauces, Suetiam inpenetrabilem fecere: æternis niuibus, & altissimis rupibus, eam à Scania mirificè munientibus. Quocircà maritimam meditatus Rex expeditionem, tum lacerum reduxit exercitum.

Bruma dirior.

Fugitiuorũ pœna.



¶ Carolus Suetiæ Rex affinitatibus munitus, quietè regit. Haraldi & Hakonis fuga. Lundensium quoq; dubia fides. Caput. xxi.

SED ille intera bellis domesticis implicitus tenebatur: ut facilè externorum obliuisceretur. Nam Vualdemarus diui Kanuti, quem magnus occidit, filius: & Kanutus magni filius, iunctis inuicem affinitatibus: cùm Vualdemaro, Kanuti germana Sophia desponderetur, in Suenonem armabantur. Nec contẽti, Suetiam, quasi inibi paterna prędia uisuri, cum Rege Carolo similem ineunt familiaritatem: sorore Vualdemari, Carolo in coniugem promissa ac tradita. Dissimulabat omnia prudenter Sueno, nè Vualdemarum in se prouocaret, cuius ut probè uidit discessu, magna pars uirium illi decederet. Aderat interea Gutorinus Succiæ Procerum unus ex primoribus: qui traditam sibi puellam, Regi suo Carolo detulit copulandam. Eam accessionem Daniæ Rex ueritus, commouere se in Suetiæ Regnum haud poterat. Carolus autem tantis communitus affinitatibus, tranquilla temporum pace potitus, Regnum suum quietus gubernabat per omnia tempora Regis Daniæ Vualdemari.

Daniæ lib. 5. cap. 34.

Cumq; ille moriens, Kanuto filio rerum summã reliquisset: Scanij tumultuantes, rebus nouis studentes, æmulum Regno obiecêre Kanuto: uirum ex Suetia nobilem Haraldum: sed propter cordis hebetudinem, Regno satis imparem. Carolus Rex Suetiæ illum armis suis, & opibus prouexit in Scaniã. Primordia illi fuere satis fortunata. Nam usq; ad Lundiam progrediens, omnia ferro demetebat. Obuij autẽ facti, qui pro Rege stabant: popularẽ Scaniæ tumultum facilè represserunt. Nam hostibus incurrentes, infestis hastis facilè illos uerterunt in fugam. Haraldus cum Hakone quodã ex Scania Primoribus, fuga turpi in Suetiam relabitur. Lundensium ciues dubiam ostendere fidem. Nam portas urbis utrisq; habuere clausas: ubi uictoriam accæperunt Regiorum, illis gratulati, excæperunt.



Ericus Suetiæ Rex, pacem cum Danis habuit Regno quietus. Anno Christi. 1249. Caput. xxij.

Ericus. V. Rex.

ERICVS Carolo succesit in Regno: filius, an ne aliquis magna de stirpe nepotũ, incertum est. quia Annales non tradiderunt. Quas etiam prçclaras res gesserit, incompertũ habemus. Pacem tamẽ cum corona Daniæ habuisse illum, comperimus ex his, quæ interim Daniæ Reges actitarunt. Qui à memoria Kanuti, quem primus Vualdemarus filium Regno reliquit, ad hæc penè tempora Vuandalis, Saxonibusq; conflictati, pacem ad Aquilonẽ seruauêre. Per hos enim años, quibus Ericus Suetiæ regnabat: Kanutus, & inde frater eius Vualdemarus, eius nominis secundus: et deinde filius eius Ericus, et Abel frater Erici: colluctati Saxonibus, uaria fortuna nũc uicti, nunc uictores conflictabantur. Lubecã per ea tempora tenuerũt, & amiserunt. Holsatiam non semel inuasam Dani tenuerunt. Quod in nostra memorauimus Saxonia. Peruenit autẽ iste Ericus uiuendo in Annum Christi Quadragesimum nonum post Mille Ducentos: cùm Regni circumiens prouincias, in Gotlandiam insulam peruenisset. Ibi correptus grauissima ægritudine, finem fecit uiuendi.

Saxoniæ li. 8. cap. 17.



Birgerius Procerum discordia eligitur, Rex popularis, sine fastu regens. Caput. xxiij.

ERICO fatis absumpto, cùm Proceres de sufficiendo Rege tractarent: nec facilè in unam conuenirent sententiã, aut personam: mutuis inter se odijs diuisi: ad eum erexerũt Regnum, qui minimo ad id iure, minimaq; spe potiundi teneretur: Birgeriũ nomine. Cuius genus Annales non commemorant. Hoc tamen non siluerunt: maximè fuisse Regem popularẽ. Sciebat enim, Nobilitatẽ in se non æquos esse animis, & si mutua inuidia sibi Regnum detulissent, atq; ideo populũ sibi quàmmaxime poterat conciliabat. Mercatores quoq;,

Birgerius. I. Rex.

quoq; , datis priuilegijs & immunitatibus, plurimis, in Regnum inuitauit. Nec se Regis nomine superbũ attollit, contentus Ducis solo uocabulo: quo nomine in chartis priuilegiorum, quę extant, insignitur. Poterat inuidiosum uideri apud Nobilitatẽ, Regis superbum uocabulum: quocirca delegit modestiæ inseruire. ut per artem præesset Imperio: etiamsi minus inscriberetur uocabulo. Quid enim interest in uocabulo, Rex, an Dux censeatur: dum eodem iure & Imperio teneat rerum omniũ potestatem? Per eius tempora fuit illa perniciosa fratrum de Regno Daniæ contentio: cùm Ericum, alioqui Regem optimum, frater eius Abel, siue regnãdi desyderio, siue aliâs ob causas captũ, Slesuico in lacu iusſit capite truncatum mergi. Nec diu ille superfuit: post inuasum Regnũ pauco post tempore cæsus, quos inuaserat, à Frisijs. Daniæ lib. 7. cap. 21. c. & seq. Anno Christi, 1251.



¶ Vualdemarum Regem, Magnus frater peregrinantem, Regno protudit: ipse ui Suetiam obtinens

CAPVT. XXIIII.

WALDEMARVS filius proximè Ducis, qui pro modestia sua Regnum seruauit incolume, & filijs reliquit: Regium nomen, quod ipse pater sumere non audebat, assumpsit. Vualdemarus Rex. Hic ergò Vualdemarus, cùm Regnum aliquandiu tenuisset: peregrinationem suscepit in terram Sanctam: prius de more inuisens urbem Romam, ibi quoquè indulgentijs loci quæsitis. Sed dum ille deuotionis instinctu peregrinatur: rebus ut putabat, Regni ordine bono constitutis: frater eius Magnus (quod Vualdemarus ante non timuit) Regni iura occupauit: pro Rege legitimo se ferens. Et populum reperit, qui se illi permitteret: Vualdemarũ Regno administrando minus censentes idoneum, qui Ecclesiarum tereret limina, non Regum obiret negotia: Rem non disſimilem Actis posterorum. Magnus Rex se indrudens. Sic enim fratres æquè se arbitrantur Regno propinquos: ut uelut in medio posito Regno ad eum pertineat, qui posſit occupare, & tueri. Nõ enim Legibus, aut iure Regna quæruntur, sed armis: ijsdemq; conseruantur. Reuersus ex peregrinatione sua Vualdemarus: cùm fratrem accępisse administrationem solam se absente putaret, facilè præsenti et redeunti cessurum. Sed falsus est opinione. Nam magnus occupato Regno, inseparabilis incubuit. Ad arma respexit Vualdemarus, contractis, quos in Regno multos pro uirtute & modestia reliquerat, amicis. Et prælio commisso, cessère qui Vualdemaro fauebant: & eo pulso, Magnus semel inuasum Regnum obtinuit: defenditq;. Fugatus est Vualdemarus cum uxore, ac liberis: concedens in Daniam ad Regem Ericum. Qui uenientem hospitaliter excæpit: & aliquoties facta expeditione pro illo, duxit in Suetiam. Nihil tamen, præter

incendia ac prædam potuit emoliri. Magnus autem & ipſe par pari re latus:expeditionem naualem fecit in Scaniam:et flammis,ferroquè uaſtata Prouincia,cùm naues præda impleſſet,redibat in Suetiã. Poſt longum deinde exilium, cùm armis in fratrem nihil proficeret, dedit ſe in gratiam fratris,& accæpta Prouincia, in qua Regi minimè poſſet obſiſtere:renũciatoq; omni iuri quod illi competere poſſet in Regno: in conſtituto loco cum uxore & liberis tranquillitati inſeruiens conquieuit.

¶ Vitæ tranquillitas,Regio faſtu longè antefertur.

CAPVT XXV.



MAGNVS paternum Regnum,quod fratri abſtulerat, ſtrennuus tenebat. Eadem enim qua parantur ui Regna, ſeruare neceſſe eſt. Sed tamen malignus eſt diuturnitatis cuſtos, ipſe motus. Quod enim non altas agit radices uirgultum,ſtatim exorto ſole areſcit. Magnus igitur quantis potuit uiribus Regnum ſuum ſepſit: tenuitq;:cùm interim frater in angulo terræ deliteſcẽs,quietè uiuebat. * Sed munera necdum intellecta DEI, priuatim cõſeneſcere. Ita prorſus ambiunt mortales Imperia: neſcientes, quòd in ſublimi minor ſit agentibus licentia. Sic Imperator Diocletianus, cùm ex Auguſto faſtigio uolens,in priuatam uitam conceſsiſſet: & à Maximiano conſorte quondam Imperij, qui eodem urgente Diocletiano purpuram inuitus poſuiſſet:ſollicitaretur reſumere quod ponebat Imperiũ: Reſpondit. Si noſſet Maximianus, quàm ſint dulcia quæ meis manibus ſeui olera, ad Auguſtam dignitatem redire non properaret. Ego ex duobus, Vualdemaro,& Magno,ſortem prioris fortunatiorem putaui.

Ambitus dominandi. Vita priuata. Diocletiani apophthegma.

NOTA.

¶ Birgerius à fratribus Regno detruſus capitur. Poſt conditionibus liberatus,fratres capite ulciſcitur. Rurſum à Proceribus profligatus, Magnus filius pœnam luit. Caput.XXVI.



BIRGERIVS Magno ſucceſsit in Regno: incertũ quo ſanguine cretus. Nam Annales nihil horum reliquerunt. Sed hoc annotatum eſt. Dum Rex iam ſibi ſecurus regnare putaretur: ab Erico Duce captus,in uincula conijcitur. Secutus exemplũ Magni:qui peregrinatum fratrem excluſit,Regno occupato. Iſte germanum domi ſedentem, & nihil minus quàm à fratre timentem,cæpit:ut pernicioſo Magni exemplo, Regnum fratri ſurriperet. Quæ captiuitas multorũ extitit cauſa malorum. Erat autem tum poſt natum Chriſtum Annus circiter quintus ſupra mille trecentos. Ericus Daniæ Rex, cùm audiret indignam affinis ſui ſortem:de rerum mutatione cogitauit. Nam conuocatis

Birgerius Rex.II.

uocatis

uocatis in insulam Cimbrię, Germanię uicinis Principibus: omnes inuicem, aut cum ciuibus dissidentes contraxit: factaq; multis laboribus inter omnes pace: magno auxiliariorum suorum ex Germania apparatu duxit in Suetiam: ut Birgerium Regem captiuitate laxatum, Regno restitueret. Vbi uenit: paratissimos ad arma reperit Birgerij fratres, Ericum, & Vualdemarũ. Qui omnibus Arcibus præsidia Teutonum imposuêre. Frustratus ergò Danię Rex Ericus: cùm oppugnationes Arcium & urbium frustra intentaret: nemine in aciem prodeunte, cum iactura & re infecta reduxit exercitum. Post aliquot tamen annos, ipsi fratres ad cor reuersi: recordantes quid egerint in fratrem suum Regem natu maiorẽ, quem Regno deiectum, iam diu clausum seruauerũt: inito consilio, euocatisq; ad hoc Regni Proceribus: quos putabant, Regni negocio rectè consulturos: fratrem suum Regem carcere laxant: accęptis ab illo de impunitate sacramentis: & constitutis sibi ex sententia Prouincijs in Regno, quibus pro captu suo magnificè agerent. Igitur Birgerius Regni sceptra recipiens moderatur: filiúmq; Magnum, quod in formula compositionis conuenerat, facit Regni cõsortem: iubens illum, sacro perunctum oleo, secum Regem appellari, quo de successione securior foret. Cùm autem iam ab olim uideretur iniuria, & obliuio totalis interijsse earum rerum, quę pridem fratres in Regem moliebantur: altius cordi eius, licet dissimulantis, insedit memoria: Fratres iam nihil à fratre formidantes, iubet euocari, ut Decembria de more gentis Conuiuia inibi uocati cum Rege peragerent. Illi alacres adsunt, Regi ex fide complaciturí. Rex conuiuio exhilaratos, militibus circumfundit, capit, & mox gladio cædi iubet publico. Res cũctis Proceribus execrabilis uisa, omnes in uindictam excitauit. Itaquè facto agmine, Regem adoriuntur. Nec poterat illis iam in se conspirantibus aciem opponere. Fugatus igitur, cum Regina, cessit qua potuit. Filium eius Magnum, iam Regem cõsecratum, in arce Steckeburg obsident, & arce capta, Magnum quoq; suæ fecere potestatis. Igitur sacro coram illo Missali officio peracto, iubent, si libeat, expurgata primum sacramentali confessione conscientia, sacris altaribus participari. Ille quod necesse fuit, æternæ consuluit saluti, & in fine quod passi sunt à patre patrui, gladio cæsus, capite plectitur.

Daniæ lib. 7. ca. 26. b.

Magnus filius Regni consors.

Magnus Rex capite plectitur.

¶ Magno Birgerij è uita sublato, successit Magnus Erici filius à Birgerio capite truncati. Quo uita functo, Kanutus Hallandiæ Dux succedit: ambo & Suetiæ, & Noruagię Reges, uirtute insignes.

CAPVT XXVII.




MAGNVS ERICI Ducis, quem Birgerius capite truncauit

truncauit filius, uoluntate Procerum ad Regnum sublimatur: adolescens ingenuæ uirtutis: qui usqueadeò prosperatus est, ut adiuuante uirtute, fauente fortuna, paterno Regno Noruagiam quoq; consociaret, factus Rex duorum Regnorum. Quod unde factum sit, memoria in Annalibus nulla extat. Hoc tamen quia factum sit, non siletur. Tenebat autem coniugem Ingelbugem: quæ illi peperit filiũ Magnum, duorum Regnorum successorem. Nec diu superfuit Magnus pater, quia circa Annum Christi Vicesimumsextum post Mille trecentos, ille in fata concesit. Relicta autem eius Regina, incertum quo fato, nupsit Kanuto Duci Hallandiæ: quem ex infimo Militiæ gradu, ad militarem Rex Daniæ Christophorus prouexit cingulum. Inde etiam ad Ducalem sustulit dignitatem. Et quod fastigium erat honorum, eodem operante, relictam Magni Regis Suetiæ, atq; Noruagiæ coniugem duxit: factus administrator duorum perinde Regnorum. Proceres utriusq; Regni inuiderunt Duci, cognomento Pors. At ille uirtute superauit inuidiam. Ioannes Comes Holsatiæ, Christophori frater uterinus, ad eas nuptias properabat. Sed in famulitio eius suborta rixa, Ioañes Brocktorp miles, Comiti iunctisimus opprimitur. Quare Comes intellecta, supra quàm dici potest turbatus, cœptũ iter intermisit, dum fidisimum sibi uirum lugeret. Reuersus in terram, oppressores eius omni ditione sua proscripsit: quantum potuit molitus uindictam in necem amantisimi militis sui.

Anno Christi. 1326.

Kanutus Regni administrator.

¶ Kanuto administratore, Magnus iunior utriusq; Regnorum Sueciæ & Noruagiæ Rex, sororem Eufemiam nuptui tradit Alberto D. Magnopolensi. Caput. xxviij.



Magnus Rex. IIII.

MAGNVS Magni filius, patri in Sueciæ atquè Noruagiæ Regnis succedit: administratione agente ex sententia Regis Danorum Kanuto, Duce Hallandiæ, uitrico Regis pueri. Sic enim expediebat rebus Daniæ: ut is Regnis duobus præesset, quem Rex Daniæ haberet in potestate: utpote quem sua uoluntate creasset in eum ditionis modum: ut Dux esset, Reginæ quondam maritus. Magnus autem aliquandiu Regno cùm præfuisset: sororem suam Eufemiam, despondit Alberto domino Magnopolensi. Erat autem. xxxvi. supra Mille trecentos à Christo annus, cùm nuptiæ Rostok Principali ritu peragerentur; cohonestantibus festam solennitatem multis, qui aderant Principibus. Ericus Dux inferioris Saxoniæ, militari tum cingulo, sponsum Albertum exornauit. Peractis autem solenniter nuptijs: ingresi mare sponsus cum sponsa, Suetiam petiuêre. Traxit secum Albertus in societatem nauigationis, Rodulphi Ducis Saxoniæ filium;

Anno Christi. 1336.

filium: & Gerhardi Comitis Holsatiæ itidem Henricum filium. Cùm autem nauigantes Sueciæ propinquarent: obuiā habuere Reginam: quæ sponsum, sponsamq́, imò iam coniuges, Regaliter excæptos, secum perduxit in Regnum. Rex cunctis ad magnificentiam præparatis, uenientes hospitaliter ac benignè suscæpit. Aderat Engelbertus Tarbatensis ex Liuonia Episcopus, de rebus inibi ordinaturus. Quē Regni illius Pontifices honorantes hospitio, orabant, sacrum Missarum peragere officium. Tum Rex atq́ Regina, de more sacro peruncti oleo, coronantur. Idq́ legitimè expletum, exhilarauit omnes. Nuptiarum corroboratio.

¶ Prima militiæ suæ tyrocinia Rex Magnus cum Rußis exercuit, arcem Pekesar expugnans, præsidio Arci posito, uictor domum rediјt. At nō multo post Rußi Arcem denuò capientes, præsidium omne trucidant. Aquini filij non expectatæ nuptiæ.

CAPVT XXIX.



INDE Rex Suetiæ bellum Rußis inferebat: obseditq́ arcem insignem Pekesar: & expugnauit. Cumq́ munitionē eius pro tempore roborasset, imposito quadringentorum forti prȩsidio: uictorem reduxit exercitū. Rußi autem ubi audiuêre, Regem in sua rediјsse: cùm eo præsente manum conferre non audentes: facto agmine, Arcem captam, & à Suecis insessam, obsidione rursum uallant: & omni quo poterant apparatu diu oppugnatā, expugnant: omnes quos inuenêre ad unum trucidantes. Inde uerò aliquot transcursis annis, filio suo Aquino, quem Noruagiæ Regem fecit, despondit Elisabet, Henrici Holsatorum Comitis germanam. Eamq́, mißis ex Regni corpore Proceribus, iußit adduci. Pacta matrimonij talia fuêre: quòd nisi Aquinus dictam puellā acciperet: omnes ilico Regni Proceres, sacramēto quod Magno Regi suo debebāt, essent liberi. Noluit enim Henricus Comes, germanam suam, trans mare fluxæ Suecorum fidei permittere: nisi illis forēt pacta firmata conditionibus, quas diximus. Nauigarunt cum accæpta puella Suetiam uersus. Sed ortus è contrario uentus, in portus Daniȩ impulit nauigantes. Rex Vualdemarus cùm intelligeret profectionis causam: quòd in Noruagiā puella Regi nuptura deportaretur: animo secū uoluit: expedire Regnis, ut thorum illum filia sua teneret Margareta. Itaq́ aduenis hospitaliter habitis, & adhibitis morandi causis, ne elaberentur asseruatis: Regē Suetiæ Magnum euocauit, filiumq́ Aquinū. Itaq́ tribus Regibus in unum conuenientibus cœpit agere Vualdemarus: quàm magno trium Regnorum cōmodo pax staret, iugalibus sacris sociata. Multis tandem uerbis id egit: ut Magnum Suetiȩ Regem in eam pertraheret sententiam:

Arx Pekesar.

Aquini spōsalia.

Vualdemari uersutia.

ut Aquino filio Margaretam Vualdemari Danorũ Regis filiam sociaret. Itaq; conuentum est: ut Aquino mox iungeretur Margareta. Et nuptijs mox peractis, rem perfecere.

¶ Suetiæ Proceres ob pacta nuptialia fide Henrico Comiti adstricti, summo candore prestant quod erãt polliciti. Magnus Regno depellitur, Albertus Rex declaratur. Caput. xxx.



SVETIAE Proceribus ad omnia cõturbatis: quòd fidefragi uiderentur: simul commiserati nobilẽ puellam, quam terris suis eduxerant: quòd sine causa abijceretur repudiata prius, quàm ducta. Sed conuersa est mox in luctũ cythara. Nam ea solennitate iure sponsi, Blanca Regina Suetiæ, & Christophorus unicus Vualdemari filius, diem suum obierunt. Suetiæ autem Proceres mox ipso facto soluti sacramento, quod Regi suo debuerãt: de implẽda fide cogitabant. Erant autẽ, ut dicere cœpimus, pacta dotalia, firmissimis, & maximis uallata pœnis. Nam si de parte Henrici Comitis impedimentum daretur, quo minus sponsalia in nuptias implerentur: arcem Calmeren, quam de Regno Suetiæ tenebat Henricus Comes in pignus, amitteret: & rursus sexaginta milia auri talenta persolueret. Ediuersò, si de Regis parte staret, quo minus implerentur nuptiæ: ipse Regno cederet: & omnium sacramenta ab illo laxata, ad Henricũ Comitem transirent. Contemptus uidebatur inter Reges Comes. Sed id agebat uir ad arma natus: & qui fortnnã suam per multas terras expertus, ubiq; fortissimus, & fortunatissimus haberetur: ne posset contemni. Ergò missis in Regnum literis, Proceres commonefecit, sub honore militari: ut dicto parerent: quod nisi facerent, apud omnes Principes infamiam eorum denudandam. Mouit bonos uiros iusta expostulatio: & ad eum nauigantes uenerunt: se paratos ad omnia quæ uellet offerentes. Nec enim fidei suæ detrimentũ passuros: nec honori unquam derogaturos. Adierunt Henricum Comitem in Holsatia: Regnum illi ex pacto fœdere deferẽtes: sese illi parituros ad omnia polliciti. Aderant autem & Pontifices duo, Lincopensis Archicamerarius: & Vexorensis proximus Regni Consiliarius, Dñs Carolus de Thusten Regni Marscalcus: Nicolaus Stursen dapifer: Ericus Karlsen Camerarius milites: cum multis eiusdẽ Regni honestis militaribus: qui se ad sanguinem impleturos fidem spoponderunt. Ille actis gratijs super implenda fide, se Regno testatus imparem, illos remisit ad Albertum Ducem Magnopolensem, socerum suum: quòd eius nuper filiam relictam Ludouici Marchionis coniugem duxisset, ut quoniam nati essent eius filij ex Eufemia Magni sorore, non alieni ad Regnum uiderentur.

Christophori & Reginæ Suetiæ mors.

Offertur Regnum Henrico Comiti.

rentur. Quencunque illi ex tribus eius filijs, Henricũ, Albertum, Magnum, elegerint: in eum se ius suum omne refusurum. Illi deligunt Albertum ex tribus medium. Cumque illo, instituta ex Vuernouia nauigatione, multa cincti manu militari, perueniunt in Calmeren. Inde mouentes in Halmis, promptè recipiuntur: uolentibus cunctis, ut testata fides impleretur. Permansit Albertus in Regno. Interim euocato ad causam Magno: ut si posset, se tueretur. Cùm minimè comparerct: & in ipsa Quadragesima, in solito conuentionis loco, omne Regni consilium conuenisset. Iterum euocato Magno: nec comparente, in eius contumaciã recensitis culpis, quas de lecto libro legitimarũt: Magnum solenniter Regno destituerunt: pronunciantes, neminem ex uniuerso Regni corpore, sacramentis eius in reliquum deuinciri: & unanimi consensu Albertum eligentes, Regem constituerunt: & ab eo accæptis, & deinde præstitis sacramentis, Regem suum declararunt. Albertus Suetiæ Rex. Regno destituitur Magnus.



¶ Magnus Alberto uiribus impar, Regno lubens cedit: petens Gotia occidentali saltem donari.

CAPVT XXXI.

ALBERTVS igitur Alberti Magnopolensis Ducis filius, Rex creatus: pro iure suo Regni negocia sollicitus obibat. Magnus autem ubi se destitutum audiebat: cõtractis quos ex multis reliquos habebat amicis: questus in se coniurationem factam, armis esse uindicandam. Vocatoque in auxilium de Noruagia filio, arma mouit in Albertum. Sed nihil potuit: omnibus ex certa prouidentia constitutis, ut neque portus, neque arces ullas sibi parentes inueniret. Vbi armis ergò non potuit: per communes amicos rem in tractatus amicitiæ coniecit. Conuenêre in locum constitutum: Albertus Rex cum patre, Principibus, & Regni Proceribus ex una: Magnus cum his quos reliquos habuit ex amicis, & à filio suo de Noruagia transmisis. Ibi primùm lachrymabiliter casum suũ Magnus uerbis fecit commiserabilem. Et ubi responsum pro rebus accæpit: ipse sua uoce subiecit. Ego inquit mi Alberte, quando in me Deus tantũ uoluit fortunæ permittere: ut in planum ex Regio fastigio descenderem: non uiuit hodiè mortalis quispiam, quem tibi putem ex animo meo in Regnum istud præferendũ. Quid enim? Num tu, atque Aquinus meus, eodem gradu consistitis? Ille ex me Patre, tu ex sorore geniti: eosdem auos numeratis: ille ex me patre, tu à matre, mea sorore. Igitur quamuis non desint, qui arma mihi promittant: tamen ecce libens tibi de Regno concedo. Tu mihi eam refer uicem: quando amplissimum Regnum in conspectu est: ut permittas occiduã mihi Go- Magnus ad Principes.

tiam ad uitę tempora. De reliquo tu tibi consule. Visa est Oratio eius lachrymis plena: & mouit uniuersos, præcipuè uerò Albertum. Iussitq; benè de se sperare Magnū. Sed quoniam Aquinus ibi filius non aderat, non potuit res tum consummari. Conuentum tamen: ut in aliũ iterum locū atq; diem cœtum cogerent, præsente Aquino: ut tum res omnis ex sententia descinderetur. Interim quietem ageret: nihilo turbaturus Albertum. Ita discessum est. Redit Albertus Regis pater in Germaniam.



¶ Magno defuncto, Comitias in Vuismariam Rex conscribit. Margareta Albertum bello superatum, septenni carcere detinet. Caput. xxxij.

IPSE Rex auctus armis, nauigauit in Phinniā. ut contumacem prouinciam perdomaret. Cumq; ad constitutum diem omnia constarent ex sententia, Magnus conquieuit: & Albertus Rex oïa pro iure suo tenuit per multos annos pacificè. Iamq; dudū confirmatus in Regno, cùm defuncto Magno nemo superesset qui obganniret: ipse Rex solēni ac Regio instructus apparatu, in Magnopolim suam enauigauit: ibiq; Curiam indixit in urbe Vuismaria cunctis Principibus Germaniæ inferioris. Confluxêre quicquid erat Nobilitatis, ab Hercinijs mōtibus ad mare, Marchiones, Duces, Comites, & quicquid ubiq; erat præcipuū. Et primùm quidèm ratio habita est in Concilio communiū temporū: ut pax et tranquillitas inter omnes seruaretur. Inde conuiuijs & solennitatibus indutū est: Hastiludia, Choreę militares, Domicellares ludi, fœminei plausus ubiq; resonabant. Concurrerāt ad festam solennitatē de longinquo plurimi, res nouas quas nunquàm antea uisuri. Non erat qui tristiū rerum ullam memoriā faceret. Omnia in splendoribus & magnificis apparatibus, & multiplici Principum ac Dominarū honore agebantur. Cùm autem Albertus iam annis circiter sex & uiginti egisset in Regno: & multa fortiter, prudenterq; constituisset: obiecit ei fortuna hostē intolerabilem. Nam Margareta Daniæ Regis Vualdemari unica filia, post patrem administrauit idem Regnum strenuissimè. Defunctoq; post aliquot annos Aquino Noruagiæ Rege, marito suo: cum paruulo suo Olauo, duo Regna iā gubernabat. Et cùm ille quoq; in primis adolescentię annis in fata concessisset: iā sola duobus pręfuit Regnis, mulier prudentissima: Regi Suetię Alberto se obiecit. Is enim opportuno loco, ut Regnum suum ab incursione tueretur: Arcem erexit, ac communiuit. Margareta arbitrata hoc sui iuris esse præiudiciū. quòd sui nō ut prius uada, atq; amnes liberi permearent: firmauit & illa Arcem ex aduerso, ut commeatus intercluderet uiam, importandi in Arcem

Comitiæ in Vuismaria.

Margareta duorū Regnorū Regina.

Belli causa.

cem Regiã. Ea res primùm iurgia excitauit Præfectorũ. Inde crescentibus odijs utrinq;, res prodijt in apertũ bellum. Contracta ualida armorũ auxilia. Nã Regina ex duobus Regnis quicquid habuit Nobilitatis in arma uocauit. Rex autẽ suis è Regno copijs, addidit ex Germania auxilia plurima. Ita paribus animis ruitur in bellũ. Iam productæ acies stabant: ut alterno aspectu sese contemplarentur. Palus erat inuia, quę alternos disclusit. Nonnulla uada, quę non omnibus erant comperta. Hęrebant Dani: expectantes, si fortè Rex prior transitũ pararet. Neq; ille festinabat. Attamẽ maior animis fiduciã ex Germanorũ quę ducebat auxilijs trahens, prior ingreditur paludosum iter. Ibi cum suis tot implicatur difficultatibus: ut hostibus uiã panderet ad uictoriã. Præliatũ tamẽ est acriter ab his, qui ęquis constitere locis. Sed hæsitantibus in profundo paludis, nulla erat facultas uires exercẽdi. Itaq; uincuntur, cæduntur q; Regij. Ipse Rex, cũ Erico filio capitur: & Reginæ seruatur intuendus. Illa expectatione prælij suspensa, demorabatur nunciũ, de euẽtu in Arce Vuerdingburg. Vbi audiuit suorum felicẽ pugnã: captum q; Regem: ascenso curru contendit in Bahusen: ubiq; iussit adesse captiuos. Rex ipse cum filio iubetur carcere seruari. Cæteros Nobiles, accæpta de more fide, laxari iussit. Tũ prima nocte ita cũ Rege agitur: ut uolens duas Arces in manus Reginæ consignaret: Axeburg nouã Arcem: unde omnis mali prodijt origo. In hac captiuitate septẽ añis Rex perdurauit. cùm multa interim per Principes, perq; ciuitates maritimas super eius relaxatione agerẽtur.

Daniæ lib. 7. cap. 41. b.

Capitur Albertus cum Erico filio.



¶ Ignis de cœlo, & mare desæuiunt in Stoxholmenses. Ioannis Ducis Stargardiæ naufragium, eiusq; pro liberando Regio studium. Caput. xxxiij.

MARGARETA Aquini Noruagiæ Regis relicta, Vualdemaris Danię Regis filia: duobus antea possessis Regnis, iã uictrix, tertium Suetiæ Regnũ duobus coniunxit: & ex illo die penè semper permansere coniuncta: Noruagia nunquã discrepãte. Licet Suetia aliquoties se tentauerit seiungere: redijt tamẽ ad eam unionẽ, quam triũ Regnorũ Proceres sentientes Regnis profuturã, unanimi consensu seruandam constituerunt. Erat septimus post Mille quadringentos à Christo annos: cùm Stoxholm, insigne Suetiæ emporiũ, insigni affi-ceretur clade de cœlo. Nam fulmine tactum oppidũ, penè totum conflagrauit. Perierũt incendio ad mille sexcentũ homines. At miserabilius est quod sequitur. Fœminæ plures, & sine numero puellæ, nauibus res suas inuexerant cũ paruulis. Aderant & uiri non pauci. Prius quàm soluerẽt, ingruebat promiscuũ uulgus, incẽdia declinãs: & oppletæ tanta multitudine, naues subsederũt: merserunt q; omnem illam

Trium Regnorũ unitas.

Anno Christi. 1407.

Fulminis de cœlo flagratio in Stoxholm.

multitudinem. Res calamitosa sine exemplo. Sed hęc postea. Interim Ioannes Dux Stargardiæ unus ex captis: posteaquàm ære captiuitatem suam luisset: exercitum parauit in Suetiam traijcere: præliaturus cum Danis, ad liberationem Regis cognati sui. Vbi autem expeditis omnibus, copias nauibus imposuisset: ingressus nauigationẽ, grauis exorta tempestas, classem disiecit. Vna in cõspectu nauis ex grandioribus, mari im̃ersa perijt: multos absorbẽs ex fortissimis. Altera quædam, Magistri culpa ac dolo, an ui tempestatis, incertũ, in Calmeren perducta, capitur ab his, qui iam Reginę paruerũt. Nam omne penè Regnum, præter unam ciuitatẽ Holmensem, quę sola fidem Regi seruauit, cum paucis, iam se ad Reginam contulerat. Ioannes Dux, lacera uix classe in sua reuertitur. Nam multi suorũ ui tempestatis in portus adacti, hostibus ludibrio fuere capti. Ita magnis sumptibus tũ instituta naualis expeditio, in uacuũ cessit. Rex tum nihil laxamẽti exinde persensit. Operępreciũ est cognoscere: quid tantũ Regnum, tam subitò auerterit Regi suo: ut cum fortuna uertente, fides penè omniũ uerteretur aduersus ea, quę iamdudũ præstitere sacramenta. Certè nouitatum cupida semper inuenta est ea natio. Quàm feruẽti ergò principio Regẽ suum intulerunt Regno: tam tepido nunc, languidoq; conamine defendunt. Pertęsi, ut apparet, Germanici iamdudũ Imperij, ad Reginã inclinauêre. Ita factæ sunt Regis partes duriores. Nã cùm nulli, uel pauci starẽt in Regno pro Rege: soli exteri difficulter poterant aliquid in tria Regna iam planè consentientia. Attamen Ioannes idem Dux, cum duobus filijs Ioanne, & Vlrico, multaq; manu militari: accedentibus auxilijs ciuiũ Rostoxensium, et Vuismariensiũ: qui pro Rege, suo utiq; Principe, & nauibus, & armis, et ære & corporibus militabant. Ergò circa festum Assumptionis Mariæ nauigantes: primùm ingressi insulã Bornholm, naues sua præda stipabant. Inde in Gotlandiam ducentes, idẽ factitarunt. Iam in Suetiam mouentes, contenderũt in Stokxholm: quod solum oppidũ Regi parebat. Dani autem duo præsidia erexerant aduersus oppidum. Sed Dux inita oppugnatione: unum fortaliciũ facilè deiecit: & ciuitatem ingressus, & egressus ad libitum, secundo quoq; expugnando inuigilabat. Sed erat ibi durior labor. quòd in altissima rupe firmatum, non erat aditu facile: fame tẽtabat expugnare circumsedẽs. Id ueriti Dani, petito colloquio, rem in treugas conijciunt, ad proximum diem Pentecostes. Quòd si institissent cœpto labori, facilè expugnato præsidio, uiã sibi magnam ad laxandũ captiuitate Regem aperuissent. Tum autẽ treugis contenti, rẽ suspensam reliquerũt. Ciuitates aũt Rostok, atq; Vuismaria, pro suo Principe laxando, cùm non alia cernerent remedia: publicis

Ioannis Ducis naufragium.

Præsidium oppugnatur.

blicis per terras edictis euocarunt oẽs ad prædam ſuaptè fortuna: ſuo lucro, aut damno in tria Regna militaturos: portus & nrbes ſuas illis patere. ut prædã inde abſtractã ibi partirentur, diſtraherentq́ pro arbitrio. Confluxit tanta hominũ undecunq́ colluuies: ut mare implerent orientale. Et inſtitutis ſæuiêre prædationibus terra, mariq́. Sed euenit quod neceſſe fuit: ut tanta mortaliũ ſine ordine, ſine ſuperiore, ſine autoritate multitudo, ſua abuteretur licentia, paſsim ſine diſcrimine rapientes: hoſtis, an fœderatus, in æquo ponebant. Cùm uerò nihil hoſtile occurreret, uel intentata præda malè cederet: quicquid in mari obuium fuit, hoſtile erat illorum interpretatione. Vitaliones ſeſe appellauêre. dum mare tenerent infeſtum, poſteaquàm ſemel prædę dulcedo illis innotuit. Memoratæ urbes, & ſi merciũ raptarum inuectione, non parũ lucri ſentirent: tamen quia res ſine diſcrimine miſcebantur: nec potuêre illi ſemel permiſſam licentiam facilè reuocare, neq́ facultatem refrẽnare: uicinarum urbium odia, et longinquorum mercatorum, non iniuria meruerunt.

Prædationes admittuntur.

Vitaliani.

¶ Albertus Suetiæ Rex certis conditionibus, unà cum Erico filio ſeptenni carcere eximitur.

CAPVT XXXIIII.



ANNO QVI tum proximè ſequebatur (erat enim nonageſimus quartus poſt mille trecentos) urbium maritimarum Conſilia ſuos miſêre Oratores in Daniam: tractandi apud Reginam gratia, pro relaxatione Regis Alberti. Erat tum Regina Halſinburgi: eò contenderant qui miſsi fuêre: & impleuêre ſedulò mandata. Intereà Dani, atquè Germani, quodam in loco exoriente rixa, conuolarunt in arma: futuraq́ uidebatur cædes maxima omnium Teutonum. Id metuens, uolensq́ præuenire quidam ex Oratoribus, urbis Sundenſis Proconſul: feſtinauit in Arcem, nunciare Reginæ periculum quod imminebat: accitis fide publica Oratoribus. Vidit illum Danorum quiſpiam properantem: gladio aggreſſus infeſto, caput ſecuit dimidiatum. Ille cadens moritur. Cæteri in naues feſtinauêre, abitum ſuum maturantes. Ita tum res permanſit intacta. Proximo autem anno, cùm res in eodem ſtatu permaneret: & Regnum totum Suetiæ, oppido STOKXHOLM aduerſaretur: quod ſolùm in fide Regis permanſit: nec egredi ciues ſinerentur, incluſi hoſtibus: nec importari ſinebant urbi commeatus: itaq́ ad famem res in oppido uergebant. Quod ubi Vitaliani cognouêre: ex portubus urbium Roſtok, et Vuiſmari naues octo grandes, frugibus & reliquo commeatu ſtiparunt: amicis importaturi. Erat autem bruma imminens. Nauigationem ingreſsi ſub Magiſtro

Orator occiditur inſons.

Hugone omnium Capitaneo, aduersis flatibus Suetiam apprendere non ualebant. Dani quoq; mare tenuerunt infestũ: urgentes quos ui derant pro ciuitatibus & Rege laborare. Incidit autẽ proximis noctibus uehementissimum gelu: ut etiã rigenti in mari glacie, naues firmarentur. Hugo futuri prouidus: ex suis per glaciẽ quodam per proxima nemora demittit, qui trabibus elatis, naues uallarẽt: superfundentes continuò aquas, quę in glaciẽ mox duratæ, inexpugnabiles fecêre naues. Iam in eũ modũ durata erat glacies, ut pedestri itinere Dani circumfusi, oppugnarẽt naues. Sed nihil profecerũt. Machinas adhibere uolebant. Cattos uocant, quorum de summitate tela in naues conijcerentur. Id præsentiens Hugo, iubet in uesperũ inscindi glaciem per circumitum nauiũ. Aderat fortuna. Tenui tùm renascenti glaciei, nix supercecidit, ut nullum haberet hostis Danus discrimen. Admouêre tentabat nauibus machinas, ubi uenerant in locũ fraudis, demerguntur oẽs qui aderãt, de nauibus sublato clamore Cas, Cas, ad insultationem pereuntium. Quàmprimum autem soluta est glacies, in portum optatum naues peruenêre, consolationẽ importantes fame laborantibus ciuilibus amicis. Proximo tamen anno, qui cœpit esse septimus à captiuitate Regis, urbium maritimarum Oratores Lubeck, Sundis, Gripensis, Turrianensis, Elbingensis, Gdanensis, Renaliensis, ex placito Reginam in Luitholm conuenerant, apud eam de laxatione Regis laborantes. Post plurimam autem rerum & uerborum altercationem, conuenerant in hanc formam. Vt septẽ memoratis ciuitatibus, Regina Regem Albertũ, cum Erico filio consignaret liberum. Ciuitates fidem facerent Reginæ, quòd infra triennium, Rex ad uoluntatem Reginæ se ære lueret. Ni id faceret: tum memoratæ urbes, ipsum Regem cum filio in manus redderẽt Reginæ sine dolo. Probauit conditionem Albertus. Sed ut securitas quoq; esset Ciuitatibus, fidẽ daturus Rex, literis & sigillo suo roborauit: urbem Stokxholm, cum arce sua fore in manibus Ciuitatum. Eo pacto, nisi infra triennium pactis conditionibus satisfaceret, ipsi arcem cum urbe, Reginæ contraderent. Habebant autem Ciuitates in ea formula arbitrium, ut nisi pareretur, aut Regem cum filio reddere, aut sexaginta milia marcarum argenti persoluere, aut arcẽ cum oppido, Reginæ in manus tradere. Quæ res tertio capite uiam fecit promptissimam. His pactis conditionibus, Rex captiuitate laxatus, cum urbium Oratoribus in Magnopolim, cum filio reuertitur.

Stratagema nauale.

Mergũtur Dani.

Conuentio eximendi Regis.

¶ Albertus Stokxholm cum Arce, Reginæ ditioni tradit. Ericus Pomeraniæ Dux à Regina adoptatus, tribus Regnis Rex præficitur. Caput. xxxv.

Cum

VM Rex Suetiæ Albertus captiuitate laxatus, nuptijs nouis sibi consuleret: filioq; daret coniugem filiam Ducis de Vuolgast (quod in Saxonia, & Vuandalia diximus) currebat interim, & ad finem inclinauit constitutum triennium. Tum Ciuitates septē, quæ fidem suam obstrinxerant, Regem commonuêre: ut quoniam arbitrio suo permissum esset, ex tribus unū deligere. Aut argentum persoluere sexaginta milium marcarum. Aut urbem Stokxholm cum arce tradere: Aut in captiuitatem redire: quod illorum præferret. Ille, quòd nemo dubitabat, se quàm minimo decreuit laxare incommodo. Literas ergò dedit ad Ciues Stokxholm. Gratias egit de fide ad extremum impleta. Semper fuisse illi in animo: uitam prius efflare, quàm ab illis discedere. Necdum posuisse spem, ad illos aliquando meliore fortuna redeundi. Nunc tempori cedendum, & necessitati. quando non est alia uia perueniendi ad id, quod quæritur. Tradant se Reginæ in præsentiarum. Meliora futura tempora, quando illos non pœnitebit seruatæ ad finem fidei. Eas literas cùm tenuerunt urbium memoratarum Oratores, in Suetiam se contulerunt. Et primùm admonita, ut par erat, communitate urbis Stokxholm: Reginæ ex pactis conuentis, ad fidei suæ impletionem, & Regis plenam & effectualem liberationem, oppidum cum Arce tradiderunt. Nec enim tam facilem Rex inijsset de tanto Regno transactionem: si aut fidem in Regni Proceribus reperisset: aut filium suum, quem pro se Regem destinauit, diutius habere meruisset. Hic erat exitus belli acerrimi. Cùm enim post duos annos laxationis suæ in fata concessisset: omnem spem recuperandi Regni abiecit Albertus, sua contentus Magnopoli. Tenebat tamen Albertus Gotlandiā Insulā: de qua in fœdere & pactis nihil cautum erat. Eam autem domui Teutonicorum in Prussia, fratribus Beatę Mariæ, Albertus uendidit. Proximo autem anno, pecuniam expromissam, in Vuismariā attulerunt, & missis cum eo certis qui præsentarent iuris, eiusdem tum plenariā sunt adepti possessionem. Margareta autem trium Regnorū iam potens Regina, omnia Regna industriè administrabat, nec erat qui illi contradiceret, quod nulli interim Regum potentissimorum contingere potuit. Sed erat singularis in muliere hac prudentia, qua omne consilium Procerum ita sibi deuinxit, ut omnes illi parerent ad nutum. Cùm autē consenuisset, tranquillitati suæ studens (quod & in Dania recitauimus) magno omniū Procerum suorum pręhabito consilio. Ericū Pomeranię Ducem adoptauit in filiū. Is mox unanimi oīm consilio Rex delectus, triū pariter Regnorū, longā retrò Antiquitatis renouās memoriā, assequitur, ut unis Rex.

Albertus ad Stokxholmen.

Stokxholm Reginæ traditur.

Erici mors.

Daniæ lib. 8. cap. 1. a.

Anno Christi. 1411.

Ericus, VI.

ut unis Legibus, tria Regna teneret: & quod est mirabilius, Mulieris beneficio.

¶ Ericus susceptis Regnorum gubernaculis, in Suetia aliquandiu commoratus, tranquillum Regnũ repperit. Dehinc cum Ducibus Slesuici & ciuitatibus maritimis colluctatur, &c. Philippa Regis uxor in Suetia moritur. Crebræ exactiones, Regem Suedis inuisum faciunt. Caput. XXXVI.



RICVS inter trium Regnorum iura, quæ adoptione quæsiuit, etiam Suetiam tenuit: satis ibi quietus in primordio res expertus. Cùm interim Ducibus Slesuici, et Ciuitatibus maritimis, quę uocantur Vuandalicæ, colluctaretur: in Archiepiscopo tamen Vpsolensi nescio quid deprehendens: misso ad urbem Romam speciali nuncio, ipsum accusauit. Cõuictumq; Papa destituit Archiepiscopatu: & fratrem quendam Ordinis tum noui S. Brigittæ, surrogauit, uirum deuotioni deditũ. Qua nunc sola, Ecclesiæ tenẽtes arces & prædia, non reguntur. Cætera illi per Suetiam diu fuere quieta: usqueadeò, ut Regina coniunx Erici Philippa, Regis Portugalię filia, ibi frequenter commaneret: exosa tumultus bellicos: non satis amans Regis mariti mores. In Suetia ergò confidens: post multum ibi temporis elanguit, & uitam finiuit, sepulta in Vuastẽn. S. Brigittæ nouo Monasterio. Ericus autem Rex, quo illius memoriam ibidem cõhonestaret, largitus est loco memorato, largam de tribus milibus Nobilium eleemosynã. Cumq; Rex intẽtus diu maneret diuturno bello, quod illi foret cum Ducibus, Slesuici Comitibus Holsatiæ, multis interim ad neruum belli, ut fieri solet, indigebat: quapropter crebras in populum ponebat Collectas, emunxitq; argẽto tria Regna, præcipuè Suetiam, quæ aliis opulentior uidebatur. Quòd etiam longius posita, excursionibus maritimis non ita ut Dania pateret. Hanc crebram exactionem nouorum semper censuum, & impositionum, primùm dissimulauère, si fortè finis esset. Inde grauiter tulere Regni Proceres, indolentes suis uisceribus, alienam ali sæuitiã. Primùm murmure, deinde aperta indignatione suam testati sunt impatientiam. Aliquando literis, quandoq; etiam nunciis missis eam apud Regem causam egerunt: Miseraretur pauperum laborẽ, quos de Suetia plus aliis euiscerare, Diu se per patientiam tulisse, Regnum ære exhauriri, sed ubi ad sanguinem usq; emungitur, tempus fore expergiscendi: Alleuiaret manum suam, & onera minueret. Alioqui non se uidere, quibus uerbis placarent insurgentem multitudinem. Omnia accæpta sunt summis auribus, nec ad corda penetrauère.

Vpsolen Archiepiscopus deponitur.

Reginæ Erici mors.

Molestæ Regis Exactiones.

¶ Grauis

¶ Grauis seditio in Suetia suboritur. Cuius, nomine assertoris, Patriæ libertatis, se ducem ipse Engelbertus ingerit, qui æmulatione nobilis adolescentis interfectus est. Rex seditionem sedaturus in Suetiã nauigare parat, at naufragium potitur. Ægrè dehinc in Daniã reuertitur, Regnorũ sceptra deposuit, multos post annos in sua Pomerania, fato concedens. Caput. xxxvij.



VBI nulla facta est rerum mutatio: Engelbertus quidam ex Nobilitate uir præcipuus, cùm Procerum penè omnium & plebis consentaneum murmur non ferret, Ducem se rebellionis professum, cunctis exhibuit. Concurrerunt ad illum omnes pro libertate uoluntarij, stipantquè latera, secuturi in omnia ad quæ ille ductaret. Magna igitur manu conflata, Arces & oppida quę pro Rege stabant expugnauit. Spontaneos et dedititios in libertatem Regni iurare adegit. Professus, non suam se dominationem, sed ueteres Regni consuetudines & libertates quærere. Danici generis Præfectos amouit: Sueticos substituit. Ita penè iustæ dominationis specimen præferebat. Sed modestia effecit, ut non se dominum, sed libertatis assertorem dicens, diu sustineretur & à populo, & à Magnatibus. Rex Ericus ubi intellexit, literis ad eum datis, primùm de temeritate non creditæ administrationis: inde, quòd auderet, destitutis Arcium Præfectis à Rege constitutis, alios sibi placitos surrogare, increpabat. Grauissimè inde increpuit, quòd fidei præstitæ, & iurisiurandi inmemor, illa moliretur, quæ illi, & omni suo generi, & affectatoribus perpetuam inferrent perniciem. Nihil profuerunt literæ, ubi iam processum erat à solita tranquillitate. Igitur quantæcunque forent minæ Regales, Engelbertus in cœpto perseuerauit. Rex præsentia opus esse arbitratus personali, si fortè uel Proceres, uel Populus reuererentur præsentem, quem absentem contempsere, profectionem instituit in Suetiam. At ubi mare nauigaturus ingreditur, exorta grauissima tempestate, una de grandioribus nauis commissa, procellis soluitur, centum ac sexaginta uiris mari demersis, pauci fragmentis enatauêre. Ipsa nauis Regia non pauciores experta fluctus, eò prouehitur, ut Rex in scapham descendens, ægrè euaserit periculum. Illa etiam naui cum eis, qui remansere, in conspectu Regis penitus diuulsa. Peruenit inde Rex utcunquè in Suetiam, & concursu ad se, ut sperabat omnium, uel maioris partis facto, facilè sperabat placare tumultuantes, aut etiam si perseuerarent, exercitum congregare. Sed longè illum fefellit opinio. Omnes à Rege auersos habuere animos,

Daniæ lib. 8. cap. 18.

Naufragiũ fit cap. 19.

Engelberto

Engelberto inhærentes. Quod ubi Rex experimēto suo didicit, nihil ratus morandum, propter capitis periculum, quod imminere formidabat, celeri se subductione in Daniam receptabat. Sed cùm res illo diu ordine in Suetia gererentur, Engelbertus autem non Rex, non Dux, sed libertatis assertor ab omnibus haberetur, incidit (quod fieri solet) æmulatio, quæ in necem dicti Engelberti, quendam iuuenē potentis militis filium armabat. Qui capta quam seruabat opportunitate, cæcidit Engelbertum, & nihil tale timentem oppresit. Indignati Proceres, uindictam parauêre. Sed ea erat patris potentia, et Arcium munitio, ut sine grandi labore nihil possent. Omissa igitur in tempus ultione, de oppugnandis quæ uastabant oppidis & Arcibus, quas adhuc seruauêre Dani Regi parentes, agebant. Dumq; de præficiendo iterum Capitaneo secum deliberant, nec facilè reperiretur, qui inuidiam nominis subiret, quę res in magnā moram coniecit suffectionem. Intereà Rex Ericus, audita morte rebellantis Engelberti, misit solennes Oratores in Lubecam, & uicinas urbes, oratum: ut rem inter se, ac Suetiæ Proceres ad pacem reformandam interciperent. Nec dubitauêre Ciuitatū Concilia, Regijs postulationibus annuêre. Nam missis ex suo quæq; ciuitas Concilio uiris probatis in Suetiam, causam omnem in disquisitionē posuerunt. Et post multa in omnem partem allegata, in eam peruenêre sententiam, eamq; pactis firmauerunt. Vt Ericus Regni Suetię gubernacula in cęterum teneret. Sueticos in Regno Arcibus præficeret, non Danos. Regium censum, cùm ibi præsens adesset, totum acciperet: absens, dimidium. Veterem oppidis & uillis libertatem, Mercatoribus undecunq; uenientibus, sua priuilegia seruaret. In eum modū compositis rebus, Oratores in sua alacres redierunt, uotorum compotes effecti. Deinde tamen tales in Regno Regi difficultates emerserunt, ut ceruices Regni gubernaculis subducere cogitaret. Nam Dani ad exemplum Suecorum Regem cōartare incipientes, pertæsam illi fecêre Regni negociationem. Vnde collectis quę uoluit de Regno secum exportare rebus, in Prutziam enauigauit. Inde in terram suam concesit. Reuocatus, non paruit. Connisus est tamen, suum in locum, unū ex fratruelibus, aut nepotibus Regem sufficere. Vbi non admittitur, omnibus se Regni negocijs abdicauit, & in Pomeraniam concedens, ibi consenuit, multos superuiuens annos.

Opprimitur Engelbertus.

Concordiæ pacta.

Daniæ lib. 8, ca. 20. 21.

Anno Christi. 1438.



¶ Christophorus Bauariæ Dux, Rex trium Regnorum eligitur. Naufragio thesaurum Suetiæ perdit. Tandem quiete fatis cedit. Caput. xxxviij.

Christophorus Rex.

CHRISTOPHORVS Bauariæ Dux, quòd proximo sanguine

ſuo ſanguine Regem ſuum cõtingeret (erat enim ſororis Erici filius) Procerum uoluntate, ut cæterorum, ſic Suetiæ quoq; Regno præfici tur: electus, introductus, coronatusq; ex ſoleñi ritu. Iam enim triũ Regnorum Proceres, repetita uice conuenerant: Regem unum, Regnis tribus præficere. Sic enim temporũ tranquillitati maximè conſuleretur. Nam trium Regum facile eſt conſenſum dirimere. Sæpè ex contemptibili re, poteſt maximũ bellum excãdeſcere. Ita omnes in Chriſtophorum conſenſère. Qui ubi coniugẽ de Nobili Brandenburgenſium domo accępiſſet Dorotheã, noſtri quoq; temporis Reginã: nullam tamen fecit Regni ſucceſſorem. Quod aũt ad Suetiam attinet: nihil in diebus ſuis innouatũ eſt. Conterritus ille pactis prioribus, nihil commouit. Gotlandiam aũt inſulam, Suetię coronę attinentẽ, Ericus Rex ſolam ex omnibus Regnis ſibi retinuit. Mirum quomodo in ius ſuum uenerit: quam, ut diximus, Albertus Rex Suetiæ, domui Teutonicorum fratrũ in Pruſsia uendidit. Sed eſt, quod ſæpè repetimus: Terras & Regna, inſulas cum urbibus, non legibus, ſed armis quæri, atq; defendi. Vnũ hoc de temporibus Regis huius in memoriã retulerunt. Venit in Suetiã Regio apparatu: oſtenſurus ſe populo ſuo, ut Regem ſe meminiſſent habere. Et ſacris ritibus per Eccleſiã de more peractis: ubi Proceres conuiuialiter ex conſetudine regionis accæpiſſet: iã rebus omnibus compoſitis, cùm omnia in naues reportarẽtur: comportati ſunt etiã theſauri Regij, à tantis añis collecti, pro rata ſua Regem tangentes: ut exportarẽtur. Iam nauigatio in Daniam inſtituitur. Ibi exorta tẽpeſtas ſæuiſsima, naues Regias uariè iactauit. Vnã, quæ aurũ & argentũ, cum cæteris Regij apparatus inſignibus uectabat, in oculis ſuis mergi Rex ipſe conſpexit. Ita non ſolùm inde non auctus opibus redijt: uerùm etiam plurimis, quos Regno intulerat amiſsis. Sed & intercidit ei tũ etiam præcioſior in Amicis & fidelibus, quos naufragatus amiſerat, theſaurus. Cætera in Regno Suetiæ per eius tempus omnia fuère quieta.

Anno Chriſti. 1445.

Autoris cõætaneum tempus.

Daniæ lib. 8. cap. 24.



¶ Sueci à pactis diſcedentes, Regem ipſis Carolum Kanuti: Dani & Noruagij Chriſtiernũ deligũt. At ille Regno cedens, hic trium Regnorũ regimini pręficitur. Cap. xxxix.

CVM aũt Chriſtophorus rebus exceſsiſſet humanis, iterũ Proceres de communi placito tribus Regnis unũ præficere Regẽ maturabant. Sed alia mens erat Sueonũ. Illis ex re uiſum eſt, à pactis diſcedere. ut ſuo Rege conſtituto, intra Suetiã ſuis uiuerẽt legibus. Potuit illos cõmouere Erici memoria, exorta Regni turbatio. Nec ſub Chriſtophoro emendata. cùm ſub Præfectis agerẽt: Regem non cernerent. Itaq; & populi uoluntate, nec Procerum reluctante ſententia,

ex corpore suo Regem creare annisi: opulentissimum, et in bonis Re-gno notissimũ militem Regem creauêre Carolum Kanuti: primum omnium Regũ, de quo extat memoria, ex infimo Nobilitatis gradu delecto. Daniæ atq; Noruagiæ Proceres, indignati de Suecorum à se discessione, Regem suum euocarũt, quem relicta Regina maritum su-um dignaretur, Christianum: quem dixere more suo Christiernum de Aldenburg, & Delmenhorst Comitem. Qui de insula Gotlandiæ pulsis Suecis: qui per omnem uitam Christophori, eam Erico Regi quondam suo seruauêre: eam nunc armis, uiribusq; sibi conquisiuit: adiutus ab Adolpho auũculo, qui Dux Slesuici autor erat, Christier-no coronæ suscipiendæ. At Carolus añis uix septem in Regno exple-tis: cùm talẽ se gereret: ut Ecclesijs pariter & oppidis æquè grauis im-mineret: omnibus cœpit Ordinibus odiosus haberi: recolentibus hu-militatem originis, & uixta eam, prouectionem Regiæ dignitatis. Ille ubi intellexit: omnium in se odia per singulos dies crescere: non igno-rans, quem foret res finẽ habitura (Quem enim quisq; odit, perijsse cupit: nec securus uiuere potest, quem multorum oculi seruãt ad per-niciem) collectis rebus suis: quas etiã in priuata uita plurimas habuit: Regni thesaurũ tutis in locis depositũ, iussit asseruari. Ipse sibi, suæq; saluti prospiciens, brumali tempore, in ipso quod uocant Carnispri-uio, cùm omnis Regio cõuiuali luxu debacchatur: nauim ingrediẽs, Gdanũ proficiscit̃. Tũ Nobiles Regni, atq; Prelati cõmunicato consi-lio, Christiernũ Daniæ atq; Noruagię Regẽ, in Regnũ uocauerunt.

Carolus Kanuti Suetiæ Rex. II.

Christiernus Rex, Daniæ & Noruagiæ. Danię lib. 8. cap. 26.



¶ Christiernus Rex, Caroli Kanuti thesaurum abditum recuperat. Indulgentiarum Apostolicarum, collectæ pecuniæ se facit participem. Caput. xl.

CHRISTIERNVS cessione uolũtaria per Carolum Regni sede uacuata, euocatus in Suetiã nauigauit: Proceres cum Pontificibus collocuti: cùm de iuribus Regni cum Re-ge contulissent: omniaq; ex sententia constarent: suũ Regem elegerũt esse Christiernũ. Quando Carolus non benè de Regno meritus, con-scientia sua exturbante, Regnũ deseruisset. In oppido Stokxholm di-uinis solenniter peractis, Vpsolensis Archiepiscopus, consecrationẽ de more implet: cunctis ad noui Regis gloriã tripudiantibus. Ita ius trium Regnorũ, rursus in unũ cõibat. Anno deinde quarto, Christi-ernus cùm audisset, Carolũ collectos ex Regno thesauros, tutũ in lo-cum deposuisse: contendit in Stokxholm: & fratres Prædicatores ad-ortus, de thesauris sciscitatur. Illi primum dissimulauêre, uelut igno-rantes quod peteretur. Vbi Rex durius increpitos commonefaceret: uiderent quid, et cui absconderẽt: non se impunè laturũ contumaciã:

Christiernus trium Regnorũ Rex. I. Danię lib. 8. cap. 30.

quòd

quòd se proderent sentire clam cum hoste Regni: cui, ut uideretur reuersuro, depositum æs Regni conseruarent. Ipsi Fratres perterriti Regis minis, celatum prodidêre thesaurũ. Aliquot milia fuere. Grandis quidèm priuato homini pecunia, sed Regi paruula, & tam præcipuè munifico, qualis Christiernus uidebatur. Quo tempore reperit Rex nuncium Apostolicum Marinum de Fregeno, mulgentem ære populum Aquilonis. Hunc Rex quoq; adortus, accæpit de lana tonsarum ouium partem: pactus in reliquum dimidiũ omniũ rerum, quas idem populus in causam pietatis cõtulisset. quòd & ipsi Regi sæpè dimicandum foret aduersus scismaticos Rusfos: qui Ecclesiam secuti orientalem, ritus occiduæ damnant Ecclesiæ. Sunt aũt Suecis quadam in parte contermini. Vnde non iniustè pactus est Rex cum exactore: ut ad pia bella collectam à fidelibus pecuniam dimidiaret. Sumptaq; parte contentus, reliquam defendendo ubi colligebatur Regno dimitteret.

Thesaurus Caroli Kanuti proditur. Anno Christi. 1469.

Iusta excusatio Regis

¶ Suecos rebelles Rex infelicius oppugnat. Frustra de pace agitur. Gubernatorem erigunt Sueci, Regem temsantes. Caput. xli.



SVECI deinde rebellionem ostenderũt Regi Christierno, prætendentes nescio quid, quod in pactis susceptionis eius cautum haberetur. Cunq; Rex non acquiesceret: nec illi discederent à sententia: Rex ualida armati exercitus manu ex Regnis, & Germania contracta. Anno Regni Suetici septimo, qui fuit nonus & sexagesimus post mille quadringentos, mouit in Suetiam. Illis autem ex omni Regno adunatis, uenientem exceperũt: & collata manu, non modò sustinuerunt, sed etiam represserunt: multis in medio cæsis: aliquot ex Nobilitate captis. Sed Archiepiscopus Vpsalensis, qui Regi fidus permanebat, cùm Regi fidus occurrisset: ab eo tentus, & in Daniam ductus, non caruit suspicione fidei uacillantis. Anno penè integro in Dania manens: ubi Regem fecit integritatis suę certiorem, cum honore remittitur ad Ecclesiam. Nec est inuentus alius, qui Regi parem fidem asseruaret. Nam cùm reuersus, inuenisset omnes penè Regi abalienatos, nec facilè posse in uiam reduci: Regni negocijs se subducens, ad quietem & uitæ tranquillitatem se composuit. In hoc rerũ statu cùm res perdurarent, erant in Suetia duę Arces, quas pro Rege Christierno seruauêre fideles. Iuuarus Axel miles Regni primarius, collecto exercitu post aliquot annos, nisus expugnare fortalicia, eiectis ut sperabat de Regno cunctis, qui Regi adhærerent. Sed Arcibus introrsus fortiter defensis, cùm Rex ualidam suorũ obsidentibus manũ inmisisset: fugauit oppugnantes, suis protectis. Ausus est item idẽ miles, ductor exercitus, transportare copias in Daniam: felicius ut putabat, in

Dani uincũt Suecos.

bat, in hostico pugnaturus. Sed occurrere Dani non segnes, collataq; manu, captos tenuere ex Suecis supra trecētos: inter quos multi fuere genere militares. Intercæpta res est Concilij Lubecen. cęterorumq; cō muniū amicorū opera, inter Regem, & Proceres. Placuitq; Regi, conuentum agere cum illis in urbe Lubecana. Constituto ad hoc die parti um placito: uenit Rex magno comitatus Prælatorū ac Procerū nume ro. Diu expectati Sueci, demū adsunt: purgantes morā. quòd uentos, & auram cœli in sua non haberēt potestate. Tractatū est: nec poterat, multis indagatis uijs, ad concordiam perueniri. In causa ferebāt: quòd Sueci Carolum suū, iam ad priuatā uitā in Suetia se collocantem, om nino abdicare nollent. Sed Christierni, ut uidebatur, formidatam po tentiam, obiectu Caroli frangere, ac retardare statuerūt: Ediuerso, Ca roli fortassè insolentiam, Christierni formidine temperare. Sed noluit Rex in boue & asino arare. Itaq; re infecta retrò abeunt. Anno proin de proximo, qui fuit septingesimus post mille quadringentos, Rex ite rum quàm potuit occultissimè expeditione pręparata, in Suetiam mo uit. Sed non potuit tantus Rex se commouere: quin semper suspicerēt quibus ea res formidanda esset. Venit in Sueciam: & per fauces mon tiū ducturus in Regnū: reperit ante se, quos putabat imparatos. Itaq; magno accæpto per angustias uiarū incommodo: amissis ut ferebant, plus quàm quingentis, retrò duxit exercitū: neq; tum prosperatus in expeditione sumptuosa. Sed eodē Anno cùm rebus excessisset huma nis Carolus quondā Suetię Rex: cœperunt inter Proceres oriri contra riæ sententiæ. Cùm alijs ad noui Regis electionem procedendū uide retur: Alijs Christiernū sub pristinis Regni pactis reuocandum. Sub ea aūt controuersia res omnis mansit infecta. Sæpè tentata res armis: sæpius congressionibus placitorū. Sed cùm nihil proficerent: in ea am biguitate permansere: nec Regem recusantes, nec parentes mandatis. Gubernatorem appellauere ex optimis militem: qui conuocandis Re gni cœtibus, & omnia uice Principis gerendi habeat potestatem. Ma rescalcum nostri uocant, Galli Conestabulū: Magistrum equitū dixe re Romani, armorum ductorem interpretantes: qui & equestris mili tiæ Princeps, arbitriū habeat educendi armatum Regni exercitū. Mul ta ueneratione Sueci hominem illum habuere. Coronam etiam para ti deferre, si ambiret. Sed ille prudenter dissimulauit: Gubernatorem se dici passus: natu maiores, & Regni Prælatos, quenq; suo dignatus honore. Rex quoq; Christiernus causam integram seruaturus hære di, rem in reliquum permisit intentatam: uersabilem toties fidem ex pertus: elegit, ut inter ea quiesceret: si quando uoluentibus annis, po steri eius sua in Regna iura recuperarent.

Anno Christi 1470.

Regis factura in bello contra Suedos.

Gubernator. Marescalcus. Conestabulus. Magister equitum.

Ioannes



¶ Ioannes Daniæ & Noruagiæ Rex, à Suecis non suscipitur: quos Rußi interim molestant. Moscauiæ Legatio ad Regem. Caput. xlij.

IOANNES Christierni filius Regis, in Daniam Rex electus & confirmatus: in Noruagiam hæreditario iure succedens: Suetiæ quoq; Regnum expectabat. Admoniti Proceres à uicinarum Regionum Nobilitate: ut ad antiqua secum pacta respicientes, communem tribus Regnis Principem præficerēt. Nil aliud egerunt: quàm si uellet Rex Ioannes, conuentas dudum subire conditiones, Suecis quoq; regnaret. Sed ille, nisi liberā regendi potestatem haberet, contempsit, temperamenta tamen adhiberi pateretur. Sed ad eorum quibus regnaret nutum imperare: non Regnum, sed seruitutem deputauit. Diu præstolatus est, si fortè sua spontè ad cor redirent. Aliquando curauit admoneri. At quem Gubernatorem deputauêre Regni, ea fuit modestia, ut diu populus Regem non desyderaret. Igitur in hoc rerum statu multi decurrerunt anni. Cùm interim Suetia à bello non uacabat. Nam Rußi Orientalia Suetiæ contingentes, nonnunquam bella lacessere Suecos adoriuntur. Vicißim illi Rußis faciunt incursiones. Nihil tamen magni fiebat præter intercursiones. Nam finibus quisq; suis præsidia adhibuere. Interim Legationes crebrescunt Principis magni Moscauiæ: qui supra omnes Proceres prolatauit Imperium: magnam illam urbem Naugardiam sibi parere cogens. Is em̄ in Daniæ Regem modernum Ioannem respiciens: facile, si de conditionibus belli conueniret, Suetiæ utriq; intercæptam, ad iuga cogerent. Sed Rex prudentißimus, audiebat quidèm Legationes: & quod tempori congrueret respondebat: neq; plenam scismaticis fidem dedit: neque omnino repulit, sed cum honore dimißis Oratoribus, interim cogitauit, quid Regnis suis, quid communi Romanæ Ecclesiæ conduceret honori. Ita Moscouitæ ad hunc usq; diem in incerto relicti, nesciūt quid animi in se gerat Rex memoratus. Mercatores tamē Germaniæ, Princeps ille Moscouitarum in terris suis, & præcipuè in Naugardia captos tenuit, & rebus omnibus nudatos, diu seruauit ī carcere. quòd gratificari putaretur ea re Principi memorato. Multis deinde pactionibus in medio habitis, post longam captiuitatem uix liberati sunt qui superfuere. Sed de rebus nulla spes.

Ioannes Rex.

Moscauiæ Legatio.

¶ Proceres Suetiæ de Rege Ioanne suscipiendo sententijs uariant. Præfectus Gotlandiæ in Regem Ioannem inclinans, illi insulam simul cum oppido & arce tradit. Regi haud paruam occasionem inuadendi Regni per hoc præbens, ut & suis & peregrino milite adiutus, tandem Regno Suetiæ potiret. Cap. xliij.



NTERIM Ioannes Rex cùm titulum præferret Electi in Suetia, semper expectabat benè gerendę rei in Suecis occasionē. Pertæsum est aliquando nonnullis ex Proceribus: quòd Gubernatori, & si integerrimo ad illū diem uiro, tamen omnibus natu & origine pari, subesse cogerētur: de inuocando Rege, quem elegerant apud se, cogitabant. Sed quoniam multi etiam contrariam fouerunt sententiam: sine magno incommodo res transire nō poterant. Ergò intestinū ueriti malum, diu quieuere. Interim qui Gotlandiam pro Suecis diu gubernauit, strennuus ad arma miles, iam senio ingrauescens, cùm intelligeret Procerum in Regno, super inuocando Electo Rege, repugnantes sententias: illis accessit, qui putauerunt Regno expedire, Regem habere: & illum Regem, quem pridem omnes elegerunt. In eam sententiam pedibus uadens, quod potuit fecit: Regi insulam cum oppido & arce consignauit. Ea fuere Regi primordia Suetiæ inuadendæ. Inde cùm res per proximos annos magis atque magis inter Regni Proceres agerentur: ipseque Gubernator in utranque partem æquè uideretur promptus: cœpit præualescere eorum sententia, qui Regi inclinabant. Ea tamen res, undecunque iniecta mora differebatur. Nonnullorū uerba à rebus: & res à uerbis animaduersa sunt discrepare. Tentata fuere inter utrasque partes colloquia. Nam Rex ipse ex suo submisit Concilio, qui cū Suetiæ Proceribus agerent. Sed nulla in re conuenêre. Arma ostenderunt aliquando: bellū rebellibus animo sedit. Idque ingruēte iam bruma intentatū est. Erat tum in occiduis partibus longo bellorū consuetudini innutrita gregariorū militū peditū tum magna manus: ex uarijs prouincijs côaugescens: scilicet per Franciam, Flandriam, Brabantiam, ac Gelriam: malis urbiū & prouinciarū uariè iactabatur: Guardiam dixere: & quasi custodiā finiū, quibus inuocabantur. Custodes dicti, uastatores erant: manus hominum impia, quæ nihil sacrum putabat. Dei summi, ac hominum iniuria, in æquo illis fuit. De his loquor, qui maiorem numerum confecere. Cæterum inerant & uiri sensati militaris generis, ac ex oppidanis: qui & si ordines ducebant, aut etiam stipabant: rectis tamen animis, de Deo, Sanctis, & iustitia fuere. Sed in tanta colluuie mortalium, à maiori multitudine censere solemus uniuersos. Inerant omnium Prouinciarum homines, promiscuum uulgus, Hispani, Galli, Anglici, Scoti, Longobardi, Suitenses, superiores Alemanni, Sueui, Bauari, Franci, Saxones: inmixti militares, qui Ordines duxere. Eam manum Rex stipendio conductam, misit in Suetiam. Aderat ipse cum equitibus expeditis. Nec minus Gubernator cum his, qui pactis uetustis pertinaciter inhærebant, armauit quos poterat, non contemnendas copias. Eduxit

Suecorum incōstantia.

Guardia.

as. Eduxit quoque magnam manum in Mineris laborantium, ferreum genus hominum: sagittis quàm frequentes utuntur, acutis, longisque hastilibus. Sed præuenerant Regis copiæ: ne iungerentur agmina Suecorum, intercæpto nuncio, qui locũ & tempus conueniendi detulerat. Eduxit aũt contractã suorũ manũ Gubernator oppido Stokxholm: quod unũ Mercaturis maximè idoneũ, & in quo multi ex Germanis habitare delegerũt. Eas copias excępere Regij: et collata manu, multis cæsis, profligauerũt. Nam ubi fugã intentarunt in oppidũ memoratũ, multi in ipso cęsi sunt itinere. Iam inclinabat Regi uictoria, copijs expeditioribus profligatis. Veruntñ Rustica quã diximus multitudo, durorũ pectorũ, in loco demorabat̃ nunciũ à Gubernatore. Sed priusque uictoriæ Regiorũ ad eos nuncij peruenirent, aderant pedites memorati de Guardia: & instituto in eos pręlio, quasi murũ oppugnauere, non cedentes loco. Nõ est aliâs uisa Rustica manus, tam pertinaciter locũ defendens: donec uulneribus defecti caderet. Quòd si equestres alas cũ Ductoribus habuissent: nulla uis superasset tam immanẽ & inuictã ad uulnera manũ. Iam multitudine morientiũ adacti, qui superarant cedere cogebantur. Victoria fuit Regiorũ, non tamen incruenta. Nam quotquot sagittis eorũ cõtingebantur in locis mortalibus, mox animas posuere. Id erat arcuũ robur, & uis dirigentiũ. Gubernator ipse, aliquot submissis amicis, ad Regiam se parauit uoluntatem. Tum qui ad rem ex Proceribus neutrales fuerunt: cum his, qui partes semper Regias sunt tutati, ad Regem uenere. Omnia ex uoluntate uictoris sunt constituta. Sacramenta præstantur. Inunctio solennis peragitur. Et omnibus pro more & arbitrio constitutis: post aliquantam in Regno moram, Gubernator ipse Regem reduxit, comitatus in Daniam. Ipse quoque à Rege non inhospitaliter habitus, quo in fide conseruaret noui Regni populum, necdũ animos in eundem alienos habentem. Is est rerum status in Annum usque Quingentesimum Millesimum à Christo nato, & salute mundo præstita.

Vincit Rex. — *Sueci se Regi dedunt.* — *Anno Christi 1500.*



¶ Tumultuatur Suecorum populus. Rex insidias cauens, Regina pregnante relicta, Regno enauigat. Exercitum in Suecos fortiores se frustra parat.

CAPVT XLIIII.

AD eum qui proximus erat añum, cùm in eo Regno cõponendis rebus Rex inuigilaret: exoritur tumultus à plebe: indignante, quòd tam facilè cessisset omne Regnum Regi, cui pridem minor populus Thietmarsorum restitisset. Excæptum est murmur non inuitis quorundam ex nobilitate auribus, qui rem miscuere. Interuenerant Ecclesiastici nonnulli: qui pro consuetudine REGNORVM,

consilijs publicis magnam autoritatem fouent. Effectumq; est: ut Rex cùm multa tentasset, rebus in bonum modum, salutaremq; statum reparandis, frustraretur: clam Regno enauigans excederet: Regina relicta in Arce, cum fideli suorum præsidio: armis, commeatibusq; abundè ad omnem casum preparatis. Pregnans erat: ibiq; paritura sperabatur. Quòd si marem esset enixa: Regem indigenam populus ambire, ac placidè accipere putabatur. Sed præsenti adhuc Regi illa obuenere à Suetię Proceribus: ut insidiatum capiti suo non dubitaret. Crebrius inuitatus ad loca suspecta, uitauit congressum: ac mira fortuna elusit omnes insidiantium molitiones. Non erat altera rebus uia, quàm perfidum genus armis petere: ui bellorum ad iuga cogere: insidias, & omnem iniuriam ui depellere: cogereq; inuitos, ut fidem impleant: pacta firment: faciantq; imperata. Rex ergò æstate proxima de longinquo uocauit arma. Misere Principes ex fide auxilia. Venit magna multitudo gregariorum ad stipendia. Quæ dum intus cõperta habuere Sueci: arma quoq; illi contraxere: inuocãtes de prouincijs uicinis auxilia. Sed nemo se commouerat. Multi tamen stipendia facturi, ad eos undecunq; concurrerunt. Rex perfidiam Regnicolarum per urbes maritimas questus: pręmonuit, ne quis se hostibus suis inmisceret. hostem testatus habiturum, qui arma, commeatus, aut quascunq; merces hostibus suis importaret. Idem Rex Scotiæ Danorum Regis ex germana nepos, misso per maritimas urbes honorato nuncio factitabat: sanguinis nodum, fœderis societatem ad auunculum cũctis denuncians. Adoritur igitur Rex auxilio Scotorum hostes suos Suecos. Sed tanta se multitudine in arma contulerunt: ut multis milibus exuperarent uenientem. Monitusq; à nonnullis, qui Regi fauebant: nisi quinquaginta milibus fortior ueniret, nihil illi sperandum. Leuibus aliquando prælijs concursum est: sed exercitibus totis non conflixere. Traxere Sueci secum in rebellionem Noruagios multos. Cæterum inuenti sunt in illa gente, qui fidem Regi suo implerent, passi obsideri. In quib. spectata fides militis, qui ante annos aliquot, Regia dictante sententia, manum perdidit: & iamnũc sollicitatus, etiam armis impulsus, flecti à fide non potuit. Sed iam Voluminis huius nodum impleuimus.

Suecorum exercitus fortis.

¶ Alberti



ℭ Alberti Krantzij Hamburgen. Chronographi, Rerum Sueciæ gestarum, Liber. VI.

ℭ Christiernus Rex, in Noruagia Suecos arces obsidentes depulit. Spectri prognostici uisio narratur fabulosa. Caput Primum.

FILIVS Regis Christiernus, auitum referens nomen, primis tum in armis detonuit. Is agmine in Noruagiam ducto, soluit Suecorum obsidionem. Quasdam arces iam à Suecis insessas expugnauit: æquauitq; solo. Magnis animis paterna bella gerens: sublimi omnium spe: quòd futurus sit multis ad prælia Regibus fortunatior. Fabulam passim circumferũt: eamq; miris fauoribus efferunt. Veterum quendam Regum ferunt in profundis Scaniæ saltibus uenatui intentum aberrasse cum paucis in æuia: longóq; die non redijsse in uiam. quòd error illũ in interiora misisset. Sub uesperum uidisse de longinquo fumum ex domicilio: exhilaratumq; petijsse: quã agnouit hominũ mansionem. Eò cùm contendisset, peruenissetq;, instructam reperisse domũ: focum promptissimũ: mensam apparatã. Domui præfuisse puellam: quæ in excipiendo Rege, singulari sedulitate circũcursitabat. Miratũ Regem: in tam uasta solitudine, tantam esse rerum apparatum. Expleuit famem cibus, ac potus sitim: & iam penè mutus hę rebat: quidnam rerum fores, secum quæritabat. Puella ubi uidit attonitum Regem, prior compellat. Ecquid Rex optime, uersas in animo? Pone curas: & si quod te futuri desyderium noscendi habet: disces quę uoles. Percũctare, si quid de tuis successibus, successoribusq; nosse uelis. Regem tum interrogasse: quisnam futurus sit post illum Regni status? qui in Regnum & scęptra successuri? Illam tum ex ordine percensuisse Regum nomina: peruenisseq; ad exteros, qui in scęptra uocarentur. Primum Ericum Pomeraniæ Ducem, siue prole abiturum. Inde Christophorũ Bauarũ. Quem exciperet Christiernus ex Comitibus Frisiæ. Cui primùm filius Ioannes in scęptra succederet. Illum uerò Christiernus filius exciperet: omnium ante se Regum futurus bellicosissimus. Hæc cùm diceret: horrida uoce sonuisse ex latere quendã, Regemq; territum respexisse: uidisseq; hominem giganteæ magnitudinis, stratum ad parietem, armis ingentibus horrentem usq; ad umbilicũ. Is tum uocẽ infregit. O si mihi tum hastam, & arcũ quis redderet. Stupefactum Regem, ad miracula siluisse. Tum puella. Cur inquit de proprijs successibus nihil perquiris? Regem uerò, quot años esset habiturus perquisiuisse. At illa uersa in militẽ, qui Regi comes hærebat, Quamdiu inquit iste patietur. Significans, Regem manu militis occubiturum.

Christiernus. II. Rex

Fabula lepidæ fictionis

biturum. Quod cùm miles acciperet: indignabundus, sublata manu, puellam dato colapho uindicare constituit. Illisitq; manum in densis uepribus: & mox uelut somniũ cuncta disparuêre. Viditq; se Rex in profundo nemore sine tecto. Eiusmodi fabulam circumferũt. At ego neniꝗs ueterũ deputabo: ut erat semper Aquilonaris Regio maleficiꝗs frequens dedita.



¶ Stokxholm, item Arx relicta à Rege, Suecis deditur. Regina Monasterio Vuasten excipit. In Calmec solennes Comitiæ pacis, statuuntur. Caput. ij.

Ex manu Autoris caput hoc exceptum. Ecce libri autographum.

SVECIA interim rebellionem suam prosequitur. Ciuitas Stokxholm aliquandiu in fide Regis permansit. Arx cui inerat Regina, cum fideli Germanorũ manu in tuto erat: quamdiu superfuere commeatus. Oppidum diu à Suecis oppugnatũ deditur, cùm sibi timeret à fame. Arcis custodes, cùm cibis & potibus uterentur incommodius, cœperũt ęgrè spiritũ ducere: multis per tempora morientibus. Cũq; spes propinqua, de Rege liberaturo obsessos, & ad paucos redacti essent custodes, Reginęq; ab illis, fœmineo decori nõ magnopore timeret: dedita est Arx quoq; Suetiæ Proceribus. Regina ut erat religiosa fœmina: postulauit, admitti in Monasteriũ b. Brigittæ, Vuasten uocant. Ibiq; intenta deuotioni, mansitabat aliquot añis: donec minis Cardinalis Legati Raymundi, & opera consiliariũ Doctorum de Lubeca, qui eó missi fuerãt, persuasum: ut Proceres Regni inclinarent ad tractatũ extra fines Regni ineundũ, in una urbiũ Pomeraniæ. Horũ opera Regina educitur: & in Regnũ reuertit. Cùm interim Suetiæ Proceres proximo anno ad cętum consentirent. Sed increuit nouitas. Nam oppidũ Calmec, cum arce, quam Rex tenuit in confinio Danię, à Suecis oppugnatur. Rex aduolans tutatur. Ita rebus ad bellũ renouandũ intentatis, Cõuentus omittitur. Moritur interea Steno miles Regni gubernator, qui ubi nimiũ auscultauit Ecclesiasticis, miscuit phas atq; nephas. Cùm uerò qui rectè senserunt de rebus euigilarunt, placuitq; in commune, ut de communi consensu Procerũ, ex tribus Regnis, treugæ firmarentur per integrũ annum. Interea deligit locus in Calmec. In eam conuenturi sint cum Rege, à singulis Regnis Oratores, cũ plena de summis rebus potestate acturi. Ibi ueteres querimoniæ singulorũ excutientur, statueturq;, quod ad perpetuæ pacis & tranquillitatis commoda uidebitur pertinere. In ea expectatione hodiè res conquiescunt. Lubecenses nauigant in Suetiam intrepidè, gratiam Regis necdum ad plenum assecuti. Pactis conditionibus stetisse, non putantur. Ipsi quos habuere promissorum sibi factorũ fideiussores, exactissimè ad assem usq; emunxere.

Calmec oppugnatur.

Gubernatoris Suecorũ mors.

¶ Sueticæ HISTORIAE per Albertum Krantzium descriptæ FINIS.

ERRATA quæ in DANIA commissa, & postmodum inuenta sunt, prudenti Lectori annotandum.

Folio 28. in margine. pro Froto Rex primus. lege, Froto Rex Secundus.
4. pro Christiernus. lege, Christianus.
25. lin. 19. pro euibus, lege, leuibus.
108. in margine, pro Alechis. lege, Alachis.
149. lin. 19. lege, Suenonem, pro Sueuonem.
Eodem in margine. lege, Inglorium, pro Inglorum.
196. lin. 5. pro Asylo. lege, Anslo.
212. propè medium, pro atere. lege, latere.
314. lin. 18. pro caduntur. lege, cæduntur.
315. lin. 39. pro Anehald. lege Anehold.
349. lin. 24. pro putauerati, n. lege, putauerat, in.

ERRATA in SVETIA commissa.

Folio. 386. lin. 36. pro moribus. lege, meritis.
395. lin. 1. pro excubuere. lege, excubare.
397. lin. 11. pro repentis. lege, repentinis.
406. lin. 13. pro intaruallo. lege, interuallo.
408. lin. 6. à fine supra. lege, profudisset, pro, proudisset.
462. lin. 20. lege. In quam, non, q̃.
443. lin. 24. pro numere. lege, munere.
499. sub capitali, pro Romam. lege, Romani.
537. lin. 8. pro mutuò Francorum armis,
lege, Francis per mutua arma.

Arma NORVAGIAE.



NORVAGIA.

TOMVS III.

REGES NORVAGIÆ.

NORMANNORVM COMITES, Duces, & Reges.



ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, in Rerũ Noruagiæ gestarum LIBROS,

PROLOGVS.

NORVAGIA, quam nunc uulgatius Noruegiam dicunt: tertium Regnum Aquilonis: prouincia Borealis notissima: & ideò ultimo à nobis loco int̃ tres collocata. Longitudine quidèm sua in extremam Septentrionis plagam porrigitur: unde & nomen accæpit, à Germanico ductum linguagio. Incipit autẽ à prominentibus scopulis Baltici freti. Deinde reflexo in Aquilonem dorso, postquàm feruentis Oceani marginem suo circumit ambitu, tandem in Ripheis montibus limitem facit. Aliquot autẽ sinus includit multis miliaribus nauigabiles. Circum habitantes piscationi indulgent. Nam genera piscium grandia cum mediocribus, aëri exponunt torrefacienda: quæ sic arefacta, per Germanię littora deuehuntur. Nostris Mercatoribus (Bergas Latini uocant in Regno) piscatores afferunt de longinquo uenientes, demorantibus. Ea autẽ Regio propter intemperiem algoris, sterilior est Dania, atq; Suetia. Apta tamen pecoribus. Robustissimos educat uiros: qui nulla frugum luxuria molliti, sæpius impugnant alios, quàm impugnentur. A multis retrò seculis partim inopia adacti, partim freti uiribus (quæ facilè faciunt mortales insolescere) mare Britannicum diu tenuere infestum. Nonnunquã soli, aliquando Danis inuicti, Britañiam, & Gallias sunt populati: nec quieuêre, donec de suo nomine Normandiam in littore Galliarũ constituerent. Quanquàm Gallorũ Scriptores rem perturbantes, omnes ab Aquilone uenientes, soliti sint appellare Normannos: non discernentes inter Danos, & eos qui ueri sunt Normañi. Ab hac tamen gente Danorum, atq; Normannorum, in littoribus Galliarum demorante: propagati sunt & illi Normanni, qui penetrarunt in Italiam: & primùm in Apulia, inde in Sicilia, post Comitatũ atq; Ducatum, Regna quæ hodiè extant constituere. Quod suis locis ostẽdemus. Post susceptum uerò Christianismum, melioribus imbuti disciplinis, didicerũt pacem & ueritatem diligere. Sed cum nefandis maleficiorum artibus ea gens ab initio super omnes gloriaretur mortales: nunc simpliciter confitetur cum Apostolo: Iesum, & hunc crucifixum. Sacerdotum, & Ecclesiarum tantam tribuunt reuerentiam: ut uix Christianus habeatur: qui non quotidiè offerat ad diuina quę audierit mysteria. Verùm in ea gente, qa multis seculis populus ad soluendas Ecclesijs Decimas, erudiri non poterat: usqueadeò in omnibus illis Prouincijs renisa, ut

Noruagiæ descriptio.

Noruagi piscatores.

Normanni qui, & unde

Eee Kanutus

Daniæ li. 4. ca. 37. b.c.d. Kanutus Rex Daniæ, ob eam causam, quòd grauius urgeret, occisus, inter martyres honoretur. Quippe qui Regalibus tributis satis onerati sibi uidebãtur. Diu cöacti sunt Sacerdotes in ministerio Sacramentorum accipere à populo unde uiuerent. Cui rei se permiscens Auaricia, multos ex Clero implicuit labe Simoniaca. Omnis nũc Regio dudum Christiana fuit: exceptis qui trans montes ad Oceanum Borealem agunt. Nam illi Magicis artibus, & incantationibus ita seruiũt: ut se scire, renunciareq́ polliceantur, quid in toto rerrarum orbe rerum agatur. Hi sunt Lappones agrestes & uagi: ferarũ solis pellibus in tanto regionis frigore usi pro uestibus. Et loquentes inuicẽ, frendere magis, quàm ulla uerba proferre dicuntur; ita, ut uix à proximis queant intelligi. Ibi tanta est ferarum copia: ut plurima pars regionis, solo uenatu uiuat. Capiuntur Vri, Bubali, Elaces, Bisontes, etiam in Rusia & Polonia. Vulpes ea regio habet nigras: & lepores, ursosquè albos. Metropolis autem ciuitas Normannorum est Trondennis, nunc appellata Nidrosia: quæ templis insignibus, magna populorũ frequentatione celebris habetur. Tumulũ habet sanctissimi Regis Olaui: cuius martyrium in Metropoli descripsimus, ad cuius tumulum usq́ hodiè maxima Deus ostendit rerum miracula. Post Normanniam, quæ est ultima Aquilonis prouincia, nihil habitationis humanæ: sed terribilem uisu, & infinitum Oceanum, qui Mundum complectitur, est inuenire. Sunt tamen ab occiduo insulæ multæ non ignobiles: quæ nũc ferè omnes Normanniæ parent. Ibi sunt Orchades insulæ, more Cicladum sparsæ per Oceanum. De quibus Romani Scriptores Martianus, & Solinus. A tergo inquiunt Britanniç infinitus patet Oceanus: Orchades sunt Insulæ: quarum uiginti memorantur desertæ, sedecim incoluntur. Vicinæ sunt Electrides: quæ à nascente ibi Electro nomen tenent. Igitur Orchades Normanniam & Britanniam, Hiberniamq́ locatę: feruẽtis Oceani ludibundè minas ridẽt. Ad eas à ciuitate Trondenni una die nauigatur. Simile interuallum in Angliam, Scotiamq́. Insula Islandiæ, quæ per immensum à cæteris secreta, longè sita est in Oceano, uix à nauigantibus agnoscitur. In ea æstiuo solstitio, Solo signum Cancri transeunte, nox nulla: Brumali solstitio perinde nullus dies. Nomen habet à glacie: quę illi ad Boreã perpetuò adhæret. Nam ibi iam incipit Mare congelatũ. Tum grandis insula: ut populos multos contineat: solo pecorum pastu, & nunc captura piscium uictitantes. Specus habitant plerunq́: aut ad montium latera, excauatis mansiunculis. Communi tecto, uictu, & strato gaudent cum iumentis. Itaquè in simplicitate sancta uitam peragentes, cùm nihil amplius quærant, quàm Natura concedit: læti cum Apostolo prędicant: Habentes

Lappones. Orchades. Electrides. Islandia. Nox nulla. Dies nulla.

uictum & amictum, his contenti sumus. Nam & montes habent pro oppidis: & fontes pro delicijs. Beata gens, cuius paupertati nemo inuidet: & inde beatior, quòd Christianismum acceperit. Sed Mercatores Anglici, ac nostri, quiescere gentem, & suo esse contentam non sinũt. Nam ob Piscaturam euehendam, terram illam frequentantes cũ mercibus omnigenis, uitia quoque nostra inuexerũt. Nunc enim & fruges aquæ miscere in potum, & simplicis undæ oderunt haustum. Nunc aurum & argentum cum nostris admirantur. Rex Daniæ, qui & Noruagiæ, quotannis Præfectũ inmittit genti. Multa insignia in moribus eorum. Omnia enim ferè inter eos cõmunia sunt: præter uxores. Catulos suos, atque pueros, æquo habent in præcio. nisi quòd à pauperioribus facilius impetres filium, quàm catulum. Ita beatos putant: qui in regionem nostram transportantur. Vidimus utriusque sexus iuuenes à pueris illinc eductos: qui præter nomen nihil gentile retinuerũt. Nam linguam alienam perdidicerunt, suam neglexerunt. Episcopum suum colunt pro Rege: ad cuius nutum respicit omnis populus. Quicquid ex Lege, ex Scripturis, ex Consuetudine aliarum gentium constituit, quàm sanctè obseruant. Iam tamen Præfectum, quod diximus, accipere coguntur à Rege. Quod exinde inoleuit: quòd Mercatores ingressi, multa illi lucra faciũt: unde & Rex tributum deposcit. Adalbertus Metropolitanus Hamburgen. Anno Christi Millesimo Septuagesimo, uidit ad Christum conuersos, licet ante suscæptam Christi fidem, lege naturali uiuentes: non multum discrepantes à lege nostra. Itaquè petentibus illis: ordinauit quendam uirum sanctum, primum Episcopum, nomine Isleph: qui ab eadem regione missus ad Pontificem dictum, aliquandiu apud eum retentus est cum ingenti ueneratione: per discens nostra, quibus rudem populũ in fide erudiret. Per quem transmisit idem Episcopus apices suos populo Islandorum, & Gronlandorum: uenerabiliter eorum salutans Ecclesias: pollicens, propediem se uenturum ad eos inuisendos. Qua in re, egregiam, quam in legatione sua uoluntatem habuit Pontifex, iure laudamus. Quomodo & Apostolum didicimus, ad prædicandum uerbum Dei, constituisse in Hispaniam proficisci: quod implere non potuit. Hanc Insulam nonnulli interpretati sunt Tylen. Sed Nicolaus Germanus, Ptolomei lucidator, Tylen ponit inter Normanniam & Scotiam: ea uerò quam diximus, longè est extra Arcticum circulũ. ut eiusdem uiri descriptio manifestat. Sunt autem plures aliæ in Oceano dicto Insulæ: quarum est non minima Gronland, profundo in Oceano sita, contra montes Suetiæ, & Riphei iuga. Ad quam insulam à littore Normannorum ferunt uela pandi quinque, aut septem diebus: quomodo ad Islandiam. Homi-

Mercatorũ auaritia.

Islandorũ mores.

Episcopus primus Islandorum.

Tylæ situs.

Gronland.

nes ibi à ſalo cerulei: unde regio illa nomen accæpit. Qui ſimilem Iſlanis uitam agunt. Excæpto, quod immaniores ſunt: raptuq; piratico remigantibus infeſti. Holagland inſula Scritifinnorum, eſt Suecis continuata. de qua ſupra in Suetia diximus. His inſulis longè extra Arcticum circulum poſitis, in æſtiuali ſolſtitio nulla nox: in hyemali nullus dies. Stupenda res, & incognita auſtralibus: qui neſciunt diſparem dierum longitudinem contingere, per Solis acceſſum, et receſſum. Nam propter rotunditatem orbis terrarũ, neceſſe eſt, ut ſolis circumitus accedens, alibi diem exhibeat: recedẽs, alibi noctem relinquat. Qui dum aſcenderit ad ęſtiuale ſolſtitium: his qui in Borea ſunt, dies prolongat, noctesq; breuiat: deſcendens autem ad hyemale ſolſtitium, ſimili ratione facit auſtralibus. Sed ultra has inſulas mare unius diei curſu fertur innauigabile. Tentauit hoc experientiſsimus Normannorum Princeps Haroldus: qui latitudinem Septentrionalis Oceani ſcrutatus nauibus: tandem caligantibus ante ora deficientibus mundi finibus, immane abyſsi barathrum, retroactis ueſtigijs uix ſaluus euaſit. Relatũ eſt in literas. Alebrandi Hamburgen. Pontificis temporibus, parũ ſupra Chriſti Milleſimum annũ, quoſdam Nobiles de Friſia uiros, cauſa peregrinandi maris, in Boream uela tetendiſſe. eo quòd incolis eius terræ dicitur ab oſtio Vuiſare, hoc eſt, Viſurgi fluminis directo curſu in Aquilonem, nullam terrã occurrere in mari Oceano. Cuius rei nouitate perueſtiganda, coniurati ſodales, à littore Friſonum læto celeumate progreſsi ſunt. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, peruenerunt ad Orchades. Quibus à læua dimiſsis, cùm Normanniam in dextris haberent, longo tractu Iſlandiam legunt. A quo loco maria ſcultantes in ultimum Septentrionis axem: poſtquàm à tergo omnes quas diximus inſulas reliquerunt: Deo, & S. Vuillehardo patrono ſuo commendantes curioſitatem: ſubitò collapſi ſunt in illam tenebroſam rigentis Oceani caliginem, quæ uix oculis penetrari poſſet. Et ecce inſtabilis Oceani Euripus: ad initia quædam ſui, ut putabatur, arcani recurrens: infelices nautas iam deſperantes, & de ſola morte cogitantes, uehementiſsimo impetu traxit ad Chăos. Hanc dicunt eſſe uoraginem Abyſsi: in qua (fama eſt) omnes maris recurſus, qui decreſcere uidẽtur abſorberi: & denuò reuomi. Quod Fluctuatio uocitatur. Tunc illis ſolam Dei miſericordiam implorantibus, ut animas ſuſciperet: impetus ille recurrentis pelagi, quaſdam Sociorum naues abripuit: cæteras autem reuomens, excurſu longo ab alteris poſt terga repulit. Ita illi ab inſtanti periculo, quod oculis uiderant, opportuno Dei auxilio liberati: toto niſu remorum fluctus adiuuabãt. At iam periculum caliginis euadentes: ad quandam Inſulam, altiſsimis in circumitu

Dierum & noctium dimenſio.

Mare ubi innauigabile.

Vuiſare quid.

cumitu ſcopulis oppidi ritu munitam, inſperatè appulerunt. In quam uiſendorum locorum gratia nauibus egreſsi: repererunt homines in antris ſubterraneis, in meridiano tempore latitantes: præ quorum foribus infinita iacere ferebant, uaſorum aureorum, argenteorumq́ʒ copiam, quæ rara mortalibus, atqʒ præcioſa putantur. Itaqʒ ſumpta parte gazarum quam ſubleuare poterant, lęti remiges, feſtinè remeant ad naues. Cùm ſubitò poſt ſe uenientes contemplati ſunt homines miræ altitudinis: quos noſtri Ciclopes appellant: quos antecedebant canes magnitudinem conſuetam ſuperantes. Quorum incurſu, Sociorum unus fertur raptus: & in momento coram eis laniatus. Reliqui ſuſcępti in naues, euaſerunt. Gigantibus, ut ferebat, ponè in altum uociferando ſequentibus. Tali fortuna iactati Friſones, Bremam redeunt. Vbi Alebrandi Pontifici, ex ordine cuncta narrantes: pro Chriſto, reuerſionis & ſalutis ſuæ grates egerũt. Sunt & alia, quæ non incongruè dicerentur hoc loco: de ęſtu maris bis per diem citato: quod miraculum præbet omnibus maximum: ita ut ipſi qui arcana rerum perſcrutantur Phyſici, in dubitationem rei cadũt, cuius ignorant originem. Cunquè Macrobius, & Beda uideantur aliquid dicere: Lucanus autem ſe nihil ſcire fateatur: diuerſi Autores, uarijs pugnant ſententijs. Omnes autem incertis aberrant rationibus. Nobis ſufficiat admirari cum Propheta. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine. Omnia in ſapientia feciſti. Impleta eſt terra poſſeſsione tua. Hæc de Annalibus noſtris ad uerbum retuliſſe ſufficiat. Nunc rerum geſtarum aggrediamur narrationem: quantum nobis ab initio Danicæ Scriptor hiſtoriæ, Saxo Sialandicus de hac quoqʒ Normannorum gente prodit: ſeriem rerum deducturi, ad conſtitutam in littoribus Galliarum Normandiam: & uſqʒ in Apuliam Italiæ Prouinciam, gentis nobilitatem prouectam oſtendemus.

Inſula admirabilis, factumq́ʒ horridum.

Ciclopes.

Maris ęſtus

Autoris intentio.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Noruagiæ gestarum, LIBER I.

¶ Suibdagerus Normannorum Rex, Gram Danorũ Regis germanam, filiã quoq; stuprat. Vnde bellum exoritur. Regem Simblũ & Henricum Saxoniæ Ducem, Gram cum suis conuiuio interimit, adducta Signe sponsa. Tum congressu Gram tandẽ armis Suibdageri cadit. Caput. I.



Suibdagerus Rex.

IGITVR cùm apud Danos Regno Gram, quartus à primo Rege præesset terræ: apud Normannos Rex erat Suibdagerus. Is cùm uiribus Regni insolesceret: cœpit uicinis quoq; gentibus esse onerosus: nec melius libidini, quàm armis temperabat. Nam Regis Gram primum germanam, & deinde filiam miris conditionibus euocatas, & fortè per occasionem Festorum dierum egressas, illis insidiatus, alteram oppressit post alteram. Nam ætate illa (ut testis est Saxo memoratus) Magnates Prouinciarum gaudebant raptu sibi nuptias conciliare: quæ res crebra inter illos bella conseruit. Gram Daniæ Rex, uiribus Regni sui & ille potentissimus, ac insigni corporis sui robore præditus: ulturus iniuriam sanguinis sui, maiestatisquè contemptum: quòd non nuptijs deposceret ex his alteram, quam utranq; stupro mallet opprimere: arma corripit. Exercitum contrahit: ac mouet in hostem. Concurrunt agmina: & graui prælio decertant. Cùm multi utrinq; caderent, nusquàm tamen uictoria inclinabat. Itaq; reparatis uiribus, pugnam renouant: acerbisq; odijs, sæpè ac multum utrinquè plurimum sanguinis profunditur. Dum autem hoc bello Daniæ Rex detineretur: Simblus Phinnorũ Rex, filiam Signem, eidem Danorum Regi desponsatam, Henrico Saxonum Duci cõiugem dedit. Feruente enim utrinq; Danorum, atq; Normannorum inuicem bello grauissimo: Simblus Danorum Regis uires iam in desperationem confractas, cœpit contemnere. futurum ratus: ut aut opprimeretur ab hoste: aut uires eius ita conciderentur: ut à quouis facilè posset sustineri. Igitur paratis nuptijs, Gram Danorum Rex, cum expeditis militibus, omisso interim Noruagico bello: quod magis propriè cupidini quàm gloriæ Regni indulgerei: propiorq; sponsæ, quàm militum amori uideretur, interuenit: mutatoq; habitu, & ore paulisper à consuetudine sua, ne internosceretur, distorto, conuiuantibus interfuit. Et

Daniæ lib. 1, cap. 6, b.

cùm

cùm in inmensum potandi usus increfceret: ipse ut intentus maneret constituto proposito, quantum poterat potu temperabat. Igitur cunctis per ebrietatē iam solutis, uiolentus incubuit: strictisq; gladijs, nuptiarum læticiam uertit in funerum mœrorem: obtruncatis qui aderant, & Rege, & sponso: puellam nauibus impositam abducit. Votis ibi potitis, ad pristina bella reuertitur: Suibdagerum Normanniæ Regem adortus. Auxerant illi iam uires Saxonum arma. quòd infensi essent Danorum Regi: ob truncatum in nuptijs Principem suum Henricum. Quomodo uerò tam longinquam Saxones militiam agerent: in Saxonia nostra exposuimus. Grauibus inuicem odijs iterum concurritur: magno prælio ad multorum interitum desudantes. Sed tum cadit Gram Daniæ Rex, aliâs uir fortissimus; Regnumquè cessit uiolento. Saxoniæ li. 1.cap.2.

¶ Suibdagerus trium Regnorum Rex primus, Haddingi exercitu opprimitur. Caput.ij.


RIMA hæc Normannorum gloria: proximis Danis imperasse. Nam Suibdagerus Rex, cùm inferior, quod stupra defenderat, sed armis factus superior: utricp Regno cœpit imperare: Daniam in sua iura traducens. Atq; Regis filiam ante stupro cognitam, legitimis sibi nuptijs deuinxit. Vnde liquidè deprehensum conijcimus: ob negatum filiæ Regalis matrimonium, insidias concupitæ puellæ posuisse Normannum. Sed cùm occisus ab illo Daniæ Rex, duos ex totidem coniugijs filios reliquisset: Gutorinum, ex Gro coniuge: Haddingum ex Signe: assiduis coniugis flexus lachrymis, Gutorinum coniugis germanum, utroquè iunctum parente, exilio reuocatum, Daniæ præfecit: cùm interim uictori tributa penderet. Ea lege succedit in Regnum: fratre uindictam paternæ necis meditante. Hic ergò SVIBDAGERVS, primus trium Regnorum moderator illuxit. Quòd Noruagiam paterna successione teneat. Suetiam autem cum Dania, uicto Gram Rege: qui utrunquè Regnum tenebat. Quod in Dania significauimus, pariter obtinebat. Hæc est, ut diximus, prima Normannorum gloria: quòd ante omnes, quorū extat memoria, gens illa tribus Regnis imperaret. Sed Haddingus alter DANORVM REGIS filius, cùm in Suetia, alijsquè Regnis Orientis militiam sedulus peregisset: ubiquè uictorijs, & fortibus factis inclarescens, ingentem sibi uicinorum Principum conciliauit amorem. Apud proximos quęstus exilium. quòd paterno Regno pulsus, extorris ageret. Armaquè rogabat, & paternę necis uindicandi gratia, & Regno, alienis quibus parebat habenis, eripiendo. Facilè autem impetrauit apud suæ uirtutis admiratores: ut Regis matrimonium.

iunctis armis, in Suibdagerum ducerent. Nec ille segnis, arma contrahit: exercitum conscribit: naues bellicis armamentis instructissimas educit. Naualique praelio certaturus, iuxta Godlandiã. Haddingo hosti se opponit. Ibi diu ac multum pugnatum est in alterutrum. Sed cessit tandem Suibdagerus, aut uiribus, aut fortuna minor. Cunque uerecundum fortibus, & praecipuè in ea gente ea tempestate, hosti cedere, nimis dedecorosum haberetur: cùm capi posset, caedi maluit. Nam fuga quaerere salutem, morte grauius iudicabat. Oppressus perinde, hosti liquit uictoriam. Sic Haddingus non solùm exterorum ditatus manubijs: uerùm etiam paternae, fraternaeque uindictae factus compos, insignibus auctus trophęis, exilium Regno mutauit: cui patriam non ante repetere contigit, quàm regêre.

Suibdagerus cadit.

Haddingus Rex.



¶ Hasmundus, patris Suibdageri mortem ulturus, ab Haddingo sternit. Cuius uxor ferro se perimens, tumulo mariti sociatur. Caput. iij.

HASMUNDUS Suibdageri filius, ut patris iniuriam uindicaret, Haddingo congressus: postquàm filium Ericum, cuius charitatem proprio spiritui praeferebat, fortissimè dimicantem, cecidisse cognouit: auido facti animo lucem perosus, geminam capulo manũ immittens, absque periculi respectu, reflexo in tergum clypeo, complures egit in mortem. At dum ita grassatur in omnes Hasmundus: non tulit Haddingus impunè suos cadere: hasta saeuientem traijcit amentata. Cadit ictus graui uulnere moribũdus. Sed neque solatia morituro defuero. Siquidem inter exiguas uitae reliquias, uulneratum interfectoris pedem, perpetua claudicatione mulctauit: cladem què suam, paruulo ultionis momento memorabilem reddidit. Ita alterum debilitas, alterum uiuendi finis excępit. Corpus eius solenni funere elatum, apud Vpsolam in Suetia, Regijs procuratur exequiis. Cuius coniunx Gunilda, ne uiro superesset: spiritum sibi ferro surripuit: uirumquè fato insequi, quàm uita deserere praeoptauit. Huius etiam corpus amici sepulturae mandantes, mariti cineribus coniunxerunt. Dignam eius tumulo rati, cuius charitatem uitae propriae praetulisset. Iacet itaquè Gunilda, aliquanto speciosius uirum busto, quàm thori societate complexa. Iam Haddingus trium Regnorum unicus moderator, omnibus rerũ gestarum gloria incomparabilis eminebat.

Suetiae lib. 1. cap. 14. b.

Rarum uxoris fidei exemplũ.



¶ Vffo impar Haddingo uiribus, nouissimè tamen cum Danis eum in fugam uertit. Caput. iiij.

VFFO HAMMINGI NOBILIS VIRI filius: cùm sanguinẽ traheret potentissimi Regis Suibdageri: multos

ri: multos Procerum auitam ob memoriam, sibi deuinctos habebat. Suetiam uerò, atq; Noruagiam tutari ab Haddingo, non satis fidebat. Nam manus conserere cum illo, protinus euitabat. quòd paternis, auitisquè manibus infestum, pariter & infaustum Haddingi gemum formidaret. Igitur in Daniam exercitum traijcit: hostilesq; lares incessere, quàm proprios tueri, satius duxit. Opportunum propugnandarũ genus iniuriarum existimans: quod ab hoste pateretur uicissim inferre. Ita Danis ad propria defensanda redire compulsis: salutemquè patriæ exterarum rerum dominio præferentibus; domesticum solũ, hostilibus armis uacuefactum repetijt. Nec tamen quieuit Haddingus. Nam per hybernum tempus uiribus cõactis, uerno educit: Sueciamquè inuadit: Noruagiæ deinde incubiturus. Vffo fortiter repugnat. Diuq; tractum bellum, in sumam desperationem Danos adegit. Nam alieno Regno incubantes, ad extremam famem compulsi, equos, canesquè commanducare cœperunt: ad extremum, ne humanis carnibus abstinentes. Tanta fuit uincendi pertinacia, ut extrema paterentur: ne inglorij remëarent. Nouissimo prǽlio, consertis armis, uictores Sueci, Danis primo pro magna parte cæsis: Haddingum cum paucis in fugam coëgerunt. Victus fugit in Helsingiam (Daniæ atq; Noruagiæ confinis insula erat) diuq; uicti fortunam tulit: ubicunq; terrarum eandem sortem perpessus. Quam illi rem ferunt contigisse: quòd maleficij genere, quæ res tum plurimùm in illis gentibus eualuit, esset irretitus.

Suetiæ lib. 1. cap. 15.

Danorum fames.

Helsingia.

¶ Aquino giganteæ magnitudinis Regi, Haddingus nuptias, illo occiso perturbat: Puellam sibi coniugem deuinciens. Caput. V.



AQVINVS interea quidam in parte Noruagiæ regnabat. Tulit hoc magnitudo Regnorum: ut quamuis totius Regni titulus apud Danorum Regem esset: eo tempore tamen, in non contemnenda Regni parte alius præesset. Hic filiam spectatæ formæ, nuptijs seruabat sibi copulandam. Cunquè eam puellam, giganteæ magnitudinis uiro desponsatam audiret: non tulit rei indignitatem Haddingus Daniæ Rex fortissimus. Nam nauibus perarmatis, in Noruagiam Regnum suæ ditionis contendit: Nuptias quas audierat turbaturus. Nec defuit fortuna uiribus. Nam oppressum prælio, uirũ interemit: tristibus nuptijs eximens puellam nobilẽ. Lǽtus pater, lǽti fuere Regni Proceres. quòd formidabili uiro pempto, Danorũ Regem potius suspicerẽt dominũ, quàm ferocem illũ tyrannũ sustinerent. Incognitus tamen omnibus esse uoluit Haddingus. ut fortunǽ exitum pertentaret. Multos simili ueste secum instruxit: ut incertũ habeant,

Aquinus Rex. I.

Aquinus cadit.

beant, quis esset quem Regem uenerarentur. Conspicua tamen erat uirtus Haddingi in suscępto praelio. Nam ille manu sua perdidit hostem ferocissimum. Vulnera autem quaedam excaepit: quorum gratia curandorum, puella tanto erepta periculo, medendi gnara, Haddingum adijt: curam pollicita. Ille non aspernatur. Puella uerò cruris uulneri annulum inseruit. quod magnitudo uulneris, & recens dolor facilè fecit dissimulari. Obducta cicatrice, aurum absconditur. Similis habitus, Haddingum facit in turba incognitum. Pater interea uirginis, prius quàm Daniae Proceres dimitteret donatos: filiae dat arbitrium, ex his maritum deligere. Latebat in turba Haddingus. quòd uoluit. Puella patris primum, deinde cunctorũ postulata uenia, orabat singulorũ crura nudari. Miratur pater, quid sibi uellet noua superstitio: Haddingo etiam nihil suspicante. Permittitur puellae quod uoluit. Illa singulorum cura digito percurrens, annulum suum quęsiuit. Vbi ad Haddingum peruenit: deprehendens auri locum: uirum amplexatur. Hunc inquit, pater, maritum delegi. Hic est ille, qui me saeui tyranni manibus eripuit. Laetus pater, filiae permittit quod optauit. Haddingus tum se prodit. Exaggeratur cunctorum laetitia de praesente Rege Danorum. Quis tum puella fortunatior? Splendidas pro Regia fortuna nuptias filiae pater instruxit. Accessit honori magnitudo Imperij: quòd Haddingus iusto titulo etiã tum in Noruagia regnabat. Festa ubiq; celebrauêre conuiuia. Carmina de more gentis canunt uictori. Omni de re laetitia increbrescit. Libet hoc loco inserere Fabellam, quam Saxo praetereundam nõ putauit, nescio quo consilio. Sed ut ego arbitror, ostendere uoluit, plaerisq; suae narrationis locis: quibus maleficijs, & quàm frequentibus, Borealis illa gens uteretur in Paganismo. Mihi uerò ea res in commemorationem deuocatur. ut uideat prudens Lector, quibus purgamentis abijciendis studendum sit ei, qui synceram rerum Historiam conquirit. Verba Saxonis ponenda putaui. Apud puellam nuper sibi coniugio deuinctam, Haddingo diuersante, mirum dictu prodigium incidit. Equidem coenante eo, foemina cicutarum gerula, propter focum humo caput extulisse conspecta, porrectoquè sinu, percunctari uisa: qua mundi parte, tam recentia gramina, brumali tempore fuissent exorta? Cuius cognoscendi cupidum Regem, proprio obuolutum amiculo, refuga secũ sub terras abduxit. Credo Dijs infernalibus ita destinãtibus: ut in ea loca uiuus adduceretur, quae morienti petenda fuerant. Primum igitur rapidae cuiusdam caliginis nebulam penetrantes: perquè callem diuturnis adesum meatibus incedentes, quosdam praetextatos, amictosquè ostro Proceres conspiciuntur. Quibus praeteritis, loca demum aprica, subeunt:

Lepida historia.

Autoris purgatio.

ſubeunt: quæ dalata à fœmina gramina protulerunt. Progreſsique, præcipitis lapſus, ac liuentis aquæ fluuium, diuerſiꝗ generis tela, rapido uolumine detorquentem, eundemꝗ ponte meabilem factũ offendunt. Quo pertranſito, binas acies mutuis uiribus contemplantur. Quarum conditionem à fœmina percunctante Haddingo. Hi ſunt inquit, qui ferro in necem acti, cladis ſuæ ſpeciem, continuo proteſtantur exemplo: præſentiꝗ ſpectaculo, præteritæ uitæ facinus æmulanť. Prodeuntibus, murus aditu, tranſcenſuꝗ difficilis obſiſtebat. Quem fœmina nequicquam tranſilire conata, cùm ne corrugati quidem exilitate corporis proficeret, galli caput, quem ſecum forte deferebat, abruptum, ultra mœnium ſepta iactauit: ſtatimꝗ rediuiuus ales, reſumpti fidem Spectaculi, claro teſtabatur occentu. Fabella Vergilianis inſomnijs non abſimilis: quam per eburneam portam par erat emittere,
Qua falſa in cœlum mittunt inſomnia Manes.



Geuuarus ex Primoribus, Noruagiæ præficitur. Vir miræ prouidentiæ. Caput. VI.

VM in hoc rerum ſtatu Noruagia eſſet: ut exteris Regibus pareret. implicitiꝗ Danorum Reges, Sueticis bellis tenerenť: interim Duces Noruagiæ ſibi magis, quàm Regi Daniæ ſtudentes, in membrum diſciſſum Regnum gubernauêre. Diuꝗ ea res ualuit: donec Geuuarus unus ex Primoribus conſurgens, cæteros ſibi Duces parere cōegit: Regnumꝗ in priſtinũ florem reparauit. Tanto nomine cœpit inſignis non ſolùm iuſtitia & fortitudine, ſed etiam prudentia haberi: ut Suetiæ per ea tempora Rex Hotbrodus, cùm uiribus ſuis diffideret: quippè qui acerrimo bello cũ Danorum Rege conflictaret: in quo perijt: filium Hotherum Geuuari fidei permiſit. Educatumꝗ adoleſcentem, omni uirtute præditum fecit. Implicuit autem illum uarijs laboribus filia Nanna: quam Hotherus alumnus puerilibus incrementis, cum puella ſuccreſcens, coniugem depoſcebat. Moxquè impetraſſet: ſi non Balderus uir Regij ſanguinis, qui regnabat in Selandia Daniæ inſula, eodem potiundæ puellæ uoto ferbuiſſet. Suborta inde bella, in Suetia peregimus. Nunc quod ad Geuuarum Noruagiæ Principem pertinet ſolum executuri. Florebat ille ſingulari prouidentia: uſꝗadeò, ut futurorum præſcius putaretur. Præmonuit alumnum: quibus modis imminentem illi Saxoniæ Regem Gelderum ſuperaret. Quod in Saxonia attigimus. Prætereo: quòd Hotherum alumnum ad ſyluarum Satyrum Minungum ire iuſsit atquè mandauit. Docuit item, quibus uijs gladium, & armillam extorqueret. Quorum ea uis fertur extitiſſe: ut aduerſus gladium nulla proficeret incantatio. ARMILLA VERO pondere & precio

Geuuarus Rex.

Suetiæ lib. 1. cap. 18.

Saxoniæ libro. 1. cap. 5.

precio incomparabilis haberetur. Quarum rerum, monitu Geuuari, compos factus Gotherus: & hostem superauit Balderũ, maleficijs prę ualere conatum: qui opum affluentia fuit incredibili.



¶ Helgo, lingua & uultu contemptibili, Biormorum Reguli filiam, Hotheri Suetiæ Regis interuentu coniugem adsequitur. Caput. viij.

Helgo Regulus.

HELGO Hologiæ Regulus (pars ea in Noruagia est) per eam tempestatẽ Cusonis Biarmorum Regis filiam, coniugem postulabat: eamq; ob rem crebræ ierant legationes. Sed pater filiam ignoto iuueni dare recusabat. Si inquit coniugem postulat, ueniat: præsentiq; ore qui uir sit ostendat. Solebant enim illa tempestate Regij iuuenes, ipsi sponsalia sua præsentes agere. Sed Helgo cõtemptibili lingua fuit: nec uultu satis placido: quę res effecit, ut per legatos potius rem ageret. Sed cùm nihil sic proficeret: uersus in amicum Suetiæ Regem Hotherum: obsecrabat, ut medium se conferendis optatis nuptijs insereret. Non recusauit ille: Classemq; armauit non contemnendam, uiribus & armis extorturus, si persuasionibus nihil impetraret. Conuenit puella patrem: placidóq; sermone, absenti licet iuueni, senem conciliabit. Proderat facunda dicentis oratio. Præfecit autem metus armorum, quæ exprompta cernebat: si non uotis respondisset. Percunctari tamen filiam iubet: si petenti allubesceret sponso. Illa uiri fortunam, ex mediatoris splendore metita: incõparabilem coniectans Regem, qui tanto fungeretur oratore, facilè annuebat. Accæptam in nauigia Regiam cum dote puellam, sponso aduexit.



¶ Horuuendillus Iutiæ Præfectus, Collerum Noruagiæ Regem duello extinguit. Caput. viiij.

Collerus Rex.

TRANSIERVNT hoc in rerũ statu anni plurimi, ut nihil magni in gente ea ageretur: donec Collerus Rex Noruagiã Regno teneret: ea tempestate, cùm apud Danos Roricus Regno præesset. Præfectus autem Iutiæ Horuuendillus, relicto fratre in cura agrorum, piraticæ sibi operam desumpsit. Erat ea tempestate non inhonorũ militiæ genus: insidiari per mare transeuntibus. quasi rebus quas dicunt fortunæ in medio collocatis: qui uiribus præstaret, eas tolleret, uictoriæq; præmium haberet. Sed Rex Noruagiæ Collerus, nõ est passus, hominem impunè digrassari. Probrosum sibi existimans: si alius se potentior in mari uideretur. Simul gloriæ suę plurimum accessurum: si tam latè nominatim maris dominatorem superatũ castigaret. Armatur classis: & expedito milite completur. Diu quæsitum in mari, multis maris finibus perscrutatis, non reperit. Sunt insulæ multæ mari Baltico: sunt plures Britannico: harum unam petit

Collerus

Collerus classe. quòd fidam præberet stationem nauibus. Eandē forte alio in portu petebat, aut tenuit Horuuendillus. Erat opacum in medio nemus. Dulce uisum uiris diu salo iactis, apricari nemore. Diuerso lustra itinere perquirunt uaria. Profunda sylua, casus obuium tulit Collerum Horuuendillo: quem nulla prius potuit diligentia indagare. Soli solus occurrens, arma tamen quisq; sua ferebat. Sciscitantur alterna inuicem nomina. Redduntur. Lætus Rex, quòd obuiam haberet, quem diu quęsisset. Sed illum Horuuendillus pręueniens, Quo inquit pugnæ genere mecum decertas? Nam duellū uiribus probandis, maximè idoneum censeo. Non detrectat Rex. Nam id genus, & audacię promptius, & uictorię propius dinoscitur. Quandoquidèm ait Collerus, mihi pugnæ permittis arbitrium: illudipsum quod laudas accipio. Sed sit hæc lex duorum: ut uictor uictum tumulo dignetur. Nam & si animi nobis æmulatio incedat: naturæ tamen communio nos iungit. Illud quoq; inter nos conuenerit: si uictoria citra mortem in solo uulnere, aut membri truncatione cōstiterit: quando membrorum usu mulctatus, perpetuum sentiet fortunæ detrimentum: accedat illi solatio: ut denis auri talentis à uictore muneretur. Accæptis conditionibus initur conflictus. Horuuendillus iuuenis ferox, nō tam sui cautus muniendi, quàm cædendi auidus, clypeum contempsit: gladium utraq; manu distrinxit: Regis scutum facilè discusit: fortiterquè repugnantem, ac diu æquis uiribus confligentem, pede desecto mutilauit: secutusq;, geminato uulnere extinxit. Extinctum Regio tumulo, ad conuentas prius conditiones, sepeliuit. Normanni Rege, incertum qua sorte, amisso, cùm uictum, & extinctum acciperent: classe repetita, patriam adnauigant: suæ quisq; intentus domui: redibatq; in multa membra Regni discusio. Nam quod de Apibus Maro scribit: Rege incolumi, mens omnibus una. Amisso, rupêre fidem. Hoc in gentibus manifestè monstratur. Collerus cadit duello.



¶ Frogerus in Frotonem Danię Regem exercitu moto, populo parcens, in Duellum spe uana uocat, nam illusus obtruncatur. Caput. ix.

FROGERVS Noruagiæ Regno pręerat per id tempus, quo Froto cognomento Vegetus, Danis regnaret. Frogerus Rex. Incessere utrisq;, incertum quibus ex causis bella: quę Noruagiæ Rex satis initio habuit per Duces administrare. Sed fortuna semper Danorum Regi inclinabat. Decem enim Noruagiæ Duces, diuersis prælijs fudit: quosdam una pugna concurrentes: nonnullos etiam diuersis agminibus, Regi Danorum se opponentes. Pertentare statuit ipse fortunam: si fortè suis auspicijs, ad eam diem, inuictus Danorum Rex, uinci Daniæ lib. 1. cap. 25.

 possett.

poſſet. Magnis Noruagiæ uiribus bellum inſtruitur. Omni quam potuit uirtute educta, mouere conſtituit in Frotonem. Multa prius leuia prælia peraguntur. Sed toto Regni robore fuit decertandum. Indicitur conuentus in Inſulam: ubi contractis utrinq; uiribus, prælium uidebatur ineundum. Placuit rem compendio finire. Grandæuus Noruagiæ Rex Frogerus, parcendam ratus multitudini: quòd plurimum iam ſanguinis fuſum eſſet: quòdq; athlethicæ illi fideret arti: & Deorum ſuorum fauore non minimo inniteretur. Ferunt enim illum hoc à ſuis Numinibus impetratum tuliſſe: ut à nemine uinceretur, quàm qui certaminis tempore, ſubiectum pedibus eius puluerem (quod factu difficilimũ putabatur) manu conuelleret. His fiſus præſidijs, Duellum indixit Frotoni. Turpe erat recuſare. Iam tamen ſciens Froto, qua ſpe duellũ iniret ſenex in iuuenem: ab induſtria mutuatur, ut falleret, quem aliâs ſternere non poſſet. Venitur in circum quadrato ſignatum puluere. Vbi conſtiterant: Froto arma mutuanda obtulit Frogero. Nec difficile fuit impetrare, quòd aurata omnia Frotonis eſſent. Gladium, loricam, galeam permutant. Tum locum quoq; permutandum Froto ait. quòd ibi potiſſimum dolos ſtrueret: qui ut laterent, de alijs permutandis præmiſit. Quando inquit omnia commutata ſunt: æquum eſt, & loci fieri permutationem. Non diſſentit ſenex. Vbi diſceſsit: Froto ueſtigium ſignatum in puluere calcibus Frogeri, manu collegit: ac perinde fatum uiri complet, Spe certus. Prælium committit uterq;. Ibi Frogerus iam Numinum ſuorum fauore deſtitutus, uincitur: & Noruagiam Danorum Rex, iure uictoriæ conſequitur. Non tamen diu tenuit. Quippe morte defectus, cùm paruulum liquiſſet filium: ætatis contemptu, ſe Normanni facilè in libertatem uendicarunt.

¶ Hiruuillus Noruagiam ui obtinet: proſtrata Ruſila uirgine, cuius funeris perſequitur. Caput. x.



Hiruuillus Rex.

IRVVILLVS deinde Hallandiæ Princeps (pars ea eſt Daniæ: aliquando Noruagiæ ſeruiens. quòd in medio conſtituta, paleſtram pugnæ Regibus præbet) Noruagiam, inita cum Danis ſocietate, armis tentat: ea tempeſtate, qua Rex ſummam in Dania Fridleuus poſſideret. Quippe Rege deſtitutam, facilè ratus eſt expugnare prouinciam: ſibiq; Regni iura conſciſcere. Sed nõ tam facile quàm putabat expertus eſt Noruagiã ſub leges mittere. Quippè inde egreſsi puellę, operas terra mariq; exerebãt. Nam Ruſilam uirginem, militari uoto res bellicas æmulantem, armis diu ſenſit repugnantem.

Ruſilæ mors.

Ad extremũ tamen oppreſſam, atq; deuinctam: honore funeris proſecutus eſt: Inde rebus Noruagiæ omiſsis: ubi ſocia arma contraxit, in Daniã uertit idem Hiruuillus: Danorũ Regi cruẽto bello cõflictatus.

¶ Gotorum



¶ Gotorum Regem, Ericus unus ex Regni Proceribus, pulchro consilio auertit à Danica infestatione. Caput. xi.

OTARVS Noruagię Regnum tenebat ea tempestate, qua Froto Rex iuuenis in Dania rerum potiretur: cuius ætas contemptui facta Proceribus, omne libitum, licitum fore putabant. Regni Tutores, & eorum filij, multa abusi in populum potẽtia, Regem cuncta dissimulantem, odiosum fecere. Id ubi comperit Gotarus Noruagiæ Rex, contractis in Concionem militibus, refert: proprium Danos fastidire Regẽ: exoptantes alium, si quis se ostenderet Daniæ regnaturus. Seq; eò exercitum ducturum, decreuisse. facilè Daniam hoc in rerum statu, occupari posse: si armis peteretur. A Frotone enim tam auarè, quàm ferociter esse imperatum. Tunc exurgens quidam ex Proceribus Ericus, contraria rem oratione prohibuit. Sæpè inquit alieni appetitores, suo fraudantur. Animat Rex fiduciam tuam frustra, internus regionis liuor: quẽ plęrunq; hostilis explodit aduentus. Nam & si nunc Dani diuiduis esse sententijs uideãtur: unanimes tamen uenientem hostem excipient. Corrixantes porcos conciliauêre lupi. Prudentis consilium efficit: ut factum careat pœnitentia. Proinde Proceribus abundè stipatus, quietẽ Rex amplectere: per alios gerendi belli exploratam potes habere facultatem. Quod fabro forceps, tuus tibi tribuat miles: tuq; tibi, tuorum opera usui parcere condiscito. Hæc Ericus. Quem Rex ut imprudentem hactenus habitũ, diserti deinceps donat agnomine. Quod enim suasit Regi atq; Proceribus, omnino persuasit: Regemq; in suam tunc traxit sententiam. Nam illo quietem agente, Classem lacessendis Danis intermittit.

Gotarus Rex.

Daniæ lib. 1. cap. 28.

Erici ad Regem oratio.



¶ Rafnũ Noruagiæ Ducem, Oddo magnus miris pręstigijs mari deuincit. Rollerus cũ Erico fratre, Daniã incursuri, sese comitatu & uitæ necessarijs parant. Caput. xij.

AFNVS erat ex Noruagiæ Proceribus uir præcipuus: cui lacessendi per Piraticam Danos negocium cessit. Excæpit illum Oddo, cui naualium rerum cura erat in Daniæ regno: uir Magicè doctus: ita, ut absq; carina (dictu mirũ) Altum percurrens, hostilia sępè nauigia, concitatis carmine procellis, euertit. Itaq; ne cum piratis in maritimarum rerum discrimen descenderet, exasperatos maleficio fluctus, ad naufragia ijsdem infligenda perducere solebat. Hic ut Negociatoribus atrox, ita clemẽs agrestibus extitit: qui eadem merces qua stiuam æstimatione commensus, rustici operis nundinas, sordidis quęstibus anteponebat. Idem inito cum Noruagis conflictu: ita ui Carminum hostilem hebetauit aspectum, ut districtos Danorũ

Oddo magus.

enses, eminus radios iacere, & tanquàm flammabundos scintillare putarent. Cæterum hostes adeò retusis erant obtutibus: ut ne ferrum quidem uagina detractũ, uisu possent excipere, uicta quippe fulgore acies, præstigiosi coruscaminis erat impatiẽs. Cæso itaq; Rafno, cum multa suorum parte: sex solæ naues Noruagiam repetentes: documento fuere Regi: haud facile Danos obteri posse. Ab his etiam Frotonem sola pugilum ope subnixum, inuito regnare populo, uulgatum est: dominio in tyrannidem uerso. Cuius fame experiundæ gratia, Rollerus (ut erat exterarum lustrator rerum, ignotaq; uisendi auidus) Frotonis se deuouit contubernio potiturum. Ericus germanus eius frater, illũ, quanquàm habitu corporis eximius esset, temerè uotum nuncupasse firmabat. Ad ultimum, pertinacissimam propositi eius perseuerantiam conspicatus: se quoq; similis uoti nuncupatione constringit. Iisdem se Rex pollicitus est: quoscunq; delectu probassent comites donaturum. Itaq; fratribus patrem primò adire placuit: commeatusq; necessaria tam longinqui itineris subsidia postulare. A quo paternę suscepti, die postera in nemus uisendi pecoris gratia perducunt. Senex quippe armentis opulens erat. Aperiebanturq; illis gazæ, quas diu clausas telluris antra condiderant. E quibus quę placuissent sublegere permittuntur. Nec cupidius oblatum beneficium, quàm receptũ. Ita egestis humo opibus, tollunt complacitas. Horũ interea remiges, aut curam egere corporis, aut iactis se molibus exercebãt. Alij saltu, quidam cursu concitauêre corpus. Hi uires ualida saxorum iaculatione tentabãt. Illi sagittæ usum tenso experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem uario exercitationis genere prosequebantur. fuere etiam, qui somnum, quietemq; potione captarent.

Rafnus cadit.

Rolleri & Erici in Daniam cunctandam prouisio.

¶ Ericus Frotonis germanam, Rollerus eius repudiatam uxores merentur. Legatione fungitur pro Gotari filia Frotoni desponsanda, at Legationis mirabilis est exitus.

CAPVT XIII.



ERICVS CVM Rollero fratre peregrinationem illam læti suscæperant: experimentum facturi, quis foret Danici Regni status. Rex nauigium donat ituris. Ibant alacres maria sulcantes. Vbi eò peruenerunt, uariam experti sunt fortunam. Ericus interdum militari opera, nonnunquam linguæ, & ingenij patrocinio, per omnes se difficultates uictorem agit. Perturbato Curiæ statui, intrepidus se ingerit: consilio & ingenio omnia sibi peruia faciens, ad Regem Frotonem peruenit. Qui hominis industrij uigilantia delectatus: forti eius opera sæpè utitur ad Legationes: ad obeunda maris discrimina. Ille ubiquè uictor, rem ad arbitrium moderatur. Tantumquè Danorum

Regi

Regi inuifceratur: ut & germanam eius, à multis petitam, coniugem acciperet: & Suetiæ Regno per illum Rex potiretur. Frater autem Erici Rollerus, promeruit Regis relictam, cui ille repudium fecerat. At Gotarus Noruagiæ Rex, omnem Erici fortunam fama uolante didicerat. Alebat autem filiam eximiæ pulchritudinis: quam Rex Froto, dimiffa, ut diximus in Dania coniuge, iam adulterio fœdata, uxorem postulabat. Erico legationis munus imponitur. Quod ille nō inuitus fufcæpit: ut & Regi optimè de fe merito obfequeretur: & patriam, tanto iam auctus honore, non inuitus inuiferet. Igitur affumpto in legationis officium fratre, & utriufq; coniuge: quæ indiuifas fe comites tanti itineris faciebant: nauigationē ingreditur. Vbi Rex Gotarus aduentaffe Ericum cum fratre comperit: Regiasq; pariter adeffe fœminas fama nunciauit: exardefcens defyderio, temperare fibi non potuit, ut primùm Legationis uim acciperet: fed præueniens dicturū Ericū, Quando inquit, ad nos incolumis Erice redifti, uehementer gaudemus. Vnicæ te filiæ, nihil petentem, lego maritum. Tu mihi uicifsim cede Gumuuarā Frotonis germanam. Durum erat Regi, in cuius iam manibus erat, ex aduerfo repugnare. Igitur difsimulato Legationis fuæ mandato: fpondet obfequium. Vxorem tamen de eo quod ageretur facit certiorem: pertentans animum mulieris. Iam inquit arbitrij eft tua Regia puella, Regem, aut citerioris fortunæ habere maritum. Gotarus te expetit coniugem. Quid refpondes? Quem illa per Deorū Numina impenfius obteftari aggreffa: ioco ne hęc, an ferio meditata proferret? Eo fe dicente, ferio fuiffe locutum. Ergò inquit, extremum mihi ruborem inijcere paras: quam uirginem adamafti, uiduam relicturus. Sæpè rebus fama contraria eft. Popularis me de te fefellit opinio. Conftanti nupfiffe putabam: & nunc uentis lęuiorem experior, quem indubitatæ fidei fperabam non nifi fato difiungendam. Hæc fata, abundè lachrymata eft. Grata Erico uxoris fuit indignatio. Cui mox amplexū inijciens, Scire inquit uolebam: quantum mihi in te fidei effet. Mors fola diremptionis noftræ ius habet. Te tamē Gotarus raptui deftinat, amorem latrocinio quæfiturus. Quem cùm peregerit, tua geftum fimula uoluntate. Nihilominus nuptias dilatura: quoufq; ille mihi filiam fuam nuptui tradiderit. Qua impetrata: unà ego, ac Gotarus nuptias agemus. Itaq; difparata nobis ad nuptias conuiuia, atq; triclinia, medium parietem cōmunem habentia, pręberi curabo. ne me fortè coram oculis habito, languidiore Regem contemplatione perftringas. Deinde Brocū, cum delecta promptiffimorū manu haud procul iubet delitefcere, fibi cùm res pofceret auxilio futurum.

Daniæ lib. 1. cap. 30.

Ericus ad uxorem.

Gumuuara ad Ericum.

Ericus uxorem inftruit

¶ Celebrantur Erici nuptiæ fictæ solertia, mirabilem exitum sortitæ. Caput. xiiij.



NDE accito Rollero fratre, prouocandi Regis gratia, cum nupta, ac supellectile, simulato metu, fugã nauigio petiuit. Regia clasis fugientem insequitur: & Rex ipse propius adnauigans, Hæc est inquit Erice fides, quam sponderas? Sic abis cum coniuge, quam ego à te expetiui? Data publica fide, in litus proximum concedunt. Ibi Ericus exhibito Legationis officio, filiam Regis Frotonis deposcit. Ille reiecit postulationem. Vt inquiẽs sororem merear Frotonis, filiam meam tibi despondeo. Ericus rem supra merita confessus, simulat Regis se uoto pariturum: si tamen Gumuuara in thorum suum consentiat. Illa ut docta erat à marito, simulationem prætendit. Hoc tamen deposcens: ut prior Ericus Regis filiam accipiat, quàm se priuetur coniuge. Rex annuit. Nuptiæ parantur. Hoc autem fugæ umbraculum ideò prętendit Ericus: ut iniuria ab ipso Rege primùm profecta, iusto deinde profugio cum eius filia, uindicaretur. Igitur instructis pro Regia magnificentia conuiuijs, nuptię Erico, atq; Aluildæ (id Regiæ puellæ nomen erat) parantur: diuersis iunctis tamen cõmuni pariete cœnaculis, Rex, atq; Ericus accumbebant. Regi Gumuuara, Erico Aluilda ex latere fuit. Iam sumptis epulis, Rex nuptijs aucturus iocunditatem, ad Ericum ingreditur. Gumuuara reiecto in dorso assere, qui aulęis undiq; pendẽtibus uestiebatur: ad Ericum in alio discumbentem cœnaculo, priusquàm Rex introiret, delabitur. Miratus Rex eam Erico asidere, quam in suo reliquit triclinio: audit à circumstantibus, formæ se similitudine falli: esse Gumuuaræ germanam persimilem. Ille oris habitum, & omnem ornatum oculis signans, hæret stupens. Regressus in mansionem suam, uisurus uenit, si ibi sit Gumuuara. Interea relabitur illa, loco priore consistens. Ericus interim Aluildã appellat, Malit ne Regis Frotonis nuptias, quàm suas? Quippe Regium sanguinem nulli aptius, quàm Regi iungendum. Illa se, puellari uerecundia, patris arbitrio nuptias inire respondet: nec aliud uelle, quàm quod parens. Ille, si assentiatur monitis suis, Reginam fore, & omnibus fortunatiorem spondet. Vbi pertinacius institit, puellam flexit. Rex iterum mutans cõuiuij locum, ad Ericum regressus: ante se uidit quam reliquit in alio diuersorio Gumuuaram. Hæret rursum stupens, quid tam simile in duabus fœminis, ut nihil disparitatis posit annotari. In hac ambiguitate rei, uerum ne cerneret: an similitudine falleretur, cõuiuium exit in noctem. Rex Ericum, iuncta filia, mittit in thalamum, nuptias consummare. Ericus puellam honorificè appellans, seorsum cubare iubet. Gumuuaram suam ille amplexus,

Aluilda per Ericum flectitur.

plexus, consopitur.



¶ Ericus insidiatores duos obtrūcat: Rollerus auxilio adest. Abducitur Aluilda Regis filia Frotoni, deprędata Gotari aula Regia. Caput. xv.

REX aūt miraculo rei permotus, similiter futurarum expectatione nuptiarū suspensus, noctem ducit insomnē: secū uoluntans, quid miraculi uiderit in duabus fœminis. Subit mentem, id quod erat, diuisum parietem creasse errorem: misitq; qui specularetur. At iam Ericus illum præuenerat: curans, ut ante noctem cōpaginaretur. Misit deinde armatos duos in cubiculum: qui contemplarentur, quid interim de Erico esset, & Gumuuara. Quòd si unà cubantes inuenirent, Ericum iugularent. Illi clam ingresi, Ericum uigilem fallere non poterant. Itaq; expectantes, ut profundiore somno mergeretur: Erico nescientes spacium se colligendi dedere. Ille dilapsus strato, correptis armis, insidiatores inuadit, & obtruncat. Mox Rollerus frater signū dat buccina. Excurrunt expediti Erici milites: Aulam despoliant. Rex hostes aliunde ueritus, in naues decurrerat. Ericus Aluildam, suamquè ducens Gumuuaram, in suas quoq; deproperat: iam omnia comperiens, ut mandauerat, expedita. Igitur raptim præda in naues congesta, ante diem uela pandit. Rex interim delitescens, nec quid ageretur intelligens: lucem censuit expectandam. Orta dies rem aperuit. Iam Ericus mare tenebat. Iubet expediri classem Gotarus: ut latrones insequatur, qui insigni ludificationis genere, & filiam abducerent repugnantem, & Regiam spoliauerint, omni cum ornamentis abducta supellectile. Sed erant inter Proceres, qui meliore consilio, temperare furori, Regem adhortarentur. Non esse rem subitaneam, tantum apparatū potentissimi Danorum Regis, classe tumultuaria adoriri: totis Regni uiribus incumbendum, ut tanta iniuria uindicetur. Interim Ericus prospera usus nauigatione, Frotoni sponsam non inuitam adducit. Regales instruuntur Nuptiæ. Personant atria conuiuijs: Regio luxu cuncta redundant. Erici magnum apud Regem, & in omni loco nomen prædicatur.

Aluilda abducitur.



¶ Gotarus uindictæ auidus, classem instruxit. Tempestate uerò suborta, eo loci detruditur, unde ægrè, atq; cū paucis elabitur. Exercitum nouum cōscribens, atq; cū Erico cōfligens, opprimit. Cap. xvi.

GOTARVS Noruagiæ Rex, quamuis suorum consilio remoraretur, quiescere non poterat. Tantus erat dolor iniuriæ: tantus feruor amoris irritati: ut omnia etiā extrema perpetienda duceret, quàm hostē impunitū ut sineret. Itaq; nauigationē infelicē ingressus:

in ea loca tẽpestate pressus detrudit̃, unde expediri sine magno discri- mine non poterat. Dum prestolant̃ prosperos uentos, omnẽ absump sere commeatũ. Fame igitur pressi nautæ, mutua se cæde consumpse- runt. Rex ipse cum paucis terram ingressus, magno labore montiũ ca cumina permensus, multo uix tempore peruenit ad homines. Ericus uerò, ut semper primus inter Regios erat stipatores & consiliarios: si quid explorandũ cõsilio, si quid exercendũ uiribus: ubi Erico prouin cia obuenit, expeditam rem Rex arbitratus est. Danorũ itaq; ductor, felicibus ille auspicijs per omnia pericula uexit incolumes. Vuandalo rũ nũciatur eruptio. Erico negociũ datur. ut expeditis quotquot uide- ret̃ nauibus, rem gereret. Quam ita administrauit: ut hostibus cladẽ, suis uictoriã relinqueret. Interea Gotarus, sumendi de Erico supplicij gratia, uindicandiq; abductæ filiæ iniuriã, exercitũ de integro compa rat: Copias cõscribit. Nec segnior illo Rex Danorũ Froto, comparata classe, socero gener occurrit in præliũ: Noruagiam petens. non expe- ctaturus, donec ille in Daniã aduolaret. Vbi uidit Gotarus uires Da- norum, suis superiores: fretus soceri nomine, quòd filiam eius, ut dixi- mus, Froto teneret uxorem: pacem per Legatos postulat. Nõ fore si- bi rem cum Frotone, sed Erico: qui perfidia multiplici se læsisset. Eri- cus aderat: & de Regis uoluntate respondet: Impudens uideri negoci- um: ubi latrocinium ingressus, pacem prior turbauit: priorem pacis facere mentionem. Effectum tamen per Legatos: ut pace, ac fide pu- blica interposita, in colloquium Reges descenderent. Ibi grauis orta inter Gotorum Regem, Ericumq; contentio. Quòd Rex obijceret Eri co ingratitudinem. Nam immemor beneficiorum, pessima pro mag- nis in se meritis rependeret. Ericus contra, Si quid unquàm sibi à Re- ge beneficij uideretur collatum: id salutaris consilij semper compensas set obsequio. Frotonem uerò Regem, ac se Legatum eius, uiolatos es- se. quòd neq; legationem eius ab initio susceperit: inde etiã acceptam reiecerit. Si uolentem puellam ad Regnum prouexerit: nullius se eo nomine culpæ uideri obnoxium. Super omnia uerò: quando adem- ptam ille uoluit eius cum coniuge uitam: tum se diuina atq; humana perturbantem, nihil illi reliquisse: quo aut Ericus illi obnoxius, aut ille non omni genere scelerum obstrictus maneret. Ex uerborum conten- tione eò peruentum est, ut Signa canerent: pugnaquè instrueretur.

Gotari maris periculũ

Ericus pro Frotone.

Colloquiũ Gotari & Erici.

Acerbis utrinq; odijs decertatum est. Sed tum Gotarus Nor- mannorum Rex opprimitur: Regnumquè Froto lar- gitur Rollero Erici germano. quòd bonam tum, & aliâs Danorum Regi ope- ram nauasset.

Gotarus cadit.

Rollerus



¶ Rollerus Rex, Regnum in monarchiam reducit, multis locupletatum prouincijs Orientis. Cui rebelles se exhibent Proceres. Caput. xvij.

ROLLERVS ergò Regno potitus Noruagię, id aduauit: reddita in illo Monarchia: quæ iam dudũ per Duces, & Regulos dissipata erat. Subtraxerant enim multi se obedientiæ Regis sui. Sed Rollerus fretus auxilijs & Frotonis Danorum, & Erici Suecorum Regis uiribus: Regnum suum in pristinum decorem reparauit. Insuper Estoniam, Curetiam Orientales prouincias, quæ etiam hodiè extant, parentq; nunc ordini Teutonicorũ in Liuonia: atq; Hallandiã, quæ nunc Daniæ paret: in suã redegit ditionẽ. Magnoq; bello, quod Frotoni tunc erat in Regem Hunorũ, ob repudiatã à Frotone Hunorũ Regis filiam: quã ipsam nunc Rollerus coniugẽ tenebat: magno fuit eidem Danorũ Regi adiumẽto. Bello uictor Froto, uictricem classem reduxit in Daniam: Rollerus redijt in Noruagiam. Sed Noruagiorum Proceres indomita ceruice, assueti libertate, iterum se Regis sui subduxerunt iugo. Nam ut quisq; magnæ Prouinciæ præerat: pro magnitudine uirium animos sumens, Regi suo rebellarunt. Rollerus Rex.



¶ Incredibilis Hasmundi, & Asuici mutuus amor: utq; ille Asuico mortuo, se periculo uitæ dederit, casu mirabili specu, in quem ultrò descenderat, liberatus. Caput. xviij.

IN HOC rerum statu, Alfus quidam Procerum, filiũ habens Hasmundum, Hetmarchiam gubernabat. Biornus autem, cui filius erat Asuicus Vuyck, prouinciam tenebat. Sinus iste maris, regioni nomen dedit. Cumq; Hasmundus iuuenis uenationi indulgeret: ferarum indagines perscrutantem, nox solum oppresit. Comites deuia secuti, suam quisq; uiam ingressi sunt. Hasmundus autem errorem in uastissimas solitudines conuertit. Fames illum primùm in canes qui sequebantur: inde etiam in equũ dentes uertere compulit. Longo circumactus errore, eam contigit Prouinciam, cui Biornus pręerat: filioquè eius Asuico tanta inuisceratus est familiaritate, ut duorũ unus animus haberetur. Eàq; delectatus societate, patriam nõ requirebat. Tantus utrinq; amor incessit: ut cùm unus esset amborũ affectus, quàm sanctè inuicẽ iurauerũt: & uitæ & mortis cõmunem sibi sortẽ fore: nec alterũ alteri superfuturũ. Mors inopina tulit Asuicũ. Hasmũdus sacramẽti memor, uiuus in specũ descẽdit, quo iusserat mortuũ inferri socium. Ingens erat loci capacitas. Sed ea cõditio: ut uolens, nolensq;, in specu manere necesse haberet. Eo tẽpe Froto Daniæ Rex, cũ exercitu Noruagiã petebat: Rollero suppetias laturus: ut bñficiũ in eo suũ tueretur.

Ericus Rolleri frater, exercitus magnæ parti præerat. Peruenit is in locum recentis, sed magni tumuli. Thesaurum inesse rati Proceres, scrutari locum constituerunt: si fortè Regionis incolæ, latibula rebus charioribus ibi quæsissent. Sorte quęrunt hominem, qui in sporta submissus, fortunam pertentaret. Demittitur: sed qui intus erat Asmundus, mox adoritur immissum: & illo de sporta perturbato, signum clamore dat socijs extrahendi. Cunq; in lucem uenisset: mortifera specie ignotus homo, quem recens etiam sanguis de colluctatione immissi fœdasset: protinus qui extraxere fugierunt. Solus Asmundus ad os inferni specus relinquitur. Reuocat clamore fugientes. Vbi redeunt: docet fortunam suam. Affingit, sepultũ Asuicum ab inferis ad se reuersum: primũ quæ aderant, equũ cum cane peredisse: inde in se morsus cõuertisse. Nisi commutatione eius, quem immiserant, ad superos redijsset: mox inter mortuos remansisse. Ita mirabili uice primũ in errore pegrinationis, inde stulta tumulatione piculũ mortis, sine exẽplo trãsiuisse.



¶ Froto suppetias Rollero adferens, Noruagiæ Proceres magna clade deuincit. Caput. xix.

SED & Rex Noruagiam ingressus, qua uenerat causa, bellũ intentabat: in Rollero sese contemptũ arbitratus, cui ipse Regni autor fuisset. Vt aũt multitudinis quam bello interebat, monimentum relinqueret oculis Noruagiorum: iussit per singula capita, singulos in aceruum lapides comportari. Noruagij comperto, quid ab hostibus ageretur: & ipsi per ocium saxa congerebant. Cernuntur hodiè tumuli congestorum lapidum. Sed cùm ad prælium uentum esset: tanta utrinq; animorum ui certatum est, ut rara fuerit similis clades in prælio cæsorum. Victor quidèm Froto Danorum Rex fuit: sed tam illi crueta fuit uictoria, ut ex tribus milibus, quas inuexisse fertur nauibus, solas. lxx. incolumes reduxerit. Credo non tum tanta, ut nunc sunt mole fuisse nauigia. Vtcunq; tum re peracta, uictor in Daniam Froto remeabat.



¶ Duodecim fratres Normannos, Fridleuus, munitione eorum obsessa, prosternit. Caput. xx.

PER quę tempora in eadem Noruagia duodecim fuere germani fratres, uiribus acres, pugnis exerciti: qui socijs per latrocinij licentiam adunatis, ingentis agminis speciem præbuère: terroremq; R g bus ingerebant. Haldanus Erici Suecorum Regis filius, cùm crebris illorum incursibus terreretur: Fridleuum Frotonis filiũ, iam Rusię imminentem, aduersus Normaños fratres inuocabat. Munitionem sibi firmauerũt in altissima rupe: quę flumine de montibus cadente cingeretur. ut inaccessa cæteris uideretur.

Nam

Nam illi,ubi opus euenerat,occulto uado transibant.Hoc illis certissimum fugæ præsidium,ubi à socijs deserti, tuta capescere cogerentur. Sed Fridleuus Frotonis filius,uir omnium periculorum casibus probatus,ac interritus:magnis se rebus inuocari adiutorem gauisus, aditum repperit. Nihil opinantes fratres occupauit,& superauit. Primã hanc gloriam suis gentibus ostendit.Nam usq; in eum diem Orientis Russiæ partibus,patris imperio quæsitis præerat.



¶ Hasmundus,filiam Fridleuo uxorem denegat: occisis illius Oratoribus.Qua causa bello prostratus,Rex Danus,filiam non inuitam abducit.

CAPVT XXI.

NORVAGIAM Hasmundus iam tenebat. Incertũ, an is,quem emersisse ab Inferis paulò ante memorauimus. Nam Annales relinquunt in ambiguo.Et quoniam miraculis plena semper fuit Regio:libet augurari,eundem ad sceptra usq; peruenisse. Erat enim Hetmarchiæ Reguli filius. Filiam hic genuit singulari & exquisita specie:accedente prudentia cum pudicitia,cæterisq; dotibus fœmineæ dignitatis. Hanc Fridleuus Daniæ Rex, missis in eam insulam Legatis sponsam deposcebat. Pater Hasmundus, mandata ferentibus respondit. Non esse Frotonis patris eius merita in Noruagiam, ut filius inde sponsam mereretur. Grauissimo bello per illum exhaustam Proceribus Prouinciam:absumptam omnem nobilitatem. Durare memoriã hostilis facti:uenire quandoq; iustã uindictam. Irent, Regi suo renunciarẽt. Inde affinitatis iura deposceret, quo Maiores illius benemerita collocassent. Noruagiæ puellas in patria sua inuẽturas se dignos maritos. Non ignorabat filia Legationis negotium. Suboleuit durũ patris ad Legatos responsum. Ausa patri in faciem resistere, prodijt: Da inquiens ueniam pater, puellari audaciæ. Videris mihi Regno, tuisquè omnibus non rectè consulere: qui generum tam potentem aspernaris. Quid enim aliud,nisi tibi odiũ:tuis laborẽ creaueris & periculũ:quando his uiribus est Rex Daniæ:ut cogere posset,quod nunc non impetrat precibus. Ille filiam durius increpitam,abire iussit:puellaria pensa circũuerteret,at sibi Regni curã permitteret. Fridleuus suorũ reditum sine fructu,æquanimiter tulit. Attamen proposito nõ destitit: irritatus potius,quàm auersus prima recusatione. Hasmundus aũt indignatus, acrius respondet. Semel satis uideri,negatam filiam : iteratam uerò in idipsum Legationem:non aliud se interpretari,quàm belli denunciationem. Quòd si hoc in se foret animo Fridleuus,ut bello minaretur, iustius se præripere bellandi causam. quòd Noruagia in eũ usq; diẽ satis persentiret Daniç uulnera:Illos autem primos expiare crimina patrũ.

Hasmundus Rex. I.

Daniæ lib. 1. cap. 34. c.

Filia ad patrem.

Correptosq;

Correptosq; Oratores, atroci morte mulctauit. Fridleuus Daniæ Rex ubi audiuit: iusta indignatione succensus excanduit: contra ius gentium uiolatores Oratores: sese generum contemni, quem ultrò, si saperet Rex Noruagiæ, postularet. Igitur conscriptū exercitum perarmat. Classem ualidam instruxit: mouitq; properè in Noruagiam. Nec Hasmundus segnior occurrit. Naualis pugna instruitur. Multum utrinq; sanguinis profundit. Diu incertis alis superuolitabat uictoria: sed demum Danis inclinauit. Cæsiq; magna clade Noruagij, pœnas dedere temeritati iuris gentium. Sed neq; Danis incruenta uictoria fuit. Nam fortis quisq; aut in prælio occubuit: aut uulneratus discessit. Qui super fuêre cladi Noruagij, fuga sibi consuluêre. Secutus Rex, puellam non inuitam, optatis nuptijs sibi iunxit: & uictricem classem, coniuge lætus in Patriam reuexit.



¶ Starcuterus pro Helgone, ut filiam Ingelli Danorum Regis uxorem haberet, pugnam inijt, nouem fratres sternens, Helgonis nuptias firmas sine æmulo reddens. Caput. xxij.

Helgo Rex HELGO deinde sceptris Noruagiæ successit: cuius apud exteros nomen per occasionem Nuptiarū innotuit. Ea tum Regibus prima bellandi causa fuit. Vt enim quisq; uiribus poterat, nuptias sibi ex sententia non sine armis cōciliabat. Fridleuus Daniæ Rex, geminas cum filijs, totidem filias reliquit. Harum natu maiorem Rex Noruagiæ sibi poscebat uxorē: nec eam interposita legatione poscendam putabat: sed ipse sibi nuncius ibat, negocia sua procuraturus ex sententia. Sic enim fortium uirorum tum consuetudo ferebat: ut uiderent, uiderenturq;. Regiam nauem, quæ Daniam petebat, tanto luxu instruxeret, ut picto uelo, rudentibus purpureis, malo etiam inaurato nauigaret. Regemq; Danorum adiens, suus sibi nuncius ad rem perficiendam erat. Ingellus (id erat Regi nomen) placere sibi Regium illius schema ait: cæterum nemini permittendam filiam: nisi qui inito certamine, magnum aliquod fortitudinis specimen præbuisset. Interritus Helgo, nihil tale formidabat. Erat ex Proceribus Regni, qui eandem puellam procaretur: certamenq; offerret Helgoni Normanno. Sed is octo fratrum fretus auxilio, nonus ipse in certamen erat descensurus. Quod cùm Helgo nulla pactionis interuentione discussisset, recusare non posse uidebatur: igitur partim uerecundia recusationis, partim fiducia uirium conditionem acciperet. Puella autem miseratione fortis iniquæ commota, Helgonem seuocat: quòd se tanto inmisceret discrimini seuerius increpat. Consilium tamen adhibet. Esse apud Suetiæ Regem uirum pugilem, Starcuterum inuictū, olim patri suo militantem

(margin notes: Helgonis procus. — Filiæ Regis consilium.)

tem Frotoni: sed nunc fratris Ingelli mores & molliciem, ac uentris cũ ram detestatum, reliquisse illum. Hunc suadet auxilio inuocandum: non defuturum, si per patris sui Frotonis amorem imploretur. Accepit ille consilium, profectus in Suetiam: ut Starcuterũ conueniat. Cum què illi amantissimi Regis sui Frotonis nomen, legationi suæ prætenderet: omnia se pro uoto consecuturum sperabat. Propinquabat autem Bircæ oppido, quo manebat: & præmisit, qui Starcuterum ad filię Frotonis nuptias inuitaret. Indignatus uir sæuerus, ait. Nisi amantissimi mihi olim, cultissimiq; semper uiri nomen obtenderes: malè mulctatum perderem, quòd me alienæ culinæ sectatorem arbitratus, ad nidorem gulæ deuocaueris. Erat enim uir continentissimæ sobrietatis. Quod cùm Helgoni renunciaretur: ingressus hominem hac uoce salutat. Frotonis te filia mittit oratũ: ut iniquæ sorte pugnę pressum, quem optat maritum, præsidio tuearis. Edoctumq; quid ageretur, orauit: opem ferret. Ille pręcantem iussit bonam fouere spem: reuertiquè per uiam qua uenerat: se opportuno in tempore affuturum. Nec fefellit promissor. Aderat enim tempore & loco, quæ à pugnaturo didicerat Helgone. Interea parantur Helgoni nuptiæ. Regius enim iuuenis, etiam ante expletam pugnam uotis potitur. Dabant id sanguini eius: dabãt fiduciæ: certi, nihil moraturum, quo pugna impleretur. Starcuterus adest. Lacessitus à conuiuantibus, cùm latratus ederent, uerbis compescuit. Sed illi conuicijs non pepercere: senem irridentes, qui iuuenibus se opponeret. Pugnæ postera lux præstituitur. Starcuterus excubias etiam promisso adiecit: ut beneficium suũ redderet cumulatius. Nam foribus nuptialis thalami se obiecit: ne qua uis fieret Helgoni, aut puellæ. Helgo ante lucem expergefactus, non potuit non esse anxius tanto imminente periculo. Sed sopor, qui etiam merentibus surrepit, illum oppressit in lucem usquè. Ingressus cubiculum iam orta luce Starcuterus: ubi dulci sopore fusum uidit: noua gaudia interrumpere non passus, quietem permisit. Egressusq; solus, locum pugnæ petiuit: demoratus aduersarios. Hybernum frigus erat: quo etiam durandum uentis corpus obiecit. Nouem fratres secuti, & ipsi montem petunt: incertũ habentes, quando aduersarij sint affuturi. Mittunt ex suis in uerticem, qui specularetur uenientes. Missus speculator, uidit ex obliquo considere Senem. Rogat, quid ibi demoretur? Vbi sint, qui pugnam in eo die & loco constitutã, obeant? Senex eius rei caussa se adesse affirmat. Quod ubi accępit, ille renunciat nouem fratribus, præstolari Senem unum in uertice, qui ad pugnam se diceret exisse obeundam. Alacres illi consurgunt, in montem tendentes. Et ubi sedenti proximant: per contemptum rogant. Singulos malit, an omnes una pugna excipere?

Starcuteri sobrietas.

Ille risum refert. Quoties canes adlatrēt, solere se omnes unà quotquot circumstent abigere. Igitur congressos pariter omnes, paulatim sternit. Aliquot etiam inter pugnandū, quod necesse fuit, uulneribus acceptis: uictor in Regiam, grauiter licet uulneratus, rediȷt: Helgoni nuptias se conseruasse lætatus.

Starcuterus nouem fratres sternit.

¶ Pro Thorilda Hatheri filia, Haldanus cum Grimmone pugnam iniȷt. Quo deuicto, uitæ illius parcens, nuptias meretur. Caput. xxiij.

HATHERVS subinde Regulus, celebre nomen in Noruagiæ Primatibus promeruit: Thorildā filiam nuptiȷs seruabat & excolebat primariȷ uiri Grimmonis: quem non tam Maiorum suorum stemmata nobilitarant, quàm fortium uirium inuicta potestas efferebat. Huic desponsam Regiā puellam, cùm fama longè, latéque loqueretur (nam Natales impares, auxere rumorem) peruenit ad Haldanū Daniæ Regem, uirū præcipua fortitudine præstantem. Qui totius Nobilitatis dedecus reputabat: si uir plebeius, Regalibus nuptiȷs honoraretur. Simul & gloriæ suæ studēs: armata propria classe, Noruagiam petit: nuptias cohærentes dissipaturus. Et quanquā in senectutem celebs peruenerit: non minus tamen Reguli promissione, quàm athletæ petulantia concitatus: Duellū offert iactabundo. Initurus aūt pugnam, cunctis agnitionis suę notas, adulterini oris, illuuie respergens: ut pugnę locum tetigit, prior ense destringit. Quem ad hostilem sentiens obriguisse aspectum (erat enim uterque Magiæ scitus) humi deiecit: alioque uagina producto, Grimmonem appetens: extremos loricæ nexus, cum occidua clypei parte persecuit. Quod factum Grimmo admiratione prosecutus: Vetulum inquiens acrius dimicantem, non memini. Statimque ferrū exerens, obiectum gladio parmam, penetrabili sectione conuulsit. Cuius immorantē ictui dexteram, Haldanus nihil hæsitans, obuia ferri celeritate corripuit. Ille nihilominus læua gladium stringens, ferientis femur transegit: mutilati corporis ultionem, exiguo uulnere prosecutus. Victor Haldanus, uicto residuū uitæ pecunia redimendi fecit potestatem. ne imbelli, & manco, miseras animæ reliquias deformiter adimere uideretur. Quo facto, tantum se penè in seruando hoste egit, quantum gesserat in uincendo. Cuius uictoriæ præmium, Totilæ nuptias assecutus: filium ex ea Hasmundū sustulit: à quo se Noruagiæ Reges originem duxisse, magni æstimant: ab Haldano solennem generis sui seriem retexentes.

Duellum Haldani, cum Grimmone.

Daniæ lib. 2. cap. 3.

Parcere prostratis.

Noruagiæ Regum origo.

¶ Hasmundi Regis filiȷ, cum Daniæ Regis filiȷs mari fortiter decertantes, tandem societatem ineunt, in Daniam cum Regiȷs iuuenibus nauigant. Vbi discordia propter Sygne Dano

rum



rum Regis filiam, inter eos suborta, tandem arma prouocant. Plures cæsi. Amantium uerò Hagbarti & Sygne, miserrimus uitæ exitus. Caput. xxiiij.

HASMVNDVS inde, patre natus Haldano Danorum Rege, materni sanguinis respectu, Noruagiç sceptra promeruit: filios què genuit Hagbartum, Hamundum, & Heluuicum. Hi cùm iuuentæ tēpora militaribus triuissent exercitijs, terra mariq; celebre nomen habuēre. Sed cùm mari imminerent: obuios habuere Danorum Regis filios, centenis nauibus incedentes. Idem Piraticæ studium, utrosquè æmulationis inuidia uertit in arma. Itaq; nauali prælio pugnauêre. Protractaq; in noctem pugna, proximam expectauere: ut renouato certamine, cui inclinaret uictoria, quod nox fecit incertum, cerneretur. Sed ea fuit in utroq; exercitu fortuna: ut multitudine cæsorum, ac uulneratorū utriq; territi, colloquiū in posteram lucem conseruarent. Conueniunt: ut positis odijs, societatem armorū inirent: communi sorte & lucro, pugnas in reliquū obituri. Normanni cum Danis in Daniam peruenere: & obuersati in Regia, multam inuicem familiaritatem iniere. Erat autē Daniæ Regi filia Sygne nubilis. Ea Hagbarti specie delectata, & inuicem ille puellæ, occultum ignem fouebāt. Sed Regijs iuuenibus interuentu procacium linguarum, graues discordiæ intercessere: quæ etiam ad arma peruenerant. Conflictatū est cruento prælio. Cecidere fratres Hagbarti. Sed illi recentibus supueniens uiribus, ultionem peregit: filios Danorum Regis opprimens. Et quamuis palam in eum omnes gererent hostiles animos, qui tantam in Regis filijs stragem peregisset: ille tamen amoris sui obliuisci non poterat. Ardebat enim occultus ignis grauior. Inde sæuiens, quòd uoti compotem non haberet, dolos intentauit audacissimus Amor. Nam puellæ uestibus indutus, in Regiam uenit. Amata sua potitur. Sed eos res habuit exitus: ut uterq; sęuissima morte deperirent. Ille enim deprensus, cruce suspenditur: illa cum triclinio, sua spontè conflagrauit. Quam rem quia in Suetia digessimus, hic breuiter dissilimus.

Hasmūdus Rex. II.

Tumultus oritur.

Suetiæ lib. 1. cap. 46.



¶ Gunnari tyrannis, in Regnaldum, sua, & suos, filiæq; adscriptos. Quam tamen claustris subterraneis clausam eripiens, uxorem duxit. Caput. xxv.

REGNALDVS deinde Noruagiæ sceptris potitur. Hunc graui bello Gunnarus Sueonum Regulus infectabatur: uir crudelitate & sęuitia insignis: qui qualicunq; ex causa contractam in Normannos odium, ita exerebat: ut nō hostiū more agros uastare, prædam abigere contentus esset: sed acerbiori odio grassatus, solùm sanguinem sitiebat: in cęde plurima plurimum gaudens. Huius

Regnaldus Rex.

sæuitiam ueritus Rex Noruagiæ Regnaldus: filiam uita chariorē, facta & excisa specu abdidit: multos cum illo gladios recondens. ut si quando ad illam esset penetratum, puellam defensuri, arma non longè requirerent. Nam honestum illi ingens famulitium, Regiam quoquè supellectilem, cum thesauris ibi recondidit. Progressus in præliū, cùm iam benè de filia constitutum putaret: ut tyranno quibus poterat uiribus obuiam se ferret: homo iam senio fractus, facilè opprimit. Infensus uictor uictæ genti: ut non sola subiectione illam prēmeret, sed etiam insigni contumelia afficeret: Canem Noruagijs Regem dedit. Indignitatem gentis inde notatam uolens. quòd digni haberētur, qui non humano imperio, sed latratibus Canū terrerentur. Eiusmodi Regi Proceres addidit: quos insigni maleficio notabiles peruidisset. Sed & gemina illis tributa induxit: ut & Vernalia, & Autumnalia penderent. Audiens uerò thesauros Regni, cum Regia supellectile consepultos: exquirere statuit. Conscios perquisiuit. Quos ubi nullos repperit (ita enim puellæ pater curauerat) ipse cum fidelibus scrutabundus incessit. Ventum est eò loci, in quo murmur incertum instrepuit. Propiusquè aure applicata, deprensa est uox humana. Ibi fodi iubēs, deprendit cuniculatos anfractus, penetransquè, familiam omnem puellæ peremit, puellam cum thesauris eduxit. Acceptaquè coniuge, filium ex ea suscēpit paternæ crudelitatis non modò imitatorem, sed etiam superatorem Hildigerum: qui post Noruagiam materni generis ditionem tenuit.

Canis Normañis Rex datur.



¶ Gunnarum (proscripto filio Hildigero) Noruagiæ Regem, Dux Borcarus prosternit: cuius relictam uxorem Drotam ducens, ex ea genuit Haldanum.

CAPVT XXVI.

HILDIGERVS ex Guñaro, Drotaq; matre natus, mox sæuitiam paternam usq; ad illius etiam fastidium imitatur. Gunnarus enim pater, ubi indolem filij ad pessima quæq; propensam uidit: & immanitati pronū: sæpè, multumq; corripuit. Nec tamen profecit. dominante in eo quod narum erat, nihil potuit disciplina prodesse. Vbi incorrigibilem sensit: exilio damnauit. Sed tum quoq; apparuit quod Poëta scribit:

Cœlum, non animum mutat, qui trans mare currit.

Sed Aluerus Suetiæ Rex, sanguinolentum hominem in prēcio habuit: eumq; tyrannide donauit. Ibi finitimos bello, ac cædibus implicando, omne ætatis penè tempus armis exegit: nihilq; exilij conditione, ex consueto crudelitatis habitu remittens: animum cum loco mutare, non est passus. Interim uerò Gunnarus tyrannus, cùm neque ipse

Suetiæ lib. 1. cap. 48.

crudelitati

crudelitati modū daret, à Borcaro eiuſdē Prouinciæ uiro potente, armis impetitus, uita conceſsit. Victoriæ præmiū, Drota Noruagiæ Regis filia fuit. Quę etiam ęgrè nuptijs aſſenſa non eſt. quòd parentis ultorem iure complexura uideretur. Necq́ enim lugentis patrem filię, eius interfectori, uoluptuoſus poterat obtemperare conſenſus. Huius Borcari filius Haldanus fuit: cuius iuuentæ initia, ſtoliditatis opinione referta fuêre: ſequens uerò ętas, fulgentiſsimis operum inſignibus, illuſtris euaſit: maximisq́ uitæ ornamentis inclaruit. Sed eius uitæ decurſum in Dania ſumus executi. Erat ea tum Regnorum Borealium cōditio: ut laceris pro ſe quiſq́ membris, diuerſi regnarent. Sic in Dania, ſic in Noruagia res tum gerebātur. Mutuis perinde uiribus attriti, minus ſplenduerunt apud exteros ea tempeſtate Reges. Daniæ lib. 2. cap. 8. &c. ſeq.



¶ Haſmundum à ſorore Regno pulſum, Haraldus proſtrata ſorore, inermis certans reſtituit. Sic et Olauum, atq́ inſignia multa alia peregit. Caput. xxvij.

HASMVNDVS Vuicarorū prouincia, Noruagiæ parte regnabat. At illū germana natu quidèm minor, animo tamen auctior, quietum regnare nō ſinebat. Erat in fœmina uirilis audacia, & militaris animus: quo fratrē Regno penè expulit. Haraldus Haldani, quem diximus filius, tum Danię regnabat. Illū Haſmundus in fœmineam audaciā belli ſocium, aut potius defenſorem inuocabat. Non ſegnis ille aderat. Sed ut muliebrem ſe audacia flocci pendere monſtraret: inermis in prœliū proceſsit: lacerna indutus purpurea, mitram auro uariatā geſtabat pro galea. Prælium nō ſegne initur. Cędunt, caduntq́ uiciſsim plurimi. Qui pro fœmina ſtabant, mirati hoſtium ducem inermem depugnare: ſuiq́ contemptū interpretati, acrius inuecti ſunt in eum. Mille telis petitus, nō læditur. Profuit illi uis Magica, qua plurimū niteretur: ut inuulnerabilis permaneret. Haraldus corpore integer, hoſtes aut bello conſumpſit: aut fugā corripere coēgit. Sicq́ Regnū Haſmundo, proſtrata ſorore reſtituit. A quo oblatis ſibi uictoriæ prœmijs: ſolam gloriæ mercedem ſufficere dixit: tantumq́ ſe in repudiandis muneribus geſsit, quantum egerat in promerendis. Quo facto, non minorem omnibus continentię ſuę, quàm fortitudinis admirationē incuſsit: claritatem ſe, non pecuniā ex uictoria percepturum teſtatus. Non eſt in ea gente inſolitum à uetuſta memoria: fœminas præclaris operibus, & militaribus operis inclareſcere. Vt minus miremur uel Camillā in Italia, uel Penteſileam in Troiano bello, uel Orithiam, cæterasq́ præclaras fœminas. quarū in Suetia fecimus mentionem. Nam per hanc quam ſcribimus ætatem, poſt natum CHRISTVM, per annos circiter. CC. aut ſupra: cùm in Noruagia

Haſmundus Regulus.

Haraldi uirtutes bellicæ.

Haraldus inuulnerabilis.

Danię lib. 2. cap. 10. a.


Suetię lib. 1. ca. 7. & ſeq. Daniæ item lib. 2. cap. 11. Infra, ca. 32.

Noruagia Rex Omundus rerum potiretur, Sticla & Rusla uirgines, armis innutritæ, cum Trondo fratre assiduum bellum egere. Haraldus autem Daniæ Rex, indignè tulit, tantũ posse fœminas in uiros: sponte sua nauigabat in Noruagiam, opẽ laturus in fœminas, ut detergeret sexus contumeliam: quòd aduersus militares uiros, fœminæ insolescerent. Insecutus classe puellas, cùm eas inuicem distraxisset: aggressus alteram post alterã, & expugnauit, & oppressit. Testatur nomen, quod portubus diu remansit, ab euentu uictoriæ, cùm ex deuictis puellis uocabulum sortirentur. Olauus tanto eius beneficio non ingratus: daturum se offerebat, si quid in Regno suo esset, quod illius animũ afficeret. Haraldus gloriã, uirtutis pręmiũ satis sibi fore duxit: nec aliud de manu eius munus agnoscere uoluit. Hic est ille, qui ut in Dania testati sumus, primus enauigans, littora Galliarũ explorabat: usq; ad Rheni fluenta procurrens. Vbboni frisio homini se obiecit: qui latera Iutiæ populatus, crebra strage insolescebat. Sed cùm armis inuulnerabilem sensisset: milites ad eum capiendum immisit: prostratumq;, uinciri iussit compedibus. Delectatus autem uiri inuicta uirtute: intantum sibi hominem conciliauit, ut germanam illi suam coniugem daret. Huius fretus & audacia, & belli gerendi peritia, Vuandaliam sæpè petiuit: & cæde, uastitateq; impleuit. Sed quod in hac commemoratione præcipuum est: Hoc uiro monstrante, littora Saxoniæ legebat: & ad Rheni fluenta grassabundus peruenit. Nam Vuandalorum Ducibus Duc, & Dal in commilitium suscæptis, ductore Vbbone Aquitaniam usq; descendit: eamq; cedibus & rapina fœdauit. Inde conuersus in Britañiam, Humbroto Rege prostrato: promptissimos quosq; ex iuuentute sibi asciuit: quorum præcipuus Orni cognomento Britannicus habebatur. Harum rerum fama, athletas è uarijs partibus orbis accersitos, in mercenarium manum redegit. Quorum frequentia auctus: adeò Regnorum omnium motus, nominis sui terrore compleuit: ut eorũ Rectoribus mutuum conferendæ manus ausum excuteret. Sed nec quisquam maris dominationem absq; eius nutu usurpare præsumpsit. Quippè quondam in Danorum Repub. dimidium terrę, & Pelagi Imperium fuit. Hęc, cùm Noruagiam describimus: in Daniam libenter reuersi, cõmemoranda putauimus. Quòd hac tẽpestate, primus Rex ille fuit, qui Galliæ littora sit ausus infestare: Signaq; transferre in Britanniam. Sed nos Galliarũ commemoratione contenti simus: quòd ibi Normanni nomen suũ in littore fixerunt, Normandiã usq; hodiè de suo nomine maritimã uocitãtes.

[Marginal notes: Loco supra signato. — Vbbonem generum facit. — Haraldus primus Galliæ littora infestauit. — Normãdia maritima.]

¶ Danos ante Romanos, Britanniam, & Hyberniam depopulatos esse, per occasionem probat. Caput. xxviij.

ET VT

T VT Italorum iactabunda semper gloriatio retundatur: operæprecium iudicaui, hac in parte commemorare: quomodo ante Romanos Duces, à Danis Britañia sit appetita. Omitto quę in literas non relata, indubitata fide tenemus. cùm toties maria omnia circumuecti Dani, insulas popularentur: Britanniam opulentam non præterière intactam. Hoc solùm dico, quod Annales testantur. Ante natum Christum multis seculis, Froto Rex Daniæ, Britanniam populatur: & onustũ iam præda exercitum reducens, cùm audisset insulæ habitatores ad arma conclamasse: seq; ingenti agmine infestos consectari: iubet prædam abijcere, ne onusti, ab expeditis superentur: Vtq; ipsi Britones potius iam suas prædas resumentes, à Danis opprimantur. Eoq; consilio uictor factus, insulam opibus suis spoliauit: Lundoniam occupauit: Dalmanum Præfectum eius cœpit: locupletatum reduxit exercitum. Inde post aliquot secula Fridleuus Daniæ Rex, post uastatam Hyberniam, oppidumq; eius Dufliñam euersum: Britanniam populatur. Et ante illum Ambletus Iutiæ Præfectus: cùm apud eundem Britanniæ Regem exularet, in quas uoluit conditiones perpulit. Froto deinde longæuus Rex, per cuius tempora in terris natus est Christus Dominus, Britanniam expugnauit. Circa quæ tempora primus ex Romanis Caius Cæsar, ante occupatam Monarchiam, Britanniam inglorius attigit. Claudius in Prouinciam deinde redegit. Seuerus edomuit rebellantem: & alij deinde Imperatores: quorum opportuno tempore mentionem ingeremus. Hoc modo attigisse contenti: quòd Dani in Borealibus Regnis inclaruerunt, prius quàm Romani in sua ditione conualescerent. Haraldus autem, cuius nunc tempora contigimus: primus inter eos, qui in literas missi sunt, Galliarum littora contigit. Quod nostro interim sat erit nunc iudicio. Quòd si ab initio literis floruisset hæc Regio: quàm magnifica legeremus militaris operæ gesta in hac gente. Sed hæc interim sufficiant.

Daníę lib. 1. cap. 11.

Daníę lib. 1. cap. 27. b.

Christus sub Frotone natus.



¶ Olo latrones Hetmarchiæ obtruncat. Duello duodecim sternit, eo Olaui filiam meritus uxorem.

CAPVT XXIX.

LO Noruagiæ imperabat ea tempestate, memorati Haraldi sorore editus. Tertium ætatis agebat lustrum, cùm audiret insigni latrocinio, publicas in Hetmarchia obsideri uias, patre per seniũ negligentius agente, adolescens senem aggreditur. Audis pater inqt, quæ mala quotidiè deferũt nobis ex Hetmarchia? Incolumi Rege ista fieri, perquàm indignũ cẽseo. Arma deposco, tantis malis occursurus. Pater illi ex sententia promittit eligere iumenta,

Olo Rex.

Daníę lib. 2. cap. 12. a.

comites,& quę uelit arma. Delectu habito, iuuenis proficiscitur: canibus scrutatus per indaginē latronū mansionem. Multa obstitere gradienti: densa inprimis syluarum uolumina: amnes uorticosi: paludes penè intransibiles. Nix & pruina indicia fecere gradientiū ante se latronum. Nihil imperuiū uirtuti. Aggeres congesti, amnes profundi, portarum repagula, cuncta cessere forti. Inuentosq́ꝫ latrones, cruenta cæde mactauit. Hæc prima indolis ingenuæ fuere argumenta. Inde auunculum uisurus Haraldum, contendit in Daniam. Priusquàm tamen perueniret: alterū egregiæ uirtutis specimen ostendit. Olauus erat Vuermorū Regulus: quem obnegatā coniugio filiam, pugil insignis uirtutis, & probatæ industriæ, qui fratre nihil inferiore niteretu, in Duellum prouocabat. Mœsta domus, non inuenit quid ageret: Viribus propulsare non erat facilè, multis milibus dominantes. Recusare Duellum, probro proximum habebatur: Subire sortem iniquam, perniciosum. Sic affectę domui Olo incognitus interuenit, sciscitatus ex Reguli filio, quid causæ esset, tanto domū esse oppletam luctu? Ille refert quid infelicitatis accidisset ex nominatissimis pugilibus, quibus tradēda filia, nisi quid auxilij proueniret, uideretur. Absit inquit ille dedecus, ut nobilis puella, plebeio seruiat marito. Benè sperare iubeo. Erat Oloni perquàm terrificus oculorū fulgor, quē facilè humanus intuitus nō sustineret. Hoc sciēs, caput obnubit, ne cui terrorem ingereret, néue à quouis nosceretur. Nox ingruit, & ad euincēdas tenebras, lucem de more mutuantur ab igne in candelam translato. Regia puella, ut erat singulari humanitate prædita, aduenis sedulum impendit ministerium. Hospitis autem Olonis perpendens inuolutā faciem, curiosus, ex more fœmineo scrutatur, quid tegeret? Fulgorē autem oculorū non sustinēs, uelut ictu percussa decidit. Id cùm iterum, ac tertio experiundi gratia comperisset, Puellę pater, quidnam pateretur rogat, ut corā hospite trepidaret. Illa secretius parenti refert in aurem. Ni me fallat pater existimatio, iuuenis ille generosum trahit sanguinem, magna gēte undecunq́ꝫ natus. Nam oculorū eius fulgorem ferre non potui. Dignus me coniuge, si non improba pugilū uota nobis obsisterent. Rogatur ab omnibus Olo, uelamē fronti prætensum retrahat, & se uisendū, si amicus accesserit, cunctis prębeat. Non obstitit precantibus, mox disiecto uelamine, frontis decorē prodit. Erat autem flaua cæsarie, & facie honora. Continuo lętior cōuiuij consessus. Ne tamē quenquā oculorū fulgor terreret, deiectis in terram luminibus, rarius suspexit. In medijs iam tū feruescentis cœnæ gaudijs, aderant pugiles, aut puellam, aut athletā sibi dari postulantes. Duxêre autē denos secū suæ sortis iuuenes. Nihil moratus Olo, se pugnæ offert: lege

Olonis aspectus.

lege data: ne quis à tergo pugnantem adoriretur: ſed ingenuè occurrerent à fronte. Illi promittunt. Venitur ad metatum pugnæ campũ: unus duodenis opponitur. Nec magnus erat Olonis labor, uictos proſternere. quippe qui igne oculorũ terreret obuios. Stratis itaq; aduerſantibus, lętus pater, Oloni (cuius interim genus didicerat) filiã uictoriæ præmium tradit. Nec minus ille gratus accæpit: ſumma charitate complexus puellam: quæ filium illi peperit Omundum.



Thoronem Regulum Olo cum ſuis obtruncat. Britannos ſubigit: ubiq; uictor. Caput. xxx.

NECDVM tñ animo profectionẽ in Daniã, uiſendi auunculi gratia poſuit: ſed iterũ auerſus itinere, differre uotũ cõactus eſt. Audierat oppugnari patriam à Thorone Regulo: qui accitis in coniurationẽ Proceribus, bellũ Noruagię inſerebat. Cogitauit Olo præuenire dolis hoſtẽ. Diſsimulato habitu, ſenilem in morem ſeſe cõpoſuit. Aliquot ex ſatellicio iuuenes, fœminea ueſte texit: et Thoronis domũ expetens, manere ibi nocte, quæ inſtabat, diſpoſuit. Multũ uerò hoſpitalitatis in ea gente uſq; in hũc diẽ excolit. Igitur ignota facie hoſpes cũ comitatu excipit. Et ubi epulis exempta fames, unde ueniat rogatur? Ille longinqui ſe Regis militia diu tentũ aſſeuerat: nunc uerò odio Regalis filij extruſus, alio in loco ſe militiæ cõſtringere cogatur: paratus ubicunq; militare. Cunq; deiectis ſemper in terrã oculis hæreret: per iocũ à militibus Rex ſalutat: genua curuant, dextras porrigũt: obſeqa per ironiã repromittũt. Quibus ille quod ioco fecerant, ratum habere iuſsis: ſignũ dat ſuis, ferrũ exerant. Id eñ prouidit: quo minus terrori eſſent: ut baculis ferrũ cluderent. Ebriam iam ſub noctem, aulã fortes inuadunt, Regem obtruncant, & quotquot ſe armis tueri parabant. Nam erant, qui iocũ uerterunt in ueram fidẽ, ubi ſe uictos uiderunt. Itaq; hoſte extincto: patriæ, patriq; pacem reportauit. Erat inter morientes, qui uaticinaretur futurum: ut quomodo ille penatibus in ſuis Thoronem opprimeret: ita ipſe quoq; à domeſticis ſuis interiret. Quod exitus mox perdocuit. Sed tum filio maris arbitrum permittebat, ſeptuaginta nauibus perarmatis. Tanta claſſe mari Britañico Olo imminebat. Quam non territurus prouinciam, in quam copias ſuas expoſuiſſet? Quos adierat maritimos, in ſuum nomen iurare coëgit: ſplendidam ubiquè prædam agens, commilitones quoquè auxit magna rerum geſtarum fama: Quicquid erat in militia præcipuum, Olonis agmini mox acceſsit. Inter alios uerò Starcuterus Oloni militauit, uir admirabilis: cuius & ſupra plæriſquè locis, in Dania lib. 2. cap. 12. c. & 13. b. & in Suetia mentionem fecimus, facturi ſumus ex commodo. Nam is OLONI fatum peperit ad extremum ſenectæ ſuæ,

Thoronis caſus.

Suetiæ lib. 2. cap. 21. & ſerámq; ſeq.

feramq; uitã. Cuius rei ipse, dolore quoq; iniqui facinoris deperijt.



¶ Haraldum Olo adit auunculum. Ringonis Suetiæ Regis uictoria, Daniæ præficitur Olo: at tyrannide sua gladio Starcuteri perimitur. Caput. xxxi.

IAM multiplici auctus uictoria, cùm terra mariq; præclara multa peregisset Olo: in Daniam ad auunculum concessit: uisurus & Regni statum, & mores regionis. Haraldus iam senescẽs, spectatæ uirtutis iuuenem, artissimè complexus honorabat. Aliquandiu autem secum amicissimè habitum, mittit ad Ringonem Suetiæ Regem: ut eius quoq; regionis morem uideret: habiturus ibi exercendæ uirtutis materiam: quam apud uetulum Regem non inueniret. Vigebat adhuc amor: durabat familiaritas Regum. quippe qui occultis de rebus ad se nuncios secretò semper habuere. Sed incidit difficile tempus. Dũ apud Ringonem Suetiæ Regem Olo maneret (nam Haraldo & Ringoni pridem amicissimis, primũ discordia, inde inuidia incessit & odiũ) ferunt malignos interpretes seuisse odia altrinsecus. Sunt tamen, qui arbitrentur: Haraldũ Regem bellicosissimum, qui omnem ætatẽ in armis tricuisset: quæsisse exitũ uitæ per arma: magisq; instituisse hoc bellũ, exercendæ iuuentutis gratia, quàm ulla alia de causa. Adstipulatur huic credulitati, tarditas apparatus. Septem enim annis continuis bellũ apparabãt. Vndiq; uires contraxere: arma parauêre: naues cum bellicis instrumentis communiêre. Non facilè alia in gente similem aut multitudine pugnantiũ, aut uarietate auxiliorum, aut diuturnitate instructionum pugnã legens reperies. Sed omnia nunc breuius à nobis attingentur, quòd in Dania ac Suetia res sint commemoratę. Hoc solum nobis reliquum est proposito: ostendere, Noruagios tunc cũ Olone suo in partibus fuisse Suecorum. Victrix ea pars fuit. Vnde factum est: ut Ringo Suetiæ Rex, magno illo uictor prælio: Olonem, cuius singularem operam sit expertus, Scania donauerit. cùm illum Suetiæ Regno in reliquum seruire constituisset. Nec tamen diu passi sunt Dani, impositam sibi à uictore dominari puellam. Nam Proceres adito Olone, deprecati sunt: ut quibuscunquè conditionibus abactam ceruicibus eorum fœminam, faceret conquiescere: ipseq; Regnum subiret. Fecit Olo quod uoluêre. Sed talem se in Regno gerebat: ut facilè facti sui Danos pœniteret. Cruentum exercebat imperium: & tyrannidem magis, quàm iustum præferebat dominatũ. Paciscũtur cum Starcutero inuictissimo pugile: ut Regẽ, qui in tyrannũ degenerasset, tolleret è medio. Ille ut erat mõstrorũ euictor & domitor: suę arbitratus inesse uirtutis, hominũ generi salutẽ inferre: nõ dubitauit, accępto precio operã polliceri.

Belli causa.

& supra c. prox. b.

Hetham.

Balneis

Balneis Rex utebatur, cùm illum Starcuterus adiret, parricidiũ meditatus. Suſpiciens Rex, terruit uenientẽ. Ad fulgorem luminum eius, etiã fortiſsimus Starcuterus ſubſiſtere nõ potuit: ſed auerſus abibat. Rex arbitratus magni eſſe rem momẽti, quã afferret uir fortiſsimus: Flexo in terrã lumine, Starcuterũ reuocabat. Ille redibat, gladio confodiens Regem ueſte nudatũ. Hic exitus Olonis. Sed cõtinua parricidam pœnitudo apprendit: quæ ad uitæ illius exitum durabat. Olonis mors.



¶ Ringonem Omundus bello ſecundo deuictum, placat, ut filiam eius uxorem mereatur. Caput. xxxij.

OMVNDVS Olonis filius, cùm Daniam iam hæredibus uacuam poſt patrem Olonem teneret: Noruagiam iam Rege uacantem, occupauêre Duces, aut Reguli. In cuius non cõtemnenda parte Ringo quidam regnare cœpit. Huius filiam dum coniugio poſceret Omundus, nõ impetrauit. Reſponſo illi dato: Non ſolere Noruagios dare filias, niſi fortiſsimis uiris: & qui ſe rebus magnis dignos, generoſis nuptijs cõprobaſſent. Indignatus Omundus, ab impari nobilitate, ſe contemptũ: ſimul animo uolutans, quæ illi irrogaretur iniuria, ab illo, cui merito præeſſet (nam auito genere Noruagię Regnũ ſibi deberi) parat ulciſci iniuriã. Armat claſſem: ducit in Noruagiam. Aberat Ringo, impugnãs aliena, ignarus, quòd interim ſua lacerentur. Facilè indefenſam prouinciam Omundus uaſtabat. Sed non diu aberat Ringo, dũ quæ gererentur intellexit. Partem copiarum quas habebat Ringo, inmittit hoſti, reliquam in inſidijs collocauit. Omundus forti ſe patre genitũ aſtruens, non maiores immiſit ex aduerſo uenientibus. nõ ſuę uirtutis eſſe coniectans, ſi maioribus copijs, minores ſuperaſſet. Confligitur utrinq; fortiter. Sed tum Dani ceſſere. Nec profuit, noua ſubmittere auxilia. Semel enim dorſa uertentes, fruſtrà in pugnam conciueris. Nec uera uirtus, cùm ſemel excidit, reponi curat deterioribus, ait Flaccus. Omundus tamen tũ uictus ceſsit, uires reparans, ut grauior hoſti occurrat. Dani, ut primam offenſam, dexteriore pugna redimerent, alacriores & ipſi redibant. Pertinacibus utrinquè odijs pugnatur. Certant, certi non cedere. Cadunt utrinq; plurimi. Nam fuga morte uiſa grauior. Is uerò tum erat exitus, ut Dani Regi ſuo operam nauantes, ſuperarent, uicti Normañi manus dant, Ringone iam letaliter uulnerato. Accæpto enim uulnere, ſuos dato ſigno reuocat à prælio. Omundum rogat propius aſsiſtere, & ultimum ducens ſpiritũ, uix iſta uoce tremula promit. Satis cõſpecta uirtus tua, iam dudum promeruit, te mihi eſſe generum. Quemq; ultro poſcere debui, demens ad arma uocaui. Eo nunc uentũ eſt, ut improbitatis pœnas luens, quem antea deprecantem

Omundus Rex.

Cedunt Dani.

Cadit Ringo.

deprecantem contempsi, nunc etiam rogem generum fieri dignari. Vnicum hoc mortis solatium habiturus: si fortem ac potentem maritũ, filiæ reliquero. Hæc moriens uix effregit: nec responsum expectauit, festinans è uita. Omundus alteram ex Ringonis filiabus ipse ducit: alteram Hotmundo, cuius in eo bello operam fortem expertus est, permisit: utrique, Danorum, & Noruagiæ Regno imperitans.

Omundus Rex.



¶ Rusla bellatrix, tandem à fratre Trondo bello sternitur. Omundus Rex binos Duello uindices Ruslæ superat. Caput. xxxiij.

RVSLA uirgo, cum Trondo fratre, per eam tempestatem Noruagię incubuit. Nam ut erat Regnum in membra lacerum, partem sibi Ducum quisq; ac Procerum, regendam desumpsit. Hic puella de rerum summa cum Omundo conflictabat. Primum autem ad reliquos Regulos arma conuertit: & superior facta, Non tulit Omundum patriæ suæ imperare: nec in sua Noruagia uel ullam tenere Prouinciam. Nam assidua incursione uexabat Pręfectos eius. Misit Rex ualidam suorum manũ, ad reprimendam insolescentem fœminam. Nec enim dignabatur Rex ipse, in fœminam ducere. Quotquot autem missæ sunt copiæ, à uictrice puella repelluntur. Hallandiam adhuc Regi parentem, Rusla cum exercitu inuadit. Ibi conglobati Danorum Proceres, uastanti se obijciunt: prælioq; commisso fugant: solis. xxx. nauibus ad fugam relictis. Nam cætera classe potitus est hostis. Regressa in Noruagiam: à fratre Trondo excipitur: iam laceris uiribus, facilis opprimi uisa. Sed illa præstans animis, fratrem ut sæpè antea uincit: compellitq; in fugam. Omundus Rex, insolescentis fœminæ iniuriam diutius ferre non passus: præmittit classem, quæ primoribus terrę Regem conciliarent: fœminamq; facerent odiosam. Qua uia, cùm undiq; etiam à suis exigeretur: omnes uires in classem contulit. Congressaq; Danorum ductoribus, uincitur: atq; paucis nauibus ad fugam retentis, notas petit regiones. At frater, iam etiam ille Danorum Regi incretus, sanguinis uinculum penitus in se aboleri passus: Germanam undiq; exactam, iam uiribus carentem, admoto agmine oppressit. Fortissimi Virginis milites, Therias cum Biorno, ubi audiunt occubuisse dominam: pertæsum & illos est uitæ. Danorum Regi Duellum offerunt, præsertim: quòd se iureiurando constrictos meminissent, uindices fore occisę dominæ. Probrosum uisum est Regi, recusare oblatum duellum. Restitêre diu Proceres. At uicit Regis propositũ. Congressus ergò duobus: alterum occidit: alterum uita, & Præfectura gentis donauit.

Ruslæ insolentia.

Cadit Rusla.

Omundi duellum.

¶ Scriptorum



¶ Scriptorum penuria, multa conqueritur Autor intermiſſa, quæ minus extent. Caput.xxxiiij.

VM uerò iam per aliquot annos nihil magni gereretur: uerius coniectãtibus ea ſubit ratio: quod nulli adhuc Rerum Scriptores extarent, qui tempora inſignirent: multorum Regum facinora in utro Regno latuerunt. Per quę tempora (quod in Dania oſtendimus) Longobardi egreſſi Scania: primùm in Rugia, deinde in Pannonijs conſederũt. Nouiſſimè tranſierunt in Italiam. Ibiq prouinciam & Regnum de ſuo nomine fundauerunt: nomine ipſo uſq in hanc diem permanẽte. Per quæ etiam tempora, Dani, & Noruagij, iunctis uiribus, mare infeſtũ habuêre. Quid autem rerum peregerint, in faſtos & literas relatum, non legimus. Niſi, quia coniectura aſſequimur: gentem rapinis & bello aſſuetam, non quieuiſſe: præſertim poſtquàm guſtata dulcedine prædæ, iam Aquitaniam in Galliarum littore, & Britanniã fortunatiſſimam inſulam compertas habuere. Sigibertus autem Gallorum hiſtoricus, tradit Theodoricum Francorũ Regem, qui Clodoueo patri (quem alij dixere Lotharium) in Regno ſucceſſerat, circa Annum Chriſti. 500. cùm in Italia Theodoricus Oſtrogotorum Rex, quem de Verona cognominant, dominaretur: conflictaſſe in Galliarũ littore Cochilaco Danorum Regi, Galliarum maritima infeſtanti. Quod quia Danorum Scriptor non attigit: multa in medio ſecula tranſiliens: coniectura eſt, multa præclara in his nationibus facinora perpetuo ſilentio eſſe ſepulta. Nec nobis effingere permiſſum quę nõ legimus. Non ea leuitas ſcribentium Hiſtorias, & Annales retexentium.

Lib.3. & initio quarti cap.1.

Dietrich von Bern.

Autoris excuſatio.



¶ Gotrici Danorum Regis præcipua omnium liberalitas exponitur. Caput.xxxv.

OTO Rex Noruagiam tenebat ea tempeſtate, qua Godfridus, quem alij Gotricum dixere, Daniæ regnabat. Attigerat autẽ ille annos Caroli Magni iam ad Imperium perducti, hoc eſt, Annum Chriſti. 800. Magna in medio trecentorum annorum tranſitio: qua nulla iam in annalibus Noruagiæ memoria eſt. Goto autem Noruagiorum Rex & alijs quidem uirtutibus præſtans, & liberalitate inſignis habebatur. Nam Tylenſiũ Ducibus iam ſe pridem bello laceſſentibus, & nunc redeuntibus in gratiam: dona dedit, armillas auro fulgẽtes. Cuius doni magnificẽtiam, cùm ex aulicis quidam extuliſſet: non fore alium Regem liberalitate præſtantiorem, iactabat. Cui alius quidã ex donatis: Magnifica quidèm Regis tui munificentia nobis etiam predicanda eſt, quæ iure optimo ab omnibus prædicetur. Quòd autem nullum liberalitate maiorem

Goto Rex.

Anno Chriſti. 800.

Goto Rex.

sorem putasti, iniurium est Danorũ Regi Gotrico: quem hac uirtutẽ omnibus eminentiorẽ inuenies. Et quomodo inquit ille, fieri potest: ut sit in illo, quàm in nostro Rege maior liberalitas? Esse ait ille, rebus comprobabo. Itaq; pignore deposito, certamen ineunt: ut tollat qui re ipsa cõprobat: cuius sit Regis maior munificentia. Profectus in Daniam Tylensis, Regem offendit inter milites donatiua partientem: astatq; ignotus ipse inter notos militũ uultus. Suspiciẽs Rex, quod illi nomen sit, rogat. Ille insigni proceritate decorus, & uirilis ac comis, Vulpeculam se dici respondit. Ergò inquit Rex, ad prædam insidiaturus aduenisti? Detractisq; manu armillis, illi proiecit: dono sibi conciliians alienigenam, cuius & uultus, & uerbi promptitudo placebat. Ille doni magnificentiam efferens, brachium armilla prȩditum sublimius præferebat: manum aliam ut poterat recondens. Rogatus à Rege: Quid sinistram absconderet? Respondit. Illã uerecundari: nec audere in publicum prodire. cùm ornata sorore, illa maneret inhonora. Rex dicentis libertate delectatus, Ergo inquit, ornetur & illa: aliasq; illi proiecit armillas. Tunc ille. Vt noueris optime Rex, non hoc me solum inmerentẽ munere decorari: depositũ est à me pignus in Noruagia: ut re ipsa comprobẽ: liberalitate tua, cunctos te Reges superare: & hoc me nunc ornatum per te pignore denuncio. Vicisti tu cunctos uirtute: ego quoquè per te uici competitorem. Exhilaratus Rex: quòd rerum omniũ ignarus, tantum muneris in ignotũ contulisset, unde apud exteros nomen eius cum laude incresceret. Reuersus ille in Noruagiam, depositum à concertante pignus reposcit: & accipit re ipsa declarans, quantum eius rei certamine promeruisset.

¶ Siuuardi pro Noruegia quinquennis expeditio narratur. Caput. xxxvi.



Siuuardus Rex.

SIVVARDVS quidam Noruagiensium Dux, per ea tempora tantum commendatus est Gotrico Danorum Regi: ut filiam eius coniugem mereretur. Inde nominis sui filium sustulit cognomento Ringonem: qui succedentibus sibi prosperè rebus, ad Regnũ postea Daniȩ auito iure peruenit. Sed competitorem habuit aliũ ex eodem auo nepotem, suum quoq; consobrinum, secum etiam nomine participantem: qui cùm Iutiam teneret: hic Scaniã, Sialandiamq; regebat. Sed Siuuardus æmulũ Regni tum submouêre curabat. quippe qui eodẽ iure, uno sanguinis gradu, de rerum summa certaret. Magis aũt se exteris, quibus contemptui, lacerũ & dimidiũ erat Regnũ, opposuit. Cunq; diu foris arma toto fere quinqueñio, pro tuitione & honore Regni, ac patriȩ exerceret: suo penè Regno destitutus est. Sed hȩc in Dania prosequentibus, permittitur

Daniȩ lib. 4. cap. 5.

titur hoc loco transilire: non nisi Noruagicis nunc rebus in mentionem uenientibus.



¶ Regnerus, Landgerthæ suppetias in Fro tulit. Vxorem ducit: at repudiatam, mire dolet. Maritum alterum desidem, illa gladio obtruncat: sola suis imperans. Caput. xxxvij.

REGNERVS quoque huius filius, natus & ipse Noruagico sanguine: cùm Daniæ Regnũ prostrato in agmine parente teneret: audiretque Suetiæ Regem Fro, Noruagiæ uiolentum incumbere. quippe, qui occiso auo eius Siuuardo, Regias fœminas in cõtumeliam prostituens, publicè illis abuteretur: utriusque rei se spondebat ultorem. Venienti cum classe Regnero, multæ uirgines ac fœminæ, aut metuẽtes, aut iam passæ stuprũ, uirili habitu sese in armis futuras uindices obtulêre. Quarum alacritate Rex delectatus, pugnam lætus inibat. Fortiterque dimicatũ est, tàm uiris, quàm fœminis: quas specialiter fortes faciebat dolor contemptę, uel obsessæ pudicitiæ. Inter alias autem Landgertha eminebat: humeroque inuolitans, capillus fœminam esse, prodebat. Quæ cùm prima inter acies emineret: Regis in se facilè conuertit aspectũ. Iamque multo sudore, ac sanguine parta uictoria: uni se fœminę accæptum ferre Rex dictitabat: deque nomine, ac patria eius multa rogitans, ubi comperit innuptã uirginem: interposito solenni nuncio, de Nuptijs iussit interpellari. Illa uerbo assensa (quippe Regem recusare maritum, dictu horrendum uidebatur) aliud tamen cogitabat. Nã perpetuæ uirginitatis proposito, nulli se uiro polluendam permittere proponebat. At Rex iuuenis, quem in Venerem sollicitabat, conspecta in armis puellæ uirtus: exquisitio mansionis eius habitando: adnauigans, non sine graui periculo potitus est uoto: & ex ea prolem suscępit. Sed deinde potitus Regio sanguine ad coniugium, Suenonũ ex genere, primùm desyderatissimæ coniugi, nihil tale merenti, repudiũ indixit. Illa nihil mota: castitatem quam uirgo conceperat, iã uidua pertinacius seruare constituit: At nõ perstitit. Quippe à uiro forti nuptias expetente, non contẽnendæ quoque nobilitatis, coniunx adsciscitur. Nam Prouincię Noruagiorum imperabat. Traducta, militiæ studiũ non intermisit. Nã cùm Regnerus Daniæ Rex, prior maritus, ab ęmulo Regni Haraldo, bello peteretur, quem Iutij, Scanijque sibi Regem delegerãt, auxilia sibi de Noruagia asciuit. Aderat Landgertha cum marito, ac filio, repudiatoremque suũ, inmemor iniurię, forti auxilio defendit. Nam inita pugna, ubi terga dare Dani cœperant, circumspicerentque, quomodo Iutas deuitarent, præuolans fœmina, manu sua præliũ restituit, partim pudore, partim exemplo

Regnerus Rex.

Suetię lib. 5. cap. 1.

Landgertha uirgo.

Repudium iniustum.

Danię lib. 4. ca. 6. & 7.

Rarum exemplum.

commonitos, Regneri milites, ex uictis fecit uictores. Inerat hostili agmini manus Imperatoris Ludouici: qui Haraldum Moguntiæ baptisatum, auxilijs adiutum, remisit in Regnum. Sed cessit tum uirtuti Noruagijs. Puduit tunc Regnorum Regem, tantis benè de se meritę fœminæ uirtutibus, iniuriam Repudij irrogasse. Illa uerò ardentissimi spiritus fœmina, ubi operam priori marito nauauit: regressa in patriam, uirum quem tenebat, iam ad ignauiam prolabentem exosa, ferro extinxit: dominationemque correptam, fœmina uiro maturius peregit. Regnerus uerò cùm multos ex diuersis uxoribus filios sustulisset: Imperium suum prolatare curauit.

¶ Normannorum cum Danis, excursiones & depopulationes, sub Ludouico Imp. uariæ describuntur.

CAPVT XXXVIII.



Biornis Rex.

IORNEM igitur filium, auito Regno Noruagiæ perfecit pater Regnerus. Alios autem alijs in Prouincijs Reges & Principes constituit. Latè enim uictoriam circumferebat. Romanum interea Imperium administrabat Imperator Ludouicus, Caroli Magni filius: quo tempore Normanni (ut scribit Sigibertus Gemblacensis monachus, Gallorum historicus) grauiter infestarunt Saxoniæ, ac Galliarum littora. Dorstadium ad Alpim, Antuerpiam ad Scaldem fluuios, & Vuykland emporium situm ad ostium Mosæ, uastauerūt. A Frisonibus tributum exigunt, & accipiunt. Annus hic erat post Octingentesimum trigentesimum quo tempore ab Ludouico primum fundata est Hamburgensis Ecclesia: Archiepiscopatum eius, eodem Imperatore instituente: cui præerat tum Anscharius pater, antea Corbien. monachus. Quam rem in Metropoli diximus. In Flandrensi littore, cùm Dani, Normanni idem pertentarent, uastare scilicet terras, prædas abigere: ab his qui Imperatoris prouisione erant in præsidio, repulsi sunt. In ostio Sequanæ cum uim suam Dani item, Normanniqꝫ explicare cœpissent: resistentibus sibi littoris, riparumqꝫ custodibus, paucis amissis abierunt. In Aquitanico littore prosperis usi successibus, uico Burnod depopulato, cum ingenti prȩda reuersi sunt ad propria. Año deinde quarto, in Insula quȩ Vualacra uocatur (Sialandiæ maritimæ regionis portio est) multos trucidauerunt. & aliquandiu ibi commorantes, censu exacto, Dorstadiū redierunt: & tributis impositis, & exactis enauigarunt. Quibus Ludouicus Imperator auditis, ad Noruagiam arcē firmissimam in Gelriam contendit. Cuius aduentu cognito, Normanni retrocesserunt. Nec longum tempus in medio, cùm noua excursione grassantes, Frisiæ incommoda maxima importarunt: nec minora tamen receperūt.

Sigibertus historicus.

Normannorum infestationes.

Tertio deinde anno, urbem Monnetum aggressi: interfecto Præside, & ex Clero plurimis, necnon promiscui sexus innumeram multitudinem pessundantes: deprædata ciuitate, inferioris Aquitaniæ partes aggrediuntur: in insula hyemantes. Anno deinde. xliiij. post octingentos, Britanniam ingressi, non primùm, quàm Angli Saxones aliquot seculis incoluerunt, triduo pugnantes, uictores effecti: prædas, netesćq; sine discrimine facientes, terra pro libito sunt potiti. Año deinde proximo, qui fuit. xlv. post. Dccc. Rex gentis Roricus, sexcentas naues per Albim fluuiū in Germaniam, aduersus Ludouicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commisso prælio, cœlesti fulti præsidio, uictores fiunt. Vnde digressi, Sclauorum, hoc est, Vuandalorum quandam impetunt & capiunt ciuitatem. Hæc omnia Gemblacen. Sigiberti sunt testimonia. Hanc ego arbitror ciuitatē extitisse Hamburgam: quæ tamen nunquā Vuandalici, sed semper Saxonici iuris fuisse perhibetur. Galli autem, qui Danorum, Normannorumćq; nullum fecere discrimen: nunc etiam confundunt Vuandalicum ius, atq; Saxonicum. Annales autem nostri, huius uastationis memoriam habent hoc modo. Normanni inquiunt, piraticis excursionibus usq;quaq; digrassati, Frisones tributo subijciunt. Eodemćq; tempore per Rhenum uecti, Coloniam obsederunt. Per Albiam uerò Hamburg incenderunt. Inclyta ciuitas tota, aut incendio, aut præda disperijt. & reliqua, quæ in Metropoli nostra prosecuti sumus. Quod uerò ad Normaños pertinet, Sigeberti testimonia exequamur. Eodem inquit anno, alueo Sequanæ reuersi, maria repetunt: cuncta maris finitima diripiunt, uastant, & incendijs deformāt. Quo tempore cùm spoliato monasterio Sethin, naues onusti præda repeterent: ita cæcati sunt, ut errantes, paludibus mergerentur, & interirēt: ut uix pauci superessent, qui cladem alijs nunciarent.

Roricus Rex.

Annales Normannorum.

Qua de re commotus Ericus, Legatos misit Imp. Germaniæ Ludouico: Captiuos reddere spondens, cum adempta præda. Hæc inserenda putaui Gallorum testimonia. ne ad rem quam docendam suscepimus, unius duntaxat Saxonis uoce nitamur.

Autoris purgatio.



¶ Filiorum Regneri Daniæ Regis, Ludouici item Imp. excursiones confusè descriptas: nec à Saxone specia tim expressas quæritur. Caput. xxxix.

REGNERO uictorioso Daniæ Rege, rebus humanis exempto, filij eius Regna latè tenuerũt: & iam uictorijs assueti sub parente, in mare quoq; Britannicum uires experiri cœperunt. Tentata sæpius, & aliquoties expugnata Britannia: quæ dudum de Anglorum Saxonum nomine, postquàm illam occupauerunt, dicta est Anglia. Gallias quoq; ijdem Regij iuuenes attentare connisi sunt per eandem hanc ætatem. Et cùm iam Ludouicus Imperator rebus humanis excederet: filijq; eius mutuas in se uires conuerterent, de successione non consentientes: audentiores facti Aquilonares populi, præsertim Dani, cum Normannis: primo quidèm in mari piraticã: inde terrarum uastationem per littora Germaniæ atq; Franciæ (quæ ab olim Gallia dicta semper fuit) peregerunt. Gallorum tamen Scriptores non discernentes: quotquot ab Aquilone gentes uenerant, uno nomine dixere Normannos. Nec facilè fuit Principes earum expeditionum discernere. cùm promiscuo usu primum Regneri Regis filij, qui utrunq; Regnum tenebant: deinde post eos utriusq; nationis Principes, uim illam Prouincijs intulere. Vetus enim eius gentis, ante susceptum Christianismum consuetudo fuit: maria ac terras infestare. Sed ea diu cum Orie̅talibus Estonibus, Sembis, Curonibus, Russis, Hunis exercitia militaria fuere. Inde cum Australibus de sua parte Vuandalis, atq; Saxonibus. Crescente audacia, penetratum est in mare Britannicum. ut Frisij, Galli, Britones, siue Angli, ab illis incursionem crebram perferrent. Ea fuit iusta quondam inter fratres Regis filios Regni hæredes, hæreditatis diuisio: ut altero Regni iura per terras administrante, alter mari dominaretur, piraticam exercens: iusto ut arbitrantur militiæ genere. Dum ergò Imperatoris Ludouici filij, fraternis, & plus quàm ciuilibus bellis in se arma uerterent: non erat qui Normannis, Danisq; tum mirificè in mari sæuientibus, littoraq; uastantibus, ferro, flammisq; occurreret: primùm sibi Frisiam parere coëgerunt. Quanquàm sæpè aliâs ab ea gente sint attentati, tributaq; penderent. Sed non erat hæc tam uiolenta manus contenta subiectione, ac tributis: prædam quoq; opulentam exquirebat. Mirum autem, his de rebus Saxonis nostri silentium: qui friuolos Regum amores, & monstruosas (si non mendosas) pugnas executus, ista pressis labijs præterijt. Sed non est ea culpa uiri diligentissimi. quòd per eam ætatem, ut apparet, nulli Annales scriberentur: perturbatisquè omnibus in eis Prouincijs, uix Regum inuicem sibi succedentium nomina tene antur:

Britannia cur Anglia dicta.

In Saxone̅.

antur: de Rebus gestis nihil. Quo minus mirum uideri debet: si nõ ea quæ intus gererentur memoriæ sunt mandata, nec potuerit quæ foris. Nec tamen eas res silentio præterisse debet uideri Saxo. quando Regneri filios sub patre primùm: deinde post eum longè, lateq́ excurrisse commemorat in Gallias, Aquitaniam, Britanniam, Scotiam, Orientem quoquè, Rufsiam, Estoniam, Sueciam, Normanniamquè lustrauisse: & uictorijs suis impleuisse. Quam rem in Dania tetigimus. Ergò Francorum historiæ illas excursiones, ac terrarum uastationes ubi attingunt, breuiando percurrunt: nulla Principum nomina, nulla gentis diu alia proloquuntur facinora: quàm quòd igni, ferroquè omnia fœdarunt: terrorequè mirabili, omnes terræ habitatores concusserint. ut diu nemo inueniretur ex Principibus uiris, qui exercitu armato fideret illis aciem opponere. Tanta erat excurrentium ferocia, tanta sæuitia. Multis quidèm antea locis & temporibus, in Saxoniam, Frisiamquè factæ sunt Danorum, Normannorumq́ excursiones: adeò etiam, ut tributa Saxonibus, Frisijsquè imperarentur. Nouissimè ab Rege etiam Godfrido, qui tempora attigit Caroli Magni.



¶ Normannorum ferocitas & excursiones describuntur: quos Impp. Rom. plus pactis conditionibus, quàm armis domitos compescuerunt. Caput. xl.

CVM autem idem Rex Godfridus in ditione sua teneret Saxones: audissetq́, Carolum Franciæ Regem, & deinde Romanorum Imperatorem, in gente Saxonum multa bella peragere: aliquoties magnis uiribus occurrere ei constituit. Præsertim Anno post Octingentesimum quarto: quo tempore, multa Saxonum milia, Carolus transtulit in Scaniam, reductis Francigenis, qui terrã habitarent: uenit quidèm Rex Godfridus in confinia Saxoniæ: sed ultra progredi non tentauit. Misit tamen ad Imperatorem nuncios cum mandatis, in locum qui dicitur Holdesten ad ripam Albis. Deinde anno sexto, qui fuit decimus post Octingentesimum, Imperator Aquisgrani considens, exercitum comparauit in Danos. Audiuit enim, ducentas naues Frisiam ex Normannia (sic enim uocant Galli omnia Aquilonis Regna) appulisse. Sed meliori consilio, positis iuxta Visurgum castris, hostes ibi duxit expectandos. Nam ea fuisse ferebatur iactantia Rex Danorum: ut gloriaretur: quouis se loco IMPERATORI occursurum. Saxo tamen noster, congressos dicit exercitus: sed tunc uictorem terrarum orbis populum, terga DANIS ostendisse. Nulla tamen uel loca, uel tempora designat: quod factum oportuit.

fuit. Nostri uerò Annales, qui utranque designant, Imperatorem omni bellico apparatu expectasse tradunt hostis aduentum. Cùm interea diuersi uenirent nuncij: classem Danorum esse regressam: Regem uel à satellite, uel à filio trucidatum. Cui Hemmingus patruelis eius, suffectus est. Is quoque pacem firmauit cum Ludouico Caroli filio. Interuenit tamen utriusquè Regno Olauus Godfridi filius. Sed quoniam nõ erat Regnum eius diuturnum: nihil præclari ex eo memoratur. Hemmingo quoque nec longum imperante, nepotes ex filiabus Godfridi mutuas uires attriuerũt: & superstes Regnerus (quod antea diximus) Haraldum competitorem, iam Iutijs regnantem expulit. Isquè Imperatorem Ludouicum accessit Moguntiam, ibi baptisatus: & auxilium reductionis, & prędicatores uerbi diuini in Daniam promeruit. Cum quo profectus est Anscharius. Inde uerò repulso denuò Haraldo, exterminata, aut perturbata est res Christiana, Anschario nihilominus intra Regnum manente: qui non aliud, quàm martyrij coronam expectans expectauit. Sed longo debuit in terris martyrio consummari. Noruagij uerò cum Danis per ea tempora per Ligerim ascendentes, Turonos succenderunt: per Sequanos Parisios obsederunt. Deinde euastata Lotharingia, & Frisia subacta, Normanni atquè Dani in sua uictrici conuersi uiscera dextra, ciuilibus & domesticis armis, mutuas uires attriuerunt. Nam Haraldo, quem supra diximus, Gutorino filio, aduersus occupatorem Danici Regni præliante: Noruagiæ atque Daniæ uiribus tanta mole concursum est: ut omnes Regij sanguinis Proceres extincti sint: solusque Ericus, quem à conflictu, ætas adhuc paruula detinuit, superstes remanserit. In Noruagia autem tanta facta est sceptri confusio: ut discissis membratim Regni uiribus: partem sibi quisquè (ut fieri solet) teneret: & qui in Prouincijs locum non reperit, maria sibi desumpsit exercenda. ut quicquid excursionibus terrarum, & piraticis deprædationibus occuparent, pro suo ducerent. Inter quos nominati sunt: Horicus, Orduicus, Gotofridus, Rodulphus, & Ignarus: qui diuisis turmis & nauibus, omnia maria & littora infesta habuere. Infensi ubiquè Christianis. quòd Christi religio iam primùm ab Haraldo per Anscharium, deinde per Ericum Regem in Daniam atquè Suetiam penetrauit. Geminam ergò bellandi causam prætendebant. Quod nouas sedes in Gallijs quærerent, & quòd Christi fidem infestis animis persequerentur. Ludouicus tamen Germaniæ Rex, Ludouici primi Imperatoris filius, germanus LOTHARII, cùm multas in circumitu suo nationes domuisset Vuandalorum, ad quos BOHEMI, POLONI, Rusiquè pertinent, diuersis quidẽ nominibus, sed una lingua, unis moribus gens semp una habenda. Nor-

Daniæ lib. 4. cap. 2. c.

Vide supra cap. 4.

Daniæ lib. 4. cap. 13.

Noruagiæ discissio.

Piratæ.

cta. Normannos idem Rex pactionibus & fœderibus ita continuit: ut quàmuis uicinis ei Prouincijs uiolenti incūberent, à suis tamen portubus, agris, & littoribus abstinuêre. Ita alternis semper donis prudentissimus Rex, ferocem gentem, quã armis auertere difficile fuit: bonis conditionibus in fœderum fide semper retineret. Nam ferunt: Aquilonis Reges, cùm crebris ab eo muneribus præuenti essent: capulotenus auratum gladium cum uagina dono remisisse. Donum Lud. missum.



¶ Subnectuntur & aliæ Normannorum excursiones, de prædationes & depopulationes ex Sigiberto Chronographo. Caput. xli.

ANNVS erat post natũ CHRISTVM Octingentesimus, iuxta supputationẽ Sigiberti, cùm Frisia, & omnis Flandria uastaretur à Normannis, atq; Danis: Flandrenses, & uicinarum urbium Pontifices, & Abbates cum Sanctorum reliquijs cõfugerunt in oppidum sancti Andomari, tum munitissimum. Eodem anno inferioris Galliæ (quam Britones incolunt) adeuntes Normanni regionem, ter cum illis manum conserunt. Demum incolæ superantur. Scoti quoq; à Normannis per annos plurimos effecti tributarij. Nec ulla potuit insula resistere grassantibus. Post duos autem annos, cùm Normañi Burdegalam (Iudæis prodentibus) caperent: captam, populatamq; incendunt. Scoti super Normannos uenientes, auxilio Dei uictores, eos à finibus suis propellunt. Vnde Rex Scotorum ad Carolum Franciæ Regem, pacis & amicitiæ gratia ad Legatos mittit cum muneribus: uiam sibi petendi, Romam concedi poscens. Eodem anno Petrotorium Aquitaniæ urbem Normanni populantes incendunt: atq; impunè remeant ad naues. Deinde post duos annos Frisiam, & Batauos populantur: & in oppidum Flandriæ Gandauum uenientes, S. Bauonis Monasterium incenderunt. Deinde Rotinum: & usq; Belua cum pedestri gradu peruenerant. Qua incensa, cùm redirent: intercepti à Francis, quadam parte profligati sunt. Inde post duos annos, hoc est. lij. ducentis quinquaginta nauibus Frisiam adeunt: acceptáq; præda pro libitu & alia abduxerunt. Proximo inde anno mense Iulio, relicta Scania, Ligerim adeuntes, Nanuentũ, & Monasteriũ S. Florentij, ac uicina loca populantur. Deinde à Nanuensib. superiora petẽtes. vi. idus Nouemb. urbẽ Turonicã adeunt, atq; incendũt, cum ecclesia S. Martini: & cæteris adiacentibus locis. Sed quia euidenti certitudine compertum fuerat de illorum aduentu: ad Aureliam ciuitatem corpus S. fuit transportatum. Quo etiam anno, intestino iure se prælio dimicantes, adeò certamine obstinatissimo debacchati sunt: ut ORICO REGE, & cæteris inter se Regibus interfectis, Iudæi proditores.

penè

penè omnis Nobilitas interierit. Tunc Ligeri insistētes, denuo ciuitatem Andegauorum incendio concremant. Deinde Burdegalam. Anno post tertio Ligerim ingresi, relictis nauibus, pedestri itinere urbem Pictauorum adire contendunt: sed occurrentibus Aquitanis, ita profligati sunt: ut ultra trecentos pauci euaserint. Eodem anno decimoquarto Kalend. Maij, ciuitatem Aureliam impugnant: prædantur: & impunè reuertuntur. Et medio Augusto Sequanam ingrediuntur: & uastatis, direptisque ex utraquè parte fluminis ciuitatibus, atque uillis: locum qui dicitur Fossa Ginaldi, Sequanæ contiguum, statione que munitum, deligunt ad hyemandum. Post duos uerò annos quinta Calendas Ianuarij, Normanni Lutetiam Parisiorum inuadunt, atque incendunt. Basilicam Sancti Petri, & Sancti Genouefæ, ac cæteras omnes. Præter domum Sancti Stephani, Vincentij, Germani, Dionysij ecclesias: pro quibus, ne incenderentur, magna pecuniæ summa persoluta est. Ludouicum Abbatem Sancti Dyonisij capiunt. Inde Saxoniam aggresi, inde repelluntur. Ad Scaldem fluuium post biennium ingresi, loca populantur uicina. At uulgus promiscuum inter Sequanam & Ligerim, cùm se sacramentis terribilibus coniungerent: aduersus hostes in Sequana consistentes fortiter resistit. Sed quia ineptè eorum sumpta est coniuratio: à potentioribus facilè interficiuntur. Hæc ab annotatione Sigiberti accepta præmisimus: cuncta resolutius dicturi.

Lutetia capta.

ALBERTI KRANTZII CHRONOgraphi, Rerum gestarum per Normannos cum Danis in FRANCIA,

LIBER II.



❡ Normannorum & Danorum in Franciam irruptionem & gesta, descripturus Autor: ingressum libro parat. Caput Primum.

NORMANNORVM Antiquitates superiore Libro retexuimus: nunc ad præclara, quæ in Gallijs egerunt facinora peruenientes, nouo rectè ordimur principio. Et quanquàm Danorum atquè Normannorum promiscua sint hæc negocia (pariter enim ad eam militiam à memoria Regneri Regis, qui utrunque Regnū uiuens moderatus est: cuius

etiam filij ex utroq; Regno uires comparantes, promiſcuam fecerunt utriuſq; gentis militiam) ſunt progreſsi: obtinuit tamen Gallorũ conſuetudo, ut una omnes uoce Normanni dicantur, qui ab Aquilone Gallias petiuerunt. Oĩs aũt illa Borealis natio, prius quàm CHRISTO crederet, ferociſsimos aluit & emiſit uiros, quibus rapere, latrocinari terra mariq; laudi foret. Vt aliquãdo Lacedemonij, in præcipuis uirtutibus furta numerarunt. In his autem Prouincijs Aquilonis, crebra fratrum Regũ ea fuit hæreditatis partitio, ut alius terra, alius ponto dominaretur. Piraticam enim iuſtam deputabant militiam, eaq; locupletati, inter ſuos erant honoratiores. Cunq; deeſſent, qui maria tranſeuntes ſpoliarentur, in proxima uerſi littora, prædas agebant in naues. Itaq; diu per multa ſecula cum finitimis luctabantur. Vuandali fuere, qui tenebant littus Germanicum à Cherſoneſo Cimbrica, uſq; in Prutiam, quibus aſsidua bella ab incurſantibus Danis. Illi quoque aliquando exaſperati, audebant inferre quæ paterentur, Daniam incurſationibus fatigantes. Orientem uerſus, Sembos, Eſtones, Ruſſos habuere, quotidianã belli materiã, ac uirtutis paleſtram. Sæpe in occidentem uerſi, Angliã uaſtabant, præcipue ea parte, quæ reſpicit Aquilonem in Regione Northumbrorum. Neq; Saxonia, neq; Friſia immunes fuere, ſed creſcẽte paulatim audacia, auſi ſunt in Gallias (quæ nunc Francia eſt) arma transferre, ab eo tempore, quo Lotharius Ludouici pij filius, Caroli Magni nepos, in patrem uerſus impietatem exercebat, Patre aũt fatis abſumpto, cum fratribus de Regni finibus grauiſsimo bello implicaretur. Nam laborantibus in Regni meditullio Principibus, maritima Franciæ erant iniurijs expoſita incurſantium piratarũ. Ex illo quidem tempore, cùm multis uicibus Danica claſsis in prædam abiret, poſtea quàm Galliæ guſtauit dulcedinẽ, facilè Saxoniæ prædas omiſit. Quòd ibi duriora exciperet uerbera, & minores inde prædas abduceret. Francia enim ubertate glebæ, maiora præmia præferebat, & molliorem ad arma populum proferre uidebatur.

Normanni qui.

Prisla.

* *



¶ Galliam Haddingus Normannorum Dux, feroci tyrannide infeſtans deprædatur. Italiam tum claſſe inſtructa petit. Caput. ij.

INTER alios uerò, qui claſsis Præfecti poſt Roricum Regem nauigabant, Haddingus quidã Regio ſanguine, ſed feroci animo uir, natus ad arma, fortem exercitũ Dux fortis in Galliam exponebat, prædabundus incedens quocunque ſe uerteret. Eccleſiarum incendia, matronarum ſtupra, puellarum raptus, uirorum neces ſine numero peregit. Diſplicuit illi præda, quam

Haddingus Normannorum Dux, ferox.

quam non sanguis commendabat. Longũ fuerit recensere: quæ Monasteria subuersa: quot trucidati Monachi: quot Virgines Christo sacræ, conculcatę. Captiui pertrahũtur in naues. Stipatur præda nauis capacissima. Ex una raptim Prouincia, in aliã deportatur. Fugiũt, castra quocunque applicant. Sæuissima hominum crudelitas, tantum iniecit terroris regnicolis: ut diu nemo inueniretur, qui exercitum opponeret grassabundis. Iam plenus erat Haddingus spolijs, quæ contraxit ex Gallijs. Maiora interim animo concœpit. Italiam enim incustoditam, uel audierat, uel pręsumebat: in qua contribules sui Longobardi, & ante eos Goti, gens uicina, diu dominabatur. Dignam esse Prouinciã ratus, in qua subigenda omnis labor exanclaretur: Immortale sibi nomen futurum, si ipsam Romam mundi caput, caperet: unde totum nomen uendicarent, qui in Francia & Germania Romani Imperatores dicerentur. Igitur instructa classe, petebat Italiam. Siue magno illo circumitu omnem Hispaniam circumuectus, per mediterraneum mare, à columnis Herculis ingressus Tyrrhenũ intrauerat, Siue terrestri itinere per Gallias in Rhodanũ prouectus, inde inuentis undecunq; nauibus (rem enim in incerto reliquit Antiquitas) Italiam contigerit. Lunam ciuitatem primã habere cœpit in conspectu. Florebat autem ea tempestate in Ligurũ Prouincia ad mare. Eamq; arbitratus Romam: quòd non mediocris inter urbes Italiæ tum Luna esset: magnitudine nominis stupefactus, dolo magis, quàm ui agẽdum arbitratus est.



¶ Haddingi solers Legatio ad Lunenses missa, plena dolo. Caput. iiij.

ANNVS erat à Christi exortu tẽporali, post Octingẽtesimũ quinquagesimus septimus, cùm (ut ait Sigibertus) Normanni inter Hispaniam & Aphricã nauigantes, ingrediuntur Rhodanum, depopulatisq; ciuitatibus ac monasterijs, in Insulam quę Camaria dicitur peruenerũt. Hanc ego interpretor esse nauigationem, quam describimus. Absoluit enim hic testis, quod supra in quęstione reliquimus, eos in Italiam transeuntes, inter Hispaniam & Aphricã, hoc est, per Mediterraneũ nauigasse. Quamuis & hoc non incongruè possit accipi, Normannos per Galliam, pedestri itinere mouentes, in Rhodano reperisse naues, quibus conscensis, ex hoc fluuio Ligusticũ mare petentes, Lunam ciuitatem Italiæ primam habuerint in conspectu. Igitnr cùm Romam se uidere putaret Haddingus, delegit uiros linguæ gnaros, quos in urbem ad loci Præsides misit Oratores. Illi uiam emensi, ad Episcopum loci, Comitemq; Prouinciæ perueniunt, Mandataq; exponentes, pacem præfantur,

Cap. prox.

fantur, ac amicis falutem. Venimus inquiunt, Dania forte pulfi. quòd terra multitudinem hominum non caperet. Maria multa tranfeuntes, Franciam primã ingredimur pacifici: Indecp eiecti armis, errauimus. Tempeftatibus acti, incognitam nobis regionem ueftrã appulimus. Nihil à uobis, nifi hofpitalem terram depofcimus. Sunt nobis æra nõ pauca, commeatibus comparandis. A mari terris expofitos, paulum refpirare phas fit. Senior nofter, quẽ Principis loco colimus, iam ætate feffus, ac uiribus defectus, maris tædio fractus: facris initiari, facrum Baptifmatis fontem depofcit. Qua de re in Francia manens intellexit: de mundo iam tranfiturus. Si quid in hac terra pium eft, miferefcite. Plura dicturis, Pontifex interloquitur. Non eft noftræ inquit Religionis, quemquàm pietatis lauacro prohibere: aut diu prȩcantem fufpendere. Inuitamus difsimulantes: fuademus reluctantibus. Si ea res cordi uobis eft, Principem ueftrũ producite. Tellus hofpitalis fit uobis. Commercia rerum omnium pacificis non negamus. Præproperum fermonem elicuit: & gentis formidata fæuitia, & pietatis officiũ, quod præferebant, implorantes. Facilè enim fuit, præcantibus permittere, quod ui poterant extorquere repulfi.



¶ Haddingus fimulatè baptifatur, uti decrepitus fe mortuum fingit: exequijs celebrandis, tomba exurgit: urbem deprædatus, incenfamcp, in Franciam redit. Caput. iiij.

IGITVR magno apparatu Lauacrum in Ecclefia prȩparatur. Circumftant Primarij urbis uiri, & fœminæ. Spectaculũ gerebatur: cernere uirum Barbaræ nationis Principem, ad facra Chrifti properantem. Vbi cuncta ex fententia conftiterant: prodibat auro fultus & oftro Princeps Haddingus, baculo innixus, uix debilem (ut fimulabat) greffum trahens. Magnus ordo præibat iuuenum honefta facie ac uefte. Maior uallabat circulus propinquorũ militum, & Præfectorum. Ventum eft ad Baptifterij locum. Ibi folenni ritu facris initiatus, lauacrum corpore, non corde perfenfit. Quippe dolum uerfabat in animo. Iam fpeculatus Vrbem: pacificus uti uenerat, redibat in naues, inter manus deportatus famulorum. Proxima luce fama egreditur: morte functũ Principem. Simulatur luctus in toto exercitu grauis. Rumor diffunditur per urbem: benè cum illo actũ. cùm lotus facro Baptifmatis fonte, purus euolauerit ad æthera. Procedunt pullati ex Primoribus: locum pofcunt fepulturæ infigni parte templi. Non mediocria feciffe Legata narratur Ecclefijs: Arma, & Cornupedem, cum auro plurimo, & gemmis. Non difficulter impetrant. Parantur in Vrbe Regio more funeralia. Tota ad exequias concurrit turba ciui

tatis. Feretro armatus imponitur. Omnis exercitus in armis Principē suum ad tumulum consequitur. Pietatis sunt uisa obsequia: & ne ciuitas terreatur, illum se ritum in gente sua Principis tumulandi mentiuntur. Nemo dolum suspicatur in luctu. Ea facies erat omnium: ut nihil minus, quàm insidias cogitare uiderentur. Procedit funus. Omnis in officio pietatis ciuitas fuit. Mœstus in armis sequitur exercitus. Pontifex sacris indutus, diuinum peragere parabat officium. Ad exequiarū cultum omnes respexere. Feretrū deponitur auro fulgens. Operimentum detrahitur. Armatus exurgit Haddingus: dat Signum militibus. Primus ipse gladio ferit astantes. Ibi luctus simulatus ab exercitu, in uerum Vrbis luctum conuertitur. Sternuntur passim sacra cum profanis. Antistes loci corruit. Viri, fœminę, senes, pueri, clerus, laici sine discrimine proteruntur. Rapiuntur uasa sacra, uestes prçciosæ, & quicquid usquàm uel in templis, uel in ædibus prçcio erat abducitur. Captiui in naues, puellæ, matronæ, cum præda deferuntur. Exusta ciuitas, & in perniciem data, luebat pœnam facilis credulitatis. Haddingus præda onustus, regreditur in Franciam. Romam diu sibi uisus est protriuisse: donec errore cognito, demitteret animos. Itaq; in Franciā rediens: inito cum Rege Francorum pacto (Carolus Caluus hic erat) Carnotum, cum uicinis agris accæpit habitandum: ut in reliquū Regi militaret, Christianis sacris initiatus. Bior autem, quā hactenus puerum Regem circumduxit: cum præda in patriam reuersurus abibat. Sed magna suorum parte amissa naufragio: eiectus concessit in Frisiam: ibiq; decessit. Haddingus autem permissis locis habitans, ibi pacatus perdurauit usquè in tempora Rollonis. Qui post ueniens, omnē Neustriam de suo, ac suorum nomine, Normandiā appellauit. Quod suo loco & ordine commemorabimus.

¶ Dani & Noruegi licet præda Gallica inescati essent, hac tamen non satiati, multas alias & urbes & Regiones, uagabundi depopulantur. Caput. v.



EX HAC die posteaquàm gustata Galliarum dulcedine, sedes ibi cœpissent habere Normanni: nunquàm destiterunt alij atq; alij Duces, collectis ex Dania, Noruagiaq; militibus, Franciam infestare. Monasterium S. Vualarici, & Sanorabicum Ambianorum ciuitatem, circa annum .lxij. post octingentesimum (ut Sigibertus commemorat) aliaquè uicina loca rapinis & incendijs fœdarunt. Sunt autem hæ regiones Picardiæ, inter Flandriam, Parisiumquè ad maris litBatauia, Selandia. tora. Deinde insulam Rheni Batauiam, quæ nunc Selandia dicitur, simili feruore inuadunt. Nouiomum noctu ingressi, Innuonem Episcopum loci, cum alijs Nobilibus, tàm clericis quàm laicis capiunt: &

uastata ciuitate, secum abducunt: atque in itinere interficiunt. Tertio dehinc anno, qui fuit. lxv. post Octingentos, Normanni in Suma fluuio commanentes: receptis obsidibus ab uicina gente, ut in fide permaneant: ad Anglos Saxones in Angliam nauigant. A quibus repulsi, quo quouersum fluctuant. Ad Rhodanum usquè peruenere: & ad Valentiam ciuitatem, quæ est in mediterraneo ad Hispaniã, prædando perducuntur. Qua urbe in prædam distracta, in Insulam in Rhodano, quam suæ mansioni firmauerant, reuertuntur. Inde etiam Italiam repetunt: & Pisas ciuitatem, aliasque capiunt, & deuastant. Año qui proximus erat, ad Luteciam Parisiorum reuertuntur: et Ecclesiam Sancti Vincentij, ac Germani incendio consumunt. Negociatoresque per Sequanam fugientes, insequuntur: & capiunt. Alij quoque Normannorum Taruanensium pagum adeunt: & deuastant: cùm ex Anglia reuerterentur. Deinde Duce Vuelando, ducentis nauibus Sequanam inuadunt: & castellum in insula quæ Oscellus dicitur, obsident. Sed quinque milibus librarum argenti accæptis, se redimunt. Hanc illis pecuniam Carolus Caluus Imperator Romani populi, de Regno Franciæ persolui procurauit. Multis deinde uicibus ac locis populatione intentata proficiunt. Anno post tertio Coloniã Agrippinam in prædam diripiunt. Dorstadium per Albim Frisonum confugiunt: uastantquè. Ad castellum Vornesium prædabundi perueniunt: onusta præda reuertuntur. Post duos inde annos, in Ligerim fluuium ascenderunt: Monasterium Floriacense deuastant. Aureliani urbem, cum Ecclesijs incendunt. Ecclesiam tamen S. Crucis, multum instantibus flammæ Normannis, incendere nõ poterant. Ad Pictauim ciuitatem eo tempore prædabundi perueniunt: & ingruente iam hyeme, Insulam, quam stationi suæ firmauerant, ibi hyematuri repetunt.

Valentia prædatur.

Colonia prædatur.



¶ Carolus Franciæ Rex, indicta per regnum exactione, Normannos (licet frustra) ære placat. Caput. vi.

CAROLVS Francorum Rex, cognomento Caluus: qui postea ad Romanũ peruenit Imperiũ. Anno. lxix. post Octingentos: cùm Normanni Regno eius intolerabiles imminerent: nec armis repelli possent: Auro, quàm Armis decertare maluit. Quatuor enim milia auri talenta depactus est: ut incendijs, prædis, & cædibus abstinerent. Et indicta Collatione per Regnũ suum, ad exoluendum tributum: de quoquè manso Ingenui denarios sex, de seruili tres, de accolis unus, de duobus hospitio receptis unus: & decima de mercibus negociatorũ: sed de Presbyteris quoque secundum uires cuiusque patrimonij uectigal exigitur. Inde uerò de singulis Mansis, tàm ingenui, quàm seruili, denarius unus. Et cùm nec sic sum-

Anno Christi. 869.

Exactionis modus.

ma impleretur: geminatis insuper uiribus hæc pensa persoluūtur. Regni quoq; Primores ad Collectam uocantur, ad facultatum suarū pondus: ut æs conficiatur Normannus numerandum. In argento, auro, uino constituta erat portio. Prçterea & mancipia à Normannis capta, quæ post initum pactum profugerant: aut reddita, aut eorum æstimatione sunt redempta. Et si quis ex Normannis cæsus prætenderetur: magno ære luebatur. Is tum metus erat huius in Gallijs nationis. Eodem Anno, mense Iulio, Normanni mare ingrediuntur: & pars quædam usq; in Italiam nauigauit. Quidam uerò commixti Britonibus circiter quadringenti, de Ligeri equites progressi. Cenomannis urbe potiuntur: qua in prædam distracta, cùm onusti inde reuerterentur: obuium habuêre cuneum Gallicanorum militum: quorum Ductores Robertus, Raginulfus, Godfridus, atq; Henricus Comites. Sed ea tū, quæ semper aliâs Gallorum uis erat, cæsi plæriq;: alij ad mortem uulnerati: omnes uicti sunt & dissipati. Proximo deinde anno, Hugo Abbas, cui cognomen dederat præsumptio: quòd se Monasteriorū Præsidem diceret: & Ganfridus, cum Transequanis, se Normannis obiecere in Ligeri: & collata manu, paucos inde peremerunt. Captus ibi Monachus apostata: qui se Normañis coniunxit, illos crudelitate exuperans, capite plexus est. Sed Normanni nihil minus digrassati: incolis terræ pacem uendiderunt, auro, argento, ueste, uino, pane in prçcium receptis. Misera Francia: quæ uiros tum fortes non haberet.

Cenomannis prædat.

Abbas capite plectit.

¶ Andegauensem urbem Normaños inhabitantes Rex Carolus ui obsessos, conditionibus abegit. Germaniam inuadentes, à Ludouico Rege cæduntur. Tum Saxoniam deuastant. Caput. vij.



ANDEGAVENSEM per hæc tempora urbem Normanni habitandam cœpere. Iam enim quiescendum sibi putauerunt. Sed Carolus Franciæ Rex Caluus cognomento, iuncto sibi Salome Britonum Rege, uallabant hostes obsidione durissima. Eas conditiones tum sunt accipere cōacti quas Carolus præscripsit. Nam datis obsidibus, abierunt: relicta ciuitate libera. Hoc autem abeuntes à Rege poscunt, Liceat Insulam proximam ad paucos dies incolere, ibique commeatu iuuari. Interim qui inter illos fuere Christiani, possint ad Regem reuerti. Qui uerò Paganismo relicto, fidem Christi uellent profiteri, eos quoq; non respuendos. Cæteri quibus induratum esset cor, suas sedes nulla interposita mora repeterent. Interim uerò cùm littora quoquè Germaniæ tentanda putarent, à Regno Ludouici Germaniæ Regis tributa poscentes, ab exercitu eius pulsi cędunt, nihil præter uulnera

ter uulnera & neces in lucro portantes. Illo autem iam subtracto (obierat enim. lxxvi. post Octingentos) effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam ille Normannos gentem ferocissimam, fœderibus ac bellis compressos, eo modo continuit: ut cùm Franciam totam uastauerint, Regnum eius uel minimo læserint. Morte autem absumpto Rege, magnis uiribus Albi flumine transmisso, Saxoniam petiuerunt: & crudeliter uastauerunt. Bruno Dux Saxoniæ cæsus, cum alijs duodecim Comitibus. Tiadericus, et Marquardus Episcopi obtrūcati. Quā rem quia in Saxonia, et Metropoli sumus executi: hoc tantùm loco attigisse saltem satis sit. Sed hoc silentio transire non possumus, quòd ex hoc loco imperitis nata est fabula, quam magnis & inflatis buccis circumlatant. Cæsum, coronatumq; martyrio Papam Benedictum, & cū eo Episcopos, Duces, & Comites: & ex eo loco cædis, transuectas in Ebbestorp cæsorum reliquias. Vbi paucis in uerbis, multa sunt mendacia. Non enim cæsus Hamburgen. Papa, sed in pace quieuit antipapa. Nec cum eo Duces, Comites, & Episcopi perierunt. Venit enim missus in exiliū. Sed Dux cum Comitibus & Episcopis in Ebbestorp Normannis conflictatus, pro Christo cæsus est. ut non illuc aduectæ reliquiæ, sed in loco cædis tumulatæ agnoscantur. Sed hæc quia plenius in suis locis diximus, hic tantum tenuiter attingimus.

Ludouici mors.

Saxonia de uastatur.

Saxoniæ li. 2. cap. 31.

¶ Debacchantes passim Normannos, Frisij ad decem milia, & suprà trucidant. Caput. viij.



VO etiam tempore Frisia populata est. Traiectum ciuitas excisa. S. Rabodus urbis Episcopus cedens persecutioni, Dauentriæ sedem constituit. Ibiq; moratus, anathematis gladio Paganos ultus est. Tunc Piratæ Coloniam, & Treueros incenderunt. Aquisgrani palatium, stabulum equis suis fecerunt. Moguncia uerò propter metum Barbarorū, instaurari cœpit. Quid multa? Vrbes cum ciuibus ipsis, totóq; grege habitantium obruti sunt: Ecclesiæ illustres cum fidelibus incensæ. Ludouicus aūt Imperator eius nominis Secundus, Lotharij filius, cū Normannis feliciter pugnauit. Interea Rembertus Hamburgen. Archiepiscopus, ad redemptionem captiuorum: cunctis quæ habebat expensis (cū multos apud Paganos adhuc miserabiliter detentos cerneret) Altaris etiam uasa non dubitauit impendere: dicens, melius fore, Domino animas, quàm aurū seruare. Quo tempore Normanni diuino nimirū iudicio, ad quendam Frisiæ pagū perueniunt: qui in remotis, ac mari magno uicinis locis situs est, quem igni, ferróq; subuertere cōnisi sunt. Erat tum illic Episcopus Rimbertus: cuius exhortationibus & doctrina confortati Frisij, hostibus congrediuntur: & prostrauerunt ex eis plus quàm decem milia:

Ludouicus Imp. II.

Pietas Christiana.

10000 Normannorū cæsi

multo etiam pluribus, dum fugæ præsidium quærerent. in transitu uadorum enecatis. Normãni plagam, quam in Frisia acceperant, in totum Imperium ulturi: cum Regibus Sigfrido, & Godfrido, per Rhenum & Mosam, et Scaldam fluuios Galliam inuadentes, miserabili cęde Christianos obtruncarunt. Ipsumq; Regem Carolum, bello petentes, ludibrio penè habuerunt. In Angliam quoq; unum ex suis misêre Haldanum. Qui dum ab Anglis cęsus esset: surrogatur Gundredus. Is autem Nordtumbriam expugnauit. Atq; ex illo tempore Frisia, & Anglia in ditione Danorum fuisse feruntur.



¶ Cæduntur à Franciæ Regibus 90000 Normannorum, Godfridus eorum Rex Baptisatus, fidem non seruat. Caput. ix.

CVM Ludouici Balbi Francorum Regis impuberes filij Regnum tenerent, circa Annum Christi. lxxx. post octingentos. Normanni ad flumen Ligerim infestis incursionibus grassantes, prædas agere, ad Reges fratres deferuntur querimoniæ. Qui magna militum contracta multitudine, in hostem prodeuntes: Normannos notabili strage afficiunt: nouem milibus occisis: quam pluribus etiam in Viennæ fluuio demersis. Paruo autem post tempore, dum Viennam obsidet Ludouicus Rex, per nuncios certior factus de Normannorum incursione: Carolo Lotharij filio ad obsidionem relicto, aduersus Normannos se conuertit. Gens enim barbara, & Christianam adhuc gratiam exosa fuit. Igitur commisso accerrimè pręlio: Ludouicus Normannos in fugam uertit, multis occisis. Reuertente autem ab hoste uictore exercitu: tum effusa fuga Franci dissipati sunt, ut uictis similes uiderentur. Reuocato autem ex fuga milite, Ludouicus iterum in Normannos bellum instaurans: cùm dissipato milite, raros corporis sui custodes circum se haberet: uenit Compendium. Insurgentibus iterum Normannis, & per Ligeris ripas prædas agentibus: Theoderico uiro militari, copias attribuit, qui Normannos pręlio adoriretur. Ipse non multo post Turonum profectus, Britonum non paruam manum ad id bellum mittit. Morte autẽ sublato Ludouico: Carolus Rex suscęptum in Normannos bellum prosequitur. Quo tempore Normanni in Campaniam usq; Galliarum irruperunt: multis Vrbibus, Templisq; direptis, atq; incensis. Altera interim ferocissimæ gentis manus, Duce Astango, Ligeri traiecto, ad Maternam consedit: in quam Carolus duxit expeditionem. Sed animo propè contabuit: cùm hostem haberet in prospectu. Qua de re fœdus, pacemq; inijt cum gente: si modo Godfridus eius gentis Princeps, Christi fidem profiteretur. Conditione nõ reiecta; Godfridus simul cum

9000 Normãni cadũt.

Ludouici mors.

Godfridus baptisatur.

mul cū Babtismate, spiritalis regenerationis, Frisiam omnē à Rege dono accepit: donatus insuper magnis muneribus. Vbi Frisiam incolere castris permissus est, in perniciem Regni: nō longè post xl. milibus armatorū instructus, Parisium circumuallat. At uiriliter agentibus oppidanis, Ganselmo quoq; Antistite, & Eudone Comite (qui Regnū postea administrauit) adueniente: cùm obsidio hosti nō procederet, eā soluens, Laudunū urbem in edito colle positam inuadit. Inde agrū Nouiomensem, atq; Suessionensem populati, Remos Normañi adoriūtur. Quib. rebus indignatus Rex Carolus: aduersus illos ex Vuormacia, ubi Conuentū habebat, iterū insurgit, et egregio nisu prœliat. Sternit, occidit: fugatq;. Sed tamē neq; sic auertere potuit digrassantes



¶ Cædes, incendia, strages, & depopulationes Normannorum, per Franciam passim. Mosam Germaniæ usq; narrantur. Caput x.

HÆC sunt illa turbulētissima Franciç Regni tempora: qbus (ut ait Sigibertus) Normanni, iunctis sibi Danis, Franciam, et Lotharingiam peruagantes, Ambianin, Attrebatū, Corbeiam, Cameracum, Taruenam, fines Morinorū, Menapiorum, Brabantinorum, omnemq; circa Scaldim fluuium terram, Monasteria Sanctorū Vualarici, Richarij ferro & igne fœdant. Inde Vualam fluuiū ingressi, totam Batauiam, palatium etiam Neomagi incenderunt. Quo tempore Godfridus et Sigifridus Reges Normannorum, cum inæstimabili multitudine iuxta Mosam in locò Hasban considentes, Leodium, Traiectū, Tungros, Coloniam, Agrippinam, Bunnam, cū adiacentibus castellis exurunt. Aquisgrani in palatio equos stabulantes, oppidum & palatiū incendunt. Prçterea monasterium Vualmūdarium. Sacri ordinis in utroq; sexu ministri ubi poterant latuêre; & Sanctorū reliquias locis tutioribus abdebant. Vrbē Treuerim quoq; incendunt. Et Metim usq; pertendunt, ibiq; conserto prçlio, Christianos uincūt. In quo Vualo Metensiū prçsul cæsus est. Añus erat lxxxi. post Octingētos, cùm Ludouicus, Ludouici Germaniç Regis filius, Caroli Imperatoris, & Carolomanni Regis frater, cōtra Normannos (qui Corbeiæ Monasteriū, & Ambianin ciuitatē, aliaq; S. loca occupauerant) obuiā profectus est: castello firmato apud Cōpendiū, Natiuitatem Domini, & S. Pasca celebrauit. Quo tempore Gandaui, Christi hostes hyemarūt. Deinde Tornacum ciuitatē, & omnia Monasteria supra Scaldim fluuiū ferro et igne subuerterunt: interfectis accolis terrç, aut captiuatis. Deinde sedē sibi mutauerūt: et Coceriacū castrū sibi ad hyemandū firmāt. Inde Menapios, et quosq; obuios ad internecionē delent: omnēq; terrā incendio deformant. Quo etiam tempore

ante Sithim Monasteriũ ingressi cum infinita multitudine: ipsum op pidum cum Ecclesijs cremauerunt. Excępta S. Otmari Ecclesia: quæ Dei prouidentia erat communita. At Normanni interfectis omnibus quos inuenire poterant: omnem terram usq; Sumam peruagati sunt: & capta præda hominum & pecudum infinita multitudine, abierũt. Inde Cameracũ ingressi, incendijs & cæde ciuitatẽ deformant: & onusti præda, ad sua castra reuertuntur. Inde circa Purificationem iterum mouentes, per Teruannam iter capiunt: & usq; Centula, Monasteriũ S. Richarij, & S. Vualrici, ac omnia loca circa mare, Monasteria, et uicos (quæ hodiè Picardia est) subuertunt. Inde Ambianin ciuitatem, atq; Corbeiam peruagantes, multis onusti prædis, sine impedimento ad sua repedauêre castra. Postea autem mense Februario, Attrebatũ inuadũt; & obuios omnes perdunt. Interim Ludouicus Rex graui dolore angebat. Conuocat exercitũ: præparatq; se ad præliũ. Normañi uerò mense Iulio, nouis copijs fluuiũ Sumam transierũt; & omnia uastantes, usq; ad Beluagorũ ciuitatem perueniunt. Quibus Rex obuius, prælium inijt. Normanni terga uertunt. Quos Rex insecutus, gloriosissimè de illis triumphauit. Illi uerò per Gandauum redeuntes, reparatis nauibus, terra mariq; iter facientes, Mosam sunt ingressi, & in Hasloi sedem firmant, ad hyemandum, castris firmiter communitis.



¶ Inito bis fœdere, numerato item ære magno, Normanni fidem frangunt, crudelissimè Christianos debacchantes. Carolomannus uenabulo læsus, uitam soluit. Caput. xi.

IMPERATOR Carolus eius nominis Tertius, filius Ludouici Germanorũ Regis, exercitum congregauit: et Normannos in Haslai obsedit. Godfridus gentis Rex ad Imperatorẽ exit: interposita publica fide. Pactusq; Frisiam, quam olim Roricus tenuit: ac Gislam filiam Lotharij quondã Regis: & ipse baptisatus, & ab Imperatore de fonte sacro leuatus est. Sigefrido quoq; munerato, eos à suo fecit abire Regno. Qui mox Franciam repetentes, à Carolomanno Francorum Rege, cùm per Terracinam iter agerent: Isam transeuntes, in Analle comprensi, commisso prælio sunt uicti. Cęciderũtq; ex illis uiri mille. At nihil eos pugna hæc perdomuit. Nam ad naues conuersi: omne Regnum ferro & igne uastant: & Ecclesijs, incolisq; terrę deletis, Verimandis perueniunt. Vbi Ecclesiam S. Quintini incenderũt: & Ecclesiam S. Marię in Attrebato ciuitate. Et Octobrio mense finiente, Lanetum equites, peditesq; cum multo ueniũt apparatu bellico. Naues quoq; è mari Sumam fluuiũ ingressæ, Regem, cunctumq; exercitũ eius fugere compulerunt: atq; Hisam fluuiũ transire fecerũt.

Ciuitatem

Ciuitatem Ambianin captam, sibi ad hyemandum firmauerunt. Franci uidentes, Normañorum res in omnibus prosperari: quendam uirũ prudentem, cui Christiano nomen erat, mittũt ad illos Oratorem: qui cum illis de Regni redemptione cautè ageret. Venit Beluagum: & inde Ambianin profectus, ad agendũ iniunctum mandatum. Normanni interim non cessant cædere populum Christianum: atq; Ecclesias, destructis uillis, subruere. Per omnes enim uicos iactabant insepulta Christianorum corpora, promiscuè cleri ac populi, iuuenũ, uirginũ, puerorũ lactentium. Non erat uia, aut locus, quo non spargerentur occisorum cadauera. Tribulatio grauis, & sine exemplo calamitas infinita. Interim Franciæ Primores inito consilio: Danici generis uirũ Christianum, Regiq; fidelem, nepotem Rorici Dani, mittunt ad Normannos: ut tributum accipientes, Regno abirent. Illi ad summam. xij. milia argenti talenta pacti, abituros se pollicentur. Et datis inuicem obsidibus, aliquandiu pacati consederũt. Deinde trans Scaldim ire cœperunt. Ibiq; direptis & incensis omnibus: urbes, oppida, castella, Monasteria, Ecclesias pari calamitate afflixerunt. Post sanctum igitur Pasca Franci incipiunt æra promissa persoluere. Spoliantur Ecclesiæ, & ecclesiastica mancipia. Tandem constituto ære iam persoluto, mense Octobri finiente, adunantur Franci: ut etiam si fidem promissam uiolarent, armis contrairent. Illi uerò sua castra incendunt. Rex cum expedito agmine, transito Hisa flumine, lento eos gradu insequitur. Normanni iter agentes, Bononiam ueniunt. Vrbs est ad mare Britannicũ: sita in ea quæ nunc est Picardia. Inde pars mare inijt: & pars altera Lonanium, in Regno quondam Lotharij, castra ad hyemandũ firmant. Carolomannus deinde Rex, cùm in sylua Basin uenatui indulgeret: aprumq; acrius insectaretur: quidam è suis Bartholdus nomine, cùm illi auxiliator astaret, casu Regem uenabulo in tibia uulnerauit. Quo accepto uulnere, septem duntaxat diebus superuixit: atq; eodem in loco defunctus est, Anno ætatis suæ. xviij. Sepultus in Ecclesia Sancti Dionysij martiris.

Orator Francorũ.

Impietas merè crudelis.

12. milia talentorũ argenti tribuunt Franci.

¶ Parisium Normanni ui obtinent. Caput. xij.

IMPERATOR Carolus, Carolomanno fratre mortuo, uenit Pontionum. Ibiq; occurrentes Franci, eum Regem suum agnouerunt. Et inde redijt in terram suam. Tunc Normanni absente Rege, sæuire iterum cœperunt: arbitrati, Rege defuncto pacta finita. Franci opportunis locis firmarunt præsidia: ut à mari ingressum illis interdicant. Arcem ædificant ad fluuium Hisam, in loco qui dicitur ad Pontem Hisæ: quam Aletranno Præfecto mandant custodiendam. Normanni uerò mense Nouembri Hisam ingressi,

Arcem

Arcem obsidione cingunt. Qui tutari uoluere, diffidentes, pacem postulant: pacti abire sine armis. Datis inuicem obsidibus: Aletrannus cum suis uenit Beluacum. Normanni Arcem incenderunt, diripientes quæ inerant. Hac peracta uictoria, Parisiũ petunt: turrimq; aggressi ualdè oppugnant. At Christiani uiriliter eam tuẽtur. Continuataq; est oppugnatio à mane in uesperam: noxq; diremit prælium. Atq; ita Normanni ea nocte regreßi sunt ad naues. Sequenti luce iterum oppugnatio cœpta est in eadem. Fit rursum concertatio ad solis usq; occubitum. Normanni multis suorum amißis, ad naues redeunt: indeq; sibi firmant præsidium aduersus ciuitatem: eamq; obsidionem trahere contendunt: opportunis locis armatos collocantes. Deinde turrim ciuitatis iterum adgreßi, ignem portæ admouent. Qui intus erant, igni dominanti resistere non ualentes, capiuntur: atq; in opprobrium Christianorum, uarijs pœnis afficiuntur: inde in fluuium perturbantur. Euertunt turrim: urbem atrocius oppugnant. Ganselmus Episcopus, dum populum sibi commissum pro uiribus tueri contendit: crebrò cum Normannorum Rege Sigefrido inito colloquio, familiaritatem quandam ad illum conferere uidebatur: ut urbem obsidione liberaret instititit. Perfecisſetq;: nisi diem interea clausisſet extremum. Quo defuncto, ingrauatur oppugnatio. Imperator ubi audiuit: expedito agmine contendit Parisium. At nihil profecit. Illius enim auxilio frustrato, Normanni atrocius sæuientes, & ciuitatem, & arbitriũ redemptionis in sua cœperunt habere potestate: Quodq; illi præfinierunt, ciues implere cogebantur. Sic rebus ab Imperatore non melioratis, ille quidèm in sua reuertitur. Sigefridus autem Normannorum Rex, ciuitate iam relicta in sua potestate: Hisam fluuium ingresſus, terra ac flumine iter facit post eũ, omnia igni, ferroq; consumens. Quod cùm Imperator cognouisſet: festinè redijt in terram suam. Sigefridus autem ubiq; grasſatus: famosißimam illam S. Medardi Ecclesiam igne cõcremauit, & Regia inibi palatia: interfectis, ac captis terrę accolis. Normanni uerò, qui per Sequanam ascenderant à Parisio, cum omni exercitu & supellectili, nauibusq; Hienam fluuium ingreßi, Senonas ciuitatem obsederunt. Sed Euerhardus eius ciuitatis Archiepiscopus, statim cum illis de redemptione urbis egit: & obtinuit pro uoto. Erat autem Annus Christi. Dccc. lxxxvi.

Arcem Hisæ incendũt

Parisium obsident.

Capitur Parisium.

¶ Normannorum Reges ambo mortui. Parisium ex pacto promissum ab Imperatore, Normanni recipiunt. Carolus Regno destituitur. Caput. xiij.



CAROLOMANNO Francorum Rege ex uenatione, ut diximus, mortuo: cuius etiam frater Ludouicus priore

priore anno obierat: Normanni Franciam repetunt: dicentes se cum Rege tantùm Francorum, non cum Francis pepigisse. Hinc compulsi Franci, Carolum Imperatorem in auxilium uocantes, Franciam ei subijciunt. Qui contra Normannos apud Louanium castra metatus: semel, & iterum misit exercitum. At nihil magni, aut Imperatore dignum peregit. Regnauit autem in Francia annis tantùm quinque. Hugo filius Lotharij Regis, ex Vualdrada pellice, paternum Lotharingiæ Regnum, rebellando sperans accipere: Godfrido Normannorũ Regi, cui soror eius Gisla nupta fuerat, suadet: medietate Regni affectati promissa: ut ab Imperatore Imperiales sibi Fiscos adijceret. Imperatorem circumuenire contendens: Si daret, Normanni hostes, ex Regni uisceribus alerentur: Si negaret: iustam rebellandi causam habere uidebantur. Ad eam rem peragendam, misit Imperator Henricum Brabantię Ducem: qui super his rebus tractaret cum Rege Godfrido. Positis autem insidijs, Normañis malignatus perimitur. Nec multo post, Hugo malorũ incentor, ab Henrico excęcatur: nouissimè monachus in Primma attondetur. Inde à Louaniano exeuntes Normanni Parisium obsident. In quos Henricus Dux mouens exercitum: in foueam quam Normanni factam operuerant, præcipitat: ibique trucidatur. Anno proximo, Sigefridus Normannorum Rex, Verno finiente, ad Sequanam redijt, uastatione solita. Et circa Autumni tempora, Frisiam petit: ibique interfectus est. Normanni uerò ingressi Franciam, Parisiũ ab Imperatore promissum, receperũt. Postea Maternam fluuium ingressi, Gansiaco sibi stationem castrensem communiũt. Franci australes, uidentes Imperatoris uires ad regendum Imperium inualidas: eiecto de Regno, Arnulphum, filium Carolomanni, qui eius erat ex fratre nepos, in Regni solium constituunt. Tunc Normanni omnia loca usque ad Mosam, more solito, partemque Burgundiæ uastauerunt: & igne concremarunt. Prius quàm autem Carolus Imperio destitueretur: Normannos littoribus Franciæ propellere non præualens: inito fœdere, concessit eis regiones ultra Sequanam maritimas: quæ Neustria dicitur. Nam & illi Regno non satis parebant: quæ etiam posteriori tẽpore ex hac gente nomen est mutuata: ut Normandia diceretur.

Godfridi mors.

Sigeberti mors.

Carolus Regno Frãciæ ablegat.

¶ Odonis Francorum Regis prima in Normannos uictoria. At Normanni Meldin urbem, cum iactura in deditionem compellunt. Caput. xiiij.



ARNVLPHVS Imperator, Carolomanni filius, patruo suo Carolo ex Imperatore, etiã necessarijs egẽti, Fiscos in Alemannia delegauit. Qui año insequenti obijt.

Romanum

Romanum inde Imperium, & Regnum Francorum miserè decerpitur. In Italia nẽpè Berengarius, & Guido de Regno contendunt. Franci uerò neglecto Carolo, Ludouici Balbi filio, puero uix bimo: Regẽ sibi præficiunt Odonem, filium Roberti Ducis, qui à Normannis fuit occisus. Rodulphus autem corona sibi imposita, Rex Burgundionum constituitur: quod Regnum multo & ante, & post tempore durauit. Odoni autem Francorum Regi, Anno Christi. Dccc.lxxxviij. inopinata contigit uictoria super Oxonam fluuium memoratũ. Nam die nati Baptistę, cum paruo exercitu, Normannorum exercitui obuius factus est super flumen memoratum. Commissoq; prælio, mox uictor extitit. Quæ uictoria illi non modicam autoritatem comparauit simul & gloriam. Post ab Arnulpho Imperatore, conuocatur ad Regni Conuentum Vuormaciæ celebratum. Aderat cum suorum nõ contemnẽda manu: honorificè ab Imperatore susceptus. Factiq; sunt amici: & peractis Placitis, cum honore dimittitur. Interim Normañi Meldis ciuitatem obsidione uallant: machinas instruũt: aggerem comportant ad urbem capiendam. Cumq; obsidionem diu sustinerent: & labore exhausti, ac rebus attenuati essent: nec ullum respexere liberationis auxilium: pacti cum Normannis, deditionem faciunt, abire permissi sine armis. Reserantur portę, fit uia Christianis ut egrederentur, delegatis qui eos quo uellent saluos perducerent. Cumq; amnem Matronam transissent. Normannos eos insecuti comprenderunt: Episcopum cum omni populo tenentes. Indeq; reuersi, igne iniecto ciuitatẽ concremarunt, muros quantum ualuêre subuerterunt. Atq; in eo commorati sunt loco ad Mensem usq; Nouembrem.

Odo Franciæ Rex.



¶ Arnulphus Imp Normannorum castra expugnat. Qui uario passim belli euentu Odoni quoq; congrediuntur: Regem in fugam tandem uertunt.

CAPVT XV.

CIRCA quę tempora Odo Rex congregato exercitu, uenit Parisium, ibiq; castra metatus est propè ciuitatem. ne in ea obsideretur. Normanni uerò per Matronum & Sequanam regressi, indeque terrestri & fluuiali itinere profecti, Limam fluuium ingressi, per latera eius & ripas stationes sibi firmauerunt. Circa Autumni tempora Parisium redierunt. Contra quos Odo Rex uenit, & nuncijs intercurrentibus, munerati sunt ab eo. Reuersi à Parisio, relicta Sequana, per mare nauale iter, & circum latera pedestre atq; equestre agentes, in territorio Constantiæ ciuitatis, circa castrum S. Laudi, sedem sibi faciunt, ipsamq; Arcem oppugnare non cessent. Erat autem Añus Domini. Dccc. lxxxix. Anno deinde proximo, Laudi Arcẽ, interfectis pugnato-

pugnatoribus, Normanni funditus euertentes, terræ coæquant in festiuitate Omnium Sanctorum. Ifsam ingressi, Nouomagium petunt. Odo uerò Rex adunato exercitu, super Islæ ripam consedit: ne Regno eius uiolenti incumberent. Normanni uerò, qui Nouomagi erant, mouentes exercitum usq; Mosam, omnem terram peruagati sunt: Scaldamq; transeuntes, Odo Rex insecutus est. Cõprenditq; eos super Galteram: sed non ut uoluit. Nam dispersi per syluas, euasêre: atq; ad castra sua reuersi sunt. Circa autem Autumnũ relictis castris in Nouomagio, maritima petierunt: ibiq; toto æstiuo tempore immorati sunt: indeq; reuertẽtes, Mosam sunt ingressi. Quod audiens Arnulphus Imperator, uelociter accurrit: eosq; ultra Scaldim, & propè Attrebatum insecutus est. Sed non comprehendit. Inde rediit in Regnum suũ. Normanni uerò, qui Nouomagio inerrabant: mense Nouembri iter ingrediuntur: & Ambiam sibi sedem firmauerunt. Arnulphus Imp. iterum adunato exercitu, uenit aduersus eos: et Deo se protegente, castra eorũ expugnauit. Arcemq; cępit: interfecta magna eorum multitudine. Atq; hac potitus uictoria, redit in Regnũ suum. Normanni aũt qui huc, illucq; dispersi fuerant: in eodem loco renouant præsidium. Odo aũt Rex contractis copiis, Aurelianũ concedit: sed nihil prosperè peregit. Verũ posthac in pago Viromandensi, ob uigilum inertiam accępit incõmodum. Nam superuenientes Normãni, eum in fugam protruserunt. Annus hic erat. xci. Quo tempore Normanni per Autumnum Mare sunt ingressi.

Cæduntur Normanni ab Imp. Arnulpho.



¶ Rollo classis Normanniæ præfectus, Angliam fortuna dextera partim deuincit, & prædatur. Cap. xvi.

ANNVS erat post natum Christũ. DCCC. XCV. cùm in Romano Imperio Arnulphus erat. Magna classis Normãnorum, Danorũq; finibus expedita: armis uirisq; instructa, Franciæ littora legit. Quam in facinus memorandum multa stimulabant: amor prędæ, magni nominis gloria, & gentilium suorũ per Daniam & Noruagiã memoria celebrata: qui post militiæ laborẽ, in Galliis optatas sedes consecuti, cõposita pace beati quiescerent. Erat huic classi pręfectus uir magno genere, maiori animo ac fiducia Rollo: qui fratrem intestino gentis suæ bello nuper amiserat, quod Regi suo fratres, pro magnitudine fortunę suspecti haberentur: ausi etiam Regi bello obuiam ire: sed ubi fortunam tentare statuerũt, congressi bello, alter cecidit ex fratribus. Hic uerò quẽ scribimus Rollo, instructa classe, maris pericula statuit pertentare, quòd non satis securus in Regno ageret: quæ una uel maxima causa fuit, classem perarmandi: fortunamq; pertentandi. Prima uerò Angliam contigit nauigatio:

Rollo Dux Normañ.

gatio: ueterem Danici Regni palestram: in qua multi Danorũ Proceres fortunam tentauêre: nonnulli ad sceptra peruenerunt, si non totius Regni, magnæ tamen partis. Siquidem in Anglia ab initio, nõ uno ut nunc sceptro regebatur. Erat Anglorum Saxonum, sua Prouincia: quę toti tamen Insulæ postea nomen dedit. Erat & Marciorũ Regnũ inde diuisum. Sed Nordhumbrorũ natio Regẽ fouebat. Et Pictones, & Scoti eadẽ insula suas ditiones defenderant. Danis autem in Nordhumbris crebrior erat conuersatio. Eam tum gentem adortus Rollo: cùm copias in terram exposuisset: nauibus nihilominus in tuta reductis, castra cœpit metari, atq; firmare. Inde progressus, prædam circũegit opimam. Conglobati habitatores, hostibus obuiam ire pergunt. Audent conferere manus. Sed nihil erat quod ferociam gentis ab Aquilone missæ, posit æquiparare. Cæduntur Angli: & retrò ferentes pedem, in tuta se recipiunt. Renouata denuò pugna, nihilo fortuna fuit. Dani ac Normanni quoties collibuit egresi: hominũ atq; pecudũ, cæterarumq; rerũ prædam comportabant: stipabantq; naues omniũ generũ captis rebus. Tum Rolloni Duci incertum cœpit esse: fluctuabatq; animo, quid mallet. Locupletatos præda, reducere in patriam amor quidèm fuit: sed terruit Regis in se indignatio. Franciam petere, cupido traxit: sed terruit nouum in eam gentem de prælio periculum. Angliam in deditionem accipere, mens inclinauit: sed nondum molem Regij exercitus erat expertus.

Angliæ ab initio partitio.

Cæduntur Angli.



¶ Somnium Rollo uidet. fœlix hoc illi interpretatum, Legationem ad Angliæ Regem Alstenum, cum mandatis mittit. Caput. xvij.

Cvm hac fluctuatione uacillaret: Somnus dubitantem corripuit. Vidit se in regione Franciæ sublimi colle considere: caput obiectantẽ flumini, quod montis supercilio demanabat. Subtus ad collis latera, atq; pedem montis, uariorum generum uolucres, eodem de flumine tingi. Sinistras alas habuere rufas. Tum expleta lotione, pastũ cunctas unà capere: indeq; subuolantes nidificare: ac tempore expleto, prolem educere. Cùm expergisceretur: uehementer motus est uisionis nouitate. In medio Magnatum consultans: quid uiderit exponit. Nõ erat qui rem interpretaretur. Visum est: ex captiuis Anglicis aduocare Christicolas. quòd id genus hominum quę ipsi nescirent, callere putaretur. Erat in captiuis uir industrius: qui diuinitus Duci monstrata doceret: suarum rerũ, ac gentis totius, felicem exitum in Francia. Quòd terram esset accæpturus in possesionem quietam, sublimis gloria: & Religionem lauacri Baptismalis, cum omni gente sua subiturus: ibiq; pace quieta, cum omni sua, suorumq; posteritate perman-

Rollo Dux Somnium Rollonis.

Interpretatio somnij.

permanfurus. Placuit interpretatio Rolloni. quòd uifioni allubefcere, & fpei fuæ conformis uideretur: facileq; credidit quod optabat. Igitur conftituit, rebus omnibus pofthabitis, Franciam petere. Sed quoniam magnas iam res in Anglia peregerat: uoluit fortunam fequi ducem: Regemq; priusquàm abiret, Legatione miffa ftatuit pertentare. ut fi pronum in fœdus inueniret, haberet præfidium cafuum futurorum. Sin minus: inftituto tamen itinere, nauigationem decretam iniret. Viros itaq; delegit induftrios: quos ad Regem Angliç Alftenum, uirum fide & religione præcipuum, mitteret: cum mandatis huiufcemodi. Extrufi patria, exilio terras petiuimus. Exeuntes fecuti funt plurimi: qui nos ad repetendam, ferroq; uendicandam patriã animarent: uiribus inftruerent: & plurima fpe nos firmarẽt ad uictoriam. Quod cùm animo uolueremus, armis amiffam Patriam repetere: turbo nos difpulit in portus Anglicos. Vbi tempeftiuum nauigationi tempus demorantes, brumalis rigor corripuit. Noftros in terram emendi cõmeatus gratia egreffos, incolæ malè mulctarunt: uiros ad arma natos, atq; innutritos, iniuria mouit defenfionem parare. Ita inter paucos, lęuibus prælijs certatum eft. Princeps, ac fenior nofter Rollo, à te pacem poftulat: terram permitti hofpitalem: commeatibus neceffaria pręcio parari. Hæc ubi admiferis, pacatus fedebit: uernum tempus ad nauigandum expectaturus. Legationis fumma.

¶ Alftenus Anglorum Rex, cum Rollone perpetuum fœdus init. Caput. xviij.



ALSTENVS Rex non ignarus Danicæ ferocitatis: quantis agminib. latera pręmeret Anglici littoris: promptus concefsit quod rogabatur. Sed & comitatem adiecit: Nõ folùm (inquiens) hofpes permitto quod efflagitas: uerùm Ducem ueftrũ cominus confpicere cupido incefsit. Non dedignetur fubire tecta, manfionesq; noftras, in quibus amicifsimos experietur. Ea ubi renunciata funt Rolloni: parat comitatũ non contemnendũ. Deligit uiros proceritate confpicuos, & ingenio non fegnes. Regi promptus occurrit. Excipitur comiter. Dona profert: fed maiora recipit. Tum confidentes, fermonem contulere. Prior Alftenus Rex. Ego te inquit Rollo Dux fortifsimè, lætus in his ędibus confpicio. Fama gentis tuæ nobis cõperta eft. Martium genus arma tractatis inuictifsima. Sed neq; tu inter præclaros uiros latuifti. Comperta funt nobis fortia facta. Libet taliũ uirorũ inire familiaritatem. Habes in confpectu Regnum uniuerfum: delige tibi, tuisq; fedes perpetuæ manfionis: fœdusquè ineamus fempiternũ. Promifsis lætus Rollo, refpondit. Ego exhibitionis tuæ magna promiffa Rex optimè, potẽtifsiméq; magnifacio: Rex Rolloni. Rollo Regi.

dent modo Superi desyderatos Rerum exitus. Tibi semper deditissimus permaneo. Si quando rebus fortuna, uotisq; aspiret: non ingratus tantæ in nos humanitati uidebor. Regno tuo considere, etiam si animus ferat, & inuitet dignatio humanitatis tuæ: fata tamen non sinunt. Constitutū habeo, idq; certus implebo, Franciam inuisère. Magniq; facio: ex te mihi hoc munus oblatū. Placet inter nos perpetuò sanciri: unam ambobus esse fortunam, alterum in altero præsidiū. Idquè offero, & accipio. Faxint Superi, faustum sit, atq; fœlix. Hac sermonis uicissitudine diem deducentes in uesperam, læta de more gentis inibant conuiuia. Et primo mane digressi, amicissimè se sunt complexati: cùm uterq; pro cuiusq; fortuna, munera sibi detulissent.

¶ In Vualacriam nauigans Rollo, ui terra, tempestate maris sedata, potitur: subactis incolarum Auxilian tibus præcipuè Frisijs. Caput. xix.



ROLLO per brumam nauigationi opportuna præparabat. Militiam supplebat ex Anglis. Commeatus iussit comportari. Vt primùm uerni temporis flatus aspirabat: soluit è littore: nauigationem ingreditur, tendens in littora Galliarum. Sed dū mare medium tenerent, exorta tempestas, nauticam licet turbam exterruit. Tonat cœlum: micant fulgura: uenti sæuiūt: inter cœlum & terram naues iactantur incertæ. Sed nihil est quod uiros pturbet, in æquo ponentes periere, an uiuere: superat constantia mare impacatum. Vualacra terra se primam prodit in conspectum. Selandię ea insula est. Illam ingressi, excipiunt prælio occurrentes in armis insulæ habitatores. Nā ubi uiderant allabi de mari classem armatam: ad arma cōclamant. Fortiter quidem resistunt, ne in terram descendant: sed fortius nituntur, quos maris odium ab recenti periculo, & terræ desyderium stimulauit. Repulsi incolæ, locum permittunt ingressis: latiusq; euagati Dani, prædam undiq; conuectant. Memor Alstenus Rex Anglorum fœderum, quę cum Rollone inierat: naues. xij. granis onustas mittit post abeuntem. Excipit Rollo gratum munus ab amico. Gratiam se illi relaturum in tempore, faueant Superi, repromittit. Vbi uidere incolæ, quia fruges de mari afferuntur aduectis: mansionem eorū, quam temporaneam sperauêre, diuturnam interpretantes futuram: undequaq; sibi contrahunt auxilia. Iam enim per littora Francorum Reges positis præsidibus, stationes fecere, aduersus incursiones de mari. Sic Comites Hollandiæ, Flandriæq; prodierunt. Igitur Vualacrenses ad pellendos terra sua Danos grassatores, arma cōuocant proximorū. Conueniunt Reynerus Longicollus Basbacen. Hamacensisq; Dux: atq; Rhabodius Frisię regionis Princeps. Densantur cunei: acies instruuntur. Sed

Vualacria.

tur. Sed nulla uis obſtare potuit Rolloni: quo minus, fugatis in caſtra hoſtibus, liber quo uoluit ad prædam ſuos emiſerit. Nec contentus; Vualacram terram, igne, ferroq́ fœdare: quinetiam firmatis in ea caſtris & præſidijs, quæ copioſa putauit, collocatis: partem copiarũ ſecũ deſumpſit in Friſiam, Rabedo repenſurus in ſuo, quod ille intulit in ſolo alieno. Friſij gens in mole corporum inſignis, & animo ſatis interrito, hoſtibus obuiam pergunt. Confligunt acriter pro Patria: ſed pares eſſe Rolloni non poterant. Nam Dani, ut primos Friſiorum conatus eluderent, genibus nixi, ſcuta præferunt capitibus. Friſij per contemptum habuere ſubmiſſos: paucitatem interpretati, animoſius incurrunt. Sed à Danis intrepidè excipiũtur: reprimunturq́ uiriliter, multis in medio cæſis. Dant terga Friſij: leges accipiunt uictoris. Quas uiſum eſt conditiones impoſuit. Tributa cum cenſibus impoſitis uolentes accæpere. Victor cum opima præda ad naues regreditur: Reynerum quæſiturus, qui in Vualacris illum cum Friſijs oppugnabat. Rollo uictor in Vualacria. Illuſio mutua. Vincit Rollo Friſios.



¶ Reynerum captum, Rollo miro humanitatis beneficio, liberum reddit uxori ſuæ. Caput. xx.

INTRAT Scaldim fluuium à Friſijs uictrice claſſe: terram populatur. Adeſt opportunis locis ad prælium Reynerus. Irritat magis, quàm oppugnat hoſtes. Aliquot ęquibus prælijs ſe offert obuiũ: ſed repellitur. Crebrius incurſat: ſed cito redit. Poſt multa, intercipitur inſidijs latentium infra, ſupráq́ Danorum. Nec minus duodecim ex promptioribus Rollonis militibus intercępti, ad uxorem Reyneri pertrahuntur. Dolet illa captũ maritum: ſed ex parte conſolatur. quòd duodecim capitum impendio, facilè unus redimatur. Mittit mulieri mandata Rollo, Niſi protinus remittat captos milites, cum omni auro ſuo atq́ argento: adhibito Chriſtianæ religionis iureiurando, quòd fideliter omne aurum miſerit: ilico Reynerus gladium excipiet. Territa mulier ſæueris hoſtium mandatis: cùm uita ſua chariorem maritum, ex morte ſua redimere concupiſceret: mox omne aurum & argentum, ſignatum & informe, adhibito iuramento miſit cum militibus. Rollo mulieris pietate collaudata, Reynerum uinctum iuſsit adſtare. Quid inquit in te Reynere commiſi: ut cum Friſijs me in Vualacris oppugnares? Vides qua fortuna ſis: ferrum ademptum, cum libertate. Aurum tuum, atq́ argentum in manibus meis eſt. Quod in me munus non conferres, in te libet collocare. Liberum te remitto coniugi, ac tuis. Dimidium auri à te accępti, pondus rependo: donum meq́, teq́ dignũ adijcio. Vade memor beneficij: Potiusq́ quid amicus, quã inimicus poſsim, experire. Ille gratias habens, conceſsit ilico ad ſuos. Reynerus capitur.



¶ Rothomagũ Rollo cum suis occupat. Francorũ Proceres noscentes mittunt sciscitatũ, an Regi Francorum parere uelint: Illi autem mox arma obijciunt. Caput. xxi.

ANNVS erat Christianę salutis post Octingentos Nonagesimus sextus, cùm Rollo Scaldi flumine ingresso mare petiuit: Sequanamq́; quęrit: memor uisionis suæ in Anglia. Primúmq́; ingredienti fluminis ostia, occurrit Gimegia, seruorũ Dei habitaculũ. Inde pacato agmine, mouens, ad S. Vedasti Capellam peruenit. Inde quoq́; nihil prædatus, abscedens, Rothomago appropinquauit. Iamdudum plebs omnis, urbana cum rustica, loci Antistitem interpellat Franconem: ut pietatis gratia se medium interponat barbaræ nationi, ac cõmisso sibi gregi. Nam uiribus armatis occurrere tam ferocibus hostibus, perquam stultum habuêre: exhausti crebris Danorum incursationibus. Non recusat Pontifex, etiam hostia fieri pro populo. Occurrit Rolloni. Misericordiam implorat. Facturum populum quæ iubeat: excępta Religionis causa. Facilè placatur, quem nulla arma interturbauêre. Itaq́; pacato agmine, ingreditᷣ urbẽ. Classem tutis locis iubet collocari. Circumspicit regionem satis quidèm feracẽ, sed cultoribus exhaustam. Videt disiecta mœnia: ruinas ædificiorum, quas priores gentis suæ incursiones patrauerant. Vocat in Concilium Primores. Deliberant, quo sit opus facto. Vna omnium sententia: sedes illas capiendas: muniendas præsidijs, armisq́; defendendas. Satis prædiorum pro numero militum atq́; Nobilium. Recordatur ille uisionis, cum excelsam urbis rupem intuetur: hanc putat esse ostensam, ac promissam dudum sibi, suisq́; terram. Nec mora: de quiete cogitãt omnes. Sciunt tamen: multis ac magnis prælijs, cum Regio exercitu, ac cæteris terræ potestatibus sibi confligendum esse. Igitur amnis superiora petentes: expediunt aditus atq́; uada: populanturq́; uicina ripis loca. Interim fama uolans diffunditur per omne Regnum: uenisse innumera Barbarorum agmina in Sequanam. Reminiscuntur gentis ferociam. Prima consilia: ad submittendum quendam ex ea gente Nobilem, qui superioribus annis locum promeruit in Gallijs. Iam assuetus moribus Gallorum, mansuefactus quidam uidebatur. Illum rogarunt Franciæ Primores: Tu inquiunt, nationis & linguam, & mores percalles: Vade sciscitatum, quid accępturi in pręcium, terram linquant: in mare redeuntes. Ille ne in suspicionem Francis ueniret: postulat duos ex Primarijs, qui secum irent comites. Adaquitat ripis: de proximo cum illis sermonem habiturus. Et patria lingua, qui sint, unde ueniant, quidué petant, rogat. Illi. De nauibus aiunt, Dani sumus: quod tibi nostra lingua loquenti potuit indicare; cultus item noster,

Rothomagũ occupat.

ac nauium apparatus: si unquàm Daniam uidisti. Venimus post acceptam de terra prædam, sedes in Regno capere. Si quis obstiterit: arma experietur nostra. Ille subinde. Audistis inquit unquam uestræ gentis hominẽ, easdem ex ijsdem partes petijsse: & quibus ille sit fortunis usus? Audiuimus inquiunt: sed malus illum exitus absumpsit. Dij melius inquit ille secum. Tum illis uicissim ait. Vultis Regi subesse Francorum: illiusq; facere imperata? Illi uerò. Non ea inquiunt lege exiuimus, ut cuiquam seruiamus: imperare quærimus, aut certè æquo iure consistere. Quis ait ille, uester est Princeps, aut Senior? Nullus respondent illi. Nam æquo per omnia iure imperamus. Non potest inquit ille, secum diuturnum esse Imperium, quod sine ordine administratur. Dani autem è nauibus. Si nihil aliud sciscitatũ uenistis: abite: arma parate. alioqui uenisse pœnitebit.



¶ Bello utrinq; parato, congressum est. Vincit Rollo Francigenas. Baiocum capit: deprędata cum alijs Papa filia Berengarij Principis.

CAPVT XXII.

ILLI retrò cedunt: renunciantes Regi & Primatibus, gentis cum fiducia ferocitatem. Igitur uocãtur in arma per Franciam milites. Cõscribuntur stipendiarij. Magnus instruitur exercitus. Ipse inter primos, qui nuncius pridem abierat: in contribules, imo congentiles ire iubetur. Magna in robore eius, si modo fidelis perseueret, fiducia est. Consultus tamen, quid de bello gerendo sentiret? Respondet. Ferox uideri agmen, magno uirium robore: multa bellorum experientia: non sine magna circumspectione tentandam pugnam. Tum Rolandus Signifer. Quid inquit, consilium requirimus ab alienigena? Vulpis uulpi, aut lupo lupus quomodo repugnabit? Nostris uiribus insurgendum est hostibus. Tum ille, illata sibi contumelia prouocatus: Hodiè inquit agam: ut contemni à quouis non possim. Qui uir est, arma ac dextram in hostem portendat. Rolandus autem cum expetitis cohortibus, in primam prouolat aciem: forti opera compensans uerba magnifica. Sed non sic aduenerant Dani: non ita prælijs assueuerant, ut Francis cederent. Cadit Rolandus ipse, cum expeditioribus. Danus ille, quem diximus, in postrema acie non segniter dimicans: cõactus est hostibus terga dare. Potitus VICTORIA ROLLO: Quid inquit peccauimus in FRANCOS: ut nos in prælium seuocatos impeterent? Pactis conditionibus, quàm armis facilius nobiscum egissent. Ilico castris longius euecti: Meldense oppidum obsidione cinxerunt. Adest Dux Raynaldus: & obsidentes lacessit. Illi uersi in oppugnantes, fugant Francos: multosquè cedunt. *Vincit Frãcos Rollo.*

Raynaldus à quodam Sequanæ piscatore, qui iam partes Rollonis se quebatur, confossus interijt. Inde fluuium ascendentes, Parisium con tendunt. Ordinataquè obsidione, acriter ciuitatem oppugnant. Cunquè diu sedendum sibi ad obsidionem intelligerent: defecturi comme atus uidebantur. Ilico in prædam exeuntes, Baiocensem Prouinciam uastauerunt. Habitatores qua poterant armata multitudine occurrũt. Sed facilè reprimuntur. Baiocum obsident oppidum. Ciues ingressi pugnam, conferunt cum parte obsidentium. Nam tota agmina concurrere non poterant. Capitur Boco ex primoribus Normannorum Ducibus. Sensit damnum in uiro forti Rollo Princeps amisso: pactusquè: illo reddito, annuas urbi inducias. Interim ad obsidionem Parisiorum reuertũtur. Qua per annum continuata: cùm pactum Baiocensibus tempus exisset, redit: urbemq́ Baiocensem capit oppugnatam: & in præda, primario genere, & specie singulari erat puella, Papa nomine, Beringarij Principis in Francorum gente filia. Eam sibi Rollo coniugem asciuit: & ex ea Vuilhelmum sustulit filium: uirum præcipuæ uirtutis: post se potitum Principatu.

Baiocum capitur.

Papa puella.

¶ Rollo Parisios obsidens, misit qui Ebroicas urbem expugnarent. Alstenus Angliæ Rex, suos rebelles habuit: quapropter ad illorum insolentiam puniendam, misit ad Rollonem fœderatum, ut sua opera adsit. Rollo fidem Alsteno egregiè præstitit, rebelles uincens: Alsteno Angliam tranquillam relinquens, in Gallias redijt.

CAPVT XXIII.



REVERSVS AD OBSIDIONEM Parisiorum, quam non intermisit: partem copiarum misit Ebroicas: ad expugnandam ciuitatem. Diu ciues restiterunt, animati à Pontifice: ut hostibus Christi obuiam irent intrepidi. Sed præualuit hostium insolentia. Vrbe capta, Episcopus tamen cum suis elabitur. Durante obsidione Parisiorum, Angli in Regem suum Alstenũ insurrexerunt: freti temporũ occasione. quòd Rollo, quem sciebant artissimo fœdere Regi suo inhærere, bellis implicitus Francorum, suppetias ferre nõ posset. Pressus ergò tumultuante Regno Alstenus, ad amicũ respexit Rollonem: mittens ex fidelibus, qui docerent: qua rerũ angustia laboraret. Rollo fœderũ non inmemor: intermissa Parisiorũ obsidione, ad liberandũ amicum, cum omnibus copijs contendit in Angliam. Et iunctis agminibus, facilè præualuerunt tumultuantibus. Captæ urbes tumultuantiũ: domiti perduelliones ad obedientiã Regis sui redire. Rex non ingratus amico: pmittit illi Regni dimidiũ.

Ebroicas capitur.

Anglia tumultu sedatur.

designat

designat urbes, limites facit utriusquè ditionis. Rollo imperat uictis, obsides seruandæ pacis statuuntur. ut diuisum, & Regi, & sibi sint pignora pacis seruandæ. Nihil horum recusatum est. Exhibent. Tum Dux Regi. Quando inquit & hospitio primùm: deinde frugum impendio, me Rex egregiè & insigniter munerasti: gratuitam tibi operam libens rependi. ut aliqua ex parte tuis in me meritis responderim. Regni partem quam exhibes, non accipio. Totum tibi iure tuo possideto. Mihi in Franciam redeundum est. Obsides tuorum tibi habeto: quo plures tenes pignora, solidiorem pacis habiturus conditionem. Senior solutus in lachrymas, quas potuit gratias dixit: Regalibus donis afficiens amicum: quando Regni partem aspernatur. Vnū petenti Rolloni libens permisit: ut qui ex Anglia sua spontè militiam eius sequi uellent, boni Regis uenia uterentur. Valefacto sic Regi, in Franciam uela pandit: & diuisis agminibus, partim Sequanam, partim Ligerim: nonnullos etiam suorum in Garumnam facit ascendere. ut undecunq; prædabundi incederent. Ipse Parisium ad oppugnandam iterum ciuitatem contendit.



¶ Franci inducias belli cum Rollone concludunt. Iis finitis, in Burgundiones & Pictauienses, qui Francis auxilia tulere, uictoria Rollo potitur.

CAPVT XXIIII.

FRANCIAE Regnum ea tempestate occupauit Odo quidam ex Regni Proceribus. Sed magno Regni corpore perinde diuiso, minus poterat. Nam Ludouici Balbi filium, Carolum puerū duodennem, nonnulli raptum, Remis Regem consecrauerunt. Cunquè per annos plurimos Normanni Franciam lacerauerint: nec armis diuisi reprimi possent, nouo cōsilio Proceres pactis conditionibus agendum rati cum gente, quam uiribus abigere non poterant. Nam Ecclesiarum incendia, urbium euersiones, castellorum direptiones, cædes exercituum, captiuitates ciuium, miserabilem Regni statū fecere. Aduocato igitur Francone Rothomagensi Archiepiscopo (qui iamdudum se rebus interponens, hostium Duci familiarior uidebatur, mittunt illum rogatum, Trium mensium inducias. interim pacis futuræ iacienda fundamenta. Non recusat Pontifex. Profectus in hostium castra, reperit Rollonem non aduersantem uel inducijs, aut etiam paci. Iam enim respexit in ea, quæ uisio dudum illi repromisit. Interim Burgundionum Dux Richardus, & Pictauensium Ebalus, acceptis treugis indignati, quòd non armis potius, quàm pactis ageretur cum barbaris terræ uastatoribus uix pacti dies exeūt, & iam prompti cum expeditis cohortibus assunt Burgundiones, & Pictaui. Rollo sibi arbitratus

tratus illusum, quòd ad arma contrahenda induciæ sumerentur, acrior insurgit: & equitum super se uenientium manum, fortiter in eam uersus, repellit. Grande agmen peditum à tergo erat, segnius accedens: ut equiti laboranti adesset. promiscuum uulgus erat: armati, inermesque: ut quemque sors obtulerat. Vt uenère sub aspectum hostium: iam equitum alæ, quæ ante tempus primam pugnam inierant, fuga abiere. Vt poterant pedites hostem urgebant. Ibi tum grauior cædes quàm pugna. Miserabile uulgus, aut equorũ pedibus proterebatur: aut armis excæptum cædebatur: quem fuga subducere potuit, tantùm euasit. Nam in prælio nulla salus. Normanni uictores prædam legerunt.

Victor in Francos Rollo.

¶ Rollo Carnotum Vrbem obsidens, à Burgundionibus, Pictauijs, & ciuibus ita urgetur, ut in montem concesserit: à quo stratagemate quodam cum suis dilapsus, absque insigni clade obsidionem soluit.

CAPVT XXV.



INDE Carnotum obsidione premebant. Pontifex gentis Vuantelinus populum animabat, stare pro iniurijs, patriam tueri: Christi hostibus non cedere: auxilium de cœlo futurum. Interim mittit ad Francos, Burgundiones, ac pictauos: liberationem urbis per sancta obtestatus rogans. Adest nihil moratus Dux Burgundionum Richardus, cum expedita suorum manu. Obsidentes infestat: et interim obsessis ut erumperent, dato signo, intercipere decreuit obsidentes. Ciues cum suo Pontifice armati erumpunt: utrinque oppugnantur Normanni. Diu restiterunt. At ubi instantius urgebant hinc Burgundiones, inde Ciues: Dux Rollo cedit: magis religioni, quàm armis locum permittens. Concessit autem in editiora loca cum agmine suo. Quædam autem copiarum eius pars, uerticem propinqui montis, plurimo uix labore comprendit: ac in morem castrorum præmuniuit. In uesperum Ebalus Pictauorum Comes aderat cum non contemnenda suorum manu: & uersus in Richardum, stomachatur: quòd non eo expectato esset depugnatum. En tibi Richardus inquit (ostendens partem hostilium copiarum monti insidentem) si quid potes, hostes in conspectu sunt. Ille ut rebus æquaret uerba, ilico cõtendit in montem. Dani fortiter obsistũt adeũti. Rapit pluteos, quos illi parabant obsidioni tolerandę, & his protectus, molitur ascẽsum. At fortius illi resistunt, uertentes in sui munitionẽ quod hostes attulissent. Itaque frustrato labore, cùm nox ingrueret, ad Richardũ Ebalus ascendit, cõmunicatoque cõsilio, ac copijs cõiunctis, montẽ arta cingũt obsidione. Tũ Dani obsessi, circũspicientes, qd agerẽt dubitauerunt. Erat in agmine homo Frisius, insignis audaciæ, Si inquit inertes durauerimus in lucem, consumpti

Cedit Rollo.

sumus,

ſumus, non tàm armis, quàm inedia. Conſiliū ſumamus ex tempore. Medio noctis conticinio, quidā ex nobis, occultis ſemitis deſcendant: & ubi ſe in tutum receperint, tubis concrepent: ſpeciem præbentes redeuntis in noſtrū auxiliū Ducis. Tum cætera cohors armata, per medios deſcendat, ferro ſibi uiam aperiens. Ceſsit fœliciter placitum omnibus conſiliū. Nam ubi iam obſidētes, ſtatutis uigilijs ſe in requiem collocaſſent, inſonuêre tubæ. Ignes circum micuêre. Cohors armata deſcendit, gladios circumferēs. Obſidentes inopinato correpto terrore, fugam magis, quàm pugnam in nocte parauêre. Igitur Normanni incolumes peruenerūt ad ſuos. Exorta iam luce, citatis agminibus hoſtes ſuos inſequūtur Richardus atque Ebalus, adhuc de recenti fuga ſtupidos. Rollo iam caſtra firmauit: in circumitu cæſorum animantium cruentas pelles tendens: ut horrorem prætenderēt, magis illudens hoſtibus, quàm obſiſtens. Terruit inſolita ſpecies propinquantes. Quis inquiunt, cruentum hominum genus inſequetur? Quem nō mouent mortifera ſanguinolentorum ſpecies caſtrorum? Igitur ad ſua redeuntes, liquere caſtris ſuis tum intactos Normannos. Stratagema



¶ Oblatis conditionibus, à Francorum Rege, Rollo Chriſtianiſmo initiatur; Britannia & Neuſtria donatus. Caput. xxvi.

ROLLO exaſperatus de Carnoti infelici obſidione, uiolentius agit. Nam incendijs et ferro omnes quas attigit populatur Prouincias: urit Eccleſias, ſine diſcrimine ſæuit in omnia. Rex ipſe quotidianis ſuorum lachrymis motus, iterum uocat Concilium Principum. Summis de rebus agitur. Ibi una omnium ſententia fuit: quando inuictam gentem, ferro & armis pellere nemo præualet: pactis cū ea conditionibus agat: ut accæptis ſedibus in Regno, Chriſtum incipiat uenerari. Erant qui ſuggererent: Principem gentis, ſi ſacrum ſubiret lauacrum, Regis affinitate dignandum. quòd Regio ſanguine cretus, uiribus inuictus haberetur. Rex ſuorum accępta deliberatione: uocat Rhotomagenſium Pontificem: mittitquè qui mandata Rolloni perferat. Ille ſelectos aditus obſeruans: Ducem interpellat. Quid iuuat inquiens Dux fortiſsimè, quotidianis te, gentemquè tuam periculis inmittere? Cædibus, & incendijs intendere: rapto uiuere? Humanius longè fuerit: pace ſequeſtra cum Francis agere: unis ex Legibus uiuere: eandem complecti religionem. ut æternæ quoquè ſaluti & immortalitati conſulatur. Rex tibi magnas offert conditiones: ſi pacem cum RELIGIONE fueris amplexatus. Terram quam inhabitas, perpetuò tibi, tuiſquè iure permittit: Inſuper SORORIVM te ſuum dignabitur. Retulit rem in Concilium omniū Francorum conſilium.

Procerum

Procerum Dux. Placitas, imò optatas conditiones contemnendas, nemo putauit. Terra satis opima, si excolatur: fluminibus ad pisces: nemoribus ad uenationem opportuna: mari patens ad merces conuehēdas. Nemini uideri mediocre, Regis per germanā promereri affinitatem. Paciscuntur trimestres inducias: ut res ex sententia compleatur. Perueniunt ad cōmune placitū. Ibi testatur, docetq; Rollo: Nunquā, nisi prouocatum se ad arma uenisse. Sic in Vualacris, sic in alijs locis priorem à Francis irritatū. Ad sedes se uenisse quærendas, patria eiectum. Quæ si dentur: facturum, ne pœniteat Francos, illū hospitio excepisse. Robertus inter Primores Franciæ Duces, Regias tum uices impleuit cum Pontifice. Terra illi in perpetuā possessionem deputata. Regia illi puella despondetur. Paratur regenerationis Lauacrum, imbuitur sacræ fidei rudimentis. Robertus Dux illum de sacro fonte suscipit. Nomen illi suū indens: ut ex Rollone, deinceps sit Robertus. Et tamē quia terra cultore uacabat, crebris incursionibus euastata, negabat tantæ multitudini alimenta, aliā quoq; illi subijcere conuenit, quæ sumptus abundè suppeditaret. Ostenditur Flandria, quam non ignorabat Robertus, militaribus sæpe illam expeditionibus pertransiens. Non placuit, quia paludibus, & saltibus plena, uidebatur infructuosa. Ab occidua regione permissa est Britannia. Res aūt, ut omni iure consisteret, Regis, Archiepiscoporū, Episcoporum, Ducū, Nobiliumq; iureiurando firmatæ sunt. Neustria quidē, quam exinde de suo nomine Normañi dixêre Normañdiam, facile Regi donum fuit, quòd exhausta pridem (ut diximus) cultore uacua fuit, excursionib. Danorū assiduè exposita. Danos igitur Danis putauit opponendos. Accessit Britannia, contumax semper Regi terra, ut domaretur. Placuit coram rem omnē perficere. Vbi in Regium cōspectum peruenit Robertus, aderant ex Francis Regi blandientes, qui hortarentur Robertū procumbere, Regiaq; osculo uestigia honorare. Horrebat liber animus, & Dux inuictus, seruile ministerium. Alium ex astantibus officio uicarium dedit. Rex illi pedem portendit. Erat is Carolus simplex, Balbi filius. Ille mordicus apprenso pede, Regem resupinat. Indignati nonnulli ex Francis intumuêre. Alij altius secū populi libertatem, & ferocitatem reputantes, Regem placauêre. Cunctis igitur ex sententia peractis, Rex in sua reuertitur. Franco Archiepiscopus, & Dux Robertus nuptijs peragendis institêre. Quibus etiam ex more perfectis: Dux Normannorum Robertus, à Religione sumens initium, Ecclesias memorabiles ditionis suæ, quas priora tempora fœdauerunt, magnificè munerauit, & hac munificentia primos Baptismatis sui dies impendit.

Induciæ.

Rollo Baptisatur.

Pulchræ coronationes.

¶ Furti.



¶ Furti, per imprudentiam uxoris cuiusdam Rustici admissi, nimis seuera per Robertum animaduersio.

CAPVT XXVII.

ROBERTVS, ex Rollone Dux Normannorũ, cùm regendæ Prouinciç, quam Regia confirmatione tenuerat, intẽderet, sæuerè suis interdixit Latrocinia, Furta, & omne genus rapinæ. Sciebat, difficile genti uastatrici, quæ bellis, prædis, rapinis, et sæuitijs tamdiu intenderat, pacatis animis sedere, longam exuere consuetudinem. Decreuit, ut Rustici colendi agri instrumẽta in agris linquerent, et consuefierent sui, prçterire non sua. Ea res longo cœpit usu firmari. Cùm reuersus aũt quidam ex agricolis domũ, ab importuna uxore sua rogatur, cur instrumenta sua nõ adueheret? Ille Ducis prçcepta prçtendit. At illa dum maritus interim domi per çstum quippiam ageret, furtim delabitur in agrum, instrumenta subducit, et abscondit. ut in reliquum redderet maritum rei suæ attentiorem. Reuersus uir in agros, ubi non repperit quç dimisit, rem ad loci prçfectũ referebat. Ille aũt Duci prætendit. Vocatus à Duce Rusticus, preciũ recepit amissorum. Iubetur præfectus, ignis purgatione adhibita, furem explorare. Primus conatus irritus fuit. Nã ignis furem nõ prodidit, cùm omnes uillani subirent scrutiniũ. Id quùm renunciasset prçfectus Duci, ille cõuertitur in Episcopum: Deus inquiens Christianorũ, si est conscius secretorũ, cur furem nõ prodit? At ille necdum benè firmatum in Religione, non corripuit, sed causam prçtendit, quia ignis necdũ furem tetigit. Iubetur diligentius inquirere prçfectus, etiam apud uicinas uillas scrutaturus. Nec sic quisquàm repertus est. Vocat̃ à Duce Rusticus: Si cui prodiderit, rem in agro esse, rogatur? Ille nemini, prçter uxorẽ, dixisse respondit. Adesse iubetur illa. Separatim[que] rogatur, quid egerit cum mariti instrumentis? Primùm dissimulanter respondit, nihil se nosse. Sed quçstionibus adposita, furtum fatetur. Tum maritũ Dux clam uocabat. Sciebas inquit uxorem furacẽ esse, an nõ? Ille. Sciebam inquit. Cui Dux. Cur criminosam aut non punieras, aut non deferebas? Ilico iussit ambos suspendio necari. Hac sæueritate, iudicij Legẽ sanxit obseruandam fore.

Rollo, Robertus Dux

Superstitio.

Vana quæstio.



¶ Roberti coniunx propter sæueram mariti in duos iuuenes Francos animaduersionẽ, ægritudinem, ex qua moritur, cõtraxit: quç mors dissidij causam inter Regẽ & Robertũ præbuit. Obiter quædam de Normañis, & obitu Ducis Roberti. Cap. xxviij.

SED & illud cõmemoratione dignũ iudicaui, quid primum pacem turbauerit inter Regem, atq[ue] Normaños. Venerant ex Francis iuuenes duo Rothomagũ, ut Gislam coniugem

Ducis, Regis germanam, ex quibusdam interpellaret. Mulier incautè formidulosa, noluit illos in cõspectum prodire mariti: uerita, ne qd ille suspicaretur, de occultis à Rege mandatis. Sepositos ergò in penitiorem domũ, lautè curauit tractari. Normanni qui uiderant ingressos: mirati quòd non prodirent in conspectum Ducis: suspicari cœperũt, agi nescio quid contra Principem suũ. Quidam ex ijs adorti Ducem: Quid inquiunt, aut quærunt, aut afferunt secretò ad te ingressi? Num te tuorũ pœnitet: ut secreta cum exteris pertractes negocia? Consiliaq́ foueas tuis incomperta? Ille miratus, cùm nihil intelligeret: ingreditur ad uxorem. Vbi sunt inquiens, Regis quos ad nos misit nuncios? Pauida mulier, abscondítos producit. Ille, ut suspicionem aduersus se suorum purgaret: productos in forum publicũ, occidi iussit. quòd non in aperto rem omnem peregissent. Turbatur anxia mulier: & dolore animi, corporisq́ ægritudinem assecuta, mortem obijt. Rex ab Sororis inmaturo funere, & suorum innoxia cæde, iniquum cœpit in Ducem animum. Ea res comperta Roberto Francorũ Duci: mandat Roberto Rothomagensi Normannorum Duci, Nihil pro hac re turberis: quòd infensus nomini tuo Rex uideatur. Si iubes: Regem cum amicis propulsabo: Regnumq́ ipse inuadam. Cui remandat Normañus. Vltra quàm satis est cursum tendis. Satis, superq́ fuerat, Regem fatigare: supra modestiã est, Regem propellere, & Regium nomen assumere. Hanc morũ sæueritate pacem meruit diuturnam. Scribit tamen Sigibertus: per hæc tempora Normannos in Regno se uehementer commouisse. Ea fuerit eiusdem gentis alia classis: An ex hoc Rothomagensiũ populo: incompertũ habemus. Normanni inquit, per hæc tẽpora iterũ à Parisio repulsi: fines Britonũ incesserunt. Et primo quidèm uictores, inde à Britonibus uincuntur: duobus prælijs. xij. milibus peremptis. Et iterũ. Normanni Lotharingiã repetentes: circa Leodium cum Christianis pugnant: & uincũtur. Sunderoldus Moguntinus Archiepiscopus, à Normannis Vuormaciæ martyrisat. Arnulphus Rex audita cęde suorũ: à Baioaria contra Normaños pugnaturus mouet cũ exercitu ualido. Quos circa fluuiũ qui Tilia dicitur, pedestri prælio adortus: tantam ex eis stragem fecit: ut ex innumerabili multitudine uix superesset, qui ad classem aduersum nunciũ referret. Normannorũ residui, transuadata Mosa, Ribuariam, et Arduennam uastando peruagantes, trans mare recedunt. At hæc ego per recapitulationẽ ab illo dicta accipio: prius quàm Rollo in Neustria pacatus, residere cœpisset. Nã huius insignis uictoriæ, & nostri meminere Annales: quæ peracta memoratur Anno. 888. cùm ista in Robertũ Rollonis cõmutatio, et sedis quietę accęptio, ad. 97. aut supra peruenisset. Sola ergò

Moritũ Ducis uxor.

Sigibertus, de Normannorũ strage

Sunderoldus Mogũtinus pręsul

ergò ordinis, & tēporũ ꝑturbatio facta est, in huius rei à Sigiberto cõmemoratione. Nisi dixerimus: aliã extitisse Normañorũ manũ, quę in Germania sit grassata: dum in Francia Rollo iã pacatus resedisset. Sed nos quę de Roberto sunt, ꝓtinus cõcludamus. Robertus, ut dicere cœpimus, cõtraxit años, accępta quiete, in extremã usq; senectam. Filiũ, quẽ ex Papa prima uxore sustulerat: in spem Ducatus prouexit. Nã inter manus eius iurare fecit Proceres: quòd illi post patrẽ fideles ꝑmanerẽt. Ita in Christi religione transiuit Robertus (uti fidimus) in Regna longè meliora: Dux tẽpe suo fortissimus, pariter & felicissimus. Rollo prius dictus.



¶ Vuilhelmus patri in Ducatu succedit. Britannos rebelles domat. Caput. xxix.

VVILHELMVS patri filius in ditione succedit: matre Papa genitus, nobili stirpe Francorum: Duplicisq; in se Nobilitatis sanguinem traxit. Eũ ab infantia sacris initiatũ, in timore Dei pater iussit educari, apud uirũ probatæ uirtutis Batonem, gentis suæ Comitem. Erat aũt puer ita Religioni deditus: ut relicto seculo, cupierit sepositus Christo militare, Monachali habitu desumpto. Sed quia patri erat unicus, solum id uotis repugnare uidebatur. Igitur paterna uoluntate, & Procerũ unanimi consilio atq; sententia: paternæ ditioni præesse compellitur. Nihil tamen mutauit in moribus. Animi integritatem, iustitiæ rigorem, frontis modestiã semper præferebat. Prima illi turbatio fuit ex Britañis: qui nouo Principatu, res itẽ nouas moliebantur: subtrahere scilicet Vuilhelmo, quam patri seruauerant obedientiã. Berengarius, atq; Alanus, Principes extitere factionis atq; rebellionis. quòd diceret, temporaliter se Roberto permissos, quoad prouincia eius cultui redderet: ipsi quamdiu uixit nihil recusantes. Honori hoc illius tribuerint: quòd in fide permanserint. Nunc se solutos uinculo dominationis, libertatẽ suã sine inuidia merito tueri. Vuilhelmus contracto suorũ concilio, rem pertractauit. Indignũ uisum est Proceribus: Britones à iugo discedere. Quòd si à Rege uendicarent: satis & hoc durũ uideri: antiqua ditione carere Normannos: nunc sua se temeritare in libertatẽ recipere conantes, aduersus prę stitam Roberto patri fidẽ, iuratã filio fidelitatem. Omni odio dignissimos haberi: ferro & igni ad iuga reuocandos. Igitur paratur expeditio in Britanniam: equitũ, peditumq; copiæ densantur in cuneos. Britañiam ferro & igni populat. Britanni urbibus & arcibus cõmunitis, se cõtinuère: nõ ausi in aciem prodire. quòd uiribus hosti impares uiderentur. Visum est Proceribus Normannorũ: euastata regione, satis malorum perpessos, redire in iuga uolentes. Qua spe reducitur exercitus in Normanniam. At præter spem accidit: ut dilapso exercitu, secuti Britanni,

Vuilhelmus Dux Normannorum.

tanni, uicissim Normannorũ ditionem peruagarentur. Renouantur deinde agmina militantiũ. Reducit̃ in Britanniã expeditio militaris: & durioribus pressuris Britanni cõangustãtur. Igitur rebus diffisi: Legatos de pace miserũt. Vuilhelmus consilio suorũ euocato: has illis Leges indixit. Vt aurũ in sumptus expeditionis persoluerent. Solita tributa penderent. Alanus in exiliũ abiret. quòd autor coniurationis haberet̃. Berengarius, quòd inuitus (ut cõstabat) penè rebellaret, in Præfectura solita permaneret. His ita compositis, atq; à Britannis iam pacis cupidissimis comprobatis: Vuilhelmus reduxit exercitum.

Subigũtur Britanni.

¶ Insurgentes in se factiosos Normannos, Vuilhelmus inito bello fugat, & cædit. Caput. xxx.



IAM apud proximos sermo increbuit: ut prospiciẽs posteritati Dux adolescens, nuptijs animũ inclinaret. Circumspexêre omnes: qua ex Nobilitate, domoq; cõiunx illi peteretur. Eualuit nominis atquè uirtutis eius fama inter Francos: primiq; Principes Regni, eius familiaritatẽ inire cupiebãt. Xenia mittere, & accipere, Principali ritu, iam apud Maiores inoleuit. Vuilhelmus multis indies charior pro uirtute cœpit haberi: coliq; sedulius à Francis quàm suis. Quæ res inuidia, ut fieri solet, non caruit. Erantq; in Normañis: quibus doleret, quòd Francos, à quibus honorabatur, honoraret. Iam inquiunt, Dux noster, maiore fiducia respicit in Francos, quàm suæ gentis Nobilitatem. Materna illum superbia effert: maternum genus quàm paternum facit cõmendatiorem. Quid futurũ, ubi nuptiæ accesserint? Extorres erimus: solis Francis fides erit: nos uelut seruiles contemnemur. Ea reportabimus laborũ prçmia, periculorum sanguinis. Proinde præcurramus inchôata in nos iuga deteriora. Libertati & honori consulamus. Riulphus princeps erat factionis in Ducem: autorq; consilij: ut mitterent, qui postularent terram à Duce, in Rislũ usq; fluuiũ. Sic etiã militarem populũ sibi magis conciliarẽt: Duci ruricolas relinquerent. ut quandocunq; moliẽti aliquid in suos, non inferioribus illi uiribus occurrãt. Audita legatione Dux: cùm nõ ignoraret, quo res illa respiceret: conuocato fideliũ Procerũ concilio, ex illorũ sententia remandauit placidis uerbis. Arma & equi, aurũ cũ argento, & quicquid domi meæ præciosum est: uestris cõmodis inseruiet. Terra quam sub parente accæpistis contenti, militate. Commoda Prouinciæ ad uos pertineant. Mihi inane nomen remaneat Principatus. Vos consiliorũ participes, mecum unà rem omnem tractabitis. Communia utrisq; pericula. Vobis bellorũ præmia: mihi inanis honor sufficiet. Hæc tam mollis responsio, non ut debuit iram mitigauit, sed superbiam erexit. Nam ad arma iam conclamantes, castra firmabant:

Normannorũ murmur in Ducem suum.

Ducis responsio.

bant:

bant: domestica bella inchöaturi. Iubentq; concitò redire nunciū, qui duriora Duci mādata ferat. Exeat ciuitate: abeat ditione, ad Francos suos proficiscatur. Non ferre Danicū sanguinē, subesse Franco Principatui. Hoc se multis uulneribus egisse: ut liberi uiuant. Nisi cesserit: futurū, ut pœniteat pertinaciç. Nam ciuitatē oppugnare, & de proximo capere confidant. Territus hoc nūcio Dux: misit ad amicos, ut adsint. Cōtraxitq; arma, quæ tempus dedit. Armauit ex urbicis, quos militibus inseruit. Et ut prçueniret obsidionē, exiuit in collem: unde prospiceret & numerū, & conatus aduersantiū. Cernens longè illos superare multitudine: in proximū ex amicis cōuertitur. Impares inquit sumus tantæ multitudini. Cædendum tempori. Ipse mihi petendus Siluanectensis auunculus: ut eius adiutus armis, recuperem qua iam me extrudunt perfidi ditionē. Tum ille. Qua fronte Franciam nos tecum petemus: in qua permanent uestigia pristinæ uastationis? Sunt quibus parentes, filios, fratres, cognatos, affines abstulimus. Illi qbus nos oculis intuebuntur? Itaq; si hoc tibi sedet consiliū: ad limites Eptç fluminis te perducemus: nos uerò inuentis undecunq; nauibus, Daniam repetemus. Quomodo eñ sine Duce cōsistemus in aliena regione? Quanq; si tibi patrij sanguinis uigor remaneret: hostibus cedendū nō putares. Dux accçpta ab amico contumelia, excanduit. Si hoc inquiens timori datur: ignauo, nō prudēti: audete sequi qua præcedo. Et postulans hastam, se uertit in hostes. Tum idem ille manu iniecta familiarius, Consilio inqt Dux fortissimè opus est in re tanta. Vide prius, quos ad urbis custodiam delegeris. Consydera, qui te sequantur in præliū. Quibus prouisis, cū inbellem multitudinē urbi relegaret: expeditioribus sumptis: concitus fertur in hostes. Quos imparatiores deprehendit. cùm nihil tale prospicerent. Igitur exemplo & uerbo suos commonefaciens: multis pauci promptiores sunt inuēti. Nec diu stetit ambigua uictoria: fusi, fugatiq;, castra deseruere tumultuantes. Plures in fuga, quàm in acie sunt cæsi. Multi perierunt paludibus: aut ripis inmersi. Vuilhelmus Dux fugatis facinorosis, multisq; perditis: incolumem reduxit exercitum in urbem. Ex illo die conspectior cunctis, formidolosior hostibus, amicis charior. Nec facilè inuentus est, qui prælio lacesseret: aut coniuratione noua in se Ducem prouocaret. Iam ineundis nuptijs animum intendebat.

Normanni ad Ducem.

Dux suos cædit.



¶ Vuilhelmi Ducis nuptiæ: Affinitas quoq; cum Pictauien. Comite, Ludouici item Francorum Regis institutio narrantur. Caput. xxxi.

HERIBERTVS inter Francorū Primores, uir nobilis et clarus, filiā Vuilhelmo Duci desponderat. Rega

li luxu oĩs erat apparatus nuptiarũ. Multi utriusq; partis Proceres cõe uenere. Nonulli ex Francia Principes honestabant solenna nuptiarũ. Nec añus euoluit, Vuilhelmo filius ex cõiuge nascit: quẽ sacris Christianis initiatũ, appellari iussit Richardum. Claruit indies magis atq; magis Dux Vuilhelmus. Burgundionũ, Pictauorumq; Comites illũ coluere. Hugo maior in Regno Princeps, familiaritatem eius expetebat. Venantẽ aliquando Ducẽ cùm præmonuissent, Dux Hugo memoratus, Comes Pictauorũ Vuilhelmus, & Heribertus socer adiere. Ille pbenignè excęptos, humanissimè tractauit. Inter cõuiuandũ Vuilhelmus Pictauus, Vuilhelmũ appellat Rothomagensem. Scis qua ad te causa uenerim, Dux inclyte? Affinitatẽ tuã requiro. Necq; interpositis nuncijs agendũ putaui. Tuã ipse dignationẽ adire uolui. Germanã sororẽ tuã, si uxorẽ mihi pmiseris: perpetuũ apud me pignus amoris collocatũ, rectè putabis. Ille transuerso Comitẽ responso, uolens experiri: Non conuenit inqt, forti genere natã puellam, leporinis uiris permittere. Vbi uidit cõmotum iniuria Comitẽ, uultũ hilarauit. Cras inquit optime Comes, interposito meorũ cõsilio, placidè postulatis tuis respondebo. Nec mora: cùm illucesceret, uocato in consiliũ Hugone Duce, Heriberto, atq; Procerũ suorum magno numero: deliberat uiri potẽtis inire affinitatẽ: Vuilhelmoq; memorato Germanã despondet: eamq; pduci iubet apparatu magnifico in urbẽ Pictauorũ. Tum uerò omni rerũ abundantissimo splendore nuptijs peractis: in diẽ magnificari magis, magisq; cœpit Vuilhelmus Normañus. Erat per id tẽpus in carcere Rex Franciæ Carolus. Ibiq; cũ defecisset: Alstenus Angliæ Rex, nepotẽ suũ, memorati Caroli filiũ, ut ad Coronã pduceret: non alio utendũ putauit, quã Vuilhelmo interuẽtore. Paternũ fœdus illi renouabat: deprecãs, ut illo interueniẽte, paterna sceptra Ludouicus mereret. Et ut Alanus Brito, iamdudũ apud se exulãs, suo apud Vuilhelmũ interuentu, gratiã haberet: patriæq; redderet. Vtrunq; impetrauit Alstenus. Nam Vuilhelmus apud Hugonẽ Ducẽ, cæterosq; peregit: ut Ludouicus in Regno succederet: et Alanus patria sede potiret. Erat tñ eidem Ludouico Regnũ instabile, propter magnã Primatũ in Regno potẽtiã. Vnde sibi cõsulendũ putauit, proximorũ Regũ fœdere.

Ludouicus Franciæ Rex.



¶ Ludouicus Franciæ Rex, interuentu Vuilhelmi, fœdus init cum Henrico Saxonum Cæsare. Caput. xxxij

PRAEFVIT tũ Germaniæ rebus Henricus Cæsar, genere Saxo, eius nominis primus: Ottonis primi pater. Is interpellatus per nuncios à Ludouico Rege de fœdere: respondit. Nolle se Franciæ rebus implicare: nisi interuẽtu Vuilhelmi Normañi. Ille si se mediũ interponeret: fœdus nõ recusaret. Ludouicus Rex, misso statim

nuncio ad Vuilhelmum, orabat: ut illi occurreret in pago Baiocensi. Non cunctatur Dux: expeditum sumit Comitatum: Regique obuiam proficiscitur. Perbenignè sese salutant. Prior Rex. Nosti inquit Vuilhelme frater, quibus Procerum iacter motibus. Pietatis tuæ fuerit: memorem esse auitorum in te, tuosque beneficiorum: ut arma conferas: & fœdera cōcilies, inter Henricum Germaniæ Cæsarem, ac me. Ille nihil moratus, quod est opis suæ promptè pollicetur: Regemque secum orat Rothomagum proficisci. Vbi annuit: peruenitque: excępit hospitaliter. Diuque secum habuit honore Regio: redeuntemque in sua deduxit: & quoties premeretur, denuò exceptum armis tuebatur. Misit deinde ex fidissimis Tetgerum quendam, ad Henricum Cæsarem: oratum, ut fœdere cum Ludouico Rege congredi dignaretur. Erat multa inter Henricum, atque Vuilhelmum familiaritas. Excæptum hospitaliter Vuilhelmi nuncium, Cęsar apud se aliquot dies perbenignè habuit: unumque ex Ducibus suis Cononem, cum eodem remisit ad Vuilhelmum: mandata uerbis prolaturum. Vbi in conspectum Vuilhelmi Conno uenit: ostendit se missum à Cæsare suo: ut quæ Vuilhelmus optaret, perficerentur. Occurret, inquit Cæsar meus tibi uenienti sup Mosam. Tu Regem Ludouicum, fide tua susceptum prouehe: ut alternis cōspectibus perfruantur. Me uerò obsidem, quo uis in loco teneto. Sic enim imperauit Cæsar, ut securior tibi, tuisque, ac Regi Ludouico sit aditus. Miratur Vuilhelmus, quid obside sit opus: dissimulat tamen. ut experiatur: si ex animo sit locutus. Accingar inquit Normannus itineri. Tu uerò in Baiocensi urbe obses residebis. Tum ille. Quemcunque inquit in locum ire iubes, fixus hærebo. At Vuilhelmus comperta ueri constantia: Nihil inquit opus est ad Henricum proficiscenti Vuilhelmo, obsidem sumere. Inter diffidentes sic agitur. Ego optimi Cæsaris promissa, pro obside teneo: tecumque uolens proficiscar. Non contemnendam manum contraxit Vuilhelmus. Rex quoque cum Magnatibus Franciæ magnas copias duxit. Vbi conuenere Laudunum: mirati Normannorum copiosam Franci multitudinem: Quid inquiunt fiet, si fortè, ut fit, iurgium consurgat inter militares uiros unà profectos? Nimirum ut agnos lupi, uorabunt Normanni Francos. Misso nūcio orat Vuilhelmum: ut separatim tendat: diuersoque proficiscatur itinere ad locum destinatum. Facilè paret monētibus. Igitur cùm propinquarent Mosæ: præmisso Conone ad Henricum: præmonet adesse Regem, cum Vuilhelmo. Tum Henricus Cæsar, quem multa sup Vuilhelmo mirantem cogitatio fatigabat: sciscitatur à Conone: quid de amico suo Vuilhelmo sentiat? Quid uiderit, indicet. Tum ille præcipuum domi splendorem: quem præter te nemo Principum seruat, miratus sum. Aurea undique suppellex: famulorum ordo multiplex, ac distinctissimus. Militia insignis: arma tersissima.

Vuilhelmi apparatus.

tersissima. Equi & numero, & precio singulari. Tum uerò prudentia ac mirifica uirtus, oīa facit commendatiora. Propinquabat inde Vuilhelmus quingentis solis equis comitatus. Nā reliquū agmen præcesserat. Accurrit Conon: & gladio per obsequiū distincto, pducit ad Cęsarem. Ibi se amantissimè complectuntur. Consident. Prior Cęsar. Diu te Vuilhelme frater, fama cognitū, uirtute probatū, amicitia nostra dignū putaui. Nunc corā positū, lætus accipio: gratulatus tibi, mihiquè: quòd alternis nos uultibus agnoscimus. Agè fœliciter adueneris: quę postulaueris, facilè ex sentētia habiturus. Tū Vuilhelmus. Misisti Cæsar optimè, Ducē præcipuū, quē obsidis loco tenerē. Penè iniurius extitisti, firmatæ inter nos amicitiæ. Mihi ad te pficiscēti, nullo opus erat pignore. Tu tamē qualicūq; id egeris cōsilio, quod meū fuit exhibui: illū itineris ducēs comitē, quē manere uoluisti oppignoratum. Adest Rex Ludouicus: tibi quandocūq; uolueris occursurus: & qbus uelis cōditionibus tibi per me fœderandus. Cęsar subinde. Crastina in uicinā urbē nos uisuri occurramus. Tuū erit, quas uoles fœderū Leges dicere. Hac sermonū uicissitudine fruētes, diu familiariter collocuti discesserūt: in crastinū reddituri colloquiū. Cùm aūt abiret Vuilhelmus: erāt inter Saxones q dicerēt Cononi. Ea uerò est magnificētia, quā in cœlū tulisti: qngentis accedere militibus. Vuilhelmus & si exaudiret linguā Saxonicā per Danicā, dissimulāter tñ abibat. Postera luce pręmisit in urbē militū ualidā manū: ut loca caperēt uenturo exercitui. Illi tū ferocius agebant: assueti portas cōuellere: muros diruere: & insolentius in captis urbibus agere. Præuenerat cæteros Henricus Cæsar: et exaudita per clamorē tumultuosum Normannorū insolentia: iubet egredi Cononē, & interdicere uim atq; ferociā. Ille profectus ad Vuilhelmū, orat: iubeat cōquiescere uim militū, ne ad tumultū res perueniat. Vade inqt Cononi: dic uerbis meis: ut modestius agant. Ille concitò. Iubet inqt Vuilhelmus, & ego rogo: ut moderantius agatis. At nihil illi auscultabant: frangunt: expellunt resistentes: assiliūt. Reuersus ad Vuilhelmū Conon. Per inquit Deū, & qcquid sanctum est, oratus adsis. ne Conuentus pacis gratia institutus, in magnum & cruentū bellum exurgat. Tum Vuilhelmus, misso per manum Cononis gladio, iubet quiescant. Ille ense uiso, mox uultus deijciunt: modestius agūt, militaremquè disciplinam impleuêre. Voluit Dux prudens Vuilhelmus, Saxonibus ostendere cōtemptoribus suis: quibus militibus rem ageret. Conueniunt unà Reges. Vltrò, citroquè uolant munera alternatim. Colloquuntur ubi consident. Conueniunt de fœdere. Interpositum firmatur de more. Dum Reges de fœderum medio colloquunt: Duces circūstantes, et illi inter se sermonē cōseruerunt. Inter Saxones quidam

Henricus Cæsar.

Dux Vuilhelmus.

Saxones irrident Normannos.

Normannorum insolentia.

quidã Dux Hermañus, Danica lingua salutat Vuilhelmũ. Ille sciscitatur: Quonã pacto sit Saxo compos linguę peregrinę? Illã inqt inuitus perdidici. Nã graui captus prælio, in Daniã ptrahor: ibiq; diu tentus, in sermonẽ gentis cõalui. Noui ergo & uim militũ, & patriã tui regionẽ: martiũq; genus, unde prodijsti. Interea Conon circumstantibus: Quid inquit uobis uisum est sup Vuilhelmo: quem hesterno uesperi contẽpsisse uidebamini? Non inquiunt putauimus, tantũ esse splendoris in eius militia, quantum conspeximus: nõ eas opes quas uidimus.

¶ Vuilhelmus Dux, Regi Francorum Ludouico, paruulũ baptismo leuat. Gemmeticum cœnobiũ reparat. Richardo filio in Principatu substituto: ipse Monachatui se dedere cupiebat. Caput. xxxiij.



SOLVTO Regum Conuentu, Rex Ludouicus Lugdunum usq; perducitur. Ibi occurrens nuncius, affert: Regem nato filio esse auctiorem. Exhilaratus, Vuilhelmũ interpellat: Multis inquit obsequijs hactenus me tibi deuinxisti: domi tuæ fouisti: armis tutatus, magno nũc fœdere extulisti: Vnũ oro, ut paruulũ, quem mihi dignatus est dare Deus, fonte sacro excipias: pater illi alter futurus. Non abnuit Dux. Profectus in locum paruuli baptisandi: ibi à Pontificibus, cæteroq; nobiliũ cætu dignanter excipitur. Quod ad Religionis officium pertinet, ex more implet. Paruulus præeunte Vuilhelmo patrino, Lotharij nomen accæpit. Quo soleñiter, atq; legitimè impleto ministerio, Dux ad Regem reuertitur. Ibi super omnibus Rege gratias agente Duci: respondit. Ego tibi, tuisq; Rex optime debeo: ut quoniã tua in ditione sedes accępi: tibi, tuisq; pro uiribus inseruiam: idq; sedulus implebo. Si quis in Regno motus surrexerit: primus ego excipiã, nihil recusans, modo intelligam. Has tibi militum deuotas manus agnosce. Ostendebat inter hæc astantium suorum longè ac propè magnam multitudinem. Proceres Regni has uoces nõ uno accępere animo. Nam fuere, qui non æquè Regem ferrent dominantem. Sed interim continuere molitiones: Normannorũ arma uetiti: quæ senserant. Dux à Rege dimissus amicissimè, redit in sua. Reuersus, à suis alacriter excipitur. Intendit deinde reparandis Legibus, quæ per absentiam eius antiquatę uidebantur. Religioni potissimũ adiecit animum. Gemmeticum erat illic quondam Monasterium, Danorum uastatione subuersum: cuius loci fortunam duo Monachi ingemiscẽtes, cœperũt suis manibus euellere dumos: nouare agros. Quo in labore forte transiẽs, eos deprehẽdit Dux Vuilhelmus. Sciscitat̃ qd parent? Audit fortunã loci. Ingemiscit. Pollicetur reparationẽ. Nec differt promissum. Oratũ mittit sororiũ suũ Pictauiæ Comitẽ: ut Monachos de uicino mittat Cœnobio.

Gemmeticum instauratur cœnobium.

Cœnobio. Veniũt duodecim ſub patre Martino. Cui deinde Dux crebrius aſsiſtens homini, ſe familiariſsimè inſinuat. Non em̃ intermiſit animo propoſitũ Monachale, quod puer concęperat: ſed ob accæpti Principatus nouitatem, uſq; in uirilem diſtulit ætatẽ. Martinũ igitur
Dux. cœnobij patrem ſecretius conuenit: Quid eſt inquiens pater optime, quòd in unicæ fidei religione, tam uarij cultus perſeuerant Monachorũ, Clericorum, Populi? Cur non, qui unũ ſperant ac credunt: uno etiam Religionis ritu perdurant? Tum ille. Magnus inquit Paterfamilias, qui nutu ſuo tremefacit orbẽ: in magna domo Eccleſiæ catholicæ, multiplex depoſcit miniſteriũ. Ipſe tibi ſis exemplo. Habes qui tibi ſeruiant in cœnaculo: ſunt qui miniſtrant in diuerſorio: alij etiam in atrio atq; ſtabulo famulantur. Sunt qui te ſequuntur in expeditionem militarem. Quid igitur mirũ: ſi cœleſtis ille Princeps, uarij generis miniſterium depoſcit in Eccleſia? Illico Dux ſubijcit. Olim quum puerũ agerem, hoc mihi uotũ erat: relicto ſęculo, uitã ingredi Monachalem. Sed obſtitit deſyderio meo parens, Proceresq;, meq; nolentẽ ac repugnantem, ſibi conſtituere Ducem. Nunc uerò iam mihi, meęq; redditus poteſtati: filiũ habens, quem ſubſtituã: cur non impleam ætate florenti, quod incipiente cupiebam? Stupebat hęc audiens Abbas: & intuitus Ducem: Quid inquit optime Princeps audio? Zelum quidèm collaudo: ſed non dedigneris interponere conſiliũ Seniorũ. Tecum cogita, quis rerum futurus ſit ſtatus: ſi quod concępiſti, impleueris: quę in nouitate & mutatione Principatus, rerum omnium turbatio. Meminiſti quid patereris in primordio ditionis: idipſum proſpicere conuenit, ne accidat filio. Multos interim Monachos ſecurè facies Domino famulari. Impar longè meritum erit apud Deum: paci temporum cõſulere: & multos in Religione fouere, ac ſeculo, quàm ſi unus ipſe in angulo degens, perturbata regione, cũ cæteris fias inquietus. Confer interim, quid ſimile ſit: mille milibus ſine ſuo periculo conſulere, quàm uni ſibi uix quieturo. Mouit Ducem ſermo Senioris: ſed non uſq; adeo ꝑmouit, ut dimoueret à ſententia. Exeuntis deinde Eccleſia, prouoluti pedibus fratres: dignetur rogant, Diariã prandens ab illis accipere: quod charitas offerat, non quod delitiæ præparent. Ille uerò reiectis precibus, Rothomagũ properabat. Nec longo poſt tempore, ruffa bili tactus, torquetur doloribus. Idipſum interpretans ſibi accidere: quòd nuper Fratrũ à ſe charitatem repuliſſet: cùm illi offerrent, monſtrante dilectione, quod poterant. Infirmatus, iuſsit adeſſe Concilium Procerum: puerumquè RICHARDVM, quem ex uxore ſuſtulerat: indole præcipua, ac facilè liberali. Tum ſic exorſus. Ego inquit, ut meminiſſe plærique poteſtis, ex puero aliud mente concipiens, aliud

Abbas. (margin, beside "am Religionis ritu perdurant")
Dux. (margin, beside "rium depoſcit in Eccleſia")
Abbas. (margin, beside "Ducem: Quid inquit")
Dux ægrotat. (margin, beside "ctus, torquetur doloribus")
Dux ad Proceres. (margin, beside "indole præcipua")

à uobis

à uobis subire coactus sum: Nunc præsentis stimulo ægritudinis suauiter admoneor à Deo: ut quod in uoto semper fuit, aliquando procedat in opus. Igitur si mihi miserante Deo longior uita fuerit, relicto seculo, et hoc, quem non uolens egi Principatu, Deo seruire constitui in sanctitate & iustitia: sumpto habitu Monachali. Vnum oro: Siue per mortem carnis imperante Deo nũc finiero: siue morte ciuili, relicto seculo à uobis abiero: in utroque casu, filium quem genui, huius mei Principatus fouete successorẽ. Ingemuêre qui audierant. Tum unus, quem præ cæteris maior autoritas fulciebat: Quid est inquit optime Dux, quod aures nostras tam tristi sermone concutere potuisti? Vitam tibi imprecamur omnes: idque certo speramus longiorem. Vix mediã ætatem attigisti: confidimus te breui tuæ reddendũ incolumitati. Cæterũ quod de mutando uitæ statu inseruisti: pone uotum. Non sustinemus audire: nec sinemus impleri. Quid eñ erit nobis mutato Principatu? Si imperet tibi Deus: sustinendũ est. Quod uerò tu tibi constituis ob tuam quietem, infinitæ multitudinis consulturus incolumitati: si sapis, posthabebis. De filio aũt tuo quod uolebas: iam impetratũ puta. Perennem tibi ac diuturnam uitam speramus. At ubi tu nobis ablatus es: aliũ te iam cernimus ex te natũ filiũ. Iam Principẽ habemus, cui quam primùm uoles sacramẽta reddemus. Igitur ut Ducem proposito auerterent: & ab infirmitate quantum poterant releuarent: Proceres Normannorum ac Britonum uolentes iusiurandum Richardo filio præstiterunt: post parentem non aliũ se habituros Principem. Quibus rebus ex sententia peractis, in sua quisque diuerterũt. Vuilhelmus ad incolumitatẽ reuersus, suorũ quieti cõsulebat. Nec suorũ modò, uerùm etiã perfugiũ erat uicinis & longinquis calamitosis. Quæ res exitio eius uiã instrauit. Nam si non illũ pietas aliena traxisset, talem, ac perpetuum uitæ exitum nõ inuenisset. Parum est autem terrenam ditionem habere temporalem, properanti ad cœlestem sine fine mansionem.

Procerum unus.



¶ Herluimo in ablatam arcem Monstreoli, Vuilhelmus recuperat. Caput.xxxiiij.

HERLVIMVS erat quidã ex Franciæ Proceribus, quem Arnulphus Flandriç Comes bello prçmebat. Arcemque Monstreoli appellatam, expugnatam abstulit domino ac possessori. Ille rebus exutus, proximum sibi superiorem Hugonem magnum Ducem adijt: causam exponit: quçritur iniuriam: implorat opem. Sed ille aures precanti clausas habuit. Herluimus Normannorũ Ducem, patrem afflictorũ, refugium oppressorum adit: auxilium implorans. Quando inquit ille, Principum tuorũ obsequio deuinctus es: cur illis præteritis, extraneũ, & nihil tibi debentẽ inuocasti?

Ego ait ille, Hugoni Duci iam preces cum lachrymis obtuli: ſed reie-ctus ad te uenio. Reuertere inquit Vuilhelmus ad Hugonem: & itera ta prece interpella: & quicquid reſponderit, mihi renuncia. Abijt ille, congeminatis precibus apud Ducem: ut paruulorũ, uxoris, ac ſui miſeratus, innocentem tueatur: & ad ſui iuris receptionem opem dignetur impendere. Hugo interpellatus, reſpondit. Quid eſt, quòd me frequentatis precibus impellis in Arnulphum? Poteras iamdudum tacita cogitatione deprehendere quòd dicam. Eo mihi fœdere iunctus eſt Arnulphus: ut in eum arma producere, aut contra eum ſtare quouis pacto non liceat. Quid ergò Herluimus ait, ſi defenſorem inuenero? Num contra te uidebitur egiſſe, qui mihi in Arnulphum afferret præſidium? Hugo neminem ſupereſſe arbitratus: qui aut poſsit, aut uelit Herluimum in Arnulphum ducere: confidẽter ait. Quiſquis tibi fuerit auxilio, non mihi erit iniurius. Ea cùm Vuilhelmo renũciarentur: Non erit inquit indefenſa iuſtitia tua. Ilico parari iuſsit ex Britannis, Normannisq́ exercitum: & pro Herluimi cauſa hoſtilia denunciari, Flandriæ Comiti Arnulpho. Tum expeditione facta, duxit in Arcem Monſtreoli: & circumequitans, loci munitionem conſyderabat. Ordinataq́ oppugnatione, euocauit agmen expeditiorũ: quos ſcandendis uallis, ſuperandis muris, apprehendendis munitionibus nouit induſtrios: quibus ait. Si benè uos noui, nõ diu ſtabunt in oculis ueſtris munitiones circumpoſitæ. Ite: & palos extractos, ante pedes meos producite: captos ſimul propugnatores adducite. Hoc ſegnius dicto prouolant milites parere Ducis ſui iuſsioni. Scandunt, reluctantibus hoſtibus propugnacula: ſcuta obijcientes ictibus. Capiunt ſine dilatione prima munimenta. Procurrunt ad penitiora præſidij: captosq́ Arcis propugnatores extrahunt: palos cõuellũt: & ad pedes ſui Ducis proijciunt. Ille collaudatos, iubet opima præda munerari. Tum accẽptũ per manus Herluimum, reducit in arcem: Inſtruitur prandium comeſturis. Inter prandendum rogat Herluimum: Si quid ultra ex ſe depoſcat. Ego inquit optimè Dux, quantum tibi debeam, ſatis intelligo. Si quid in me eſt obſequij, tibi per reliquam uitam militabit. Non ignoras, mihi inutilem in reliquum Arcem fore: quam etiam integram ab Arnulpho tueri non poteram. Tui ſit arbitrij, tuæq́ poteſtatis: tibi illam permitto. Ille refert. Non hac lege ueni ut mihi pugnarem. Integrum in te meum eſſe cõſtitui beneficium. Infirmatas munitiones per expugnationem, ipſe meis impenſis reficio. Manum ualidam, quæ tuo etiam arbitratu ſatis ſit ſeruando, tibi relinquo: commeatus abundè præbeo. Si uaſtauerit fines iterum tuos Arnulphus: cum exercitu reuerſus, efficiam: ut illũ pœniteat ſuæ graſſationis. Si rurſum oppugnauerit

Monſtreoli capitur.

Ducis beneuolentia & liberalitas.

uerit

uerit: nouum tibi præsidium ex me non deerit. Quòd si inducias quæsierit: nō negabuntur. Si causam patietur iure agere: adero uolens placitis tuis. Et si quid quæris: ecce promptus præbeo. Stupefactus Herluimus liberali promisso: sese cum suis proiecit ad pedes Ducis: summū max. Deum implorans: ut pro se reddat quæ meretur Duci. Constitutis impensis reparandæ munitionis, ac deputatis militibus qui manebant in præsidio: cōmeatuq́; plurimo importato, in sua Dux reuertitur.



Arnulphus Flandriæ Comes, quod non uiribus, insidijs tentat: quibus Ducem Vuilhelmum proditoriè interimi curat. Caput. xxxv.

NEC longo post tēpore, quia Arnulphus Duci uiribus par esse non poterat: respexit ad insidias. ut dolo subuerteret, quem uincere uiribus haud poterat. Nouit autē in Franciæ Proceribus esse non paucos, quos obliqua inuidia mordebat Vuilhelmi gloria: quibus etiam, eo perdito, opus esset, aut certè non iniocundū. Mittit ergò Vuilhelmo legationem, cui adesse iussus est Herluimus. Orator quantum potuit Oratione præmissa, obsequia præfatus, purgabat Arnulphum: quòd ignorauerit Herluimum, id quod apparuit, illi tam esse deuinctum. Proinde remittere culpam Herluimo, ut Vuilhelmum promereatur: cui esse cupit perquàm familiaris. propter uicinam utriusq; ditionem: pluribus profuturam, terram utriusq; possidentium, amicitiam. Scire Arnulphum, quæ pacis sunt & iusticiæ, nō detrectare Ducem Vuilhelmum: nec refugere: illum habere causæ suæ arbitrum. Inducias triū mensium pacisci: & tempore medio locis opportunis poscit Conuentum. Hæc quàm maximè potuit, blanda uoce locutus, uultum demittit. Dux primùm sciscitatur Herluimū, quid sentiat. Ille & si dolos subesse uereatur, non audet præiudicare Duci. Tum conuersus in suos Vuilhelmus. Quandoquidē inquit, uitæ meæ uotum peruouistis: orare quæ ad pacem sunt, debetis uniuersi: & ego inter primos pacis Autor, constitutos pacis tractatus non recusare. Itaquè Inducias permittit: locum Conuentioni designat. Nuncius reuertitur ad Dominum. Vbi dies aduenit: Dux copias necessarias in armis habuit: illisq́; assumptis in pagum proficiscitur Ambiacensem. Ibi ad Sumæ fluminis ripam castra collocat. Ex aduerso Corbeiæ tetendit Arnulphus. Erat in Sumæ fluminis medio insula: quam fluctus exæstuans ab olim proiecit: hanc petit Arnulphus, quatuor solis comitatus. Oratq́; Ducem: ut duodecim numero stipatus, dignetur occurrere. Ille non recusat: nihil præter pietatem uersans in corde, cùm alter dolum machinetur. Sed quis subesse uereretur? cùm numero militum Dux præualeret. Venitur in colloquium. Tum prior Arnulphus. Vides inquit

Orator Arnulphi.

Dux.

Techna insidiarum.

Arnulphus ad Ducem.

des inquit optimè Dux, ætatem meam: uides confectum morbo corpus (podagrosus enim erat) & ideò temporum meorum, etiam si fieri potest sequentium, pacator esse debeo. Ab Herluimo multis affectus iniurijs, ad arma perueni. Omnem illi noxā tui causa, ecce iam remitto: illumquè in te ex hoc die amicū adscribo. Modo apud te quod postulo, fac impetrem. Te patronum inuoco: ad te multorum pressus iniurijs refugio. Nosse potes, quibus in me animis sit Hugo Dux, atquè ex Primoribus cæteri. In te uno requiescā. Sume clientem. ut post me, quem sine prole non ignoras, ditionem tuæ meam coniungas. Proderit Patriæ, talem in hæc tempora suspicere patronum, tunc etiam Dominum uenerari. Crediderat ex animo locutum, pietate plenus Dux Vuilhelmus: & qui nullo unquā tempore dolum cogitabat, præsumere non poterat de homine tam blando. Tum refert ista Dux Vuilhelmus. Ego ut tibi concilietur Herluimus, ex animo eam solam profectionis huius causam habui. Hoc assecutus, satis magnum itineris præmium accæpi. Pacem tecum: atq; si fieri potest, quod in me est, cum omnibus non recuso: eamq; modo largior: & accipio. Si fœdera cupis inter meum, ac tuum Principatum: non abnuo. At in eam rem opus est adhibere consilium Procerum. Regionem tuam post te non requiro. Sit tibi longæua. Pacem si ex animo quæris: ilico ex me putato consecutum. His atq; huiusmodi in aliquot horas producto sermone, amplexati discesserant. Arnulphum duo ex suis in nauiculam inter manus deportabant. Vuilhelmus quoq; duodecim comites ire iussit in unam: ipse cum solo remige concessit in alteram scapham. Vbi iam medium amnem tenuisse uidebatur: accurrunt quatuor Arnulphi milites, armati dolo, gladijs sub ueste contectis: Acclamant à ripa: Optime Dux, quod præcipuum erat inter uos, unum omissum quęritur Arnulphus. Digneris adesse paululum. Nam Senior noster, ut uidisti claudus: non ueniendi ad te, ueniam deprecatur. Nosq; pro se misit, tibi dicturos quod superest. Credidit uir innocuus: & flexit in insulam. Duodecim milites eius medium adhuc amnem, nihil suspicati, tenuêre. Vbi propius Dux accessit: eductis gladijs, confodiunt uirum omni uirtute incomparabilem, omnium sęculorum Ducem dignum memoria sempiterna. Stabant agmina eius in armis, ripa ab altera: & ingemuêre altius: quòd flumine disclusi, adesse Principi suo non possent. Serius aduecti de medio amne duodecim satellites: palpitantem inueniunt. Perfidi latrones cum Domino suo ad cohortes suos reuertūtur. Ita perijt uir incomparabilis, exitu plus quàm miserabili: dum hosti fidit: uidente & nihil potente forti exercitu suo per amnem diuiso. Exanime corpus reuehunt mœsti satellites. Rimantur cruore perfusum:

Marginalia: Christianissimi simplicitas. — Dux Arnulpho. — Ducis Vuilhelmi mors Anno Christi 943.

fuſum;& multis cum lachrymis nudantes, inueniunt in lumborũ ſtro pheo clauiculam argenteam. Mirantibus quid foret: ſuperuenit Camerarius miniſter: qui ciſtellam in penitioribus eſſe affirmabat: quæ ueſtem includeret monachalem. Conuenit turba multa Procerum: atquè ex omni ditione plebs uniuerſa: impoſitumq́ feretro corpus, templo Mariæ Rothomagi tumultuandum intulerunt. Richardum inde filium, cui iamdudum uiuente adhuc patre, ſe Proceres adſtrinxerãt, in patris locum Ducem ſibi conſtituerunt. Erat autem poſt natum mundo Chriſtum. 983. annus Kal. Ian. cùm cæderetur.

ALBERTI KRANTZII Hamburgen. Chronographi, Rerum Noruagiæ geſtarum LIB. III.



PROLOGVS.

COLLOCATIS iam Normannis per littora Galliarum, in eam Regionem quę prius Neuſtria, de illorum nomine nunc dicta Normannia: prius quàm cœptæ ditionis ſucceſsionem exequamur: pauló nobis ad ſuperiora redeundum eſt: ut Noruagiam, quam cæpimus, per Antiquitates eius recenſeamus ordine ſuo. Quanquàm turbulentiſsima illa tempora fuerant; languente Orientali Romanorum Imperio: & ſub Saracenis miſerabiliter laborante. Romanum autem Occidentale Imperium, in ſtirpe Carolina poſt Arnulphum ita contabuit: ut in contemptum omnium proueniret. Summi Romæ Pontifices, ita uertiginoſo impliciti ſunt malo: ut per ſucceſsiones multas, prædeceſſorem ſuum quiſq́ in maledictionem & execrationem deuocaret. Cùm in Italia Berengarij, in Germania Hungari Romanum fatigarent Imperium. Et in Gallijs nihili erant res militares. quùm Primores aduerſus Carolum Simplicem, & filium eius Ludouicum, de Regni ſumma contenderent: Normanni ſuam regionem tutarentur. Per quæ tempora: cùm rebus externis magis, quàm domeſticis Danorũ atq́ Normannorum Reges ſtuderent: tam uacui reperti ſunt Annales, ut uix Regum nomina reperiantur. Multæ per ſingulos annos Borealium factæ ſunt excurſiones. Nunquàm enim quieuit gens illa: donec Chriſti fide germanicus ſuſcępta, manſueſcerent: diſcerentq́ ſuis contenti, aliena non quærere. Aſpectabat deſuper DEVS, tantam gentium in Chriſtianas prouincias crudelitatem. Non enim ſatis erat à Danis atquè Normannis uaſtitatem perpeti: Vuandali quoquè gentili adhuc errore ſordentes, immanitatem ſuam in uicinos exercuerunt. Su- Supra lib. 2. cap. 32. & ſe.

per omnes uerò Hungari, gens Scythica, illis tēporibus incubuit Germaniæ. Quis non putaret tunc miserabilem Christianismi per Saxoniam statū? Cùm hunc Normanni, inde Hungari premerent: igni, ferroq; cuncta peruastantes. Occulta Dei iudicia quis explicabit? Qui Hebræis olim inmisit Chaldæos, Græcos, Romanos: quos in diuinis Scripturis appellat ministros suos: cùm tamen illum ignorarent. Ille inexplicabili consilio, Christianis Prouincijs primùm Gotos per Italiam: deinde Vuandalos per Aphricam: postea Hunos per Gallias: & nunc Hungaros per Germaniam diffundit. Nec satis uastitatum terræ inmittunt: si non etiam à mari ueniant, qui sanguinē hauriant Christianum. Quid inter hæc dicemus? Nisi, quia electos suos Deus, in clibano mundanæ tribulationis excoctos, per ignem & aquam uocat in refrigerium æternæ beatitudinis: præmonitos, quia non sunt condignæ pasiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur. Quis etiam inter hæc non miretur studia Apostolicorum interim in Boreali mundo uirorum? Nam Dani & Normanni foras prodeuntes, in alienas sæuiunt prouincias. Interim Anscharius, Rembertus, Vnni S. Pontifices, suæ legationis explentes munera. Danis, Suedis, Normannis regnum prædicarunt immortale. Et quando illi exierunt ad alios euertendos: sancti Pontifices in uisceribus Prouinciarum ædificandis, & in Christi religione eis imbuendis, qui domi remanserant, institerunt.

Occultum iudicium Dei.



¶ Adalstenus cum Noruagiæ Rege (cuius nomen supprimunt Annales) pactis conuenit super Regno Angliæ, testamento Regi Daniæ legato.

CAPVT I.

CONRADVS ex Carolina stirpe nouissimus, Romani nominis dignitatem per Germaniam tenuit: cum Berengarij in Italia tumultuarentur: Daniæq; Rex Gormo regnaret: qui filiam Regis Angliæ Edelbrandi, Thiram nomine coniugem haberet: ex qua filios sustulit Haraldum, Kanutumquè. Sed posterior ante patrem uita functus est. Prior autem cùm in armis exercitatissimus haberetur: iam tum sub patre tantum nominis promeruit, ut auus illū maternus Angliæ Rex, exhæredato filio Adelsteno, scriberet hæredem. Sed cùm Haraldus Danicis atq; Borealibus rebus implicaretur: Edelbrandusquè auus decederet: Adelstenus proiecta membrana paterni Testamenti, Regnum aggressus est administrare. Rex autem Noruagiæ (cuius nomen supprimitur Annalibus) audito, quòd Rex Angliæ rebus humanis concesisset: Regem Daniæ, quem scriptum hæredem audierat, in remotis agere cerneret: nec ignoraret, ignauum hominem Adelstenum; quem suus etiam genitor Regno imparem iudicasset: quantam

Daniæ lib. 4. cap. 18. b

quantam potuit instruxit, armauitque classem: mouens in Angliam: cuius portus iam nosset. quippè qui crebris expeditionibus cum Danorum Regibus in ea militasset. Adalstenus autem ignauus Rex, cùm etiam seipsum non ignoraret: nō armis, sed pactis agendum censuit cum hoste. futurū ratus: ut mollioribus hūc conditionibus placaret, quàm Haraldum Daniæ Regem: qui omne ius solus sibi Testamento constiiuit uindicare. Itaque missis ad Noruagiæ Regem Oratoribus, colloquium deposcit. Conuenitque post multa inter eos: ut Adalstenus Regno per sua tempora potiretur: sed ad nutum Regis Noruagiæ, quocunque deuocaretur, arma mitteret auxiliaria. Interim certus successionis, prę̄stolaretur eius. Et ut exhibito Regem placaret ministerio: obtulit educationem in Angliæ Regno filij eius Aquini. Quem susceptum, Regia munificentia ut proprium excolebat. Re autem uera ob fidem habiturus. ne quid ille foris moliretur. Simul & præsidium certius demoraturus: si quando Rex Daniæ Haraldus, Angliæ incumberet. Cupidus perficiendæ rei Rex Noruagius, conditionem accæpit. ne Haraldi interuentus cuncta disijceret: fretus etiam armis Anglię, in eum si quid nouaret. Vtque magno sibi pignore hominē deuinciret: filium proprio spiritu chariorem, Anglo tradit educandum: obsidem præbens, qui debuit accipere. Sed effecit rei properantius perficiendæ desyderium: ut pactis memoratis omnia firmarentur. Haraldus autem Daniæ Rex, compositis iam rebus in ea prouincia, quam tentabat: exercitum reduxit in Patriam. Audiens quantum amisit in suis, dum inhiaret alienis: dissimulato tamen ad tempus negocio, rem tacitus perferebat. Nec diu Noruagiæ Rex supererat.



¶ Aquini ex Anglia, mortuo patre, in Noruagiam reditus, qui ilico post reditum suum, morte non uulgari occubuit. Caput. ij.

AQVINVS Noruagiæ Regis filius, posteaquam acc̨episset paternæ necis nuncium: festinauit Patriam inuisere. ne quid rerum innouaretur. Itaque classem instruxit: Adalsteno Angliæ Regi ualefaciens. Ille uerò alumnum iam moribus suis formatum, inuitus dimisit. Nauigans autem in Noruagiam: res perturbatus (ut fieri solet) cū mutato Rege respexit. Nam Haraldus alius Gunnildæ filius, cōparatis auxilijs ab Rege Danorum, mouit in hostem. Veritus autem Aquinus nauali prælio confligere: quòd impar nauibus uideretur: terrestre prælium obtulit. Nec moratus hostis, acquieuit. Erat inter Primores Haraldi, qui Aquinum in medio depugnantem euocaret in primam aciem: experturum, si quid illi uirium esset. — Aquinus Rex. II.

Nec moratus ille, processit. Quippe generosus spiritus, sui contemptum non sustinet. Hosti igitur oppositus, pugnam exerit. Ille securim uibrans ab alto, petit Aquinum: secuissetque medium, si non interuentu suo satellitum quispiam ictum spontaneus excæpisset. Laudabilem per omnia uirum: qui heri uitam, sua duxit chariorem: morte sua præueniens letum domino intentatam. Pugnæ autem hic erat exitus: ut cum Aquini insidiæ emersissent interceptæ: Dani fugam ineunt. Iam sola stabat in campis Aquini acies, cùm hostis effugisset. Mirumque spectaculum, omnium in se oculos conuertit. Nam telum, nullo qui cerneretur arcu missum, in aëre diu fixum herebat, nunc hic, nunc illuc inclinans. Post multa, cùm sibi quisque formidaret: pronum ferūt in caput Aquini decidisse: moxque hominem exanimasse. Ita Haraldo Regnum cessit Noruagiæ, hoste sublato. Ferunt: maleficijs deditam fœminam, telum hoc procurasse: qui uicti filij pœnam sumeret ab hoste: ac illum uacuato Regno, faceret successorem.

Memorabile rarum.

Aquini mors.

¶ Haraldus Noruagiæ Rex crudeli imolatione Dijs facta, tempestate suborta Daniæ Regem maleficijs uincit & fugat. Caput. iij.



HARALDVS Gunnildæ filius, Noruagiæ Regnum assecutus: cùm audiret Haraldum Daniæ Regem cognominem suum, cuius armis erat inuectus: cuique annua perinde tributa deberet: Ottonis Romani Imp. Iutiam uastantis ad extremum Vuandaliæ, bello implicitum: sperans, non facilè illum Saxonicis, & Imperatorijs armis expediendum: ausus est rebellare: constitutaque tributa negare. At illum in ea parte, spes sua destituit. Nam Rex Daniæ salutari usus consilio: pacem ab Imperatore sub pacto, recipiēdi Christianismi oblatam, amplexus: fœdera iunxit cum Ottone. Retrogressoque cum exercitu Imperatore: audiuit Haraldi Noruagij defectionem. In quam expeditionem misit classem, quam ad Iulinum Vuandaliæ oppidum, cum delectis militibus, ob Piraticam prohibendam constituerat. Cernens autem Noruagiensis Haraldus, præter spem suam, imparatum se adoriri: consilium sumpsit ex tempore. Maleficijs, quæ plurimum adhuc in ea gente ualuerunt, obtenturus, quod armis non poterat. Adolescentiores duos filios correptos, Dij suis imolauit. ut uentis & imbribus hostilem classem uexatam, sibi euerteret. Crudelis pater: qui sanguine charissimorum liberorum, Regnum mercaturus: hoc impenderat, pro quo solent cæteri mortales bella suscipere. Tum uerò maleficijs suis optatum uidit exitū. Nam turbine magno exorti nimbi: ita classem disiecere hostilem, uultus & ora militum percussere: ut respicere non auderent. Ille egressus qua poterat manu: nonnullos ex

Haraldus Gunnildæ Rex. I.

O crudele facinus.

Primo-

Primoribus Danorũ captos abduxit. Cęteri re infeliciter gesta, in Daniam redierunt. Cunq; crudelitatem in proprios affectus inchoatã, in captis declararet: reperit patientiores ad tormenta Danos, quàm se atrocem in irrogandis. Miratusq; uirorum constantiam: cùm nullis minis terrerentur: nullis supplicijs ad quod uolebat adigi possent: primùm exhibuit dimissis: ut si uellent, honorato apud se loco militarēt. Recusantes autem: quòd se dicerent militaribus sacramentis Danorum Regi obnoxios, cùm uirtutem admiraretur, incolumes dimisit. Illi ad Regem suum regressi, prioris militiæ stipendia egerunt: testificati hominis Noruagici crudelitatem.



¶ Suenotto filius impius, Haraldum patrem Dania expellit. Saxones bello profligat. A quibus rursum deuictus, Christianismo imbuitur. Cap. iiij.

INTER hæc uerò, cùm Haraldus Daniæ Rex, Christiana matre Anglicana natus, maternis uictus præcibus, non iniquos in Christianum populum animos gereret: ipse necdum amplecteretur: Ottonis primũ Imperatoris armis cōactus, Christianis sacris, cum filio, & coniuge initiatus est, filiumq; illi Suenottonem nuncupatum, Imperator ipse de fonte sacro lęuauit. Diuq; fœliciter Regnum Haraldus administrauit: in Christi fide multis religiosè proficientibus. Quos uerò Gentilis error indurauerat, in sæuitiã uersi, Christianas terras populabantur. In Vuandaliam quidèm necdum Christianam (antiqua erat Danorum palestra) sed & proximam Saxoniam infestauère. Inde per Frisiam: littora quoq; Galliarũ euagantes, contribules suos in Franciæ littoribus Normannos. Nonnunquàm Anglos adiere. Sed cùm Suenotto Haraldi filius, regnandi auidus esset; perpenderetq; multorum graue murmur, super noua, & patribus incomperta religione, ad quam Rex omnes perpulisset: uiam ratus, qua ad Regnum pulso patre perueniret, egit cum fastidientibus Christi religionem, ut se Regem dicerent, pulso patre. Pollicitus est religionem solitã restituere, procurante generis humani inimico. Conspirant in Regem. Filium efferunt, illius sacramenta suscipiunt, patre deiecto. Tradũt Gallorũ Annales, Eiectũ Regno Haraldum, in Normanniã Franciæ littora, ad Ducem Richardũ peruenisse: rogantē auxilia in reductionem. Illũ perbenignè suscepisse uenientem: & Comitatũ illi permisisse Constantinensem. Inter littoreas quoq; regiones is est. Haraldum ibi arma, militesq; reparantem, in patriã iterũ nauigasse. Sed tũ Haraldus à filio iterũ atq; iterum uincit. Nouissimè uulneratus, cōcessit in Iulinũ Vuandaliæ oppidũ, ibiq; uitã finiuit in Christi

Aliâs, Sueno. Nam à patrino illi hoc nomen obuenit Ottone, ut supra. Daniæ lib. 4. cap. 19. b.

Cōspiratio.

confeſsione:reductus iam funere Roſchildiam in Regnū. Interea uerò Danorum Proceres quietis pertæſi: cùm felicem multorū nauigationem meminiſſent:ad mores ſuos, infinita multitudine perarmata, per Albim aſcenderunt,littora omnia uaſtantes. Apud Stadium conglobati Saxones, Sigefridus Marchio, Thiadericus Comes, cum multis militaris generis fortiſsimis uiris:egreſſos nauibus in terras Danos excipiunt:fortiter præliantur. Sed is tum fuit qui ſolebat exitus. Victi Saxones, dare terga coguntur. Capti ex Nobilibus Sigefridus Marchio, & Tiadericus Comes: multiq; alij inferioris gradus uiri milites. Captiui in naues pertrahuntur. Dum autem moram faciunt: in Albi excurſiones latè facientes demorantur: ſi quis in redemptionem captiuorum æra produceret. Quo tempore alter ex memoratis Nobilibus, piſcatoria naui per noctem adducta, elabitur. Dani excandeſcentes:qui remanſerant malè mulctarunt:alium præciſis naribus, aliū etiam manibus, & item pedibus alium. Qui ex fuga ſalui erāt Saxones, cum Duce Bennone Hermanni, quem Otto primus erexerat filio, in ſigne iterum agmen collegerant. Danis ſe iuxta Stadium opponunt: & alacriter præliati, multos ex Danis ceciderant: plures cœperant:reliquos in fugam compellunt. Captos in contumeliam gentis, & in ultionem truncatorum, iugulatos appendunt in arbores. Nomen loco diu permanſit ex facto: ut Vuorgebur diceretur, Saxonū lingua: hoc eſt, Iugula agreſtis. Suenotto uerò cùm patrem Regno expuliſſet: & pro eo Daniæ imperaſſet, impietatis ſuæ pœnas luebat. Donec ad cor reuerſus, Chriſtianiſmum, quem abiecerat, ex animo reciperet. Nam Ericus illum urgebat à fronte. A latere autem Vuandali illum adorti, ter cœpere prælio, mixtis, ut fieri ſolet inſidijs. Toties ęre redemptus, uacuabat Regna ſua auro & argento. Demum compertum habens: cœli Dominum, cuius Religionem ineptè contempſerat: & ſuam, & parentis in ſe iniuriam uindicare:reuerſus ad cor, ſacratiſsimam Chriſti religionem feruentiſsimo cœpit ardore complecti. Ex quo die proſperiora omnia expertus eſt. Cùm tamen & à Suecis, & à Vuandalis pręmeretur:ad Olauum Noruagię Principem conuolauit: paterna in illum merita commemorans. At ſurdas eius aures uidit. quòd uir fidelis, impietatem, quam ille in parentem exercuit, uehementer execratus eſt. Simul:quòd Religionem ſanctiſsimam abieciſſet:ſocietatis cum illo uinculum recuſabat.

Cadunt Saxones.

Vincunt Saxones.

Daniæ lib. 4. cap. 23.

¶ Olauus Rex, à Suenottone & nuptijs deluſus, & bello uictus, mari ſe præcipitat. Caput. V.

Olauus Rex. I.

LAVVS interim Rex Noruagiæ, cùm audiſſet, Ericum Suetiæ REGEM in fata conceſsiſſe; relictam eius

coniugem

coniugẽ sibi postulabat. Accepissetq; nisi Suenotto, qui auersum sibi Olaui animũ sciens, nuptijs disturbãdis interuenisset. Noluit enim tali pacto, uires aduersantis sibi Olaui crescere. Duos ex fidissimis, trãsfugarũ specie, iussit abire ad Olauum in Noruagiam: crimina multa, quo fides illis haberetur, in Suenonẽ iactare: filiam uerò eius Thirã, magnis efferrent laudibus, ut animũ eius nuptijs futuris puellæ inclinatum, à Suecia flecterẽt. Fit sedulò quod mandabatur. Peruicerũtq; dolosi perfugæ: ut Olaui animum à Regina translatum, puellaribus nuptijs inclinarent. Cunq; Regina iam ante, colloquij gratia, ab Olauo euocata, non longè à Rege in mari naues fixisset per ancoras: rogata, ut Regiam nauem adire dignata, Regem inuiseret: matronali grauitate aliquandiu restitit: nõ ex sui dignitate futurũ causata, si ipsa suis nuptijs procurandis intenderet. Demũ cessit instantibus. Pensile lignum erat pontis loco substratũ: unde in Regiã à sua naui Regina transiret. Effecerũt perfugę, qui Regem Olauũ circũstetère: ut cũ ingressa esset: subligaculo retracto, mari Regina mergeretur: insultationibus cernentiũ grauius accusata. Tũ illa annitentibus suis militibus, ęgrè periculũ euasit: secũ ultionem meditata, quòd ruborẽ contemptus, cũ uitæ periculo Rex intulisset. Sueno aũt iratæ fœminę animũ suis uotis facile inclinauit: ut ea accępta cõiuge, uires sibi Suetiæ iam Olauo infensas cõciliaret. Ita Olauus Noruagius, duorũ fraude perfugarũ, duplicibus nuptijs frustratus est: neq; Reginã quam cõtempsit, neq; puellam quã ambiuit assecutus. Olauus aũt, quia Suenonẽ bellicis rebus infelicem accæperat; audebat bello impetere. Multum uerò milites eius usu sagittandi ualuère. Cunq; Sueno nihil moratus ad prælium occurreret: fit naualis pugna: in qua cum uehementius Suenoniani Noruagiorum arcubus urgerentur: iubentur totis uiribus ad sagittariorum uires commoliendas concurrere. Nam actis in propinquum nauigijs, facile arcuum impetus languescebat. Quæ res Noruagijs abstulit: Danisq; uictoriam parturiuit. Olauus cum uideret suorum uires cedere Danis: ne damno dedecus adderet, seipsum pessimo consilio mari præcipitem dedit: hostem uidere non sustinens uictorem. Qua uictoria Suenoni Regnum accessit Noruagiæ: iam ante duobus Regnis imperanti. Nam & Angliam prius adiecit imperio suo, cum religione mutata, fortunam sentiens, in dexteriora omnia conuersam. Nã qui perfidus Christo, sua tueri non poterat: iam in Christum uersus, uicina omnia Regna premebat Imperio.

Daniæ lib. 4. cap. 24. b
Suetiæ lib. 5. cap. 10. a

Olaui mors desperata.

Olauus

¶ Olauus Rex à Kanuto bis illusus, Daniam cum Haraldo infestans, uincitur: ac tandem procurata illi morte cadit.

CAPVT VI.



Sueno Rex

SVENONIS interea temporibus Noruagia parebat illi. Sed cùm iam morte ille subduceretur: Angli et Noruagij retraxêre obedientiã Danis. Nam Kanutus ex Syritha filius, ægrè Daniam adolescens tutabatur. Noruagiæ autẽ Rex creatur Olauus, uir optimus & christianissimus, qui sanctitatis suæ merito, postea relatus est in Sanctos. Kanutus ætate prima dissimulabat iniuriam: donec auctis uiribus patriam ditionem recuperaret, uires in Sembis et Vuandalis acuens: tanquàm promptioribus ad uictoriam populis. Olauum Noruagiæ Regem fictè sibi concilians, ut iunctis uiribus, Angliam aggrederetur. Comparatis igitur copijs, duorũ uiribus Angliam ingreditur & oppugnat. Stantibusq́ ad pugnam aciebus, cùm fortiter utrinq́ pugnaretur: fortè signa Danici exercitus conuulsa perierunt. Non est passus tantæ rei dispendiũ, in quo magnum uictoriæ momentum uideretur, quidam ex gregarijs militibus: qui correpta uirẽti partica, eaq́ in sublime erecta, socios ad signa uocat: restituitq́ penè aciem Danorum reuertentem. Quo facto, æternum sibi nomen peperit, uir ante priuatus, & penè ignotus: restitutoque ad pugnam agmine, intolerabiles Anglis Dani inminebant. Cernens Angliæ Rex suorum uires retrocedere: pacto magis, quàm armis ratus agendum, signum dari iubet reuocandis à pugna militibus. Conuenitq́ inter Reges: ut Eduardus quoad uiueret, dimidia Regni parte frueretur: post mortem toto: & iam uiuenti reliqua dimidia Kanuto Regi pareret. Olauus qui aderat: nullam in fœderibus sui fieri mentionem, tacitus dissimulabat. Adiunxit Kanutus aliam priori iniuriam: ut concubinam Olaui stupraret. Qua gemina turbatus contumelia, Olauus in iram excandescens: abijt cum sua classe in Noruagiam: tempora demoratus iustæ ultionis. Kanutus autem Normanniæ Ducis Richardi filiam Immam duxit coniugem: eiusq́ fratri Richardo Estritham sororem coniugem dedit. Imma autem fuisse reiectam coniecto Eduardi Angliæ Regis. Quam idcircò duxisse creditur Kanutus: quo magis gentem accæpta Regina, sibi conciliaret. Sed Richardus suspectam ferens Danici Regis fidem: dimissa Regis sorore (quam ille postea Vlfoni Anglorum Duci dedit) ex ea natus est ei inter alios filius SVENO DANORVM Rex postea christianissimus: sua spontè exulans, in Hierusalem profectus, ibi mortem obijt. Cuius socij quadraginta in Apulia remansisse memorantur: defen-

Olauus. I. Rex.

Daniæ lib. 25. a. b.

defendentes cum Principe, quem repererunt Vuilhelmo, prouinciã. Sed ad hæc postea reuertemur prosequenda. Olauus autem Noruagiæ Rex, cum Haraldo fratre, non inmemor iniuriæ, Daniam crebris bellis lacessebat. Kanutus uerò totis Danię uiribus illis occurrens, magno eos prælio uicit: fugatiq́ꝫ, Regnum paternæ ditionis recuperauit. Fugatus Olauus ad Orientem concessit. Donec Olauo Suetiæ, qui frater erat Kanuti, absumpto, uires etiam suas auxit Suecorum accessione. Et ita rediјt in Noruagiam, uir omni memoria dignissimus, & uitæ sanctimonia, & Regni gubernatione. Interea Vlfo, quem diximus, missam à Richardo Kanuti germanam uxorem traduxisse, æmulatione uirtutis infensus Kanuto, se iunxit Olauo Noruagiæ Regi. Sociatisq́ꝫ agminibus, Noruagij, Sueci, & Vlfonis milites, Daniam inuadunt: Olauus mari, Emundus Suetiæ Rex, terra incumbebat: Vlfo duorum medius incumbebat locis opportunis. Ibi Olauus celeri, & ad cursum habili inuectus nauigio in Sialandiam, Concionem aduocat: populum, ne sanguis multus effunderetur, ad deditionem hortatus. Dum concionatur, cōspecta uela de mari grandium nauium, Regem terruêre. Rogatus cuius essent qui nauigarent, à sene, non ignorante Regem esse Kanutum, audiuit esse Mercatores. Iterum, iterumquè rogat: cùm magis ac magis propinquarent, bellicam esse classem intellexit. Tum conuersus in senem, indignatur sibi illusum. Cui senex. Mercatores esse dixi, sed à quibus per arma mercandum sit Regnum. Olauus fuga in naues sibi consuluit. Rex Kanutus exponens, & inde copias explicans, Duxit in Emundum: qui Scaniæ imminebat, retroq́ꝫ pepulit superatum. Pars agminis mouit in Vlfonem. Ille præsentiens, copias ire iussit trans flumen. ut transeuntibus immineret. Dani facto ponte, dum auidius quàm cautius urgent hostem: fracto ponte, multos amisêre. Circumspiciens tum Vlfo fugam: cùm classem Regiam imminere uideret: noctu relictis nauibus maioribus, solis scaphis traiectum exercitum seruauit. Manè uacuis ratibus imminentes Dani, delusos se esse conspexêre. Kanutus autē subornatis in Noruagia rebus, mortē procurauit optimi Regis Olaui. Quam rem in Metropoli explicauimus.

Vlfo Anglus.

Suetiæ lib. 5. cap. 11. a.

¶ Haraldus exilium deligit. Autor ad Normannorum historiam redit. Caput. vij.



HARALDVS Olaui frater Noruagię Regis, similem ueritus exitum, exilium deligit uoluntarium. Nam Constantinopolim petens, diu militauit Orientis IMPERATORI: cessitquè Kanuto. Ita Noruagia, facta inter filios Kanuti distributione, Suenoni filio prouenit. Haraldum item filium

Angliæ, Knutonem Daniæ, Henricum autem Conradi Imperatoris filium, & ipſum Imperatorem poſt patrem, data in uxorem Gunnilda filia, ſibi generũ aſciuit: & cum Imperatore Conrado ipſe Rex Kanutus Regio inſtructu petiuit Italiam. Verũ ne longius digrediamur, tempora diſiungentes: in Normanniam Galliarũ Prouinciam nobis redeundum: ſucceſsionem illius Principatus executuri. ut nos ex commodo, cùm hæc tempora attigerimus, in Noruagiã iterũ declinemus.

Redit ad Normannorum hiſtoriam.



¶ Richardum Vuilhelmi Ducis Normannorum filium, pædagogus, Aulæ Regis Ludouici Franciæ clam ſubducit. Caput. viij.

Richardus Dux. I.

Supra lib. 2. c. 35. in fine.

RICHARDVS cęſo patre Vuilhelmo, puer paruulus agebat ſub tutoribus. Ludouicus autẽ Franciæ Rex immemor paterni ab illo beneficij: quòd per Vuilhelmum conciliaretur Henrico Romanorum Cæſari: & perinde ſtabiliretur in Regno: crebraq́ eiuſdem Vuilhelmi in Regem obſequia penitus abolens: inſidiatus eſt Normannię, iam Principe carenti. Vrebat illum Normannorum gloria. Dolebat, amiſſam Regni iam bonam partem. Cupiebat gentem uel in ſeruitutem redigere: uel ad antiquas ſedes iterũ expellere. Rothomagum contendit. Erat aũt, ut diximus, poſt. Dcccc. Chriſti annum. xliij. A Proceribus Regali excipitur apparatu. Hæredem Richardum iubet in conſpectum ſuum peruenire. Vbi uenit: laudat indolem, dignum fore, qui erudiatur in Aula. Se illi futurum tutorem. Ilico in Regiam tranſit familiam. Fama uolat urbe tota: Richardum puerum, à Rege captum: & abducendum: ut Principe uacent. Fit concurſus. Plebs etiam infima tumultuatur. Regi minantur extrema: ni puerum reddat. Ille placando populo, uerbum demandat. Nihil ſe nociturum puero: paternam illi ditionem ſaluam fore. Solenniter illum in conſpectu populi inueſtit de feudo. Sacramenta accipit à tutoribus: & placidum in morem omnia exhibens, permittitur in Aula educandum ſecum puerum abducere. Aliquandiu manſit cum Rege puer, educabaturq́ ſub Pręceptoribus: ut ritui inſueſceret Gallicano; morem patrium exuens. Rex autem per tempora ſemper tetriore uultu puerũ aſpexit: & erupit aliquando motus cordis per uerba minantia. Animaduertit rem ex pædagogis quiſpiam: proſpiciẽs, quem eſſet res exitum habitura: miſeratus puerum. Aliquando in ſecretiora ſolum perducens: ſuaſit ſimulare morbum corporis deſperatum. quo abducendi illum acciperet occaſionẽ. Facit puer quod monetur. Proijcit ſe in lectum: capitis, & totius corporis malam quęſtus ualetudinem. Nullum interdiu cibum accipit: fidem facit cuſtodibus ueri morbi. Illi perinde cuſtodiæ diligentiã intermittunt: ſecuri, quòd per ægritudinem

Tumultus populi.

Pædagogi conſilium.

tudinem

tudinem neq; abire, neq; abduci posit. Pædagogus autem tempora obseruans: paleam ac stramenta multa conspicit in area. Cumq; Rex cibum caperet: ille congestis paleis, puerum inuoluit: fascemq; deportat, quasi equo pabulum deferret. Stratum equum inscendit: paleam ante se ferens. Nec ante quieuit, donec tutum in locum perueniret. Ibi puerum sub fida custodia, per noctem Siluanectem contendit. Comitem loci, Dominum gentis Normannorum fecit certiorem. Ambo ad Hugonem magnum Ducem contendunt. Rem detegunt: orantq;, ut puero consulat. Ille odio in Regem cōcæpto, copias parat: puerumq; ducit Rothomagum.



¶ Consilio Arnulphi, Ludouicus Franciæ Rex, Principatu Normanniæ, tum urbe Rothomago, ui potitur. Caput. IX.

ID CVM Regi compertum esset, euocat ille Arnulphum Flandriæ Comitem, quem sciebat Normannico nomini infestissimum, quod Vuilhelmum pueri patrem perdidisset, multum ab ea gente formidabat. Qua de re primùm Regi satisfacere uolens, præuenit quærimonia, falso sibi necem intentari Vuilhelmi, cuius esset ipse innoxius. Si Rex iubeat, exterminaturū se occisores. Tum Rex. Ego inquit, alia tibi uenio imponere, tua perinde consilia requirens. Hugo Dux conspirans, ut apparet, cum Normannis, puerum ædibus meis abductum, reuexit in Prouinciam. Ea in re quid facio? Comes cùm sibi timeret ab Rege, factus fidentior: Hugonem inquit, iamdudum insidias Regno molientem, nemo ignorat. Iam tum fidebat Vuilhelmo. Quo nunc, ut cernis, de medio facto, puerū incipit consectari. ut Gentis illius arma tibi obijciat. Sed occupandus est tibi: priusquàm conualescat. Cedit opibus, cedit honoribus, uir ambitiosus & auarus. Permitte illi Ducatum Normanniæ, tibi seruans urbem Rothomagensem. Placuit consilium Regi. Hugonem Ducem, cum cęteris uocat in Concilium. Venit. Ibi Rex de Regni institutione exorsus, alium se rebus ordinem daturum ostendit. Si uelit Hugo, totius Normanniæ Principatū, Rothomago excæpta, suscipere. Ille alacris, dono promittit obsequium. Tum de puero scrutatus Rex, audiuit illum Siluanecti esse, sub tutela Comitis eius loci. Placuit. Idq; consilio decernitur, ut Rex, et Hugo diuisis exercitibus, ferro et igni Normanniam inuadant. Id cùm fieret: Normanni rerum omnium ignari, quid ageretur mirati, subitum accipiunt consilium. Quando armis erant imparati, dolis occurrere statuunt. Mittūt Legationem Regi his uerbis. Cur inquiūt Rex potentissimè, Prouinciā tuam uastas? Quando tui sunt Normanni, parati in omne obsequiū. Veni, si uidetur Rothomagum:

thomagum: & suspice gentem tibi deditissimã. Visi sunt optata nunciare. Parat se Rex profectioni, stipatus satis magna suorũ manu. Rothomagum ingreditur. Regio apparatu excipitur. Ibi Bernardus quidam ex primoribus: Gratulamur inquit Rex tibi, nobisq́;. Nam hodie cum utrisq́; benè dictũ conspicitur. Quòd tu auctus potentia, nos etiam honore prouecti uideamur: qui hactenus Duci, nunc Regi obsequimur. Malè utrisq́; consuluit, qui gentis interitum armis intentauit. Hugo nunquã tibi fidus hoc quærit. ut te paulatim uiribus exuat: nudatum inuadat. Rex secum cogitans, Hugonis potentiam uerebatur. Misit ilicò qui Hugoni diceret. Quàmprimum Regione deduceretur: quæ iam Regi pareret. Ille ubi audiuit, indignatus: quòd Rex neq́; promissa seruaret: neq́; prosperatum illi cursum admitteret. Attamen paruit mandato, exercitum deducens.

Rothomagum Rex Franciæ ingreditur.

¶ Herluimus lancea perfoditur. Ob id inito bello, Dani Francos cædunt, Rege eorum capto. Qui dato obside filio, liberatur. Caput. x.



NORMANNI consecuti uidebãtur quod quæsierũt. Nam neq́; Hugonem patiebantur infestum: neq́; Regem: tempus nacti, quo sibi, rebusq́; suis consulerent in futurũ. Puer uerò, Dux iunior, apud Siluanectensem Comitem tutus agebat. Interim Rex Prouinciæ iam suæ Præsidem creat Rodulphum quendam, cognomento Tortan: qui nomine Regio mandata imponeret: tributa exigeret. Hic accæpta potestate, sæuior erat idololatris in Ecclesias. Nam dirutis quæ Vuilhelmus instaurauerat Monasterijs, de saxis reparauit muros. Bernardus autem Danus, cernẽs Regis ac Procerum arma esse maiora Conspirantiũ, quàm ut suis uiribus reprimeret: accitis gentis suæ Primoribus, Consilium init, mittendæ ad Haraldũ Daniæ Regem legationis: ut conscripto exercitu ueniret, ad prædanda littora Normanniæ: specie quidèm uindicandæ Vuilhelmianæ necis gratia: re aũt uera: ut pelliceret Regem in colloquiũ, ad constituendas pacis leges. Haraldus tum filio conflictauerat. Collectis tamen copijs undecunq́; uenit. Id quod facile illi fuit, Danos ad prædã uocare: qui sua spõte iam per aliquot secula prędis uiuebant, & sanguine. Rex Ludouicus contractis & ipse uiribus Franciæ, occurrit hosti. Sed prius quàm armis congrediuntur: missis inuicem nuncijs, ueniunt in colloquium. Ibi Ludouicus sciscitatur: quidnam causæ sit Haraldo, populari Franciæ littora: iampridem Cõstantinensem in his ditionem tenenti? Ille iniquæ necis Vuilhelmi uindictam se persequi contendit, sumpturumq́;, donec ex æquo res constituatur. Viderat quidam ex Danis astantẽ inter Francos Herluimũ, cuius gratia tuendi, Vuilhelmus ad mortem

Causa Belli.

ad mortem peruenit: incitus animo, lanceam misit: perfoditque homi- nem. Quod initium erat prœlij. Nam dum Franci uindictam poscũt, Danique factum defendunt: conseritur prælium. Multi utrinque cadunt. Sed ex Francis longè plures. Inter alios ipse Rex à Danis fugiens ca- pitur: cùm se cuidam magnis promissis onerato, abscondendũ permi sisset. At re comperta, compellitur miles, dare Regem in mediũ. Itaque captiuus Rothomagũ perducitur. Vxorem habuit Gerbergam, Ro- manorum Regis Ottonis iamtũ Imperatoris Germanam. Ea uiri sor- te nunciata, consternitur. Ad fratrem concitò aduolat: opem eius im- plorans, ad maritum Regem liberandum. Otto seuerè respondit. Po terat modestius Ludouicus egisse cum puero: cuius illi pater Regnũ restituit. Luit ingratitudinis suæ damna. Itaque ipse Regni mei implici- tus negocijs, tuis Germana superesse non possum. Illa frustrata, tristis redit in Franciam. Hugonem magnum interpellat. Ille operas pollici- tus, Siluanectensem Comitẽ, pueri custodem alloquitur. Per eum na- ctus cœtum Procerum Normanniæ cęterorum. Conuenientes igitur, in eam consentiunt formam. Vt reddito in libertatem Rege, filium ei- us accipiant cum alijs obsidem. Interim res ad pacẽ componantur. Ita facta permutatione, Rex liber dimittitur. Ducẽ interea suum Richar- dum Normanni armis instruunt: & rebus præficiũt agendis iam ma- iusculum. Ex partiũ placito de pace tractatur. Constitit Rex cum Hu gone ad Eptæ fluminis alteram ripam: Richardus cum suis manebat ex alia. Et intercedentibus arbitris, res componuntur: ut redditis obsi- dibus, Richardus suæ Prouinciæ Dux præesset. Filius tamen Regis apud Rothomagum in fata concessit.

Herluini mors.

Rex Franciæ capitur.

Liberatur Rex conditionibus.



¶ Richardus, Emmam Hugonis filiam ducit in uxorem. Otto Rom. Rex. I. infaustè Normannos molestat: re infecta soluens reditu exercitum. Caput. xi.

VBI adoleuit Richardus: rebus eius ubique crescẽtibus, Hugo ille magnus, Emmã filiã dedit uxorem. Quam rem Ludouicus Rex suspectam ducens: duorũ poten tissimorum per Franciam Ducum arma coniuncta suspectãs: ad Ger- manorum Regem Ottonem primũ, legatos mittit: in quibus Arnul- phus Flandriæ Comes, Lotharingiam illi pollicetur, si arma sumat in Hugonem, atque Richardum. Otto præstitã occasionem cupidè arripi ens, exercitũ conscribit: ducitque in Hugonẽ: terrã eius peruastãs. Inde conuersus in Normanniã, simili illi affuit calamitate. Præmittens cum copijs quendã ex suis Ducẽ, qui Rothomagũ terreat: ipse cum mole exercitus sequatur. Qui pręcurrit Dux, cernẽs apud urbẽ quieta om- nia: Normañi quippè taciti quiescebãt, donec ille factus confidentior

propinquaret: occurrente ad pugnã nemine, portas oppugnat. Tum facto agmine, urbici procurrunt: & facile hostes primum fugant: inde conterunt. Secutus Otto cum Ludouico magno exercitibus: ubi urbem uidit inexpugnabilem: iratus est Arnulpho Flandrensium Comiti: qui illum ad eius expugnationẽ inuitabat. Ille ubi sensit, iratum sibi Romanorũ Regem Ottonem: noctis conticinio se subducit, paucis abitũ eius persentientibus. Mane primo, cùm de Arnulpho fieret quęstio, ut primus in hostem iret: audiũt effugisse. Mox soluta obsidione retrocedunt, nullis rebus peractis. Normanni cædẽtes secuti instant: multos perimunt: quosdam capiũt. Hic fuit exitus expeditionis Normannicæ. Cui non diu superuixit Ludouicus Rex Franciæ. Hugo quocp iam senio fractus, eam senectæ suæ bonam nactus consolationem: quòd generum haberet Richardũ, omnium rerum abundantem affluentia: filium suum sibi æquiuocum Hugonem, in eius societate pariter & affinitate iubebat acquiescere. ut pariter adolescentes, pari uirtute crescerent: armis & animis consociatis, unum sentirent. Qua spe recreatus, iam plenus dierum, in Domino quieuit: rerum suarum relinquens hæredes, ambos penè pari ætate succrescentes.

Arnulphus se exercitui subtrahit.

Hugonis mors.



¶ Insidias locatas, uim & arma superat Richardus. Ebroica à Franciæ Rege capitur. Caput. xij.

THEOBALDVS erat Carnotensis Comes: qui, ut nonnulli sunt Autores, persuasit Haddingo Dano pecuniã accipere, sibiq; Comitatũ permittere. Hic ergò Normannico nomini infestissimus, cœpit ferro & igne (incertum quibus ex causis) Normanniã infestare. Sed armis repressus à Richardo, facile intellexit: imparem se futurum, tanto ubi se commoueret Duci. Igitur ad dolum conuersus, Gerbergæ quondam Reginæ Ludouici relictę, multa suggessit de Richardo. Quòd filio eius Lothario, ac Regno eius insidiaretur: operæpreciũ uideri, hominem de medio tollere. Alioqui Lotharium pacificè nunquàm regnaturum. Credidit mulier: & fratrem Brunonem Archipræsulem Coloniensem, paritercp Lotharingię Ducem (habebat enim fratrem Ottonem Rom. Imp.) multam quærimoniam, misso nuncio, perferebat super Richardo, formidata uano timore, pro factis exponens: rogauitcp, ut Ambianim ad colloquium aduocatum, secum abduceret. Paruit ille precanti sorori: & Richardum euocauit. Nec dubitauit occurrere. Eeunti autem, obuij fuere duo milites insidiarum conscij: quorum alter Richardum interpellãs: Quo inquit abis Dux illustrissimè? Ille se occurrere Brunoni Archiepiscopo, respondit. Tum miles: Adhuc inquit, in manu tua est: Dux sis Normanniæ: aut Opilio sub grauibus dominis. Cui Dux.

Insidiæ primæ.

Vnde

Vnde inquit estis? Referunt illi. Hoc ad te non pertinet: tibi uenimus militare. Ille susceptos in sodalitium, remunerauit. Conuersoq; itinere, repedauit, illuso Brunone. Nec tamē quieuēre aduersarij. Nam Regem Franciæ Lotharium insimulant: ut euocatum Ducem, illis expo nat ad prædam. Mittit Rex ad Ducem, qui diceret. Non esse Regni commodo, dissensionem uigere in corpore: operępręcium uideri, conciliare amicitiam: recognosci Regem à Duce dominū: illum etiam ab Rege suis honoribus munerandum. Ea esse quæ foueant amicitiam: quæ hostes terreant, exhilarent amicos. Proinde occurrat loco constituto: ut mutuo fruantur super omnibus colloquio. Credidit Dux: & expedita suorum manu non contemnenda, Regi occurrit ad ripam Heluæ fluuij. Tendebat Rex in altera ripa, comitatior quàm putabatur. Excogitato negocio, Dux præmisit in castra Regis, qui scrutarentur, quid rerum pararetur. Illi hostilia omnia comperêre: Adesse Balduinum Flandriæ, Theobaldum Carnoti, & Aufridum Andegauensem Comites, Richardo infensissimos. Protinus quæ uiderant, Duci suo renunciant. Ille concitus transito per uada flumine, parabat abire. Sequuntur inimici: & ubi hostilia tentauêre, conuersus in eos, pugna repulit: saluusq; Rothomagum redijt. Iam patuêre animi cunctarum in Ducem. Rex ergò non dolis, sed armis agendum ratus; ex omni Francia, atq; Burgundia ualidum contrahit exercitum: & imparatam ciuitatem Ebroicam, nihil tale metuentem, obsidet: ac breui capit: regressusq; cum exercitu, Theobaldum uicinæ regioni præficit.

Insidiæ secundæ.

Vincit Richardus.



¶ Theobaldum Carnoti Comitem, Richardus deuincit & fugat: Dani auxilia locantes, Comitatum, & Prouinciam Regiam uastant & prædantur. Caput. xiij.

INTERIM Richardus armata suorum quanta potuit fortissima manu: Carnotensem Comitatum, unde omnia illi orta sunt mala, ferro & igne populatur: uicem reddēs Theobaldo. Ille interea maioribus copijs adunatis, castra fixit apud uillā Hermentrudis. Hoc sciens Richardus, nocturno itinere pertendit ad hostes: inminens imparatis. Multos occidit: reliquos in fugam reijcit. Theobaldus per latibula uix redijt cum paucis Carnotum. Vbi illum similis fortuna excepit. Nam filius excessit: & urbs breui conflagrauit: debito perfidiæ præmio. Cùm autem totius se Gallicæ gentis odio laborare Richardus comperisset: secum expendit quid faceret. arbitratus: quòd res sua nō diu consistere posset: quem omnes uicini pertinacibus & conspiratis odijs insectarentur. Igitur legatione missa ad Daniæ Regem (quem tunc arbitror fuisse uel Haraldum, uel Suenonem filium) docuit, quo in periculo ageret. Diuitem Franciam prędis

expositam ostendit. ut implicatos externis bellis à se diuerteret conspi rantes. Nec diu opus erat precibus insistere. Facilè prouocantur ad prædam rapinis assueti. Necdum etiam Dania tota Christo credide rat: quàmuis ab aliquot seculis sancti Prędicatores ibi desudãtes, mul tos ad Christum conuerterant. Sed in barbara natione maior diu per mansit numerus perfidorum. Aduecti igitur Dani magna classe, Se quanam inuehuntur. Ad Giluodi fossam quę dicitur perueniunt. Ibi communita classe, deputatisq; custodibus: reliqua multitudo ad præ dandum egreditur. Vastatur imprimis Carnotensis Comitatus. Inde Regiæ quoq; ditionis Prouincia aditur. Mactantur obuij. Pręda abi gitur: & quicquid uel in cibum, uel ad augendam suppellectilem præ datoribus non placebat: leui autoratum precio, Normannis uenale exponitur.



¶ Pace firmata, Theobaldus, Richardo Ebroicam urbem reddit. Multi ex Danis Christum assumunt, reliquis ad prædam reuersis. Caput. xiiij.

EA TEMPESTATE Landuni Pontificũ erat con uentus Synodalis. Inter alia sermo suboritur, de uastitate, quam recẽs infidelium Danorum turma peregisset. Res omnis in Richardum re funditur. Mirantnr: Christianum Ducem, patre natum religioso, tan tis fecisse malis exordium. Deniq; confisi de uiri illustris constãti uir tute: Carnotensem mittunt Pontificem: qui commoneat Ducem ma lorum quę patrata sunt: doceatq; periculũ suum. quòd Deo omnium iudici, redditurus sit rationem de malis quæ acciderant. Simul oret: quoniam infidelem Christo populũ ille uocauit, idem ipse etiam abi re præcipiat. Pontifex suscęptam Prouinciam diligenter executus est. Auditq; à Duce: Inuitum se ad eam rem compulsum. quòd sine cau sa omnium odio premeretur. Ablatam sibi ciuitatem Ebroicam: uasta tam Prouinciã. Omnia ex Rege nata, atq; incentore Theobaldo pen dere. Se pacis equis conditionibus facilè pacari. Pontifex audito Du cis responso, rem refert in Concilium. Visum est: Regem interpellan dum. Ad quem reddita ratione, Conuentus de pace indicitur. Simul etiam obliquo uisu, in Theobaldũ malorũ autorem respicitur. Id ubi ille comperit, in se rem omnem recidere: præuenire curauit. Nam ami cis intermissis, ad Richardi colloquiũ pertingit. Purgat suspicionem. Ad pacem offert, quam tenebat ciuitatem Ebroicam: Dæcq; cæteris re bus ad nutũ Ducis satisfacit. Compositis ita rebus, ad Conuentũ Re gni decretum, pacandis qui aduenerant Danis, utriq; festinant. Ibi re gio apparatu Dux Regem excipit Lothariũ, conuiuio opiparè præ parato. Inde ubi ad causam peruenere agendam: cùm multa utrinq; uerba

Theobaldus cũ Duce conuenit.

uerba effusa forent: de pacis conditionibus inter Regē & Ducem conuenit. Dani qui aduenerant, pro magna parte Christi fidē accipiunt: Inter Normannos se collocant. Reliqui ad prædā in Hispanijs faciendam enauigarunt. Qua tempestate Emma, Richardi uxore defuncta: secundam ex Nobili Danorū genere Gunnorā Ducit. Ex qua multiplicem prolē accæpit, Robertū, & Richardū filios, cum Malgerio, ac duobus alijs. Filias uerò Emmā, Eldrado Anglorū Regi nuptam: ex qua ille Eduardū filiū sustulit. Secundā Hadeuuigē, Britannorū Comiti Gotfrido despōsauit. Vnde Alanus, atq; Eudo Duces ꝓuenêre. Tertia Matildis, Odoni Comiti denupsit, cuius postea erit memoria. Proles Richardi.



¶ Richardi pietas, iusticia & senium narratur. Filium Richardum successorem post se Ducatus instituí curat. Caput. xv.

TVM ad religionē uersus Dux, templa instaurauit: Monasteria construxit. Rothomagi quidèm in honorē Diui Petri, & in monte sub patrocinio S. Michaelis Archangeli. Quo tempore Hugo Rothomagē. Archiepiscopus defecit: Robertusq; Richardi filius sufficitur. Sed cùm Lotharius Rex prole deficeret: succedit in Regnum Hugo filius magni Hugonis Parisiorum Comitis, Richardi affinis. Nam sororem illius Richardus primā, ut diximus, coniugē habebat. Cui Regi cùm multa hinc atq; inde bella consurgerent: primùm in Arnulphū Flandriç Comitem Rex concitatur: eiq; aufert Atrebatum. Sed Arnulphus rebus suis diffisus, ad Richardū Ducem cōuolauit: eiq; se submisit. ut illo interuentore Regi cōciliaretur. Nec solam inde pacem, uerùm etiam ablatarum rerum restitutionē, illo interueniente promeruit. Richardo longæuam Deus uitam permisit. Nam eo superstite moritur Rex Hugo: eiq; Robertus filius in Regno surrogatur. Richardus autem nihil omisit eorum, quç ad summam pietatem pertinebant. In Deum religiosus, in homines erat pius & iustus. Æquus in omnes. Corpore eleganti, promissa barba, capillo crispo. Animo sereno, Cunctis uenerabilis, pauperes patrē, Religiosi patronum: Omnes Principem in eo uenerabantur. Sed omnium mortalium rerum breuis est exitus. Cùm ad senectutem bonam peruenisset: corpore se sensit destitui: & finem rerum adesse existimans: fratrem, quem habebat uterinum, illi semper unanimem, his uerbis solum aggreditur. Vides amantissimè frater, rebus peractis, uesperum mihi uitæ ingruere: quid tibi uidetur? Quem rebus præficimus post fata? Volebat illius animum pertentare: si ad gubernacula ipse niteretur. Sed uir modestissimus, lachrymas dedit. Inde subijciens, Longiorem tibi uitam omnes imprecamur, idq; Deū uelle, etiam atq; etiā poscimus.

Richardus Dux. II.

Hugo Franciæ Rex.

Richardi uirtutes.

Sed si quid tibi acciderit: habent tui filiũ ex te primogenitum Richardũ: cui omnes benè uolumus, atq; speramus. Iussit deinde ad se Proceres introire. Quibus tremula uix uoce ait. Cernitis commilitones, qua ætate, quóue sim confectus morbo. Ventum est ad capulum. Habetis pro me filium æquiuocum Richardum: cui quæso fidem, quam mihi debetis, implestisq;, post me constanter impleatis. Si quid unquã uobis placitũ peregi: id memori mente tenentes, filio persoluite. Si uerò, ut fert multa mortalis infirmitas, perperã in quenquã cõmisi: id quęso per cõmunis conditoris amorẽ, roganti remittite. Cecidere cũctis qui audiêre lachrymę: nec erat qui facilè uerbũ roganti responderet. Ita fletus oĩum fauces occupabat. Ille moriẽs, animã Christo reddidit: apud Fiscanũ, religioso patri nihilo minor filius, cõtumulatus: post Nongẽtos. 96. cùm in Rom. Imperio Otto tertius, patri, auoq; consederet.



¶ Richardus Dux patri succedens, tumultum Rusticũ pulchrẽ sedat. Vuilhelmum fratrem insurgentem, carceribus arcens, tandem in gratiam recipit. Caput. XVI.

Richardus Dux I.

RICHARDVS eius nominis Secundus, patri filius in Ducatu succesit, nulla in re degenerãs à bono parente, adolescens docilis, iuuenis strenuus, uir acerrimus: pace, belloq; spectandus. Cui ob summam laudem florescenti, nihil quisquàm potuit obijcere. Nec erat quod in eo desyderaretur. Rusticũ uulgus per agros pace longæua cæpit, ut solet, intumescere: suoq; iuri, fluminum, & nemorum saltus arrogare, nihil inde militari generi dependere constituens. Crebra egere conciliabula, multos habuere conuẽtus. Et ubi Coniuratio cõstitit è uicino, placuit in mediterraneos & longinquos, similis fortunæ homines rem propagare. Sensit Dux optimus Conspirationem, & Rodulphum quendam ex suis Comitem, cum expedita suorum manu, iussit inualescentem Coniurationem, prius quàm robur acciperet, disturbare. Ille comprensos qui excurrebant nuncios ad cæteros commouendos, manibus pedibusq; truncatis, ita remisit ad consocios: ut eorum exemplo deterriti, ponerent superbientes animos, redirent ad colendos agros, & iustos dominos, iustis persolutis pensionibus, agnoscerent. Vbicunq; cognouerat esse Conuentus, adfuit: Colloquia disturbauit, & prauam conspirationem, paucorum pœna cohibuit. Erat Richardo frater consanguineus Vuilhelmus, Comes Ocetensis, hic erectus in Ducem, cæpit proteruiente animo rebellionem ostendere. Monitus à fratre crebris nuncijs, monita contempsit, & in pertinacia permansit. Mittitur Rodulphus Ducalis Præfectus. Qui collata manu, Vuilhelmum capit, Rothomagum perducit, detrudit in carcerem, quinquennio toto macerandum.

Coniuratio rustica. Bauren krieg. Anno 25. ætatis nostrę.

Interea

Interea Vuilhelmi milites in contumacia perdurauêre. Cùm autem iam procurrentibus annis, segnior uincti foret custodia: obseruauêre nonnulli ex capti Comitis fidelibus, occasionem gerendæ rei: & immisso fune, audaciam dedere capto, sese sublimi è fenestra demittẽdi. Prosperatur cœptũ. Demissus, uepribus per diẽ latuit. Nam undiq; canibus uenabantur amissum. Noctu iter continuauit. Nec tamẽ longius abire potuit, fratris ubiq; obseruantiam in populo ueritus: quòd nusquàm ulli se prodere auderet. Cùm multos dies in hoc errore contereret: uidit fratrẽ in uenatione propinqua discurrere, animoq; motus, illum adit. Genibus prouoluitur, errati ueniam deposcens: satis se pœnarũ expendisse testatus. Vbi fratri tamẽ placeat, ad pœnas rediturum: dummodo gratiã & ueniã mereatur. Motus Richardus quoq;, genibus prouolutũ attollit, suscępitq; in amplexus, omnimodã illi ueniam concedens, & exinde morigerũ ad omnia fratrem expertus est.



¶ Anglos, Richardus Normannos infestantes: memorabili strage cædit, & profligat. Caput. xvij.

IS VVILHELMVS filios reliquit ex nobilissima, quam ei frater desponderat coniuge, Robertum in Comitatu successorẽ, Vuilhelmum Suesionensem Comitem, & Hugonem Episcopũ Luxoniensem. Incesserat tum nonnihil dissidij inter Richardum Ducem, & Etolredum Angliæ Regem, sororium suũ. Quod ad aperta bella mox peruenit. Rex armata classe, milites imposuit, quot sufficere oppugnandę, uastandęq; Normanniæ putaret. Mandato illis imposito, ne cui parcerẽt. Solam S. Michaelis basilicam in monte excipiens, reliqua omnia permisit in prædam. Si qua sors illis Ducem in prælio obijceret, soli impendio instarent: ut in Regis manus perueniat. His mãdatis Angli profecti, Normanniæ littora petierunt. Exponũt milites, grassabundi incedunt, omnia peruastantes. Comes Constantinensis omnium suorum militum manu, cum rusticis perarmabat. Palantes ad prædam excæptos obtruncat, lateq; cædem in omnes committit, ut pauci superessent, qui nauium custodibus irent nuncij, quippè ubi non iusta acie pugnatum est, sed dispersis ad prædam Anglis, cum armatis undiq; Comes occurrit, ac uicit. Cohors classis custodiæ relicta, ubi audiuit stragem suorum, armamenta tribus nauibus importabat, easq; communiens, procul littore absistit. Et ubi uentus permisit, tristes ex multis pauci redierunt. Rex audita sorte suorum, mœrebat, fortunã accusans. At in reliquum quietior erat in Richardum. Cuius uel una parte Prouinciæ Regius exercitus contusus erat, & ad internecionem cęsus.

Angliæ Regis mãdata.

Cæduntur Angli.

¶ Adelredi



¶ Adelredi Angliæ Regis, in Danicam iuuentutem cru-delitas. Eiusdem item duplex ultio. Caput. xviij.

GAVFRIDVS erat Britanniæ Dux, qui Richardi rebus undiq; succrescentibus, ad eius ineundam affinitatem, miro ferebatur affectu. Quamuis enim Britañia ab initio Normannis, ut diximus, subderetur: cùm tamẽ Duces bellis implicarentur cum Rege: Britones iuga subduxerãt: & in libertatem, paremq; Normannis gloriam se reposuêre. Gaufridus quod ualdè cupiebat, non dissimulanter habuit. Nam expedita suorũ manu, splendore præcipuo Richardũ adibat. Nec negligentius ab illo excipitur: magno itidem honoratus apparatu. Affinitatem quærit: Hadeuuigã Ducis germanam coniugem expetit. Nec diu cunctatus Richardus, annuit. Nuptias de more Principũ concelebrant: omnibus ad summam gloriam splendentibus apparatu exquisito: muneribus inuicem datis, firmatisq; in perpetuũ fœderibus. Gaufridus in suam Britanniam lætus cum coniuge regreditur. Ex qua duos sustulit filios, Alanum, atq; Eudonem, ditionis suæ successores. Per quæ tempora Adelredus Angliæ Rex in sæuitiam uersus, magnam Danorũ iuuentutem, quæ ductis uxoribus ibi consederant, cædi iussit. Cùm ibi non parua Nobilitas, & antiquorum stirps Regum perduraret: quibus Anglia diu seruierat. Sed tũ Rex odio gentis incitus, omnem sine discrimine ætatem & sexum iubebat extingui. Cerneres matrum de gremijs rapi paruulos, terræ illisos: matres in luctu gladijs perfossas: senes, uiros, iuuenes, uno pariter exitu trucidatos. Eam rem cùm Suenoni Danorũ Regi qui elabebãtur nunciarent; uindicem ille classem comparauit: magno exercitu instructus, Angliam petiturus. Pansis uelis classis mare transit: Angliam attigit. Et ad littora tutis stationibus classe relicta, paucis nauibus acceptis, Normanniam adit: Richardum compellat. Commonefacit communis sanguinis, ac patriæ. Fœdera cum illo sancit perpetuò duratura inter Daniæ Reges, Normãniæq; Principes. Quibus peractis, redit ad exercitũ. Verùm quod non suppetias ad præsens deposceret: affinitatis iure, quæ Anglo erat, Normannoq;, supersedebat. Daniæ Rex copias exponit, instructo agmine incedit. Cui Angliæ Rex aciem opponere non audet. Eboracum obsidet, & capit. Cantuarios in deditionem accipit. Vltra progrediens, ferro et igne non ad pacem obuios uastat. Ad Temesam fluuiũ perueniens, Londonijs exercitum applicat. Vrbs egregia, defensioni facilis, si Regem amaret. Sed ubi & illa uictori cędit, Rex Adelredus rebus diffisus, cum uxore & liberis naues ingreditur, Normanniã petit. A sororio Duce perbenignè exceptus. Apud quem, omnẽ deinceps ætatem Rothomagi peregit.

Nuptiæ Britanniæ Regis, cũ filia Richardi.

Crudele factum Regis Anglorũ.

Sueno Angliam superat.

git. Danis de Angliæ Regno pro arbitrio constituentibus; intra paucos dies Sueno extremũ in Anglia diem obijt. Corpus reuectum in Daniam, patrio sepulchro tumulatur. Kanutus autem filius patre nõ indignus, uir impiger, patris locũ impleuit in Anglia. Olauum Noruagiæ, & alium Olauum Suetiæ Reges in auxilium uocat; Angliam defensurus. Nam Adelredus Rex, cùm audisset Suenonem fato functum: accæpta uxore, in Angliam redijt. Filios autem apud auunculũ reliquit, & amicorum ope, quos illi reliquerat, reponitur in Regnum. Kanutus autem Daniæ Rex, ualida suorũ manu contracta, auctus est copijs, duorum ut diximus Regum: Angliam inuadit: ditionem primam reposcit. Negatam, gladio uindicare conatur. Occurrũt Angli, pro Rege suo certaturi. Cruenta pugna conseritur. Diu stabat anceps uictoria: Anglis pro salute, Danis pro gloria certantibus. Sed cæsatum Anglorum innumera multitudine, uictoria cessit Kanuto. Adelredus se Londonijs continet, ibicꝫ passus est se obsideri. Impigrè Dani oppugnant. Angli tuentur. Inter quæ Adelredus supremum egit diem. Kanutus autem post longam obsidionem urbe potitus, Reginam Emmã Richardi Normanni sororem, à suis magno auro redemptam, duxit coniugem. Ex qua sustulit filium Herdeknutum in Dania successorem; & filiam Gunildem; quæ Henrico nupsit Romanorum Imperatori eius nominis tertio, Conradi filio. Kanutus autem Angliæ Regnum, Daniæ coniunxit; duobus perinde Regnis imperans. Quam rem & si supra, ex Danorum Annalibus attigerimus: libuit tamen repetere ex narratione Gallorum, ut in quo discrepent utriusquè gentis traditiones, liquidò perspiciatur. Sed ex digressione ad Normannos nostros reuertamur.

Kanutus Anglos uincit.

Adelredi mors.

Daniæ lib. 4. cap. 24.



¶ Odo Comes Carnotensis, ab Richardo uincitur. Britannos Noruagij & Sueci inuadunt & deprędantur. Robertus Franciæ Rex illos concordat. Caput. xix.

[O]DO Carnotensis Comes, alterã Richardi Duxit sororem: & dotis nomine arcẽ accæpit Dorcasinã pro dimidia. Ea mulier cùm sine prole decederet: Dux uerò dotẽ reposceret, & ille negaret: conflatũ inde bellũ enascitur. Richardus Britonũ, atcꝫ suorũ manu Normannorũ, alio in loco arcẽ confirmauit Tegalẽsem, quę infructuosam facere uidebatur Dorcasinã. Eãcꝫ satis firmo cõmunitã præsidio dimisit, remissis in sua quęcꝫ cõmilitonibus: Odo uocatis aliunde armis, cũ Vualerãno Meldẽsi, et Hugone Cenomanẽsi Comitibus, nouã arcẽ oppugnare propat. Egressi Normãni, manus cõserũt obsidẽtibus, grauicꝫ cæde in illos pacta, reliquos ad fugã cõpellũt: secuticꝫ, fugiẽtes aut capiũt, aut perimũt. Hugo ipse ꝑ latebras errauit; & ubi

Vincitur Odo ab Richardo.

& ubi sine dumis agri erant transeundi: detractis armis, & in arenam reconditis: crates ouilium, quæ sparsæ per agros iacebant, trahens: pastoris imagine fallebat insequentes. Ita uix manibus hostium euitatis, ad sua nudus peruenit. Sed cùm Odo minus quiesceret: auctis undecunque armis, cōciliatisque uicinis Principibus: quos omnes in Richardum concitauit: ille inuitus cogitur ad externa recurrere auxilia: missis nuncijs in Noruagiam ad Olauum, & in Suetiam ad Iacobum, arma petijt auxiliaria. Excæpti magnificè nuncij, remittuntur spe pleni. Nec enim erat ferox populus, qui necdum omnis Christi sacramenta percæpit, ad prædam inuitandus. Protinus magna manu armata, instructaque classe, adnauigant duorum Regum auxilia. Et Britanniam primùm appulsi: siue id uentorum impetus cōegit, siue cum Odone & illa gens tum senserit: littora conscendunt: populabundi incedunt. Incolæ aduersus paganicam manum adunantur: excipere parati prælio uenientes. Sed aduenæ dolis instìtere. Nam per noctē effossis scrobibus, supernè texerunt: ut inuecti caperentur. Nec deerat successus. Quippè irritati à procurrentibus hostibus Britones: agmine facto, & ipsi irruerunt in hostes: sed prius quàm peruenirent, decipulas incidunt. Ibi ab imminentibus hostibus cæduntur, capiunturque. Illi præda onusti, redeunt in naues, Sequanam expetentes. Quam ingressi, sursum ducentes, perueniunt Rothomagum. A Richardo hospitaliter excæpti, ac munerati sunt. Interea Rex Franciæ Robertus, audiens Britanniæ ab infidelibus uastitatem: nec ignorans, quòd uocante Richardo adnauigarint: euocatos dissidentes Richardum, atque Odonem: æquatis rebus reddidit concordes. Veritus: ne infideles dulcedine prædæ illecti, latius in Regno grassarentur. Ita Odoni Arx prima remansit: noua uerò Richardo, cum aliquanta parte adauctę ditionis. Richardus ad ductores auxiliorum reuertitur: lætos cùm illis per conuiuia de more gentis, dies agit. Interim Olauus Christi religione delectatus, instante Rothomagensi Archiepiscopo Roberto, sacrum baptisma expetiuit: & tantum in ea profecit, ut in gente sua disseminari præcipiens: ad extremum Christi martyr efficeretur: Trondennis in Regno suo sepultus.

Stratagema.

Cæduntur Britanni.



¶ Simultas inter Gaufridum & Richardum sororios oritur. Ille peregrino itinere moritur: hic Regis Franciæ iussu, Odonem ab insultibus compescit. Caput. xx.

RICHARDVS uxorem habuit Gaufridi Ducis Britanniæ germanam: cùm ille uicissim Richardi teneret. Qua affinitate non obstante, interuenit simultas: quæ charissimos sæpè fratres dissigit: præcipuè cùm de Regno contenditur: ut pateretur

Richardus,

Richardus, uastari ab auxilijs suis Britanniam. Sed ex hac sua coniuge Richardus filios sustulit: Richardum, Robertũ, Vuilhelmum: inter quos Vuilhelmus in adolescentia, monachalem apud Fiscannum accæpit uestem. Filias quoq; tres. Quarũ prima Raynaldo Britonum Comiti Adelia nupsit: ex qua Vuilhelmum, atq; Guidonem procreauit. Altera Balduino Flandriæ Comiti. Tertia iam adulta, in uirginitate decessit. Porro Gaufridus Brito, deuotionis gratia Romam petens: filios Alanum, atq; Eudonem, sub tutela Richardi reliquit. Ipse longa circuitione fessus, defecit in uia. Per quę tempora Meldunensis Comes, Roberti Regis curiam secutus: oppidum suum, cum Arce cuiusdam proditione amisit: qui Odoni eam ipsam permisit. Rex famulantis sibi Comitis iniuriam non dissimulans, iubebat, ut Odo redderet aliena fraude occupata, alieni iuris, Arcem cum oppido. Non paret ille: animatus munimentis loci fortissimis. quòd Sequana flumine ambiretur. Rex euocato Richardo, rem exponit. Iniungit munus: ut contumaciam Odonis, armis inflectat. Non impiger ille, Regijs iussionibus obsequitur. Exercitum cõtrahit: obsidet oppidum. Oppugnans, capit cum Arce. Proditorem captum, agit in crucem; & in manus Regias accæpta consignat.



¶ Burgundiæ Ducatum, Richardus coronę Franciæ ui subijcit. Raynaldum generum uinculis eximens; Tandem fatis cædit. Caput.xxi.

INTEREA Henricus Burgundionum Dux, sine hærede moritur: Ducatusq; Coronæ cõsolidatur. Sed Burgundi Landricum Niuernensem Comitem euocant: ut occupato Ducatu, Regi se opponat. Ille ingressus Antisiodorum, gentẽ conatur tueri: Ducatum præmio sperans accipere. Rex primam in Richardo, ac militum eius robore fiduciam constituens, illum euocauit. Nec cunctanter uenit cum expedito exercitu. Obsidet Antisiodorũ; nec cessat oppugnare, donec accæptis obsidibus, Landricum futurum in Regis potestate rem perageret. Cæteram quoq; prouinciam uastans, captis Arcibus, & exustis oppidis, Regi parere cõegit. Rex Ducatũ Roberto filio permisit. Erat gener illius Raynaldus Burgundio, trans Saõnã Comes, qui orta simultate cum Hugone Cabilonensi Comite, prælio concurrit hosti. Capitur & in carcerẽ trahitur Raynaldus. Richardus missis Oratoribus, Hugonem orat, ut æquis conditionibus generum dimittat. Ille contempta legatione, etiam uincula grauat, uehementius iubet asseruari. ut se facile contemptum ab illo Dux intelligeret. Sed ille & generi iniuriam, & sui contemptum uindicaturus: Richardum filium, iam ętate adultum, cum expedita, ualidissimaq; manu mittit in

Domatur Burgũdia.

Ooo hostem.

hostem. Nec degener ille, patris imperiũ peragit. Primã Hugonis arcem cum oppido cingit: & oppugnat. At quia munitissima, diu se incolæ sunt tutati. Ad extremũ capitur: & solo æquatur. Sic exasperati Normanni, in Cabilonem transeunt. Cùm aũt longè se imparem Normannicis cerneret uiribus Hugo: interpositis amicis, pacem postulat. Raynaldum liberũ facit: & ad placitis senioris Richardi, se Rothomagi spondet adfuturum fide spondet: dictoq; auditurũ. Hęc primordia adolescentis fuêre Richardi. Pater autem cùm omni floreret rerum gestarũ gloria: ingentiq; suorũ amore teneretur: æquus in omnes: nihil prætermisit, quod ad optimi Principis, Christiani Ducis curam pertineret. Pauperum, religiosorum, & omniũ Ecclesiasticorum præcipuam gerens sollicitudinẽ. Iam autem illi rerum Arbiter Deus, ad meliora transitum præparabat. Correptus ęgritudine corporis, cùm instare uicinam mortẽ persentiret: euocabat Proceres: filio iam astanti Ducatum permisit Richardo primogenito: Cunctis approbãtibus, & cum lachrymis adstipulãtibus, quæ ille decreuerat. Roberto fratri, Oximẽsem Comitatũ permitti iubet: unde illi seniori, de more militaret, atq; pareret. Quibus rebus ex sententia compositis: in Deum conuersus, spiritum reddit apud Fiscannum. Anno Christianę salutis Millesimo uicesimo sexto.



¶ Richardus Dux. III. fratre reconciliato rebelli, paucis post diem claudit. Caput. xxij.

Richardus Dux. III.

RICHARDVS tertius, patri atq; auo æquiuocus, in ditione Normanniæ succesit: iuuenis optimus, uir melior futurus, si fatis permitteretur. Nam & armis strennuus, & iusticia in omnes erat præcipuus. Tũ uerò Christi religione feruens, patrias uirtutes per omnia representabat. Sed non potuit tanta indole superare inuidiam, quæ magnarum rerum semper solet esse comes indiuidua. Erant qui inter fratres pessimo more seminarẽt discordiam. Robertus ætate minor, cœpit in fratrẽ erigere ceruicem: mandatis eius reluctans, quòd pari genitus nobilitate, unis parentibus, equis per omnia iuribus uolebat æquari germano. Indignũ ratus, eius subesse imperio, cui se rerum arbiter Deus, & fortuna cõæquasset. Igitur contumaci animo reluctatur germano; maioremq; in modũ progressu dierum excreuit contumacia. Non tulit Richardus fratris superbiã: sciens se Ducem, fratri iustè imperare. Cùm non ille fratrem parem sibi imperio admitteret: nec iste ferre uellet priorem, simultas ad arma plus quàm ciuilia prosilijt. Richardus eductis copijs, fratris Arcẽ cingit, obsidione oppugnans sęuerissimè. Primo quidem tempore fretus loci munitione, contempsit obsidionẽ, at cùm Richardus nihil intermitteret,

mitteret:acriusq; in diem oppugnaret obsessum: ultimã necessitatem præuenire Robertus contendens:recordatus est fratrem esse qui obsidet: missis inde nuncijs, imperata se spondet facturum. Nec difficile passus placari fratri Richardus:abducto exercitu,reliquũ ętatis quod in se fuit,egit pacificè cum germano. Vix tamen peracto biennio, incidit Richardus in aduersam ualetudinẽ, cum nonnullis suorum astantium. Quæ res suspicionem sumpti ueneni prębuit. Nec erat frater immunis ab ea suspicione. quòd nimio plus aspirare ad Ducatum crederetur. Richardus autem rebus suis Christiano ritu compositis, in fide & religione præcipuus, emigrauit in prima iuuenta. Anno Christi post Mille uicesimooctauo. Ann.1018.



¶ Robertus Dux ætate succrescente mitior factus, ab exilio Rothomagen. Archiepiscopũ reuocat. Contumaces Vuilhelmũ & Hugonẽ Comites fortiter arcet. Cap.xxiij.

OBERTVS fratri in Ducatu Normannię succedit: & quam initio fratri germano contumaciã ostẽdit, perseueranter in Archipręsule Rothomagẽsi declarauit, Roberto patruo suo. A quo deposcens nonnihil, quod ille præstare uel nõ potuit, uel non debuit: grauiter, indignatur. Et cùm non aliter putaret, quàm ui agendum:contractis armis,obsidionem parauit Ebroicę urbis:in qua Pontifex mansitabat. Oppugnat urbem. Ciues defendunt. At miseratus Archiepiscopus labores pro se ciuium: simul indignum reputans, se fundendo sanguini occasionem præstare:intermissis ad Robertum Ducem nuncijs,abiturum se(si pateretur)in exilium:tantùm publica interposita fide sineretur. Nõ cunctanter Dux annuit: permissa Pontifici potestate. Longius cum paucis abscedit: apud Regẽ Francię questus iniuriam. Verùm Robertus Dux temporis intercapedine modestior factus:indignationem quam concæperat,per morã digerens, facti cœpit pænitere: quòd uirum optimum, & patriæ amantissimum, nec sanguine sibi alienũ:& quod super omnia est, Deo æditissimum, abegisset. Missis ergò nuncijs:in sua redire rogitabat. In reliquum se ęquis cum illo conditionibus uicturum. Redijt:& Robertus quod est pollicitus, magnificè impleuit. Nam mutatus in uirũ alterum, omnem ad omnes prætendit mansuetudinem:pacemq; temporum nactus, diuinæ cæpit intendere religioni. Quam Ducis modestiã nonnulli malignè interpretati, putauère ignauiam; uersiq; in eius contemptum, cœperunt humanitatem eius lacessere, & exasperare. Inter quos præcipuus erat quidam Vuilhelmus, inter Proceres nõ postremus. Quem in Ducem exacerbandum, prouexerat & morum lenitas, quam contempsit: & arcis suæ munitio, quam inexpugnabilem ducebat. Accesserat

Robertus Dux.I.

Conuersio morum Ducis.

filiorum ferox adolescentia duorũ: quos ad arma promptissimos habebat. His incitus stimulis, Duci audet rebellionem ostendere. Monitus, ut ad æqua descenderet: non attendit. Dux autẽ Robertus se contemni non passus: expediuit arma: copias contrahit. Educit ualidam manum, ad perdomandum contumacem. Ille munitioni fidens, se patitur obsideri. Nam impar longè fuit ad arma: ut obuiã prodiret miles Duci. Oppugnatur Arx ualida. Sed cùm non expugnaretur: facilè firmauit obsidionem: ut fame expugnaret, quem armis non poterat. Vbi audit, hoc modo ultum iri contumaciam suam: occurrit ex placito Principi suo nudis pedibus, sellam equestrem humeris baiulans. Nam is erat tum satisfactionis ritus subditorũ. Placatur Dux. Admittit in gratiam precantem, ac pœnitentem. Conditionibus pacis reducit exercitum. Sed non diu perstitit cõacta uoluntas. Cùm primum potuit, Vuilhelmus arma in Ducem reparauit: & contractis undiq; auxilijs: filios Fulconem, atq; Robertum, prædatum mittit in Normanniam. Obuiam illis Ducales Normanni prodeunt. Conferuntur manus. Cadunt multi. Inter quos Fulco maior Vuilhelmi filius. Robertus fuga uix elabitur. Magna pars militum cum Fulcone perimitur. Quibus rebus auditis: Vuilhelmus ut erat aduersa ualetudine, mœrore confectus, breui fecit uiuendi finẽ. Idem exitus Hugonẽ Rodulphi Comitis filium Baiocæ Arcis dominũ habuit. Nam dum abiret milites è Francia contrahere: præueniẽs eum Dux (quòd iam consilia eius comperta haberet) in deditionem accæpit arcem. Hugo autem intelligens clausum sibi reditum: postulauit per submissos: ut suorum se libertas sequendi permitteretur. Facilè impetrauit. Et abiens in exilium, solo conatu perdidit rerum suarum ditionem.

Vuilhelmus Duci rebellis.

Hugo rebellis.



¶ Rebellem Comitis Flandriæ filium, Robertus Dux patri reconciliat. Nobiles Franciæ, Alanũ quoq; Britanniæ Comitem, obedientes reducit. Caput. xxiiij.

BALDVINVS Flandrensium Comes, affinitate Regia domum suã illustrauit. Nam filio æquiuoco Balduino, Roberti Regis Franciæ filiam accæpit coniugem. Adolescens Regalibus nuptijs iutumescens, erexit cornua in patrem: eumq; Procerum auxilio & consilio, eiecit dominatione. Pater eiectus, confugit ad Robertum Normanniæ Ducem, eius opem implorans in superbientem filium. Nam malignis suorum consilijs, parentem insequeretur. Robertus impietatem detestatus, perornat exercitum: Ducit in Flandriam. Obuia quæq; deijcit. Nec erat, qui ei opponere auderet aciem ad pugnam. Itaq; uictorẽ exercitũ circumducens, facilè cõegit Balduinum filiũ, patris iniuriã diluere. Ille missis ad Robertũ nũcijs, orabat: ut se

Filius patrẽ eijcit Comitatu.

ut se pacis sequestrum faceret: habiturus in manu sua omnem contro uersiam. Annisus ergò Robertus, patri filiū æquis conditionibus conciliauit: peregitq́ue, ut in reliquū tempus pacificè ageret. Quo ex sententia patrato, reduxit exercitū. Per quę tempora mortuo Roberto Franciæ Rege, Henricus illi filius succedit. Hic nouercā passus est Constantiam: cuius, ut fit, nouercali odio penè Regno pulsus erat: si non illum Dux Normanniæ Robertus tueretur. Nam mulier cum Regni Proceribus conspirans: Regnum transferre uoluit in Robertum Burgundię Ducem, æquè Regis filiū, omnesq́ue Nobiles Constantia, lateri Regis curauit detrahere. Rex persentiēs quid ageretur, primum ac maximum refugiū constituit in Roberto Normanniæ Duce, solis duodecim suorum comitatus, illum in Fiscanno conuenit, per quicquid sanctum est recogitans, ut ab iniurijs, & fœmineo furore illum tueretur. Robertus rem intelligens, simul cernens, quam debeat Coronæ fidem: consolatur Regem, facturum se spondens, quicquid uiribus suis eniti poterit. Regem deinde armis, equis, militibus perornans, solenni ac ualido apparatu remittit Comiti Corbulensi Malgerio: mandans, ut cum Rege procedat quantis possit armis ab illa parte perurgens rebelles: Se quoq́ue de sua futurum. ut sentiat contumax Nobilitas, quid possit fidelis Normannus. Fecit quod monuit, armis undiq́ue tonans. Atq́ue modico tempore redegit in obedientiam Regis, quotquot ante se in illum erexerant, nullo in reliquum mussitante. Britonum autem Comes Alanus, &si proximo sanguine Robertum contingeret: audet tamen retrahere quam Duci debuit obedientiam. Et cùm monitus ad sana consilia non rediret, Dux ad limitem Britannicæ ditionis super fluuium Arcem constraxit inexpugnabilem, ut inde fræna inijceret contumacibus. Ingressusq́ue Prouinciam, ferro & igni cuncta peruastat. Cumq́ue reduxisset exercitum Robertus, iam Alanus Brito, qui præsenti non audebat se opponere exercitui, sequitur abeuntem, uicinam depopulatus regionem. Sed diligentia militum, quos limitum custodes Robertus constituerat, facile peractum est, ut Alanum pœniteret uastationis. Nam obuiam progressi uastantibus Britannis alios cæciderunt, alios turpi fuga uitam redimere compulerunt.

Rex Franciæ restituitur Regno.



¶ Robertus Angliam debellaturus, tempestatibus remoratur. Cum Alano interim Britanno pascitur. Terram sanctam inuisens, redit Niceam: atq́ue inibi spiritum Deo reddit. Caput. xxv.

IAMDVDVM in Normannia apud Richardum secundum exulabant nepotes eius, Angliæ Regis filij, honorificè apud

auunculum habiti. Quorum maior natu Eduardus, consobrinũ Robertum assiduis precibus fatigabat: ut se, & Alueredum fratrem Regno restitueret. Dux opportuna tempora obseruans: misit Oratores ad Kanutum Angliæ & Daniæ Regem: ut satiatus aliquando uindicta, quam exercuerit in Anglos; sineret legitimos hęredes in Regnum redire. Ille surda transiuit aure Legationem. Quippè Regno decedere, non leuis apud Reges causa censetur. Vbi nõ profuit Legatio: intentat arma. Extruit classem ualidam: instruit armis & militem, & classem. Omnibus iã paratis, mare ingreditur. At uentus nullo unquàm tempore tam diu contrarius: ut omnem penè commeatum expectantes, in portu consumerent. Ne tamen omnẽ perderet operã: parte classis inmissa in uicinam ex latere Britanniam; ipse alia ex parte equitum magno numero inuadit regionem. Alanus uidens uastitatem terra, mariq; imminere, amborum consanguineum Rothomagensem Archiepiscopum medium interponit: ut pacis sit sequester. Ille non detrectans operam: Alanum perduxit in conspectum Ducis sub monte Sancti Michaelis: quo Rex classem in ancoris continebat. Ibi rebus ex sententia compositis, Alanum in fidem suscipit iam humiliatum, sacramenta renouantem. Reuocatur exercitus ex Britannia: & fidelis deinde Duci suo Alanus inclinabat. Accæpit per ea tempora Legationem Robertus, ex Kanuto Angliæ & Daniæ Rege: quòd iam malè fisus diuturnæ uitæ: exhibebat Adelredi filijs, dimidiam paterni Regni partem restituere. Sed non placuit præstita conditio. Cunq; audirent Kanutum ualetudinarium, expectandum rati sunt, si fortè absumeretur. Nam subinde melius agendum sibi reputabant. Interea Robertus Dux, quod diu animo concæperat, implendum putauit: præsertim pacatis per circumitum rebus, cùm omnia illi constarent ex sententia: Hierosolymam, quod diu cupierat, uisurus Christi sepulchrum petere constituit. Diu suorum fletibus auerti tentatus: ubi perstitit: paratis omnibus ad iter necessarijs, in suorum medio Procerum, filium illis Vuilhelmum commendabat. Et multis in societatem sacræ peregrinationis abeũtibus: suis ualedicto, iter inibat. Peruenitq; magno labore ad sancta loca: quibus perambulauerũt sacratissimi pedes Domini. Cuncta lachrymis intimę deuotionis uestigia Christi signabat. Et uoto ex sententia persoluto, iam repedauit. Reditq; in Niceam Græciæ urbem, magno suo periculo. quòd loca omnia tum, ut etiam nunc, perfidorum Mahumetis cultorum dominio tenerentur. Ibi crescente per singulos dies morbo: suorũ in manibus Comitum, Deo spiritum reddidit: Christo certa fide iam conregnante. quod labor iste deuotissimæ peregrinationis, cum anteacta uita suadet fideliter sperare. Erat

Tempestas diuturna.

Britannos adit.

Mors Roberti Ducis. 1044.

re. Erat tũ Annus Christi post Millesimũ quadragesimumquartum.



¶ Vuilhelmus patri puer in Ducatu succedit: multis ob ætatem passim impetitus. Regis Franciæ milites cæduntur. Cadit Engelramus; & Hugone Comite capto. Arce montis superata. Caput. xxvi.

VILHELMVS patri filius succedit admodũ puer: & ideo tutoribus indigens. Qui illi ex gente sua prouenerant: uiri quidem fortes & boni, sed quibus non ea fuit quæ solet esse legitimo Principi autoritas. Proceres aũt sub Principe puero, inexpugnabiles sibi parauêre munitiones. Memores: quòd sub Roberto patre nonnulli cessèrint irato Principi, cum magno rerum suarum detrimento. Sed perfectis munitionibus, prima in se inuicem arma uerterunt: mutuis odijs confligentes, in proprium exterminiũ. Sæpè congressi: mutuis cęcidere uulneribus. Aliquando uicti, cessere uictoribus. Terra deinde repleta est latrocinijs: impunè grassantibus improbis, quando non erat qui audaciæ se opponeret Princeps. Nec deerant, qui eam rem ad Regni commoda pertraherent. Arbitantes tempus esse; Normanniani, quæ olim armis extorta fuit Regibus: nunc armis repetere. Quòd Dux imbellis puer esset: & Proceres ipsi dissiderent. Quòd etiam pueri tutores paulatim sublati uiderentur. Nam & procurator, & pædagogus, & postremò defensor pueri interierant. Igitur Henricus Franciæ Rex, nòn ante quiescendum sibi indixit, quàm Tegulensis Normannorum arx deijceretur. Innotuit res Giliberto nobili uiro: quem fidum adhuc puer habebat. Is cùm commendatam ab Roberto Arcem asseruaret: accersitis commilitonibus, armis & commeatibus impleuit. Certus, in exitum sui seruare, quod in fide commendatum accæpisset. Obsidet Rex magna suorum, ac Normannorum Regi blandientium manu. Ille impigrè defendit. Tenuissetq; diutius: nisi mandatum à pueri tutoribus acciperet: ut cedęret Regi. Cessit inuitus: & Arx mox deijcitur: terræq; protinus cõæquatur. Inde Oximensem ingressus Rex ditionẽ, Argentonium Ducis uicũ incendit. Et quàmuis iam inter Regem, Ducariosq; conuenisset: nullo unquàm tempore, confractam Arcem renouari, idq; sacramento uallatum esset: Rex tamen breui rediens, Arcem pro se suscitat, munimentis roborat, commeatibus implet, & recedit. quasi omnia quæ placeant Regibus liceant. Cùm uideret autem quidam ex Normanniæ primoribus Curstenus, Oximensis præses, cuncta Regis arbitrio geri: accitis Regijs satellitibus, Arcem quoq; suam cui pręfuit, statuit communire. Sed Ducarij collecta militum manu, pręueniendum rati hominem, Arcem obsidẽt: cõpelluntq; dedère. Pacti: quòd incolumis, cũ rebus & affectibus

Vuilhel- mus Dux I.

Arx Tegulensis demolitur.

proficifceretur. Ille exulatum emigrans, Duci reliquit omnem ditionem fuam. Erat Vuilhelmus quidam pueri confobrinus: quem pater eius Robertus, quòd de fecundo natus effet Richardo, ex fecũdo matrimonio, donarit Comitatu Tolagenfi: is quoq; abufus pueri ætate, Arcem in fummo monte firmauit: Duci rebellionem intentans. Sed Ducales contracto exercitu, montem ad opportuna defcenfus loca prœoccupant: fortalicium erigunt, ut commeatum excluderent in fummo uertice demoranti. Rex Henricus occafionẽ datã cenfet non contemnendam: Arcem ufibus fuis profpiciens profuturã, ab expugnatione uoluit obfidentes prohibere: ad S. Albinum caftra metatus. Exierant ex Ducalibus nonnulli, qui Regios prouocarent ad pugnam. Illi exciti, fequuntur fugientes. Dum ad collatas infidias perueniunt: uertuntur fugientes, ut in frontem depugnent. Ibi Regij cæduntur: capiuntur: fugantur. Engelramus Abbatifuillę Comes cadit. Hugo cognomento Bardulphus, capitur. Rex immiffo commeatu in caftellũ, pro quo uenerat; mœftus de amifsione militũ, repedabat. Vuilhelmus tamen breui cöactus, pacto Normannis dimittere caftellum, abijt in exilium. Ita mitibus Normannorum feruiens, conuulfum deperijt.

Succumbũt Franci.



¶ Eduardi erga Anglos uictoria. Aluered fratris illius emafculatio. Quo defuncto Eduardus folus Regno potitur. Caput. xxvij.

PER quos dies Kanutus Daniæ atq; Angliæ Rex, cum rebus excefsiffet humanis: fepultus (quod in Dania diximus) Rothomagi: quam urbẽ moriens oppugnabat: Haraldusq; filius eius nothus, Angliã occuparet: Eduardus Adelredi filius, hactenus in Normannia delitefcens, armauit naues. xl. & in Angliam nauigans, Hauitonam applicuit. Expofitis copijs, afcẽdit in mediterranea. Angli collecti, quòd iam pro Danis, Haraldo prȩfente concurrũt. Fit acer congreffus. Cadunt multi. Eduardus tamen uictor, cum præda concefsit in naues: maiori manu, quod res ipfa pofcebat, inde rediturus. Frater eius Aluredus diuifo agmine, portũ tenuit Vuifanti. Eo fortè confilio: ut in diuerfa diftracti Angli, minus occurrerẽt inuectis hinc atq; inde. Sed Doroberniæ Comes, Alueredum perbenignè excæpit: patrium ditionis Regnum illi breui reddendũ fpondet. Credidit Aluer edus perfido. Qui dum in manibus Regnũ haberet: iuuenẽ cum copijs fuis: milites quidèm alios diftraxit uendens: alios peremit: ipfum cũ Nobilibus mifit Londonias in manus Haraldi. Quo cùm perueniffet: Alueredum iufsit emafculari: cæteros autem necari. Qui & ipfe breui moritur. Sed neq; Haraldus diu fuperfuit. Succedens autem fratri Hardekanutus, eadem cum Eduardo Emma matre natus:

Daniæ lib. 4. cap. 29.

Alueredi emafculatio.

euocatum

euocatum à Normannia uterinum fratrem Eduardũ, parte illum Regni donauit. Post biennium autem Hardekanuto quoq; moriente: Eduardus toti cœpit Regno dominari. Quæ idcircò hoc loco replicauimus: ut quoniam iste Vuilhelmus, quem describimus, ad Angliæ coronam contendit: non ignoremus: Regum hac parte in Anglia successiones, & de iure simul Vuilhelmi innotescat. Autoris excusatio.



¶ In Ducem Vuilhelmum Normanni conspirant. Quos auxilio Henrici Franciæ Regis obedientes reddit: Baiocum recuperans. Caput. xxviij.

WILHELMVS autẽ Normanniæ Dux, iam rerum administrationem aggressus: Prudentum consilio cuncta gerebat. Quam rem pertęsi sunt, quibus per Ducis pueritiam, multa licuerunt. quòd cernerẽt iam sibi fræna substringi. Coniurationem ineunt, autore Guidone, filio Raynaldi Comitis Burgundiæ: quem Richardus tertius, carcere extraxit. Hic Guido donatus à Duce Arce Baioci, quoscunq; potuit lateri Ducis abstraxit: & iam Coniuratione fretus, uisus est robustior. Nam Maiores quoq; cernentes, quibus ante assueuerãt, Guidoni accessere. Quid faceret Vuilhelmus tanto constrictus necessitatis articulo? Regem adit Henricum: docet suorum in se Conspirationem. Commonefacit paternorum, cum modestia, beneficiorum in Regem: Opem implorat. Nec cunctanter Rex annuit. Comitatum Oximensem ingreditur: Valesdunas usq; perueniẽs: ubi consertum obuium habuit hostium exercitũ. Congrediuntur: & graui diu pugna conflictantes, demum cedũt Regi Normanni Proceres: mactantur: proteruntur: fugiũt. Multi Oliuæ fluminis uado pereunt. Guido uix elapsus, Baiocum ingreditur, quod oppidum firmauit obsidioni, si opus fuerit, ferendæ. Sed Rex rebus feliciter pro Duce gestis, cingulum soluit: reuersus in Franciam. Dux obsidendo se parat oppido. Oppugnat: & multo deinde tempore fame expugnat. Guido nusquàm euadere ualens: per amicos exorato Duce, uitæ datur: redditoq; Baioco, suis in ędibus munere præcipitur. Territi eius exẽplo cęteri, gratiam Ducis sui, quibus poterãt impendijs, mercati sunt. Vuilhelmus magnus deinde apud exteros & suos habitus. Coniurationis Autor. Baiocum superat.



¶ Godefridum Andegauorum Comitem, Dux deuincit: binis Arcibus depopulatis. Caput. xxix.

ANDEGAVORVM Comes Godefridus, ortis undecunq; simultatibus, bello insecutus est Vuilhelmum Ducem: multis & magnis spolijs per Normanniam abactis: arcem Dan frontis præcipuũ habẽs uiolentiæ præsidium. Dux cõtractis copijs, in hostes prodijt: & usq; ad Arcis memoratę cõfinia peruenit.

peruenit. Ibi consyderata facie munitionis, uidit altissimis & præruptis rupibus uallari. Tamen artem arte colludere tentauit. Erigit in circum itu fortalicia, quibus insideret: donec fame expugnaret. Dum ita sede ret: uenere exploratores, qui nunciarẽt: Arcem Alentij captu facilem, si Dux anniteretur. Ille dispositis ad obsidionem custodijs, noctu pro= ficiscitur ad Alentium. Consyderat locum: & uera nunciasse suos gau det. Sed qui intus erant, conuitijs Ducem exagitabant. Ille oppugnati onem adorsus: uno loco detinuit inclusos, attonitos: interim submis= sis, qui à tergo ingressi, præsidium caperent. Quibus ex sententia per= actis: conuitiatores, cæsis manibus ac pedibus, abiecit: Arcem suo mu= niuit præsidio: reuersus ad primam obsidionem. Illi iam sociorum for tunam audierunt. Calamitatem commiserati: cùm exemplum perti= mescerent, se Duci submittũt, pacti abire incolumes cum armis. Perse cutusq; Godefridum, Ambroias uenit, ibiq; erecto castello, ac permu nito, Rothomagum redit.



¶ Nuptiæ Ducis Vuilhelmi, duplex itẽ uictoria eius, erga Franciæ Regem Henricum: tum mors illius narratur. Caput.xxx.

IAM domi, forisq; clarus Vuilhelmus, coniugio ineun= do tempus esse putauit, ut posteritati inseruiret. Habe= bat autem Balduinus Flandriæ Comes, ex coniuge Regis filia, filiam nomine Matildim, eam suasu Procerum acciuit uxorem. Nec diu re= cusabat Balduinus eam tradere. Mittitur puella Principali apparatu, ducitur Rothomagũ insigni pompa. Eamq; Christiano ritu sibi con= sociat Vuilhelmus. Ex qua multiplici prole beatur. Inter alios sustol= lens Robertum, paterna successione insignem. At non quieuit Gode= fridus Andegauorum Comes, Regi Henrico instillans odium Nor= mannorum, Gentem esse exteram, quæ alienis agris insistens, in Le= ges & mores Francorum non possit peruenire, semper inquietã, sem= per infidam, omni odio insectandam. ut Regi reuertatur sua Prouin= cia Neustriæ olim detracta Francis, per improbam uim Normanno= rum. Facilè fuit uetus hoc ulcus ad cruditatẽ reducere. Itaq; Rex con= citus, duobus exercitibus inuadit Normañiam, alteri fratrem præfici= ens Odonẽ, alteri ipse imperans. Dux talibus pressus angoribus, un= decunq; poterat auxilia conquirit. Intrepidus occurrit, & Regio qui= dèm agmini ipsum se opposuit, alijs alios submittẽs exercitus. Sed qui Odoni occurrerãt, priores ad pugnã perueniunt: hostibus deprensis ad eũ locũ, qui Mare mortuũ nuncupatur. Imparatos insiliũt: magnã partẽ opprimũt, multis ex Nobilibus cæsis, alijs per mãcipia in uincu la coniectis. Odo ipse uix fuga elabiẽ. Peruenit aduersa suorũ fortuna ad Regem.

Vincit Dux Francos.

ad Regē, prius quàm Dux ipse prodiret. Territus Rex casu suorum: exercitum retrotraxit, ac in Franciā rediit. Godefridum autem malorum incentorem, ulcisci percupiēs Dux: in Cenomannos ducit: agros uastat, munitiones deijcit: urbem obsidet: oppugnat, & tandem multo sanguine expugnat. Arces deinde reliquas expugnatas, incēdio cōsumit. Opportunis iterum locis reędificat: & firmo suorum imposito pręsidio, redit. Rex deinde sumpto Godefrido Andegauorum Comite: maiore apparatu, sed uno iam agmine magno Normanniā ingreditur, per Comitatū Oximensem: perq; Baiocenses: maximis editis ubiquè uastationibus. Et reflexo deinde itinere, per uadum Vlmæ fluminis reducere tentauit exercitum. Media ferè pars iam amnem transierat: & intumuit à mari fluuius: ut reliqua pars uado transire non posset. Hanc aggressus Vuilhelmus; quòd toti uideretur agmini nimis impar: pugnam acrem conserit. Cadūt sine discrimine Franci fortius, sub oculos sui Regis in aduersa ripa conspicientis præliantes. Reliqui in captiuitatem trahuntur. Rex tantis amissis copijs, abire festinans: amplius Normanniam non infestauit. Nec diu superfuit. quoniam in fata concedens, Philippum filium Regni habuit successorem.

Cenomannos superat.



¶ Deuictis Anglis cum Rege eorum in se fidefrago Haraldo: Regnum Dux possidet. Caput. xxxi.

EDVARDVS tertius interea Rex Angliæ, cùm prolem cerneret se non relicturum: uiuens adhuc, & corpore pręualens, medio in suorum Procerum consilio, Vuilhelmū Normannum ibi designat successorem: mittens Robertum Cantuariorum Archiepiscopum, qui fidem Duci faceret. Deinde etiam Haraldū submisit ex Comitibus suis honore, opibus, prudentia præstantē. Qui dum nauigat: ui freti deiectus in Pontinā, incidit in manus Guidonis: quem Comitem tunc habuit Abbatisuilla, urbs Picardiæ, etiam hodie florens. Sed Vuilhelmus Dux precibus primum, deinde minis illū de manibus eius extraxit. Hic sacramentū Vuilhelmo pręstitit: asseruandi Regni in manu eius. Cumq; ille in Angliam reuerteretur: Rex Eduardus non diu superfuit, sed Anno Christi. 1065. fata compleuit. Haraldus aūt immemor sacramēti, quod nup Vuilhelmo pertulerat, Regnū inuasit. Monitus ab Vuilhelmo, ut fidē impleret: In oībus inqt possum, præterquā in Regno. Vuilhelmus quoq; nō leuē ducēs Regni iacturam: qcquid potuit undiq; militū contraxit. Armauit ualidissimā classem, equis, armis militibusq; impositis. Tria feruntur nauiū milia ad S. Vualaricum, & uicinis locis stetisse in ancoris. Aspirante uento nauigauit: & Peninsulam apprehendens, ibi ad classis custodiam erexit præsidium: & in ordinem rebus digestis, quadrato agmine Angliam inuadit.

Vuilhelmus nominatur Rex Angliæ.

Eduardi mors. Ann. 1065.

inuadit. Audit ab exploratoribus: magna manu Haraldum obuiam uenire per noctem. Suos ergò iubet in armis quiescere, ut cum fessis ab itinere hostibus promptius agerent. Mane primo uenêre sub aspectum mutuum. Ibi aliquot horis ad ordinationem Acierum desumptis, ad tertiam diei horam prȩliari cœptum. Pertinax utrinque pugna: sed maior fortuna Ducis, quòd iustior causa uideretur. Vindicante Deo iurisiurandi religionem frustratam in Haraldo. Nam ille imprimis fortissimè pugnans: aduesperante iam die cadit. Cȩduntur Angli: ceduntque: sed maior clades Anglorum. Vix nox ipsa quietem indicit: Angli comperto Regem suũ cȩcidisse, diffugiũt sine discrimine. Dux uictor, iubet receptui canere. Refocillatos milites permittit quieti. Postera luce legunt spolia: suos sepulturæ mandant: hostes insequuntur. Peruentum est Londonias Regiam ciuitatem; ibi cùm se aliquandiu continerent perduelliones: cessere tandem Vuilhelmo: ac deinde Regni totius dominatione potitur. Genuit autem hic Vuilhelmus ex filia Balduini Flandriæ Comitis, tres filios: Vuilhelmum, in Angliæ Regno patri succedentem: Robertum, in Normannia successorem: Henricum, qui Vuilhelmo fratri successit in Regno. Sed hic sit narrationis huius limes.

Dux Haraldum & Anglos deuincit.

Vuilhelmus Anglorum Rex.

ALBERTI KRANTZII CHRONOGRAPHI Hamburgen. Rerum Normannicarum per Italiam gestarum, LIBER IIII.

¶ Ex catalogo Regum Angliæ, Autor Normannorum Regiam dignitatem probat.

CAPVT I.



PROSECVTI sumus narratione nostra Normannos in Gallias; deduximus seriem successionis usque ad Angliæ Regnum. Quo accæpto, iam subinde uiluit Normanniæ possessio: iam ex Ducibus Comites constituti. Subinde uerò Franciæ Regibus permissa est iterũ maior pars Neustriæ: ut redirent in antiquam possessionem. Sed tamen magnum etiam exinde bellum exarsit, aliquot seculis continuatum, inter Anglorum et Francorum Reges. Accedente etiam legitima totius Regni Franciæ Anglis successione in magno Eduardo. Igitur quia neque Angliȩ, neque Franciȩ res perscribere suscȩpimus: hic stylum sistemus. Quod uerò ad gloriam pertinet Normannicæ gentis: sat erit, Regũ ex hac stirpe successiones attingere paucis. Is ergò Vuilhelmus ex Duce Normaniæ,

Anglorum Reges ex Normãnis. Vuilhelmus

Normaniæ, Rex Angliæ: quòd materno genere Eduardus, cui succesſit, natus eſſet ex filia Richardi tertij: reliquit in Regno ſucceſſorem Vuilhelmum ſibi æquiuocum, cognomento Rufum. Quo ſine prole aſcendente: ſuccesſit illi frater Henricus primus: qui filiam dedit Gaufrido Andegauenſi Comiti: ex qua ſuſtulit filiũ Henricum ſecundũ: qui auxilio Regis Franciæ Ludouici, peruenit ad Angliæ coronam. Nam redeunti à Hieroſolymis Ludouico Francorũ Regi, quęſti ſunt Gaufridus pater, & Henricus filius, de Stephano Anglicę coronę detentore: qui & ipſe ſanguinem trahebat Normannorum: & ideò Normanniam quoq; occupauit. Sed Francorum Rex Ludouicus armis contractis: primùm Normannia, deinde Angliæ Regno Stephanum expulit, & Henricum ſecundum inuexit. Tum Henricus, ne ingratus reſtitutori ſuo uideretur: magnam Normanniæ partem Coronæ reſtituit: deq; reliquo, Regem dominum ſuum agnouit, feudi iure. Ita paulatim in Normañia redeunte Regis poteſtate, minoratur & euaneſcit Normannorũ ditio. Henricus Angliæ Rex ſecundus, reliquit in Anglia ſucceſſorem filium Henricum tertiũ. Cui ſuccesſit frater Richardus: & illi Ioañes æquè germanus germano, qui peruenit ad Annum Chriſti poſt Mille ducentos decimumquartum. Hic eſt ille, qui Regi Franciæ ad pontem bouinum, obiecit Ottonem.IIII. Romanorũ Imperatorem, tunc terga dantem Francis. Ioañi ſuccesſit filius Henricus eius nominis quartus, qui annis.liij.regnauit. Eduardus illi filius ſurrogatur ſecundus. Ioañes illi filius ſuccedit. Cui Eduardus tertius. Hic eſt ille, qui cognominatus eſt Magnus: genitus ex Iſabele filia Philippi pulchri Francorum Regis. Defunctis ergò fratribus Iſabelis ſine prole: ſe Regem Anglorũ & Francorum gerebat, talemq; ſe primus inſcripſit. Cui poſt longęuum Regnum, quod illi ſupra quinquaginta durauit años, ſuccesſit nepos primogeniti ſui filius, nomine Richardus ſecundus. Quo poſt.xxij.annos interfecto in carcere, iuſſu nepotis ſui Henrici de Lancaſter, Anno Milleſimo Quadringenteſimoſecundo. Ipſe Henricus quintus, filius Ducis Lancaſtriæ pro eo regnauit. Quo in Francia extincto Anno.xxiij.poſt Mille.cccc. ſuccesſit Henricus ſextus, puer ex filia Regis Franciæ Catharina. Hunc Regno deiecit Eduardus quartus Eboracenſis Ducis filius. Cuius frater, Henricum ſextum captum, extinxit in carcere, Anno Chriſti ſeptuageſimo poſt Mille Quadringentos. Eduardus autem ad annum peruenit.lxxxiij.poſt Mille.cccc. Quo extincto per morbum, Richardus frater eius, occiſis Eduardi filijs, regnauit annis uix tribus. Succesſit Henricus ſeptimus, dictus Comes de Richmont. Qui perductis in campum aciebus, conflixit: & uicit Richardum. Natus eſt iſte Henricus ex

Vuilhelmus Rufus

Henricus Secundus.

Stephanus.

Normañiæ defectio ad Francos.

Henric. III.

Richard. I.

Ioannes. I.

Henri. IIII.

Eduardus Secundus.

Ioannes. II.

Eduardus Tertius.

Richard. II.

Henric. V.

Henri. VI.

Eduardus Quartus.

Richar. III.

Henricus Septimus.

cus ex uterino fratre Henrici sexti. Nam Catharina Henrici sexti mater: post Henrici quinti mortem, cùm esset filia Regis Franciæ: nupsit tamen infimæ nobilitatis uiro: ex qua tres filios suscepit: quos Henricus sextus, frater, Comitatibus donauit. Ex quorum altero prodijt iste septimus, qui nunc regnat Princeps, ut aiunt, omnium prudentissimus: qui aliquot motus in Anglia compescuit: cùm antiquæ Nobilitatis uiri, ad coronam aspirarent. Et primùm Thomæ Ducis Clarentiæ (qui frater erat Regum Eduardi & Richardi proximorum) extincti: merso capite in uinum, ex Sententia Parliamenti. Filius auxilio suorum in Regno se erigens, ab eodem Henrico septimo capitur: milites eius ad unum cæduntur. Inter quos Martinus niger, ex sutore in militarem prouectus dignitatem. Deinde proximis annis, qui se Eduardi filium testaretur: quòd supposito pro se altero seruatus sit, cum auxilio Scotorum, & fauore, ut ferunt, Regis Normannorum Coronam quæreret: captus, & ad Regem protractus, diu seruabatur in carcere: & nunc, ut referunt, ambo cæsi gladio. Hic est rerum status Anno Christi Quingentesimo post Mille. Vnius autem Regis prudentia, multorum tumultus & præcauentur: & exorti, minimo suorum sanguine sedantur. Ita continuata Regum Angliæ serie, adusquè nostra tempora, stirps Regum de sanguine Normannorum, tantis seculis Regnum tenuit: & possidet in hodiernum diem. Hæc est illa Danicæ atq; Normannicæ gentis gloria, quam indagamus: quòd in longinqua regione ditionem quæsierit: Principatus fundauerit: Regna cōstituerit, atq; reliquerit. Quod iam secundò monstrasse recolimus. Primùm in Longobardia per annos supra Ducentos. Deinde in hac Normannia: ubi Ducatus honore non contenta, non quieuit, donec Angliam sibi adijceret. Quàmuis ante sæpè Dani, Regnum hoc ditionis suæ fecerint: quod illorum loquuntur Annales. Anglici tamen nō æqua aure accipiunt. Crediderim proximam mari regionem crebrius cessisse Danis: sed mediterranea tum ad illos non peruenisse: nisi sub Vuilhelmo, quem diximus. cùm iam totius insulæ ditio, ad unam sit redacta Coronam. Tertium autem est Regnum utriusq; Siciliæ: quod ea gens per Normannos constituit in Italiam, etiam usq; ad Imperiale culmen prouectum in Friderico Secundo. Quod subinde monstrabimus.

Martinus niger.

Anno Christi 1500.

Daniæ lib. 3. per totū & Supra lib. eo. cap. 38. et sequen.

¶ Normanni quomodo, & quando Italiam ingressi sint, disputatur. Caput. ij.



EX HAC Normanorum gente extitisse & illos, qui in Italia primum Apuliam, deinde Siciliam & Calabriam apprehenderunt: et primùm quidem Comitatus, deinde prouectioris digni

tatis Ducatus, nouissimè etiam Regna constituerunt utriusq; Siciliæ, citra et ultra Pharũ, nemo ambigit. Sed quo tempore in Italiam transierint: qua ui Prouinciam apprehenderint, ambigunt multi: secum requirentes. Nimirum illa occasione & causa transierunt, qua ante se aliarum nationum homines militiam secuti: illic se collocauerunt per arma, quos illos clementia cœli, & agrorum ubertas inuitauit. Cur quęso primùm Galli Senones, inde Cimbri, post illos Goti, deinde Longobardi Italiam petiuerunt? Nisi ut sedes antiquas melioribus commutarent. Commemorant Tancredum quendam Normannũ, duodecim filijs procreatis, in Etruria consedisse: cuius filij alter post alterum tenuisse Apuliam: & ad posteros traduxisse narrantur. Sed quo tempore Italiã intrauerint: Blondus se reperire negat potuisse. Nam Vuilhelmum cognomento Ferrabach Normannum, in Etruriæ parte, quæ Romandiola dicitur, ditionem tenuisse fatetur: sed quando in eam prouinciam uenerit: aut quibus uiribus fretus apprenderit, scripsisse neminem. An tu Blonde ignoras, quod ipse fatebare: Normaños superiori ætate per Ligerim & Sequanam, subiectos Parisios, Turones, Lemonicos, Aurelianos, & reliquas Galliarũ urbes uastasse: Regibusq; Franciæ, & aliquando Romanis Imperatoribus conflixisse: in Galliarum littoribus sedes fixisse? Inde cùm Burgundiæ Rex Ludouicus, deinde Rodulphus Gallicis uiribus Italiam intrassent: quis putat abfuisse Normannos, ubiq; stipendia facientes. quòd inquietũ genus hominum, consistere non posset in loco semel permisso. Inde uerò cùm Sarraceni de mari, Hungari à terra inuasissent Italiam: laceraretúrq; inter hostium manus Domina quondam: cùm uiros aleret Prouinciarum: qui rebus suis diffidebant, Hugonem Arelatensem ex eadem Gallia cum exercitu uenientem, accersibant in Italiam. Quis non uidet Proceres tum militasse Normannos: iam inuicta fortitudinis opinione apud omnes clarescentes? Otto deinde Imperator eius nominis secundus, cùm Lotharij Regis Franciæ repulisset insolentiam: magno agmine ex Gallijs mouit in Italiam, Græcis Imperatoribus obuiaturus. Cur non & tunc potuere Normanni in Italiam transire: ut magnam apud Reges suos, quibus militabant operam nauantes, agros & oppida meruerint: sicut postea ex Alemannis uocati sunt capitanei: quorum posteritas nunc sedet cum Principibus? His igitur temporibus & occasionibus, uenisse in Italiam Normannos licet coniectari: quorum præclara fuere in ea prouincia diu facinora: ut primũ Apuliam, inde Calabriam tenuerint: ex Comitibus Duces ex Ducibus Reges facti utriusq; Siciliæ. Testem tenemus Blondum, cum Autoribus suis, quos ille sequitur, quo ordine in eam uenerint Prouinciam. At

Tancredus

Blondus de Normanñis. am. At de temporibus quæstio manet. Nam circa Millesimum Christi annum, fuisse in Italia commemorat Vuilhelmũ cognomento Ferrabach Normañum. Et quidèm Saxo noster, Richardum quendam ex Ducibus Normanniæ, cùm uxorem suam, Regis Danorum Kanuti germanam non amaret: suspectasq́ duceret nuptias: tradit, cum aliquot sodalibus in Italiam commigrasse: seq́ iunxisse congentilibus Normannis, quos ante se reperit in Italia. Et hoc circa Annum Christi tricesimum post Mille contigisse existimo. Sigibertus quoq́ posteriori tempore, cùm Henricus Imperium Romanum teneret: narrat Robertum, & Richardũ, minuendæ domo multitudinis causa, à Normannia Francorum digressos, Apuliam expetiuisse: & Italis inter se dissidentibus, alteri in alterum auxilium præstitisse. Qua opportunitate Italos callidè & fortiter debellasse: & successus urgendo suos, nomen suum dilatasse: & futuræ prosperitatis sibi uiam instituisse. Quæ illuc uergunt Autorum testimonia: ut agnoscamus, multis quidèm uicibus in Italiam transisse Normannos: sed qui primi fuerint, necdum compertum habemus. Blondus exploratũ se dicit habere; originem illorum in Etruria esse ex Lombardiæ Comitibus. Vnde autem hoc illi compertum sit, non exponit. Ego testem facio Sigibertum memoratum: Normannos ex Gallijs sæpè in Italiam nauigio traiecisse. Vnde ueri simile uideri debet: aliquot locis sedes tenuisse in Italia, sicut acceperunt in Galliarum littoribus. Ait enim. Año. lvij. post Octingentos, Normanni inter Hispaniam & Aphricam nauigantes, ingrediuntur Rhodanum: depopulatisq́ ciuitatibus, ac Monasterijs: in insulam quæ Camarias dicitur, uenerunt. Cùm igitur in mediterraneũ excurrerint: inde in mare Tyrrhenum redijsse intelligimus, unde in Rhodanum transirent. Nam in hoc mare fluuius ille se exonerat. Facile tum fuit, uicinum Italiæ latus tetigisse: & quod supra de Luna ciuitate memorauimus, poterant & tunc Prouinciæ partem delegisse ad sedes. Quàmuis id Autor nullus commemoret. Fuisse tamen in Italia Normannos, testantur omnes. Idem uerò Sigibertus, Año inquit. lx. Normanni Italiam petũt: & Pisas ciuitatem, aliasq́ capiunt, ac deuastant. Et rursus. Anno. 69. cùm Imperiũ Carolus Caluus teneret, Rex Franciæ, Normanni mare intrant: & pars quędam ex ipsis in Italiam redit. Quid quærimus expresius? Pars quædam redijt in Italiam. Ergò si redit, prius ibi fuit: & fortè ad sedes prius captas, tum est reuersa. Ipsum Blondum testem uocamus. Per ea inquit tempora, quibus Carolum Caluum diximus Romanum Imperium assumpsisse: Normanni prędâ in Aquitania, & cæteris Galliarum regionibus facta satiati: classe trecentarum sexaginta nauium, Constantinopolim duxêre: suburbanisquę

Saxo.

Sigibertus.

Supra lib. 2. cap. 2.

nisq́ illius spoliatis, atq́ incensis: in Britannicum mare sunt reuersi. Hoc igitur tempore, uel non ab eo longè, Italiam Normanni intrantes, paulatim inualuêre. Nam ut idem Blondus tradit: initium claritatis eorum, in Italia ad augendam ditionem, tale fuit, ut sequitur.



¶ Vuilhelmi Ferrabachij Normanni, in Sicilia, Apulia, item ergà Græcos uictoria. Caput. iij.

VILHELMVS enim gente Normañus, cognomento Ferrabach: cessantibus in Italia motibus à Berengarijs & Sarracenis, atq́ Hungaris: quorũ uiribus diu labefacta erat Prouincia, præclarũ aggressus est facinus. Capitano nanquè, & Salernitano Principibus per fœdera sociatus, ad Malochum græcum, Apuliam, Calabriamquè pro Imperatore Græco administrantem (eo tempore, quo uictus Otto Imperator secundus, leuiris suis ea in ditione concesit) mittens: eundẽ fœderibus adiungit. Conuenitq́ inter quatuor: ut æquis uiribus & fortunis, enauigantes in Siciliam, eam Sarracenis eiectis occupent. Collatis uiribus, enauigatum est: & insulam ingresi, Sarracenos obuiam euntes fundunt: ac residuis fugatis, præda ingenti locupletantur: per æquum inter eos diuisa. Malochus autem Insulæ dominationem suo seruauit Imperatori. Indignatus Vuilhelmus: quòd sibi, cæterisq́ Insulæ partem non daret: expedito agmine, cæteris quiescentibus, longum iter ingressus, duxit in Apuliam: circumseditq́ Melphiam urbem: & ad extremum expugnauit. Audiens Malochus: & ipse expedito milite festinus occurrit: urbem recuperare, quam Vuilhelmus occupauit. Ibi autem Normannus Græcos ab itinere fessos, necdum castris communitos, aggressus, facilè fudit; fugauitq́: & perinde magnam illius Prouinciæ partem, pulsis Græcis, occupauit. Sed cùm iam Bubaganus Malocho successisset: opportuno Apuliæ loco coloniam extruere conatus, Troiam uocat. ut Græcis habitatoribus impleat: essetq́ præsidio Regioni. Nõ tulit Henricus Imperator eius nominis secundus: qui iam erat cum exercitu in Italia. Nam admotis copijs suis, urbem nouam quatuor mensibus oppugnandam, expugnauit: & acceptis obsidibus Romam reuertitur. Cùm uerò Conradus Henrici successor imperaret: Græci, Normannis in Apulia graui bello oppositi, pellere illos annisi sunt: sed frustra. Nam collatis Signis: uictores Normanni, Græcos expulerunt. Ad Conradi interim Imperatoris tempora, Normanni Apuliam tenentes: & Græci prælio inter Anfidum amnem, & Oluentem oppidum acerrimè concurrunt. Normanni uictoria potiuntur. Vuilhelmo deinde fato functo, frater Drogo substituitur.

Vuilhelmi fœdus.

Sicilia obtenta.

Melphia Apuliæ capitur.

Vincuntur Græci primo.

Secundo.

Tertio.

¶ Drogo Apuliæ Dux Græcos superat.

CAPVT IIII.



Drogo Dux. Aliâs, Catipanus.

DROGO post Vuilhelmũ fratrem obtinuit Apuliam. Quem, missus à Constantinopoli Mel alter Capitanus, (Magistratus id nomen fuit) primò statim impetu, omni penè Apulia Normannos expulit. At impiger Drogo, exercitu reparato, Græcorum superatis copijs, perdita de Apulia protinus recepit. Hoc est illud tempus, quo Richardus Normanuus, Ducali genere editus, contempta uxore Danici Regis Kanuti germana, in Italiam uenit. Inde transiens Hierosolymam, sodales suos in Italia reliquit bello gentilium suorum socios. Per quę etiam tempora Bubaganus alter à Constantinopoli missus Capitanus, in Apuliæ finibus Troiam urbem inchõauit. Hannibalis ibi pridem castra fuisse compertũ est. Sed hoc Græcorum præsidium non passi Itali conualescere: Henricum Imperatorem impulerunt, ut obsideret. Benedictum Pontificem aiunt in castris fuisse. Adeò res cordi fuit uniuersis. At tum deditũ est præsidiũ Imp. post aliquot menses. Ille uerò obsidibus accęptis, Romam redit. Drogone aũt post nõ multũ tẽporis mortuo, alius ex fratrib. succedit.

Daniæ lib. 4. cap. 27.

¶ Hunfredus Comes, Apuliam annis septem regit, & tuetur. Caput. V.



Hunfredus Dux.

HVNFREDVS frater, in Normannorum Apuliæ Comitatu successor, annis septem præfuisse narratur. Quid autem rerum gesserit: omnino nihil commemoratur. Nisi, quod coniectura potest quisq; adsequi: non quieuisse Græcos, recuperare amissam Apuliæ ditionem: Normannos autem semel accæptam prouinciam defendisse. Auditis tamen rebus in Italia prosperis: crediderim multos ex Francia uenisse eius gentis Proceres & milites: qui auxilia tulerint contribulibus: ad propagandam, quam semel accæperunt etiam in Italia prouinciam.

¶ Beneuentum Godfredus, cum Leone Pontifice IX. capit prelio. Caput. VI.



Godfredus Dux. Aliâs, Gnariuaro.

GODFREDVS fratrum unus, Hunfredo decedenti succedit. Per quod tẽpus Guariuaro Salernitano Principe, ex eadem Normannorum gente oriundo, à suis interfecto: Gisulphus factus est Princeps. Interim Normanni ditionem ampliantes: & Benenentum urbem Romanæ Ecclesiæ, ex Longobardis subiectam conspexêre. Ea cùm intellexisset Henricus tertius, Pontifici suasit: ut Alemannos à se apud Vercellas præsidio Italiæ relictos, acciperet: Normannosq; Italia deturbaret. Leo nonus tum Pontificatum gerebat. Adiunxit is auxiliares Italię copias Alemannis; & in Be

neuentanos duxit. Normanni intellecta Pontificis molitione: præue- nêre illum curarium. Nam Beneuento capta, illū firmatis præsidijs & castris, expectauêre. Cōmisso prælio, capitur Pontifex. Quem tamen Normañi, maximo cleri Beneuentani honore, Romā reducendū cura uerūt. Moriēs aūt Godfredus breui post: nō fratrē aliquē, sed filiū Ba- gelardū instituit successorem: cū tñ ipse à fratribus accępisset ditionē. Leo Pont. IX. bello capitur.



¶ Robertus pulso Bagelardo, à Pont. Nicolao Dux Apu liæ inuestitur: uarijs intentus urbium debellationi- bus & oppugnationibus. Caput. vij.

ROBERTVS cognomine Guiscardus, Godfredi fratrū unus, iuuenis impiger: ægro ut debuit animo tu lit se præteriri: Bagelardoquè nepote per arma pulso, prædictū Apuliæ, & iam Calabriæ Comitatum accępit. Addiditꝗ il lis Troiam urbem, Romanis Pontificibus parere solitā. Et cùm uxo- rem Aberadā eo tempore amisisset: ex qua filium susceperat Boëmun dum: tunc alteram accępit Gisulphi Tarentini Principis, ex Guaima- ro fratre neptem. Tantis rebus prosperè confectis: Robertus robur (qua erat prudentia) solidissimum rebus suis adijcere constituit. Ete- nim Oratoribus ad Pontificem Nicolaum missis: illū, ut ad res Apu- liæ & Calabriæ componendas, paterno ductus amore, accedere horta tus est. Pontifexꝗ (quem Capitaneorum Romanam terram tenentiū superbia atꝗ perfidia, dies noctesꝗ trepidū atꝗ anxiū teneret) cum il lis Oratoribus se in Apuliam contulit. Facilè aūt fuit: Pontificem, Ro bertumꝗ cupientissimos ad fœdera, pacemꝗ perducere. Pontifex er- gò Nicolaus, Robertū Guiscardū ab excomunicatione absolutū, Du- cem Calabriæ & Apuliæ declarans: illum per conscripta fœdera iure- iurando cōfirmata: quicquid de terra Ecclesiæ teneret, & inprimis Be- neuentū, reddere uoluit. Et Guiscardus sese constituens Ecclesiæ Ro- manæ uasallum: uel quod eius regionis uerbum est, Ligium: Romano Pontifici quæcunꝗ peterentur præsidia mittere: ac quando opus ui- deretur, cum omnibus copijs afferre spopondit præsidiū. Tumultua- banť Romæ Capitanei: & inprimis Cincius Romani Præfecti filius. Imp. Henricus. III. Ecclesiā fatigabat. Robertus Guiscardus iam Dux Apulię, qui benè de se speranti Pontifici opem tulisset: pellendis Italia Græcis implicitus erat. Nam & Constantinopolitani Imp. per ea tem pora satis erant domi inquieti. Sciens aūt Robertus, Kirachū Imperia lem Capitaneū, qui summæ rerū eius in Italia præerat, apud Vestam Apuliæ immunitam ciuitatem degere: eò ex improuiso ducens: urbe capta, illū quoꝗ intercępit. Pari deinde ducendi exercitus rapiditate usus, Montempilosum urbē obsedit. Cunꝗ diutius ad eā sedendū sibi Vesta capitur.

intelligeret: Godfredum fratrem illis præfecit castris: maiores copias in Barulium ducens, capiẽdo oppido fecit necessarios apparatus. Inerant uerò selectæ ex urbibus, oppidisq; Græcorum copiæ: ut natura loci, tantisq; defensoribus munitum oppidum, nulla uis expugnatura uideretur: commeatus quoq; qui deerant, ut in tutissimum arcis beneficio portum, undiquè importabantur. Quod cùm cerneret Robertus: magnum, ut oppidanos intercluderet commeatu, aggressus est opus. Etenim multis nauibus in portum contractis, eas sibi inuicem cõtiguas, ea ratione colligauit, cõcatenauitq; ut ab extremo, in quo Arx erat, promontorio, in continentem ad hemicicli formam ductæ, portum clauderent: per eamq;, tanquàm pontem, oppugnandi in circum itu oppidi accępit facultatem. Nec potuit pertinax præstantis Ducis uirtus euincere: quin ea obsidio ui continuata, eum à gerendis maioribus destinuerit. Tertijs tamen castris obtinuit. Interea Rogerius fratrum Roberti unus, Brundusium terra, mariquè premebat. Cui Godfredus frater, Montepiloso potitus, se addiderat: classi, quam Brundusino in portu Rogerius tenuerat, Godfredum præficiens: ut eam circumageret, & Regium duceret, imperauit.

Stratagema

Monspilosus capitur.

¶ Panormum Siciliæ Godfredus, & Tranam Apuliæ: S. Seuerini item, Consentiam, Salernum ciuitates, Vicum oppidum Robertus armis deuincit & superat.

CAPVT VIII.

IN EODEM tempore, terrestribus cum copijs Robertus, & Godfredus cum classe sunt Rhegiũ delati. Inde cõscensis nauibus, in Siciliam traijcientes, Panormũ primũ de Siculis urbibus, terra, mariq; obsederunt. Interea Richardus Normannus, Roberti frater (ut putat Blondus, iam oblitus: quòd illũ non inter duodecim numerauit. Ego arbitror illum fuisse Richardũ, quẽ per hæc tempora, minuendæ multitudinis causa, domo egressum, in Italiam contendisse, Sigibertus testatur) Is igitur Richardus, & Vuilhelmus filius, Capua sibi subiecta, Beneuentoq; inuasa, Ceparanũ obsidebant. Nec satis scire potest: ea ne Roberti Ducis consensu fuerint intentata: quẽ dignior, atq; ardentior suscepta, & se totũ postulans expeditio, apud multos ea suspicione liberat. Nam per id temporis Rogerius, qui à fratribus Roberto & Godfredo in Siciliã traiecturis, ad Brundusij obsidionẽ relictus est, magnũ accępit incommodũ. Quòd introducti nocte de quarta uigilia, ad simulatã proditionẽ Normanni Proceres ad quadraginta, & totidem gregarij milites à Brundusijs suffossi: quorũ capita ad Imperatorem Constantinopolitanũ sunt delati. Robertus autem Panormi obsidionẽ diu duraturã intelligens: Godfredo

Supra lib. eo, cap. 2. b.

Normannorum iactura

fredo castris Præfecto, per Kal. Aprilis in Apuliam se contulit, Tranamq; obsedit. Et Ianuario mense, qui secutus est annū, ut supra lxx. et Millesimum. Godfredus Panormo, Robertus Trana urbibus sunt potiti, nec Richardo atq; Vuilhelmo quicquam præsidij attulerunt. Hildebrandus enim Archidiaconus, de Normannorū perfidia apud Mantuam certior factus, Godfredum, et Matildim uxorem, aduersus illos postulauerat suppetias. Ad quorum uiri & uxoris, cum Archidiacono, copiosissimoq; exercitu in Campaniæ partes aduentum: territi Richardus & Vuilhelmus, capta de terra & iurisditione Ecclesiæ reliquerunt. Paulóq; postquàm Archidiaconus cum copijs illis Romā cum gloria reuerteretur: Alexander Pontifex, precibus Imperatricis Agnetis, Guilbertum pridem Antipapam, fecit Archiepiscopum Rauennatem. Idem Pontifex Normannos iam, ut putabat, intolerabiles, statuit cöercere. Cuius ad uota conficiendi gratia, Godfredum cum Matildi coniuge sibi iunctissimos habuit. Iamquè pręmissas à uiro ad ducendas è Lombardia copias, Matildis iter inire iusserat: cùm nondum in summum Pontificem, Episcoporum Italiæ coniuratio emicuit. Robertus aūt Guiscardus, rem suam diuersis in locis auxerat. Nam S. Seuerini loca nata munitissima, & Consentia urbibus, de Apulia potitus erat. Intuleratq; bellum Sisulpho Principi Salernitano: cuius sororem habuit cōiugem: & eo in bello tam ardens Robertus fuerat: ut inde in septimum Mensem Sisulphus deditione facta, Salernū cum Arce prodiderit. Exinde Robertus copijs in Beneuentum raptim, & nullo id præsentiente ductis: eam urbem terq; quaterq; ad primos inuasionis dies, breui cœpisset: nisi Gregorio Pontifici, ut desisteret hortanti, parere noluisset. Et tamen Robertus, ne ab ea expeditione domum uacuus rediret: Vicum inuadens oppidum, recepit. Eodemquè anno, qui octuagesimus supra Millesimum fuit: Michael Constantini filius, cum filijs tribus Michaele, Andronico, & Constantino, à Nicephoro cognomento Binamet, per uim & arma, Constantinopolis Imperio sunt deiecti. Et Robertus Guiscardus, Imperij ipsius debilitati, quam hæ rerum nouitates facerent, innixus: Spinacrobo, Hydrunto, & Tarento Græcos expulit.



¶ Robertus Pontifex Gregorio reconciliatus, Michaeli Imp. Constantinopol. in Nicephorum suppetias locat: & post cruentos congressus, uictor Robertus, tandem Dirachiū obtinet. Cap. ix.

VMQVE Tarentū obsidet Michael, Dioclisi Cōstantinopoli pulsus: ea in castra uenit incognitus. Et Robertū allocutus, eo hortante, Romam se contulit ad Pontificem. Per cuius subleuandi occasio-

occasionem sumptam, factũ est: quòd Gregorius Pontifex, se ad conciliandum Ecclesiæ Robertum, insinuauerit. Compertumq́ est postea: Robertum, eadem ratione pulso Patria Imperatori Henrico quarto, ut Pontificis opem peteret, suasisse. Primus tamen Pontifex Gregorius, Roberti colloquium expetiuit ad Ceparanũ: qui locus Conuentui constitutus est. Quo in Conuentu Robertus Ligium se, quod eius regionis uerbum, totalem signat subiectionem, Pontifici & Ecclesię iterum fecit: & B. Petri uexillo à Pontifice donatus est. Quinetiam Pontifex, ut Robertus restituendo Michaele, maiorem haberet autoritatem: inuasorem Imperij Nicephorum excommunicauit. Nec mora: his apud Pontificem confectis, Robertus Hydruntum petens: iussis eò copijs conuenire: Rogerio exinde natu minori res Italiæ commendans: alteri filio maiori Boëmundo, Præfecturam naualis militiæ commendauit. Ipse cum Michaele Dioclisi nauim Prętoriam conscendens: primus omnium tradidit uela uentis. Impositusq́ nauigio copiosus, æquè ac paratus fortium uirorum exercitus: prospera usus nauigationem, ad Auelonem est perductus. Prima autem ad Dirachium castra à Ducibus firmata sunt. Quamobrem terra, mariq́ obsessam, breui capere sperabant. Nicephorus uerò Imperator, quòd ea Imperij nouitate aliter non poterat: Venetos, ut pressæ urbi opem afferret, orabat. Qui Dominico Siluio Duci suo: ut triennium, onerariumq́ nauium classe educta, Imperatori satisfaceret, publico consilio permiserunt. Duxitq́ in Normaños Duces Siluius classem: quã finis ostendit ingentem, paratissimumq́ fuisse. Nanq́ Normannorũ congressa clasi, uictoriam, sed cruentam maximè obtinuit: & mare Dirachinis redditum est apertũ. Continuauit tamen terrestrem oppugnationem Boëmundus. Nam paulò post eum conflictũ, Robertus Michaelem Dioclisi secum ducens, ad reparandam classem se contulit in Italiam. Interea Nicephorus Imperator, his quæ apud Dirachium facta erant, indiesq́ fiebant, auditis: exercitum in Dalmatiam ducendum parare constituit. Et cùm suas, Græcorũ, Thracumq́ copias, minores, quàm belli necessitas posceret, fore iudicaret: Alexium Mega, magistrum militum, cui multum fideret, misit Andrinopolim, magna attributa pecunia, ut Turcas, Sarracenos, & ex omni genre conduceret milites. Ille nouorum militum in se uertit sacramenta: & ueteranorum fauorem emercatus, stipendia Imperatoris nomine negabat. Quærentes autem, & penè tumultuantes, de suo donauit. Quibus rebus & IMPERATORI odium, & sibi gratiam conciuit. Adegitq́ his artibus: ut se Imperatorem consalutarent; poscerentquè duci Constantinopolim. Quo audito: urbem triduo diripiendam se permissurum pollicetur.

Ligius quid

Veneti pro Nicephoro Imp. Const.

Alexij infidele negocium.

Constanti. prædatur.

pollicetur. Qui portis præerant corrupti pecunia, aditum permisere. In cœna Domini ingressi: eam urbem tanta calamitate, stupris, incendijs, rapinis, latrocinijs oppressere: ut nihil unquàm simile ulla haberet memoria. Prophanata templa. Nicephorus eam inuenit gratiam: ut tonsoratus in monachum, uitam retineret. Alexius per sacrum Dominicæ resurrectionis diem coronatus Imperator, exercitum à præda & iniurijs iussit reuocari. Omnem nouatarum rerum culpam in Nicephorum trajciens: Michaelem Michaelis Dioclisi filium, cõsortem Imperij declarauit. Eumq; prępositum nouis exercitibus, misit in Dalmatiam. Boëmundus interea terrestrem, Robertus dimisso in Italia Michaele reuersus cum classe, à mari obsidionẽ firmauerunt. In quos cùm Græci Imperatores terra mariq; impetum uiderentur facturi: Itali Duces copijs in aciem eductis, pugnandi copiam fecerant. Commissoq; prælio, quod durum & utrinq; cruentum fuit: Michael Imperatorum alter cęcidit. Alexius in fugam conuersus: lacerum, dissipatumq; reduxit exercitum. Fuisse autem in exercitu Alexij. lxx. milia ferunt. Normanni longè minores habuêre copias. Secundum eam uictoriam Dirachini, Imperatoris sui pręsidio desperantes, urbem Roberto dederunt: pariterq; multa Dalmatiæ oppida: prius etiam quam essent adita, fecerunt deditionem. Victor Robertus.



¶ Robertus Dux Romã, Henrico Imp. IIII. abacto, ingreditur: atq; Vrbe passim deuastata, Pontificem carceribus eximit: Salernũ abducens. Caput. x.

INTEREA Henricus eius nominis quartus, cùm aduersus Romanum Pontificem usq; ad Vrbem Romam peruenisset: & illum in mole Adriani conclusisset: unum illi præsidium erat in Roberto Normanno, Duce Apuliæ & Calabriæ. Ea fuit potentissimi Ducis autoritas: ut & Imperatoribus, & summis Pontificibus tutandis aduocaretur. Nam cùm intellexisset Robertus, quo in statu Roma esset, Pontifexq;: cùm pręmeretur ab Henrico Imp. IIII. qui Romam cępisset: præfecit rebus Dalmatiæ Boëmundũ filiũ: & se contulit in Italiam. Expeditisq; copijs duxit in urbẽ Romã. Cùm aũt esset apud Ceparanũ Robertus, ad Henricũ. IIII. misit Imperatorẽ: q bellũ illi, & capitis periculũ, nisi Vrbe, & eius agro excederet, denũciaret. Henricus urbe Roma ciuibus cõmendata, ad B. Petri basilicam se cõtulit. Inde militibus Capitolio euocatis (quod illi incensum reliquerant) magnis itineribus Senas contendit. Contigitq;: ut eodem die ac hora, ille urbem Senarum, Robertus Romam attigerint. Ciues Robertum Vrbe discludere promissis bonis moliuntur: ac ille inuicem similibus redditis, se ludificabat. Ipse tamen per amicos, Flaminia

Roberti autoritas.

Robertus Romam ingreditur.

Petri.

Petri introducitur. Irruerũt armati ciues: uiq; illum ut expellerent intentarunt. Qua causa factum est: ut proxima in campi Martij regione, Guiscardi copiæ, subiecto igni, eam quæ nunc quoq; cernitur, fecerunt uastitatem. Nam quicquid ex porta Flumentana (nunc Populi dicta) hinc ad S. Siluestri, & S. Laurentij in Lucina: inde in Sanctorum Triphonis & Augustini ædes pertinet: id absumpsit incendium. Quia uerò apud Capitoliũ rebelles & aduersantes Pontifici ciues coãctos esse audiret Robertus: à Campo Martio per Exquilias uadẽs, petit Lateranum. Vbi aliquot desedit dies: expectans, si fortè, quod à se quæri omnes nouerant, Pontificis liberandi, ciues facerent mentionẽ. Sed prælijs potius apud Amphitheatrum, nunc Colosseum, commissis: cogebantur per singulos dies milites sui decertare. Quod cùm diutius ferre Guiscardus non posset: ædes ciuium, domosq; tunc frequentes, quotquot hinc à Colosseo per Lauianam uiam, ad martyrium Petri & Marcellini: inde ad Sanctorum Ioannis & Pauli per Celiũ montem, ad Lateranum pertinet: incensas diruit. Quam pulcherrimæ regionis uastitatem, ad tempora nostra cõtinuasse uidemus. Peruicit tamen robustissimi Ducis fortitudo & præstantia: ut Capitolinum caperet collem. Vnde facta uelut deditione, ciues ad eum concurrerunt. Qui recta ad castrum Crescentij, cum armato exercitu incedens, disiectis murorum repagulis, Pontificem eductum, in suam Laterani deduxit sedem. Et tamen quia abalienatos animis ab eo ciues, extrema in eum intentaturos formidarat: illũ perduxit Salernum. Vbi etiã Pontifex uitam finiuit.

Roberti in Roma uastatio.



¶ In Dalmatiam Robertus moturus, Alexium Imp. Constantinopol. bis, cum Venetorum subsidijs deuincit. Tum uita fungitur. Caput. XI.

ROBERTUS autem Dux maiora animo agitans, inchöatam in Dalmatia uictoriam prosequi: & Constantinopolitanum, quod affectabat, Imperiũ inuadere perrexit. Quia uerò terrestri exercitu Boëmundum filium non satis ualere confiderat: classem ipse parauit ingentem. Ad cuius inchöatæ initium territus Imperator Alexius: orauit Venetos: ut classem pro uiribus ingentem pararent, suæ quàm breui educere coniungendam. Veneti Roberti potentiam, si augeretur, suæ libertati aliquando suspicantes obfuturam: classem pararunt spe Alexij grandiorem: quam Dominicus Siluius Venetorum Dux, Corcyram usq; perductam, Græcorum, & uenientis Alexij nauigio coniunxit. Vixq; classes coniunctæ erant: cùm alto iam mari nauigantem Robertum traijcere in Dalmatiam, Venetorũ speculatores nunciauerunt. Velis itaq; sublatis, Alexius Dirachium,

ut hostem

ut hostem portu prohiberet, properans delatus est. Nec tamen ea longè uisa numerosi nauigij classe: aut in alto constitit: aut obliquo flexit Guiscardus: sed prioris hostiũ proras petens armis, uiam aperire perrexit. Pugnatum est utrincp summa uirium & audaciæ paritate. quo factum est: ut pari quocp euentu prælium dirimi nequiuerit. Guiscardus tamen, siue pro solita fortitudine & fortuna, siue quia Dirachini portus propinquitas, & stans in littore armatus Boëmundi exercitus, aliquod suorũ animis robur addiderat: censim superiore euadere cœpit. Et ubi unam suarum nauium Alexiani mergerent: binas ille Græcorum, Venetorumcp mergebat. Fractis itacp, & fugatis hostibus, malè integram classem Guiscardus Dirachium perduxit. Alexius uerò ad sinistram, ad dextram Siluius fugientes: hic Venetias, ille Peloponnesum nauigarunt: & malè tractatum, ob amissæ classis inuidiam, Dominicum Siluium Veneti Ducatu deiecerunt. Suffectuscp Dux Vitalis Faledro, Cröaciæ & Prothosenastos titulis ab Alexio Imperatore ornatus, classem & ipse Venetijs armatam, ad illũ auxilio duxit. Postquam autem Guiscardus, & Boëmundus filius, de sũma belli in Constantinopolim inferendi, aliquot consultauerant menses: attulerunt ad eos Dalmatæ speculatores: auctum Veneta classe Alexium, ut in Dalmatiam duceret classem: prima maiorem, paratioremcp Peloponneso soluisse. Quàmobrem & ipse Dirachio soluens, in altum se contulit, obuiæcp sibi casu classes apud Sasinum conflixere. Maiori autem quàm antea damno Imperator Alexius, & Venetus Dux superati, fugaticp fuere. Robertus autem Guiscardus ad Cassiopam insulam delatus: eo qui tunc erat Iulio mense, ibi uita functus est.

Vincit Robertus Græcos.

Vincit secundò.

Roberti mors.

¶ Rogerius Roberto patri succedens, à Pont. Rom. confirmatur: Capuam, Siracusas item Siciliæ superat. Pace fratrum non seruata, mutuo se armant bello. Caput. xij.

ROGERIUS filius, patri in ditione Italica successit. Nam ei ilico omnes de Italia populi, præterquàm Siciliæ ciuitatũ, sicut & genitori paruerunt. Et cùm Boëmundus nullam sibi in Italia ciuitatum partem dari propriam, indignè ferens: classem, terrestresquè copias Hydruntum adduxisset: quæcuncp Genitori & sibi in Dalmatis paruerunt, ad Alexium defecere. Interea Rogerius Dux Capuam urbem, cum exercitu potentissimo inuasam, cœperat: cui etiam omnes, quicuncp hinc à Tibure, inde à Velitris ad Campanum pertinent agrum: Romani Pontificis, Romaniquè populi eneruatis tunc uiribus diffisi: sese permiserant Rogerio gubernando. Boëmundus interea, quàmprimum quassatos de nauigatione equos satis

Rogerius Dux.

Capua capitur.

quieuisse,& milites omnia bello necessaria comparasse uidit: Hydruntum profectus, in Rogerium fratrem duxit. Cum quo apud Fornetũ Beneuenti, aciebus utrinque ordine structis, conflixit. Decertatum est prælio haud quaquàm cruento. quòd Comites paterni in utroque exercitu ducentes: à Rogerio impetrauerũt: ut permissa Boëmundo Apuliæ parte, Ducatus ipse titulum, & cætera retineret, quę Genitor de Italia possedisset. Secundum quam pacem, Rogerius Melphim ad Vrbanum Pontificem se contulit: & Ligium ac Vasallum Romanæ Ecclesiæ obligans: Ducatus & paternæ succesionis confirmationem ab illo obtinuit. Exinde traijciens in Siciliam, cępit Siracusas. Quo tempore Adelisam Roberti Frisonis Flandrensium Comitis filiam, Kanuti potentissimi Angliæ & Danię Regis relictam, matrem Caroli Flandrensium Comitis, quem Brugenses interfecère, duxit coniugem. Ex qua genitus est illi filius Vuilhelmus. Per id tempus, Boëmundus concessis à Rogerio fratri ciuitatibus, parum contentus: Melphim quoque furto surripuit. Quod Rogerius ut toleraret: cum nullis paternorum Comitum suasionibus adduci posset: bellum utrinque parari cœptum. Primusque Rogerius, quòd à Sarracenis magnam Siciliæ partem tenentibus, & reliquis suæ ditionis de Sicilia, cùm inde mouisset, sibi deuinxisset: uiginti illorum milia stipendio conducta, in Italia secum traxit. Ilicò adiunctis copijs, quas ex Calabris, Salentinis, Lucanis, & parte Apuliæ sibi subiecta cõtraxerat: in Melphim ductus est. Boëmundus uerò ad decem milia habens milites ueteranos sub se nutritos, & disciplinam edoctos militarem: in propinquo Melphi, natura munito se continens loco: urbem sua præsentia statuit conseruare. Quod ut melius facere posit, fœdera inijt cum Richardo Beneuentano, & Capuano Principe, paterno hoste. Qui ea fratrum discordia fretus, in Patriam reuersus est.

Siracusas Sicilię obtinet

Fratrum dissidium.



¶ A Melphi urbe Rogerius exercitum subducit: Boëmundo fratri relinquens. Is terram sanctam inuisens, Antiochia potitur: ubi tandem moritur. Caput. xiij.

INTEREA parabatur magna illa in terram sanctam expeditio, Duce Godfredo, cum fratribus Comitibus Boloniæ Galliarum. Erat uerò tam magnus Christianorũ exercitus, tam pacatus incessus: ut nihil qua irent hostile, nihil incommodi timeretur. Vnde factũ est, ut Rogerius & Boëmundus fratres, de Melphi ciuitate acerrimè contendentes, quia nihil suis urbibus & oppidis timuerunt, loco nõ mouerint. Generosior tamen animo Boëmundus, tot Principes fama clarissimos ad bellum, glorię plurimũ, & meriti habiturum se intelligens: laudabili exarsit ęmulatione: & ab ipsis Princi-

pibus

pibus uiris, quos ilico allocutus, persuasus est: liberum Rogerio fratri fecit: Melphim ne, an cętera quę sibi essent de Apulia, occupare uellet. Signatũ ex more ferũt, eductis ex Vestiario purpureis chlamydibus binis, multas exscindisse rotulas: quibus tum Italicæ gentis ad. xij. milia uiri cruce fuerunt signati. Mouit aũt Rogeriũ fratrẽ, Boëmundi generosus animus. Isq; liberũ faciens cõmilitonibus suis: ut qui uellent, illũ in Græciã sequerent: Melphis obsidionẽ soluit. Tunc Tancredus nepos Boëmundo adhærens: illũ in expeditione est secutus. Transierũt omnes ea spe atq; animo, ut aut terram sanctam perfidis adimerẽt: aut se in reliquum habitandam, aut uitam Christo Domino impenderent: certi, aut uincere: aut mori. quare nihil sibi reliqui in sua quisquè patria reliquit. Quos uerò, & quàm magnas res in ea expeditione Boëmundus gesserit: quoniã multorum literis, & nouissimè Sebastiani Brand, in opere ad illustrissimum dominũ Romanorũ Regem Maximilianum inclaruit: prætereundũ hoc loco putaui. ne in infinitum decurreret solis Normannis in cõmemoratione uocandis, hac parte suscępta narratio. Nam & Blondus eam rem eleganter explicuit: nos in hac parte releuans. Neq; eñ Boëmundi res præclarè, siue totius belli commemoratione possunt explicari. Vno commemorato: quòd paucis uiri gloriam commendat. Ad reliqua transibimus. Primus ille Antiochiæ promeruit dominationẽ. Sine illo nihil præclarè gestũ: per illũ uerò solũ plurima. Redijt in Italiam: suorũ simultates eradicaturus: ut res componeret. Regis Franciæ filiam Constantiam accæpit uxorem. Imp. Constantinop. bello tenuit: & quas uoluit conditiones extorsit: præcipuè, ut expeditum faceret transitum uenturis Europa militibus in Terram Sanctam. In quam & ipse post triennium redijt, in pace sancta finiens: cum filio Antiochiæ sepultus.

Optio libera.

Peregrinatio in terrã Sanctam.

Sebastianus Brand.

Boëmundi laus.



¶ Rogerius Sicilię Comes, Calabriam cũ Apulia, Vuilhelmo pulso ui obtinet: Regiũ inde sibi titulum adscribẽs. Moritur sine prole Vuilhelmus. Caput. xiiij.

VILHELMVS Rogerij Ducis filius, Roberti nepos: mortuo patre, succedit in Ducatu Calabriæ. Apud Gelasium Pontif. legitimam promeritus de Ducatu inuestituram. Cùm & ab eodem Pontifice, Robertus quoq; Capuã, & Richardus de Aquila Principes, feudum suum accæpissent. Nam nouo se illi fidelitatis sacramento obligauerunt. Qui etiam aduersus Henricum. v. Imperatorem, qui patre depulso, successit in Imperio: pro Ecclesia duxerunt exercitum: & illum redire in Germaniam perpulerunt. Interim Rogerius ex Normanna gente uir primarius, cùm Siciliæ Comitatum administraret: mouit in Italiam; & capto Camisio, post breui discessit:

Vuilhelmus Dux Calabriæ.

Rogerius Tertius.

filium sui nominis Rogerium relinquens successorem. Non satis explicant Autores: filius, anne aliquis ille fuerit magna de stirpe Roberti Guiscardi: an Vuilhelmi, qui primus Siciliam cum consortibus tulit de manu Sarracenorum. Normannorum tamen stirpis fuisse, compertum habemus. Iam enim rebus de Italia prosperis, in Normanniã Galliarum nũciatis, multi accessere. Quod & Saxo noster de Richardo, & Sigibertus de Roberto, Vuilhelmoq; cõmemorat. Nec dissentit Blondus: qui tantam in ea gente coniunctionem fatetur: ut nuptias sibi conciliarent in Italia morantes Normanni, ab ea gente quæ Gallias incolit. Quod in Adelisa claruit, Kanuti Daniæ Regis relicta, Roberti Flandrensis filia: ex qua Rogerius hunc sustulit filium, Apuliæ Ducem, quem describimus. Nam & Normanni nobiles in urbe Roma fuêre ciues, præcipuè semper Ecclesiæ studentes: quos etiam Vexilliferos habuêre in seditiosos Imperatori studentes. Qui tamen Eusebij Cęsariensis calculum de temporibus continuauit: tradit, eum Rogerium fuisse Roberti Guiscardi fratrem: unde Comites Italiæ descenderunt. Nam Guiscardus quæ de Sicilia cęperat, fratri Rogerio tradi tur permisisse. Cui & Blondus adstipulatur. Cùm aũt Calixtus iam Ecclesiæ Romanæ præsideret: Vuilhelmus Dux inter alios sacramento renouato, Pontificis defensionem accępere: confirmati ab illo in sua quisq; ditione. Inde auctus animus, oblatam aliquando Alexij Imperatoris Constantinopolitani, pridem uita functi, filiam, in matrimonium accipere constituit. Malo id quidèm consilio: peiori exitu. Alexij omnibus Christianis hostem, maximis cũ Roberto auo suo, & Boëmundo patruo odijs constitit declarasse. Cùm tamen Rogerij Siciliæ Comitis, consobrini sui ambitionem duceret suspectissimam, non prius Italia est profectus ad uxorem sicut petebatur, Constantinopoli desponsandam, quàm Calixtus Pontifex, Apuliæ Ducatum, & cęteram de Sicilia terram, usq; ad fretum Siculũ, ad tunc Ducatu comprehensam, in suam, & Romanæ Ecclesiæ tutelam, protectionemq; suscępit. Vix dũ uerò mediũ iter suũ enauigauit Vuilhelmus, cũ Rogerius Sicilię Comes, suscęptã à Pontif. tutelã sibi notã paruifaciens, Calabriã inuasit: & prius dimidiã cæpit, quã Pontif. de afferẽda ope poterat cogitare. Qui Hugonẽ Cardinalẽ à Beneuento, pręmittẽs Roma: & ipse cum Cardinaliũ collegio, & Romanorũ copijs, tumultuariè est profectus. Inuentũ ad arcis Nicephorę Hugo Rogeriũ obsidionẽ mouentẽ: nec precibus inde, nec cõminationibus potuit deterrere. Pontifex interea Beneuẽtũ delatus, infausta in expeditione, multos sibi charissimos febribus correptos amisit: & ipse mala pariter usus ualetudine, lectica in Vrbẽ æger, mœstusq; relatus est. Qua fretus benè gerendę rei

occasione

occasione Rogerius, Calabriã omnẽ, Apuliamq́; subegit. Vuilhelmus uerò uxoris spe frustratus: cùm ad affinem Salernitanũ Principem in Italiam reuersus confugisset: diem ibi, nullis relictis filijs, obijt. Ex eo tempore Rogerius tantarum rerum successu elatus: non se ultra Apuliæ & Calabriæ Ducem, atq; Siciliæ Comitẽ, sed Italiæ Regem cæpit appellare. Quòd magnis auctus uiribus, omnẽ teneret ditionem, quę nunc in duo Regna manet diuisa, utriusq; Siciliæ, intra & ultra Pharum. Ergò ambitio Siculi Principis, Regium sibi nomen desumpsit. Vuilhelmi mors.



¶ Pont. Rom. Innocentius. II. cum Cardinalibus à Vuilhelmo Rogerij filio capitur. Scisma quoq; narratur, & Rogerij modestia. Caput. xv.

REGIVM sibi nomen Rogerius, Rogerij filius, Sicilię Comitis, ex gente Normannica, primus desumpsit. Sed multa interuenêre, prius quàm fundatum benè Regnũ transmitteret ad posteros. Temeritas dedit initium: Scisma Ecclesiæ contulit prouectionem: sed demũ legitima successio confirmauit. Ad quam cùm narrationem protulerimus: in nostram Noruagiam paulò post reuertemur. Calixtus Pontifex, multa in Rogerium Siciliæ Comitem, se Regem Italiæ appellantẽ, animo non minus celso, quàm irato dum molitur, diem suũ obijt. Successor eius in Pontificatu Honorius, in Vrbe se cõtinuit. Visus est enim timere: ne duo factiosi geniti Romana gente, in quorum controuersia Papatum accæperat: per absentiæ suæ occasionem, motus aliquos intentarẽt. Interim Innocẽtius. II. anno post natum Christum. 1130. Honorio successit. Qui superbiam, tyrannidemq́; Rogerij Sicilię Comitis, sese Italiæ Regem appellantis, ægerrimè tulit: adeò, ut iracundia magis tractus, quàm uiribus necessarijs ad tantam rem agendã, fretus tumultuario contractũ impetu exercitum, in illum duxit. Tantaq́; profectus est celeritate: ut Rogerius, qui nullos resciisset à Pontifice factos esse apparatus: apud S. Germani oppidum, improuisọ impetu sit repulsus. Eóq; oppido ui capto, tyrañum in castro Gallinio, in quod se de fuga recæperat, Pontifex obsedit. Filius autem Vuilhelmus Calabriæ Dux, cum exercitu ueniens, soluit obsidionem: Pontificemq́; cum Cardinalibus capit. Vsus tamen modestia Rogerius: Pontificẽ cum Cardinalibus suis liberat: et quicquid uoluit, ab eo, præter quàm Regni titulum, impetrauit. Reuersus Romam Innocentius: adulterinũ Pontificatu nouũ sibi suffectũ, reperit Petrum, Petri Leonis filium: qui se Anacletũ Pontificem appellaret. Fretus erat Petrus, non magis nouo Innocentij Pontificis casu, quàm electione: licet dispari utriusq; ipsorum facta: In qua Anacletus longè fuerat superatus. Spoliauerat Petrus, absente Innocentio, primarias

Rogerius. I. Rex ex Normãnis.

Pont. & Cardinales capiuntur.

Antipapa.

Vrbis Ecclesias, Principis Apostolorũ, Virginisq́ matris Maiorem, & Lateranensem, aureis, argenteisq́ ornamẽtis: et conflata inde ingenti pecunia, multos in Vrbe corruperat: adeo, ut ea multitudine suis ad dita cognatis, Pontificis potentiam in Vrbe obrueret. Quamobrem sibi, ac suis timẽs Innocẽtius: Conrado Sabinẽsi Episcopo Cardinali, Vicario suo, in Vrbe relicto, Roma migrãs, cum Cardinalibus & Curia, per Pisas & Genuam, ad Philippũ Regem, in Franciã delatus est.



Rogerius Rex per Antipapam Anacletum confirmatur. Amissam Italiam recuperat. Aphricam subijcit tributariam. Emanueli Imp. 5. urbes ui aufert: Christianorum patronus, tandem moritur. Caput. XVI.

INTEREA Petrus, in Anacletũ prophanatus: pertẽtatum seduxit: ut Rex appellatus, se Romanũ Pontificẽ adoraret: Idolum uidelicet uneraretur simulacrum. Sicq́ factũ est: ut omniũ Normannorũ primus, absurdo utriusq́ Siciliæ titulo Regni sit abusus: qui omnem terrã de Italia complecterentur: quam nũc quoq́ Regnũ Siciliæ appellamus. Innocentius aũt in Francia celebrato Concilio: Lotharium tum assumptũ Regem Romanorũ, secũ ducit in Italiam: inq́ urbem Romam cum exercitu perduxit. Erant in Vrbe ciues nõ pauci, qui fauerent Innocentio: qui cùm exercitũ secum haberet Alemannorum, non se ausus est Petrus Anacletus cõmouere, sed paternis in ædibus delituit. Imperatore autẽ propter intemperiẽ æstus, rursus in Germaniam contendẽte. Pontifex Pisis celebrauit Concilium: in quo aduersus Petrũ multa constituit: sed in Vrbe, & Rogerij ditione, multa per absentiam Innocẽtij, sunt innouata. Quare iterũ accersitus à Pontifice Imperator, aderat cũ exercitu: Pisaniq́ illũ classe promptissimà auxerunt: priores Pisani, Amalphã, Riuellumq́ ducentes: utranq́ urbem, & agri earum oppida ui capta diripuerũt. Pontifex aũt, & Imperator terra profecti, prius Barulũ usq́ duxerũt, quàm populũ offendẽrent cõtraria sentientẽ. Itaq́ Barulo obsidione circundato: Rogerius sibi timens, dum in Siciliã confugisset, omnia amisit, quæ in terra Itala occupauerat. Cui custodiẽdæ terræ, Põtifex Rainonẽ Lotharij Imperatoris Comitẽ, attributo titulo Ducatus Apuliæ: cùm aliquot Germanorũ cohortibus præfecit. Tantisq́ rebus nõ magis feliciter, quàm faciliter confectis: redierunt in Vrbẽ Principes: & Lotharius in Germania reduxit exercitũ. Moritur deinde Petrus Antipapa: & Innocẽtius ad quietẽ peruenit. Interea Rogerius Normannus, per Celestini primũ: post Lucij Pontificẽ, rem ecclesiasticã frigidẽ administrantiũ tempora: omnẽ terram de Italia, quam Innocentius, Lothariusq́ abstulerant, recęperat: et modestiore quàm prius titulo usus: sese Regẽ Siciliæ appellabat.

Papa, Idolum.

Rogerij fuga, & iactura.

Recuperat sua Rogerius.

appellabat. Rogerius aūt per dictorum Pontificum tempora, classem in Aphricam Duxit ingentē: ac tantis Sarracenos incommodis, cladibusq; afflixit: ut Rex Tunetis, tributo quotannis promisso (quod annis postea plus quàm triginta persoluit) pacē sit impetrare à Rogerio cōactus. Per quæ tempora Romanorū Imperator Conradus: & Rex Franciæ Ludouicus: cùm sanctisśimam peregrinationē in terram sanctam suscępissent: Emanuel Cōstantinopolitanus Imperator: qui exosum sicut patres sui haberet expeditionem illam: fraudes multas, quando aperta ui repugnare non poterat, struxit. Farinam calce miscuit: & plures ille pane, quàm Sarraceni gladio perdidit. Rogerius ergò Siciliæ Rex, secundo Emanueli tunc Imperatori, cuius dolòs, fraudesq;, & inimicum in nostros omnes animū, melius quàm Gallicus, Germanicusq; Reges nouerant, infensus: eū bello agitare, ac domare constituit. Cum classe igitur de Aphrica tunc reducta, Borcyram, & eius urbem Corfumum aliquandiu oppugnatam: Corinthū quoq;, & Thebas, ac Euböeam (quæ & Nigropontus) de Imperio Cōstantinopolitano cæpit: spoliauitq;. In Constantinopolim quoq; ducturus erat: nisi rescisset, Imperatori Venetos bello socios, sexaginta triremium classem, Petro Bolano Duci, sinu Adriatico eduxisse. Flexit itaq; dextrorsum Rogerius ad Asiana littora: intentaturus, Christianis opem: aut si Barbaris infidelibus, incommodum adferre posset. Idq; Christiano nomini feliciter cessit. His itaq;, aliisq; operibus pietatis insistens Rogerius: post omnia morbo consumitur. Optimi, & fortisśimi Ducis, & magnifici Regis nomen, posteris suis cum laude relinquens.

Impium factum.

5. Vrbes capit.



¶ Vuilhelmus Christo fidelis, oblatis conditionibus, Adriani Pont. pedibus prouoluitur: suscipiens in feudum Ecclesiæ quæ sua erant. Caput. xvij.

VILHELMVS eius filius Regno succedit. Is quàm primū inito Regno, arma in Romanæ Ecclesiæ terram, hostilia cœpit: & hinc Beneuēti suburbana, inde Ceparanum, Babacūq; oppida occupauit. Cōmouit ea res Adrianū Pontificē, cui cùm alia in Pontificatus sui nouitate deessent arma, exercuit ecclesiastica: et Vuilhelmo fideliū cōmunione, Regniq; titulis priuato: populos, Proceresq; Regni catenus, iuramēto sibi prestito absoluit, ut nulli facta rebellio fraudi foret. Et cùm iā Fridericus eius nominis. I. in Imperio esset, uenerūt Romā nōnulli Apulorū, et Principis Capuani Oratores, Pontifici Adriano suasuri, ut ad suam de Italia terrā, Vuilhelmi Normanni tyrañidē oppressam, per ipsius terræ Principū uirorū, populorumq; cupientisśimorū manus recipiendam, se conferret. Pontifex secundo mēse uix apud Lateranū finito, cū exercitu ea tēporis breuitate

Vuilhelmus. III. Dux.

Fulmen Ecclesiæ Romanæ.

contracto, ad Casinensem saltum S. Germani oppidum accessit. Vbi multos earum Regionum Proceres reperit cum copijs expectantes. Quos fidelitatis sacramento, sibi, & Romanæ Ecclesiæ obstrinxit. Et Roberto Principe Capuano, Andreaq; Comite præmissis: Capuam ipse, & inde Beneuentu se cõtulit. Vbi cęteros de Apulis, Calabrisq;, & Salernis, qui Cassini non interfuerãt, iureiurando adegit. Dum autem Pontifex Adrianus exercitũ tot recipiẽdis regionibus idoneum: & Vuilhelmo, qui se cũ copijs Salerni continebat, Italia pellendo præparat: Imperator Orientis, misso ad populum nuncio, hoc agit. Quia iam illi bellum cum Venetis esset, Anconitanosq; in spem magnã erexit: si tres, aut quatuor de Apulia ciuitates sibi permiserit: Vuilhelmũ Apulia, & omni Italia expellendum, operam suam pollicetur. Id cùm resciscet Vuilhelmus (iã enim Græci, ignaro Pontifice, aliquot urbes cæperant: ad Pontificem confugit: eum sibi conciliare studens. Missis Catanensi Episcopo, & de Nobilitate sua primoribus: paucis uerbis postulata, in hanc maximè formam proponerẽt. Vt communioni Ecclesiæ restitutus Rex à Pontifice, in utroq; Siciliæ Regno confirmaretur. Viceuersa pollicebatur, omnia iuris Ecclesiastici, quę occupauerat reddere: & insuper Paduam, Montem Fuscum, & Morionem oppida Beneuentanis confinia, Ecclesiæ & Pontifici permittere possidenda. Romanis deinde Pontifici rebellibus, propria subigẽdis impẽsa, operam suam exhibere. Auri uerò summã pollicitationibus parem, cùm sibi tunc paratã non esse diceret: dato temporis spacio, nihilominus soluturum se spondebat. His conditionibus Pontifex, uel ea maxima ratione, quòd Græco Imperatori, aliàs semper Christianorũ hosti apertissimo, parum crederet: pro sua prudentia assentiebatur. Sed cùm res in Cardinalium collegio esset discussa: tenuit nonnullorũ non minus auaricia, quàm imprudentia: Vuilhelmum Imperatoris Græci fauoribus et pecunia deturbandũ. Vixq; satis sciebant, Oratores ad Vuilhelmum esse reuersos, quando illũ paratissimo exercitu in Apuliã ducto, omnia euertere auditũ est. Copia nanq; Gręcorum, & Apulorũ apud Brundusiũ superauerat. Ad cuius prælij famã omnes, qui de Apulis, Salentinisq; apud Casinũ & Beneuentũ sacramẽto se Pontifici, et Romanæ Ecclesiæ obstrinxerant, subitã Vuilhelmo fecerũt deditionem. Mouit itaq; Adrianũ Pontificẽ, non magis Vuilhelmi audacia, quàm illorũ, quibus crediderat, Apulorũ Principũ perfidia: Cardinaliũq;, q oblatã occasionẽ spreuerãt imprudẽtia. Et uno, eodẽq; tẽpore, hinc Vuilhelmo pacis, et reintegrãdę beneuolẽtię spẽ fecit: inde Cardinales mali cõsilij Autores, se, q Romã redire simularet, in Marsos usq; pręcedere iussit. Cũq; Vuilhel. ad S. Martini in Basilicã Beneuẽtani agri se

Legatio Vuilhelmi.

contu-

cõtulisset: ad expectantis ibi Pontificis Adriani pedes prouolutus est. Cui nouo fidelitatis fœdere, & sacramenti religione obligato: Adrianus Pontifex solita utriusq; Regni iura, infeudationémq; concesit. Hic est limes rerum, quem nobis præfiximus. Iam sunt Normanni legitimi Reges. Iam in Italia & Sicilia fundauêre, quod suscępimus ostẽdere, Regna. Hoc est illud Danicæ atquè Normannicæ gentis decus, quod inuestigamus. Iam dudum in Longobardia, & tota Italia, Dani Scania egresi, Regnum firmarũt. Inde in Galliarum littoribus, splendidum titulum, cum regione, latisimè Ducatum meruerunt. Et inde in Angliam transmissi, illud quoquè Regnum sibi uendicarunt. Inter quæ tempora in his Apuliæ, Calabriæquè, & Siciliæ prouincijs, duo splendida Regna constituerunt. Epilogus, Normannorum glorię.

ALBERTI KRANTZII CHRONOgraphi Hamburgen. Rerum Noruagiæ gestarum, LIBER V.



¶ Kanuti Magni Noruagiæ quoq; Regis, Regnorũ in filios partitio, potentia, fœlix administratio, atq; sepultura insignis narrantur.

CAPVT I.

EDVCTA Normañorum gente ad Regnum usq; utriusq; Siciliæ: in Noruagiam prosequẽdam reuertamur, ad superiora tempora recurrẽtes, ubi narrationem intermisimus. Nam cùm Kanutus cognomento Magnus, Angliam, Daniamq; Regno coniunxisset: effecissetq;, ut Olauus optimus Noruagię Rex, ciuili & plus quàm ciuili bello obtereẽ: martyr (ut aiũt) Domino consecratus: Haraldusq; germanus eius similes exitus ueritus, in exiliũ abijsset Constantinop. Imp. militare: Kanutus Noruagiæ regnum prioribus cõiunxit: & inter filios partitus ditionem, Suenoni Noruagiã, Haraldo permisit Angliã: durũ Knutonẽ Daniæ designabat successorem. Ipse nauigans, filiorũ Regna circũibat: omnibus superimperitans. Inter alia uerò fortia facta eius, angebat illũ: ab Richardo Normañiæ Galliarũ Duce, repudiatæ sororis iniuria. Itaq; ulturus (ut ipse dicebat) superbiã: quòd coniugalia sacra Richardus temerasset: exercitũ comparat in Normañiam Galliarũ. Quam in Prouinciã cũ Rex Kanutus expeditionẽ cõparasset: iamq; gerendis rebus intenderet: tristem nunciũ de sublato Haraldo filio Anglorũ Rege accępit. Sed ille ꝓpior publicę utilitatis negocio, quã priuato affectui: neglectis penetraliũ suorũ casib. bello institit administrãdo. Sed iã (ut suo loco inter Supra lib. 3. cap. 6. & 7.

res Normannorum diximus) Richardus ista prospiciens, abijt Hierosolymam. Kanutus autem iam grandęuus, & qui multũ laboris exanclasset, nam & Romam cum Imperatore Conrado, cuius filio Henrico, filiam desponderat, cum non cõtemnendo comitatu petierat, militiæ grauis, continuos sudores non sustinens, ex labore morbũ cõtraxit. Sentiensq; propinquare uitæ finẽ, uocatis Proceribus, nequaquã docuit bello abstinendum, etiamsi ille iam mortem obiret. Nam uita functum se, uelut uiuum circumferentes, uictoriam iussit expectare. Auspicijs enim suis etiam mortui, docuit uoto potiundum. Nec fefellit morientis uaticinium. Diuturnitate tamẽ temporum, Dani fastidia non ferentes, Rothomagensibus, ad quorum mœnia sederant, pacem dederunt, si Regis sui mortui funus Regaliter exceptum exequerentur. Rapuêre conditionem ciues Normanni, solenni Regis funere pacem mercati. Hic fuit exitus Regis in ea gente omnium uictoriosissimi & clarissimi: qui Franciæ terram corpore premit uita functus: & Normanniam gentis suæ prouinciam, reliquijs suis honestauit. Vt autem Noruagiensibus, mortis Kanuti nuncius uenit: Danicum detrectantes Imperium, Magno Olauo filio Regnum detulêre.

Daniæ lib. 4.c.29.& se.



¶ De successione Regnorũ Daniæ & Noruagiæ, simul Kanutus & Magnus paciscuntur. Illo aũt mortuo, hic utriusq; Regni gubernacula adsumit. Caput.ij.

Magnus Rex.I.

MAGNUS Olaui martyris filius, Procerum Regni uoluntate, cõtempto Danico Imperio, patri successit in Regno. Kanuto autem Daniæ Rex, cognomento Durus: cùm à consobrino Suenone uocaretur in Angliam: audiretq;, unà defecisse Noruagiam: statuit, minoris iactura maius conseruare. Igitur euocato Magno, fœdus cum illo percussit, iureiurando confirmatum: ut qui alteri superstes uiueret, utriusq; Regni, Danici, atq; Noruagici sceptra teneret. Tanti arbitrati sunt Proceres esse, sub uno Rege utrunq; Regnũ. In eas cõditiones Kanutus Magnum dimisit: ipseq; Angliam cunctis Daniæ suæ uiribus adnauigans, petiuit. Magnus paternum regnum quietus tenuit. Kanutus autem post biennium emoritur. Cœpitquè dissidium inter Magnum Noruagiæ Regem, pactis fœderibus immi nentem, & Suenonẽ Magni Kanuti ex germana sorore nepotem. Daniæ Proceribus, iusiurandũ fœderi inditũ, omni iure sanguinis censentibus præferendũ. Erant èdiuerso, qui pactionẽ improbarent: quę tñ iusto sanguini præiudicium afferret: perquàm stultum & uerecundũ reputantes, eorum quibus antea Dani imperitassent, conditionibus petere. Sed præualuit iurisiurandi religio: frustratusq; est Sueno, illa sanguinis spreta successione. Magnus exinde utriusquè Regni tenens guber-

Danię item Rex Mag.

gubernacula: non tam longam, qua desyderatam egit gubernationẽ. Non enim diu superfuit. Quàmuis & pro patris sanctitate, & suapte nihilominus uirtute, ab omnibus plurimum amaretur. Venationi institit: ut solent apricandi gratia Principes atq; Nobiles: & dum incautus admisso, adactoq; equo, leporem, aut feram aliam sectaretur: prolapso per præcipitum, equo deturbatur: & baculo, qui frigore duratus extabat, terræq; prominebat incussus: effracta pectoris crate, uitam nõ longè post finiuit: Suenoneq; in Regno Daniæ successorẽ pmisit. Daniæ lib. 4. cap. 31. c.



¶ Haraldus Constantinopoli Draconem prosternit. Noruagiæ Rex, in Danos mouẽs, Iutios superat. Ab Anglis tamen turpi fugare pellitur: licet Normañi Anglo cæso, uictoria fruantur. Cap. iij.

HARALDVS interea diui Olaui frater, cùm apud Constantinopolim ageret, Rem ueritus Kanutum, qui fratrem eius perdidit, miram expertus est fortunã. Nam homicidij factus reus cũ unico famulo, qui eum non deserendum putauit, uterquè (ut ferunt) Draconi obijcitur deuorandus. Carcer hanc fertur habuisse formam: ut Draconi ex proxima palude ad uorandos reos, aditus foret. Sed à custode carceris miserationis gratia, donatus armilla, bestiam cunctis mirantibus uicit, & occidit. Inde pro uirtute uita donatus, etiam liber abire permittitur. Vir generosi, ut cunctis existimatio fuit, sanguinis. Nemo autem miretur: si tam longinquam egerit militiam uir extorris. Cùm etiam superiori ætate, quod suo in loco diximus, testantibus Italicis Scriptoribus: Normañi per tempora Caroli Calui Imperatoris, uastatis Galliæ littoribus, atq; Aquitania peruagata: trecentis sexaginta nauibus, ex mari Britannico duxere Constantinopolim: suburbanisq; uastatis, atq; incensis: in mare Britañicum sunt reuersi. Et quod in Dania diximus: Ericus Rex terram sanctam petiturus: cùm in eadẽ Imperiali urbe ab itinere fessus conquiesceret: repeterit suæ gentis plurimos Imperatori militantes. Et miramur: si quando ex Saxone Sialandico legimus: Hellespontiacos, aut alios Orientis populos, à Danis impugnatos: quibus idẽ nauigandi fuit usus qui Noruagijs, Normannisq;: imò, ut præfati sumus, indiuisa semp maris: præsertim longinqua fuit Danis, Noruagijsq; expeditio. Reuersus ergò in Patriam Noruagiã Haraldus, occupat Prouinciam: eaq; ex uoto potitus, arma trãsfert in Daniã. quòd à Magni uoce, deberi sibi reputaret. Cõcurrũt hostiliter utriusq; Regni uires: et arma ad Iutiã perueniũt. Dumq; dubia uolitat uictoria, Iutij uicti, multitudine cesserũt: spontaneumq; exitum eligẽtes, sese in mare præcipitabãt: lętũ à se, quã ab hoste sibi inferri pręponẽtes. Sueno aũt Danię Rex, reparatis uiribus, iterũ ducebat in hostem.

Haraldus Rex. II.

Draconem sternit.

Vincit Iutios.

in hostē. Sed cùm adhuc nequaquàm numero, aut uiribus pares hosti uiderentur Dani: ab audacia robur mutuantes, concurrunt animis impigri. Ibi paucorum spectata uirtus effecit: ut numero impares Dani: uiribus pares hosti uiderentur. Extractaq; in noctem pugna, incertum uictoriæ reliquerunt exitum. Sed Noruagiorum uires, noua classe aduecta, augebantur. Dani autem circumspicientes, cùm nihil opis expectarent: desperatam patri suæ uictoriam habuêre. Quę res effecit: ut noctu Scanienses sua parte subducta, clam enauigarent. Reddita luce, Rex Sueno suorum paucitate conspecta: ubi abijsse quosdam suorum audiuit: spem in relictis uiriliter constituit, acriterq; confligens, effecit ne uinceretur. Tertio autem prelio renouato (tanta fuit Danorum ad certamen acrimonia) quia numero facilè superati: uiribus tamen uinci non possent: et proinde incerti, qua staret uictoria: inuicem discessere. Per quæ tempora, Haraldi Anglorum Regis insolentiam, iuniores natu fratres non ferentes: spontaneo exilio ad Noruagiæ Regem Haraldum profugerunt: opem implorantes aduersus fratris superbiam. Ille uerò, ut erat Regni propagandi cupidissimus, classem expediuit: moturus in Angliam. Et peruenit nauigans in mare Britannicum, ad littora Regni. Cùm ex aduerso littore Franciæ (quæ Normannia est) uidet non minorem suam classem adnauigare: incertū hostis, an auxilia suæ partis demoretur. Vbi intellexit, in Anglorum Regem & illos ducere, partitis copijs, diuerso littore rem sunt aggressi. Haraldus autem Rex Angliæ, incertus cui se primum hosti obijceret: expectat Noruagiorum excursionem. Vbi uastabundi terram Anglię peruadunt, ab Anglis occupantur: à quibus uicti, turpiter naues repetunt. Inde uersi in Normannos, uincuntur. Haraldus Angliæ uictus, in obscuro loco delitescens, extrahitur: extinguiturq;. Filij eius duo, cum sorore in Daniam migrauêre. Puella Russorum Regi desponsatur. Iuuenes ibi exulantes consueuêre. Nam Normaniæ Dux Vuilhelmus, ut diximus, Regno potitus est.



¶ Magnus cum Olauo fratre, Noruagia successionis inire potiuntur. Magnus Ingonis filiam sterilem uxorem ducit. Caput. iiij.

Olauus. Magnus Reges.

[O]LAVVS atq; Magnus Haraldi filij, in expeditione Anglicana deficiētes, paternum Regnum tenuêre. Sed Sueno interea rerum Danicarum potitus, tam Anglis, quàm Noruagijs hostilia denunciabat. Nam de Anglia cum Vuilhelmo Normannorum Duce, qui coronam apprehendit, quàmdiu superstites ambo fuere, luctabantur. Tentata est aliquādo Principum reconciliatio, sed frustra. Magna res quæ petebatur, erat in medio. Suenoni aūt cùm fi-

lij eius

lij eius succederent: primùm Haraldus solo biennio: inde Kanutus Rex Christianissimus, pro Christi religione martyr consecratus: quẽ deinde Olauus frater: hunc autem Ericus excæpit, is qui Constantinopoli egressus, in peregrinationem Terræ sanctæ perijt: Erico Nicolaus itidem frater substituitur: omnes filij Suenonis, fratres inuicem consanguinei, diuersis editi matribus. Sed quod ad nostram pertinet Noruagiam: Magnus Haraldi filius, cùm rebus suis prospiceret: Sueonum Regem Ingonem ad tradendum nuptui filiam Margaretam, penè inuitum cõegit. Nam sedulò Sueones adortus, Halladienses etiam de Dania fertur inuasisse. Sed ab illis in naues repulsus est. Ingo autem Suetiæ Rex, pertinaciter sibi imminentem Magnum ferre non sustinens: filiæ coniugiæ eum primùm generum, deinde in societatem fœderis accæpit. Sed ex eo matrimonio Magnus nullos sustulit liberos. Vnde prouenit: ut Magno iam mortuo, eadẽ mulier Nicolao Danorũ Regi in sacra cõiugalia concideret: mulier singularis religionis, & fidei nõ uulgaris. At cùm interea Magnus Nicolai filius, moriente Sueonum Rege, à Gotis in Regnũ uocaretur: illis quidèm regnauit, sed Suecis contemptui est habitus. Auxit tamen animos eius ea res in tantum: ut Kanuto adolescenti optimo, Erici peregrinantis Regis filio, pro sua uirtute ab uniuersis honorato, amatoq́, se opponeret: & apud patrem de Regni suspicione illum accusaret: ad extremũ, etiam positis insidijs opprimeret. Qua indignitate cõmoti Dani, Nicolaum Regem perpulerunt, ut atrocissimi sceleris reum. Filium Magnum item populus proscriberet: & iuramento firmaret, nunquàm se decretum hoc relaxaturos. Sed tempus irã populi mitigauit. Quippè persuasus Rex pater: ab amicis filium contra iusiurandum de exilio reuocauit. Quàm rem indignissimè Kanuti fratres Ericus & Haraldus tulère: aperta se iam rebellione se opponentes Regi Nicolao.

¶ Magnus pecunia corruptus, Ericum sororiũ prodere conatur. At astu ille effugit. Magnũ Nicolai filium bello opprimit. Haraldus Noruagia exulatur. Caput. v.



MAGNVS interea, proximi Magni filius, Haraldi nepos: cuius pater sine prole reliquit Margaretã, à Danorum Rege Nicolao ductam: cùm iste uel ex priore matrimonio, uel ex concubina (res enim incerta est) natus, Regnum tueretur paternum. Nihil enim discriminis etiã tum habuère Reges, Regumq́ filij. Nam omnes Suenonis proximi filij, quos diximus, inuicem sibi succesisse, concubinis progeniti memorãtur. Is igitur Magnus Noruagiæ Rex, missis in Daniam Oratoribus: Kanuti Ducis occisi filiã deposcebat coniugem. Ericus Kanuti frater, rem nõ inuitus amplectitur: ut in Ni- Magnus Rex.

colaum, & Magnum filium eius bella gesturo, uires accederent Noruagiæ per puellam: cuius patris uindictam Ericus moliebatur. Ipse uicissim Ericus, annitente eodem Rege Magno, germanam eius coniugem accæpit. Ita geminata utrinque affinitate, cōsociatus Magnus Noruagiæ, & Ericus Iutiæ uiribus: in Nicolaum, & Magnum filium eius, Daniæ Reges, arma comparabant. Conserto deinde prælio: uincitur Ericus. quippè quem frater Haraldus destituit: maiori odio insequēs fratrem, fraterni sanguinis uindicem, quòd ante se Regnum quærere uideretur, quàm fratris occisorem. Victus Ericus, cum Coniuge fugit in Noruagiam ad Magnū: utriusque nuptijs fretus: nihil dubitans, amicissimum sibi Regē reperire. Nec illum fefellit opinio ingredientem. Nam perbenignè exceptus est. Nicolaus autem Daniæ Rex, memor: quòd Magnus olim Kanutus, in Olauum diuum Noruagiæ Regem, non tam uiribus, quàm insidijs superior euasit: Magnum quoque Noruagiæ Regem, misso quàm occultissimè nuncio, pertentauit: ut accæpta grandi, quam polliceretur pecunia, Ericum tolleret de medio. Ille auariciæ quàm fidei propior: quòdque uereretur, maiori per illum bello Regum uicinorum implicari: accæpta pollicitatione pecuniæ, promisit operam. Itaque credulum Ericum illis sepsit satellitibus, quibus erat in tempore ad nutum usurus. Sed innotuit Erico res per Reginam neptem suam; missoque ad Hallandienses sibi fidissimos, curauit adesse nauim paratam. Nec segnes amici, nauem Erico expediūt: seque adesse clandestino insinuant nuncio. Ericus custodes suos ebrietate pelliciens, iactu etiam aleæ ad hilaritatem prouocauit. Et iam consopitis illis, quasi requiem petiturus, cum coniuge nauim petit: repertasque in portu cæteras naues parauit. Inter hęc recordatur paruuli filij, quē trepidatione magna abire festinantes, in diuersorio penè oblitum neglexêre. Sed non erat tum Magnum Erico periculum, quo sanguinis sui paruulum in periculo relinqueret: Missis, qui afferrēt, moratus est in portu. Et cum excępisset, enauigauit. Custodes postera luce conscij uespertinę ebrietatis, claustra Erici pulsant: sciturі, si adesset. Vbi nihil abintus responsum est, effregere: uacuamque domum cernentes, non dissimulanter nunciāt Regi. Ille quàmprimum nauibus celerrimis sequi iubet fugientem. Tanta fuit dulcedo promissæ pecuniæ. Sed iamdudum ante illos soluens Ericus, Lalandiam peruenit. reditusque sui fecit indicium; Occiso gentis Præfecto: quem Rex Nicolaus immiserat Regioni. Et cùm Ericus Magnum Nicolai filium bello oppressisset: Nicolaus etiam pater à Slesuicensibus (quod in Dania sumus executi) esset occisus: Regnum Daniæ inuasit. Frater autem eius Haraldus, quòd sibi à fratre timuisset, Noruagiam illi infestam, petit exilio.

Vincitur Ericus.

Danię lib. 5. cap. 15. Auri sacra fames.

Danię lib. 5. cap. 16.

¶ Haraldus,

¶ Haraldus, Magni, filium eius se simulantem, bello fugat. Tum Erici auxilijs, ab eodem superatus, oculis simul, & genitalibus orbatur. Caput. VI.



ARALDVS Hybernicarum partium quidam, Nobilium ordine habitus, ferebat: se per ea tempora Magno Rege Noruagiæ, qui Hyberniam uastabat, natum: & ut miraculo quodam rem astrueret (id enim ab eo fuit exactum) super ardētes prunas nudis pedibus ingreditur: & nihil molestiæ passus, multos traxit in credulitatem. Quibus autoribus, Magnus Rex poscitur: Haraldo æquè ad Regnum nato, partem Regni cedere. Illoq; recusante, ignoto homini ditionem suam permittere: nequaquàm potuit flecti. Peruentum est utrinq; ad arma: & ingenti confecto prælio, inter assertores Haraldi, & Magnum Regem: fugatus est Haraldus. Is in Daniam ad Ericum: quem sciebat Noruagiorum Regi iustis de causis inimicissimum, contendit. A quo promptè excæptus est. ut speciosum ille belli titulum haberet in Magnum Noruagiæ: qui etiam ut cumularet in caput suum inuidiam, optimi uiri Kanuti filiam repudiauit uxorem. In Haraldo autem Hybernico, quem dicimus, monstrosum ferunt agilitatis genus deprensum. Nam pignore deposito, cursu audebat contendere cum citatissimis equis. Vtriq; enim brachio bacillum subijciens, tanta celeritate se promouit: ut equinus illum cursus æquare non posset. Idem inter nauigandum prora exiliens, per remorum capita in puppim reuersus in aliud latus, eorundem remorum partibus innixus, in proram redibat. Athletica magis, quàm Regia flexuositas. Sed amāt etiam Reges in minoribus eminere. Nero enim Imperator Romanus, & cythara, & uoce, & carmine certabat cum doctissimis. Hūc Haraldum Ericus Daniæ Rex, uiribus auxit: ut in Noruagia bello premeret Magnum. Et primò quidem incerta stabat uictoria. Inde tota Daniæ classe roboratus: tam magno Magnum adortus est prælio, ut eū opprimeret: captumq; oculis, ac genitalibus priuauit. ne aut uidens Regnum resumere conaretur: aut gignens, ultorem procrearet. Interrogatusq; à suis: si quem infelicitatis suæ cuperet habere consortem? Paucos ea re delectari respondit. Inuentus est tamē inter armigeros, qui facie, & omnis corporis habitu similimus esset Magno: qui Regis sui charitate, similem orbitatem deposceret. præfatus: ut cui uidenti similis fuisset: cæco quoq; non dissimilis haberetur. Ita Magnus ex sceptrato cucullatus euasit: agēte perfidia, quam Erico ostendit. Haraldus autem Erici frater, cùm Noruagiam petisset exilio: nihil inde grande pro Regno recuperando gessit: sed filium reliquit Olauū: qui in Daniam reuersus ad Ericum: solam patris priuatam quondam hæreditatem,

Haraldi ementiti agilitas.

Daniæ lib. 5. cap. 19. a.

Daniæ lib. 5. cap. 21.

reditatem, succeſsione legitima repetebat. Rex illũ omni succeſsionis iure carere respondit. quòd iam parẽs eius in Legem cõmiſiſſet, externo milite patriã pulſans: qua ex re, ueteri lege, omni cõmodo Patriæ, boniſq; excidiſſet uniuerſis. Olauus nõ Lege, ſed armis repetendum patrimoniũ exiſtimãs, omni quo poterat conatu, Regẽ impugnat: & ubi inſidię nõ procederãt, ad aperta arma decurrit. Quę cùm imparia Regijs contraxiſſet uiribus: facilè à potentiori ſuperatus, uita caruit.



¶ Noruagiam Legatus donat Archiepiſcopatu Lundenſi, & collationem Eſchyllo Archiepiſcopatus in Suetia. Caput. vij.

NORVAGIA cùm ab initio ſuſcæpti Chriſtianiſmi, Pontifices ſuos ad Hamburgenſibus Epiſcopis, Legatione perpetua in Aquilonis Regna fungẽtibus, ſemper accæpiſſet: hoc tempore, hoc eſt, ad Annum Chriſti poſt Mille Quinquageſimum Quartum, Nicolaus, qui poſtea in Apoſtolatu factus eſt Adrianus Quartus, tunc Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Britannicum mare permenſus: Noruagiã in Eccleſiaſticis rebus tum Lundenſi Archiepiſcopo parentem, immunitate cõceſſa, magni Pontificatus, hoc eſt, Archipræſulatus titulis inſigniuit. Trondennis conſtituẽs totius Regni metropolitanum: qui nunc mutato Vrbis nomine, Nidroſienſis appellatur. Idẽ quoq; Legationis qua fungebatur poteſtate, in Suetia peragere cupiẽs, nõ pręualuit: Suecis, atq; Gothis de primatu inter ſe contendentibus. Cùm neq; de loco, neq; de perſona cõueniret inter eos. Certamini ergò decus negauit, rudẽq; adhuc Religionis barbariẽ, Archipõtificatus honore nõ dignatur. Verùm perpẽſo tẽporis habitu, cùm per Oceanũ redire, hybernæ nauigationis metu duceret in periculis: Daniã reditui ſuo per commodã arbitratus, offenſam eius ex Noruagię promotione contractã, beneficij delinimento ſedare conſtituit. Eſchyllũ ergò Lundenſem Archiepiſcopũ mãdatis aggreſſum, plus nouæ dignitatis, quàm ueteris amiſerit recepturũ, promittit: definiens, ſe, ereptæ Noruagię damna, Suetici Primatus munere pẽſaturũ. Rapuit promiſſum Eſchyllus, cupideq; Legati copiam efflagitat. Qui ubi uenit: futurũ Sueticij Sacerdotij inſigne apud illũ depoſuit: dandũ ei, in quem concors Sueonũ, Gothorumq; ſuffragiũ cõueniſſet. Statuitq;: ut quicunq; Sueonũ creandi eſſent magni Pontifices, Pallio à Curia dato, per Lundenſem inſignirentur Antiſtitẽ: eamq; ſedem perpetuò uenerareturobſequio. In hoc priuilegio dato, confirmationẽ à Curia proficiſcendam promittit. Quod effectu facilè fuit. Siquidẽ Romam reuerſus, decedente Eugenio, maximus Pontifex ſubrogatus eſt Nicolaus, tunc dictus Adrianus Quartus. Peregitquè publicę religionis

Præſul,

Præſul, quod præfatę religionis miniſter annuerat. Sed Regnum diu ciuilibus bellis laceratū, ad eum diē concertantes de Corona habuit.



¶ Haraldi Hybernici deperditio & mors. Reſtituitur Regno Magnus. Siuuardi quoq; admirabilis urinatio, animi, corporisq; inuicta uirtus in mortem uſq;. Caput. viij.

SIVVARDVS erat ex Proceribus Noruagiæ, qui Haraldo Hyberniensi ſemper obluctabatur: hunc uiſum obſeruari per ſuos, ſi quando manus eius incideret. Poſt multa, inſidijs intercæptum, ad ſe iuſsit perduci. Dataq; in eum mortis ſententia, longius in mare proiectum, mergi iuſsit. Ille uiribus iam locum non eſſe uidens, ad ingenium recurrit. Nam qui illum prouehendum in nauim ſuſcæperant, comiter allocutus, largiſsimo curauit potu impleri: iamq; exhilaratos interpellat. Quando inquit moriundū mihi: unum hoc ſupremi beneficij loco depoſco, ut clauum mihi gubernandum breuiſsimo permittatis momento. Viſum eſt: nihil mandatis acceptis obfuturum. Ea re impetrata: nautas impenſius edere remigium hortatus, cùm uehementiſsimum nauigij curſum animaduerteret: proiecto gubernaculo, præceps undas inſilijt, priusq; ſe littori quàm concitata ratis impetum correxiſſet, reſtituit. Ita & ſuo acumine, & hoſtium ſocordia ſeruatus, periculoq; cui deſtinabatur ereptus: Haraldū, amoris gratia (quod reſcierat) noctu caſtris egreſſum, in amplexu pellicis per inſidias interfecit. Dantem pœnam & ſibi, quem morte captum damnauerat: et Magno, quem Regno, ut diximus, luminibusq; priuauit. Igitur ut belli titulum apprenderet: Magnum protinus monachalibus ſeptis erutum: tametſi uirilibus careret, uirum induere perpulit: deiectamq; Regis fortunam, ad priſtinum Regni faſtigium conſtituit erigere. ne deeſſet, cuius autoritate & titulo bellum aduerſus Haraldi ſobolem ſuſciperetur. Peruenit autem hoc tempore Legatio ad Regem Daniæ Vualdemarum eius nominis primum: obſecrans, ut Noruagiæ Regnum, tot ciuilibus bellis correptum, ac teterrima tyrannorum dominatione laceratum, iam exangue & ruinæ propinquum, eius occupatores inceſſendo tentaret. At ille proprij Regni negocijs implicitus, poſthabuit alienum. Interea Hugo, Siuuardus, & Eſtenus Haraldi filij, paternum Regnum uendicare conati: naualem prælium conſeruerunt aduerſus Magni defenſores. In quo partim cæſis, partim fugientibus socijs, incredibili, & humanæ fortitudinis præſtantiori fortitudine Siuuardus, quem diximus, ſolus aliquandiu nauigium ſuum ab hoſtibus uendicauit. Ad ſummum, pluribus eorum proſtratis: omniq; ſuperſtitum multitudine ad ſe unum opprimendum concurrente: ſingulari nandi peritia fretus (quanquàm Hyber-

Haraldi Hybernici mors.

Eximitur Magnus monachiſmo.


Siuuardi incredibilis urinatio.

num tempus instabat) armis militaribus tectus, profundo se credidit: atque sub undis, quas hostiũ cruore resperserat, enatans: dubiũ effecit, maioris audaciæ specimen in naui pugnãs præbuerat: an inter undas agilitatis edidit. Siquidem loricã, qua corpus munierat, quo liberius enaret, cum reliqua corporis armatura, sub undis sibi detraxit: ac demùm cùm capescẽdi spiraculi gratia fluctibus emersisset, à quodam familiari suo, hostibus per habitum indicatus: tunicã qua se prodi putabat, rursus corpus aquis occultãdo deposuit. Sed cùm nec sic quidem proditoris agnitionẽ falleret: ad extremum suprema se ueste nudauit. Nec adhuc indice, qui illum semper oculis obseruabat, ludificato: cùm penè solus ex socijs superesset: seque hæc omnia & callidè, & animosè frustra excæptum animaduerteret: tandem fati simulatione profundo diutius immorato, insidiatoribus an uiueret, dubium reliquit. Ad ultimum cùm humanæ respirationis necessitate, supernè aërẽ capesceret: cuiusdam fortè nauigij gubernacula, pertinacissimis brachiorum amplexibus apprendit: eique aliquandiu tacitus inhæsit. Plura tamẽ elapsionis genera, animi firmitate tentasset: si non illũ Hyberni frigoris sęuitia, obstupefactũ corporis robur deseruisset. Tandẽ cuiusdam altum curiosius contẽplantis inditio deprehensus, intercipitur: & in concionem, hostili sentẽtia damnandus, pertrahitur. Ad mortem raptus, oratione in Deum nunquàm abstinuit: etiã cùm acerrimis supplicijs torqueretur. Nam Psalteriũ, et quicquid ex Sacris precibus meminisset, secum repetens: ita se egit in tormentis, ac si uacasset delitijs. Arcuatim enim distensus in tabulã: quo acrius per singula membra cruciaretur, malleis carnem & ossa contuderunt. Virũ uita dignissimum: si robur animi, corporisque percẽseas. Magnus quoque, quem ille belli autorem prætenderat, ante luminibus, nunc uita priuatus, concessit ad manes: & Regni res ad liberos Haraldi redijt.

Siuuardi mors pœnalis.

Magni mors.

¶ Aquinus, pro Ingone gibboso Rex nominatur. Qui bello Ingonem, & omnem Nobilitatem Noruagicam uictor deleuit. Caput. IX.



Ingo Rex.

INGO inter Haraldi filios, solus legitimo procreatus matrimonio, Regnum promeruit: gibbo deformis: per incuriam nutricis sinu puer delapsus. Siuuardus aũt frater ab eius militibus trucidatur: dum occisi socij necẽ prosequuntur ac uindicant: re autem uera iniuriã suam persequentes. quòd multorum legitimos fœdasset thoros. Estenum quoque de medio tulerunt: unius Regis, quam multorum dominio securiores, ut putabãt, futuri. Cęterũ non deerant filij paternæ necis ultores: Indignati, hominem corporis gibbo deformem, fratribus statura proceribus, regnare. Itaque Aquinũ quendam,

Aquinus Rex.

paternæ

paternę quoq; necis iniuriā ab Rege repetentem, Regem sibi constitu entes: bellum Ingoni, qualicunq; cęptum imagine intulerunt. Verùm plurimis prælijs incassum tentatis, fugati, & ad extremum uicti, Sueciam cum adolescente petunt. Continuò secutus Ingo cū classe, comprehendit fugientes iuxta Hallandiā. Illi littora petentes: uicinæ siluæ beneficio tuti, manus uictoris affugiunt. In Sueciam autem recępti, proxima æstate delituerunt. Sub brumā autem regressi: leuibus sæpè prę lijs hostem lacessunt: prouocantes in glaciem pugnaturos. Erat apud Ingonem uir primarius: cuius consilijs totū Regni pondus incubuerat: & in quem Rex magnam salutis suæ spem contulisset. Is cùm profugos bello premeret: illi paulatim cedentes in glaciē, quam proxima nocte incisionibus debilitauerāt, prouocant insequentes. Regij autē, cùm iam hostes urgerent: in locū constitutæ fraudis perueniunt: ibiq; pugnantes, armis & iumentis graues, subsidunt: pereuntq;. Rex hoc amisso Principe uiro, magnā incolumis Regni spem abiecerat. Persecuturus tamen hostes, magno exercitu intercludendos putauit: & adhuc durāte facie gelati maris, ausus est credere glaciei. Procedit in pugnam. Ibi hostes fraude fisi: & si militum numero longè superarentur, tamen fidenter ibant in prælium. Quo autē Rex maiore agmine premebat hostes, eo maiori uersatus est in periculo. Quia liquentis natura elementi durata iam glacie, magni armati agminis pōdere grauata, subsedit. Ibiq; Rex perijt, & omnis flos Noruagiæ cum illo: ad eamq; tenuitatem Regij sanguinis Proceres redacti sunt: ut antiquæ Nobilitatis uix ulla uestigia remanerent.

Stratagema.

Bis merguntur Noruagij.

¶ Ingo Noruagiæ Rex, Aquinū æmulum bis deuincit. Vualdemarus expedita classe Aquinum quidem pellit: at re infecta, commeatuum penuria redit in Angliam. Caput. x.



ERLINGVS, cum filio Magno ei cladi superstes, ad Vualdemarum Daniæ Regem, artam materni generis propinquitatem præferentem, in Iutiam appulit. Ibi in summa Regis ueneratione habitus, uberes exilij sui consolationes accæpit à Rege. In Noruagia uerò Aquinus, quem diximus, Ingoni æmulū constitutum, partium suarum Ducem creat, Siuuardum quendam manu promptum: at socijs non peræquè gratū. Res uerò ad domesticū spectabat tumultum: si non superueniens Erlingus cū filio, dissidentes timore aduersarum partiū conciliasset. Fit enim, ut intestino dissidio laborātes: in unū cōeant, dū foris imminet, qui alterutris, aut utrisq; minetur exitiū. Siuuardus aūt Dux Aquini, dū impensas belli largius exposcit: nec impetrat à Rege suo: indignatus, ab illo auertitur: Magno Erlingi filio adhęret,

ut non Aquino desit æmulus, nec Ingoni uindex. Magnis inde uiribus Aquinus, atq; Magnus prælio concurrunt. Ibi Aquinus cæditur. Et tamen is erat prælij exitus: ut Siuuardus & si uictrice in parte constitisset, fugam tamen inijt: Suetiam petens. quòd securus in Noruagia non uideretur. Aquinus Regiũ nomen in Noruagia sustinens: cùm in prælio, quod ei cum Erlingi filio Magno esset, cadens: reliquit partium suarum assertores: qui partim nouarum rerum cupiditate, partim fortunæ inuidia succensi: Marci cuiusdam alumnum, optimæ spei puerum, in Regem asciscunt: nec feliciorem proximis experti sunt fortunam. Siquidem prælio ab Erlingo obtriti, uictoriaq; pariter ac Rege priuati: ad Carolum Suetiæ Regem profugiunt: ipsumq; belli Ducem exposcunt. Cui cùm nobilitate Noruagiæ etiam aliquanta necessitudinis causa incessit. A quo diu benè sperare iussi, dilatiq;: postquàm tamen de proprio Regno seruando, quàm alieno obtinendo pollicitum compererunt: Legatos ad Vualdemarum Daniæ Regem, auxilia rogantes misere. Ibi benignioribus, placidioribusq; responsis excæpti sunt. Audit quo ordine sint rem gesturi: qua spe teneantur. Cæterum totius Regni negocium paucis cum uiris agere, non tutum ratus: mittit suos in Noruagiam: qui populi uoluntatem explorent. Vbi consentaneam populi, legatorumq; mentem reperit: quòd Erlingus cum filio, omnium odio laboraret: eiusq; detrectarent Imperium. Expedita classe Vualdemarus Noruagiam petit. Sed Erlingus diffisus partibus suis, quàm longissimè in solitudines Noruagiæ recessit, futurum sperans: ut nullo reperto aduersante, populi uana promissione contentus Rex Daniæ, spe plenus abiret. Sed apud illum in Concilio fuit agitatum, quid rebus suis conducibilius uideretur: hostem sequi fugientem, ut opprimatur: an populũ conciliare relictum. Vicit sententia, quę minus laboris, & plus habitura momenti uideretur. Igitur intermissa hostis insectatione, cum Populo Vualdemarus agebat: ut Regni sui uires haberet adiunctas. Res in urbe Sarpe agebatur. Inde Tuitsbergũ enauigans: eo in loco audiuit Erlingi studiosos consistere. Oppidũ facilè cępit. Hostes in mõtana dilapsi, manus eius uitauêre. Oppidũ aũt incendio parcebat consumere, ne prophana sacris immixta, unà ignis uorax flamma consumeret. Nemo tamẽ Pontificũ (quorũ erat in ea Prouincia uel maxima autoritas) Regem adibat: præter unũ Ormonẽ: quem, salua fide, quam Magno Erlingi filio præstitisset, obsequia ferũt spopõdisse. Sed ea res infirmã Regni deditionẽ testabatur. Cõegit uerò Danię Regẽ, cõmeatuũ defectio remeare. quia nõ erat promptũ: in ea Prouincia cõsequi sine magno discrimine. quòd Erlingus uias conclusisset. Itaq; iter remẽsus Vualdemarus: magnam

Aquinus uincitur ab Ingone.

Tuitsbergũ capitur.

magnam Procerũ, ac populi multitudinẽ sociã habuit nauigationis: qui exiliũ pręponeret, formidatis à Magno Erlingi filio pœnis. Diucꝙ Regijs ea multitudo, deĩde Principũ impẽsis alita, apud Regẽ pmãsit.



¶ Erlingi cum Burisio, in Vualdemarũ Daniæ Regem coniuratio detegitur. Burisius custodiæ mandatur: Noruagij re infecta, cum iactura abeunt. Caput. xi.

MAGNVS Erlingi filius, discedente Vualdemaro: uacuatoꝙ Regno Proceribus, malè illi subditis, iam libera potestate regnabat Noruagię: uiuente adhuc patre eius Erlingo: apud quem consilium Regni & autoritas: apud Magnum uerò labor, & inanẽ Regis nomen. Qua tempestate Burisius quidam, uir Regij sanguinis in Dania, Vualdemaro malè subditus, insidiari Regno eius uidebatur: futurũ sperans: ut sublato Vualdemaro, neminẽ se sceptris propiorem Dania haberet. Sciens quoꝙ Erlingi in Vualdemarũ non benignos animos: cum illo communicasse fertur consilium, subuertendi Vualdemari. Admonitũ fecêre nonnulli Danorũ Regem, quibus res innotuit: prospiceret in Regno domestica bella, quæ facile cum forensibus iungerentur: ac perinde maiorẽ, ui caueretur, perniciem importatura. Signũ euidẽs Regi fecêre coniurationis: quòd regredienti Regi ab expeditione Vuandalica: Noruagiorum classis uel maxima fieret obuia. Comperta sunt eius Coniurationis etiã argumenta maiora. Quòd Burisius milites suos nouo adegisset sacramẽto, facturos quod iuberentur. Rex paucis accitis arbitris, suppressis inditam nominibus rem aperit. Burisium euocatũ in partem, sciscitatur: quid in se peccauerit, ut tantum perditionis Regiæ consiliũ? Ille pernegat se quicquã talium cogitasse. Rex illum apud se manere præcepit: interea circumspiciens, ut maior fiat compertæ Coniurationis euidentia. Indignatur Burisius: iniquũ esse testatus, capitis sui periculũ incertis rebus permittere. Qua uoce proditũ habuêre Proceres, qui hactenus dubitauêre. Igitur ne remiges suos reuisere admissus, etiã inuitus apud Regẽ detinetur: donec fideli mandetur custodiæ. Aderat interea Erlingus classe Noruagica: rem quæ cum Burisio cõuenerat executurus. Vbi nihil uotis suis uiderat ex aduerso respondere: uacuam classem, quæ stabat in ancoris, facilè expugnauit. Vicinas quoꝙ Burisij naues secũ extraxit in opportuniora loca: necdũ quicquàm intelligẽs, de uinculis Burisij, & cõiuratione patefacta. Igit Noruagij, ut ad interiora Regni pertingant, Sialandiã petũt: in portũ euecti qui dicitur Mercatorũ: apud quẽ nostra memoria Regia est. Sed tũc locus necdũ habitatoribus frequẽs erat. Aduolarũt ex Proceribus Danorũ nonnulli: rẽ speculaturi, qd struerẽt Noruagij, nulla belli denũtiatione pacta. Cõtemptimꝙ in littore

Magnus Rex. III.

Burisius.

littore deambulabant. Noruagij arcubus fisi, cū scaphis littora premerent: in Danos tela iecerunt. sed fluctus non sinebat dirigere. Ad colloquium euocati à Danis Noruagij: pari numero descendunt in terram. Quid ueniant rogati? Illi causas nectunt ex causis: multa præferentes præter id quod res erat. Nam consilia Burisij præstolabantur. Postulant fide publica haurire aquas de puteis, paludibusq́. quòd potu carentes, siti angerentur. Permissum est. Igitur postero etiam die adesse iussi: non facile parent. quòd se interim insidijs circumueniri formidarent: Sed interposita fide publica, nihil illos mali passuros: iterum in terram descendunt. Venitq́ uno comitatior Erlingus. Cui ex Primoribus Daniæ quidam ait. Miror te Erlinge, non pro ætate tua sapere: quòd nos equites facile potes prospicere: pedites uerò pro arbitrio profligere: præsertim, quòd conuentis minime pareas: uno ueniens, quàm sit constitutum comitatior. Circumspiciebat ille numerum suorum: & ita comperiens: unum illum cōargutum remisit. Colloquioq́ inuicem protracto de industria: cùm intelligerent Noruagij: Burisium non respondere promissis: fortè etiam uinctum intelligentes: abiere, nulla re insigni peracta. Lacessiti tamen sunt in reliquum ab equitibus: ubi terram ingressi tetigere, sacra Missarū audituri. Nec in Hallandia immunes transiere. quippe incursionibus uexati, multas naues amisere cum uectoribus.



¶ Vualdemarus in Noruagios mouens, re infecta, exercitum reditu soluit. Erlingus cum illo Pacis conditiones init. Caput. xij.

WALDEMARVS autem Vuandalico bello implicitus, Noruagijs interim occurrere non potuit. Sed illo bello interim quibuscunque modis quiescente: mouet in Noruagios, magnis undecunq́ uiribus cōactis. Excæptus Vuixensium gratulatione, diutius apud eos commoratur, mirantes ac collaudantes Regium apparatum. Enauigantem deinde effusi, cum gaudio magnum ac pulcherrimum agmen demirati spectauêre. Tunsbergenses, & Episcopi, Daniæ Regem magnificè excępere. Iam enim Erlingi milites pridem firmata præsidia deserentes: Regem cum expedito agmine uenientem expectare non audebant. Egressus Rex cum militibus speculandi gratia loci: uidit arte & natura munitum. Qua cunctatione commeatus absumpsit: & hosti spacium parandi apparatus dedit. Enauigans deinde, ubi propinquauit angustioribus faucibus, quas iam Erlingus tormentis & ualidis præsidijs occupauerat: uocat in concilium Rex proceres. Ibi multæ dictæ sunt in rem sententiæ. Accusata inprimis diuturna in itinere cunctatio. Deinde properandum: & ferro iter aperiendum.

Consilia uaria.

dum. Aliis uerò non esse tutum uisum est: se, Regemque cum exercitu mittere in aperta pericula. Suadent autem: ut circumita nauigatione, uitari fauces infessas ab hoste. Erant quibus propius accedendum uidebatur: ut oculis re comperta & subiecta consilium caperetur. Nonnulli, exponendos in terram equites suasere. ut abactis tormentorum magistris: incolumis nauigatio permaneret. Inter hæc uir natu nobilior, quàm animo ferocior, cunctis trepidatibus: Quid hac inquit molitione proficimus: Regnum quęrentes uastum & inutile: & quod maiori Regem labore implicet, quam aut illum uoluptate, aut nos utilitate? Cur non potius euitatis periculis: patriam amœnitate pulcherrimam, & fructibus uberrimam, rebusque opulentissimam repetimus? Ea uox stuporem iniecit plurimis. Erant tamen, quibus summoperè displiceret. quòd ignauam cohortationem Rex silentio donasset: non uel uultu cōarguisset. Futurū rati: ut alij inde regressionis ueniam auspicentur. Nec falsi sunt opinione. Quippè murmur omnem plebem perculserat reditum, & missionem. quòd commeatus deficere inciperent petentem. Comprensi seditionis autores, flagris cæduntur. Nihil tamen minus à cæteris tumultuatur. Proceres postremò uulgi uoces adiuuabant. Primi Iutij Regem adoriuntur, Longa & inutili nauigatione omnem absumptum commeatum querentes. Postea si libeat, breuiore compendio ex Vuendila illis petendam Noruagiam, cùm non illis circumitionibus opus erit. Quid multa? peruicit omnium clamor, ut Rex missionem decerneret, permittēs unicuique reditum in sua. Sic Noruagia hac expeditione permansit intacta. Erlingus cum filio Magno rebus Regni præerat. Obseruabat autē tempus: quo Rex Vualdemarus, Kanutum filium corona secum donauit: eodemque die, patrem Kanutum sanctorum collegio adscriptū uidit à Pontificibus: quibus id à summo Pontifice esset, demandatū sublimari. Itaque solenni totius terrę festoque conuentu, aderant duo ab Erlingo missi Pontifices, Asloensis, & Vpsalensis: pacem Noruagiæ ab Rege depręcati Danorum: eo potissimū die, quo tanta illi gaudia de parēte, deque filio sublimiter prouectis fuēre. Rex animū adijciēs Legationi: obsides manere iubet apud se binos ex Noruagijs. Mittitque è suis ad Erlingū: qui euocet illū constituto die in colloquiū, pacis firmandæ gratia. Nauigat ille ad Erlingū: mādataque profert. Nec difficulter ille annuit: solùm, ut Legatus obsidis loco in Regno permaneat, poscit. Venit ergò Erlingus ad Vualdemarū in Sialandiā. Vbi Rex Concilium indixit Regni Proceribus. Dura primū iactata utrinque uerba. Vbi de pace nō conuenerāt: unū ex Primoribus Danorū, Erlingus rogat: Tuto ne sibi liceat abscedere? Ille formidare prohibitū: tanta iubet esse securitate, quanta

non

non in sua domo uideretur. Iterato in posterũ diem colloquio: in has
Pacis conditiones. pacis conditiones consentiũt. Vt Regis Vualdemari filiũ, itẽ Vualdemarũ, Ducẽ Rex faciat Noruagię: ibiq; Erlingus educet Regio more. Quòd si filius eius Magnus, sine prole uirili discedat: Regnũ proueniat Vualdemaro. Interim uerò Noruagia, Danorum Regi obstricta sit, ad bellũ classem .60. nauiũ expedire. Hãc formã pactionis tũc in cõsilio Procerũ laudatã, Erlingus postmodũ in Regno suo publicauit.



Ementita quædam fictio, cuiusdam Sacrificuli apostatæ, narratur. Caput. xiij.

IN NORVAGIA dein post aliquantũ temporis interuallum, noui motus consurgunt. Nam Suecus quidam, fabro patre genitus; Sacerdotij (quod in Pherogia aliquandiu gesserat) partibus abductis; Noruagiã petens, Religionis munus militia temerauit: Osteni cuiusdam ab Erlingo prostrati occasione adductus. Cuius agmini per deserta fugienti, fortuito obuius, Ducem se præbuit: resq; aduersum uictores nouare cœpit. Et ne generis titulo carere uideretur; originẽ mentitus: Haraldũ Hyberniensem auum sibi uendicando. Siuuardo se procreatũ confingit. Cuius etiam nomẽ filio, quem antea patris uocabulo una appellauerat, aptauit. Et ut omnia prioris fortunæ momenta subrueret: proauiq; uocabulũ in eo representari uideretur; simulatẽ prosapiæ decus, noui nominis ornamentis usurpare sustinuit: Magnumq; se, in argumentũ generis, uocitari constituit. Quod tam impudens mendaciũ, turbulento militum errore, credulaq; uulgi suffragatione protectum, ad totius Noruagiæ cruentissimam stragẽ, extremamq; perniciẽ penetrauit. Idem cùm adhuc priuatus Suetiæ Ducem Birgerium petisset, Sacerdoti, cuius fortè hospitio usus erat: stolam, pręcipuum Diaconi insigne cum libro sacerdotalia sacra continẽte, dono dedisse fertur. Hæc ad uerbum libuit
Saxonis laus. ex Saxone nostro transferre: & inserere, ut per interualla Autoris, quem in his Antiquitatibus secuti sumus, uocem intermisceamus. Vt uideant posteri: quę cura scribendi fuerit iam tum ea tempestate Danici generis hominibus. Non uidebatur tanta literarum instructio, neq; seculo congruere, neq; regioni. Quando in ultima (ut uocãt Itali) barbarie; illis temporibus, quando illustrium literarum memoria uidebatur etiam in Italia, bonarum Artium matre, iamdudũ intermissa. Saxo tamen Danus, in patria sua tum ea scripsit, quę admiramur. Et nisi manifestis attestationibus rem in propatulo cerneremus: non facile persuasum haberemus, illis tẽporibus in eis Regionibus tale aliquid compertum iri. Iudicet quisq; ut uolet: Ego temporum & locorum facta collatione, hominem demiror: & laude sua non fraude.

Aquinus



¶ Aquinus Rex, horrendo facinore filium unicum, Ducem item, incertum qua furia, interemit.

CAPVT XIIII.

QVINVS Noruagiæ Regno Rex præerat, ea tempestate, qua in Suetia Birgerius regnabat. Daniæ aūt tum præerat Vualdemarus. II. filius primi: qui crebris uictorijs illustrabat Regnum, uersus in Austrum Germaniæ. Nam Saxonibus tum primum littora Germaniæ occupātibus: cùm antea Vuandali tenuissent: ille colluctabatur. Illa enim sunt tēpora, per quæ cæpit efflorescere insignis nunc ciuitas Lubeca. Nec longe ab his fundata est Sundensis urbs in finibus Circipantrū. Deinde Rostock: pridem Arx ad Vuernouiam, à Godescalco firmata Principe: inde in oppidi formam communitur: locus ab Pribislao eius pronepote. Nec multò post Vuismaria, à Guncelino fundatur. Omnes nunc urbes claræ, tum initia habuêre: in quibus Saxones sumpsere sedes: pulsis ad mediterranea Vuandalis: ubi nunc exiles seruantur magnæ quondam nationis reliquiæ. Et quoniā Vualdemaro. II. creber erat labor cum Holsatis, & conterminis Saxonibus: pacem perinde habuêre Regna Aquilonis. Nam Birgerius in Suetia uir mansueti animi: quo se magis popularem faceret, posthabito Regis uocabulo, Ducem se appellari contentus fuit. Interim in Noruagia Aquinus cùm diu tranquillitate fruitus esset: in eam incidit fortunam: ut in charissimum omni genere animantium, proprij corporis pignus desæuiret. Siue capitis mania: quæ Regibus nonnunquàm incidit. Siue culpa adolescentis (res enim in obscuro est, malè à maioribus tradita) unicum filium interemit. Nec contentus sæuitia: quendam etiam ex Ducibus Regni sui promptioribus, filio coniunxit pereunti. Erat autem tum Annus Christi Quadragesimus, & circiter, post Mille ducentos.

Aquinus Rex. III.

Vrbium aliquot fundationes.

Suetiæ lib. 5. cap. 23.

ALBERTI KRANTZII CHRONOGRAphi Hamburgen. Rerum Noruagiæ gestarum, LIBER VI.



¶ Breui Epilogo Autor, fastigium Normannorum, etiam in Imperiale culmen ascendisse docet.

CAPVT I.

RIVSQVAM ad nouissima tempora perueniamus: ipsa nobis suprema Normannorum fortuna exponenda est. Nam quomodo ex Comitibus excreuêre Duces: ex Ducibus in ea Prouincia

Reges: ita summum quod habuit fortuna decus, huic generi non negauit: ut in persona Friderici Secundi, sanguis Normannicus pertingeret ad fastigium Romani imperij. Hoc autẽ quo sit ordine factum, paulò superius repetamus. Cùm Fridericus primus esset in Imperio: & Vuilhelmus Rex utriusq; Siciliæ, quod supra diximus, sine prole defecisset: Germana soror eius Cõstãtia, erat sanctimonialis, iam ætate prouecta. Ne autẽ sanguis Regius interisset: & nouos motus, noui Principatus occasio conciret: inito consilio, eam de Pontificis summi permissione, eductam Monasterio, coniugem dedêre Henrico Friderici Imperatoris filio, adolescẽti tum egregio: qui etiam patri successit in Romano Imperio. Is ex ea coniuge excitauit prolem masculam: cui mater de nomine suo indidit uocabulum Constantini. Sed quoniam hoc nomen Imperatores Græci sordidis rebus contaminauêre: uisum est Proceribus, aui paterni illi nomen capiendũ: appellatusq; est puer Fridericus. Qui post patrẽ, & auũ successit Imperio, cùm Otto quartus, Henrici Leonis filius insurgeret Ecclesiæ Romanæ. Et quoniam pregnata Constantia Regina, multæ erant fabulæ: Reginã non uerè cõcæpisse: quòd anus prętergressa esset fertiles annos, uerũ puluinaribus impositis, uterũ uisum intumuisse. Ad extinguendũ eiusmodi fabulas, iussit Henricus Rex: partus tẽpore, in Panormo urbe Siciliæ, sub Diuo locũ in propatulo exornari: in quo teste Sole, Cõstãtia pareret: & obstruerentur ora fabulantiũ. Ita natus Fridericus, postea Imperator, ortu nouo & incõperto fusus in propatulo: mirabiliori uita, multis erat exitio, & præcipuè Ecclesiæ Romanę onerosus. Quod in Saxonia diximus. Cæterũ pater eius Henricus Rex, initio Regni sui in Sicilia, magno labore cõpescuit enatos ex Proceribus motus. quòd ad Regnũ niterẽtur sublato Henrico nõnulli. quòdq; diceretur clam egisse cũ Regina: ut Henrico subuerso, illi iungerẽtur cõiugio. quãdo dos erat Regnũ utriusq; Sicilię. Hoc est ergò quod quærebamus: Gẽtis huius ad sum̃a prouectionẽ. Quod ubi ostẽdimus in Friderico. II. peruenisse sanguinẽ Normannicũ ad Imperiũ: ualere sinemus Siciliæ Principatũ, siue Regnũ. quod eius cõmentationẽ nõ suscæpimus: reuertẽtes in Noruagiã nostrã: cuius reliquos Reges ex ordine explicabimus.

[Margin: Supra, lib. 4. cap. 14.]

[Margin: Constantię conceptus.]

[Margin: Fridericus Imp. II. Saxoniæ, lib. 7. ca. 38.]



¶ Olauus Rex, cum Mercatoribus Germanis, portus Regni occupantibus pacifscitur: ut more antiquo liberè in Regno mercentur. Caput. ij.

OLAVVS in Regno surrogatur Aquino. Ex hoc solo nomen relinquens in Annalibus: quòd controuersia illi maxima fuit cum Mercatoribus, hoc Regnum Piscium auehendorum gratia frequentantibus. Omnis enim Noruagię opulentia, est

[Margin: Olauus Rex. III.]

in

in pecoribus, atq; piscationibus. Nam frugū terra non adeo est ferax, ut cibis & potibus sufficiant: bladaq; gignat terra. Sed tostas ante fruges inuehūt Mercatores, potibus miscendis, aut mixtum iam potum atq; excoctum, permutant piscibus aridis: quos magna nimis copia emittit Noruagia. Incidit autem huic Regi controuersia cum ijsdem: ut diximus, Mercatoribus: quæ in apertum bellum cōaluit. Mercatores enim cum rebus, & ueteribus in terra consuetudinibus, quibus erant inuitati, uti nō sinerentur: nauibus suis portus Noruagię occupabant: ne quicquàm Regno importaretur. Etiam terræ populus uehementer assuetus ali frugibus, quæ à meridie importarentur: famem diu tolerare non poterat: & iam in eam frequentiam auctus erat: ut suis in terra natis frugibus, teneri nullo modo poterat. Quocircà populus Regem circumstitit: pacem implorans: eamq; pertinaciter cum Mercatoribus Germanis efflagitarunt. Rex misso ad hoc Regi Suetię, Erico speciali nuncio: orat, ut se paci præbeat sequestrum. Nec diu moratus Ericus, effecit: ut rebus in bonum modum compositis, portus aperirentur. Ipsi qui obsederunt, fruges importarent. Mercatores suis rebus, & antiquis consuetudinibus restituuntur, data ipsis ab Rege ingenti ære, quo damna repensarentur. Ita ueterem res nacta est institutionem. Erat autem Annus circiter Octuagesimus paulò plus, aut minus post Mille Ducentos. Noruagiæ mercatura.

Erici Regis quietum & diuturnum narratur Noruagiæ Regnum. Caput.iij.



ERICVS illi surrogatus legitur in Regno, sed pręter nomen eius Annales nihil omnino commemorant de rebus per eum gestis. Facit tamen ratio temporum, ut agnoscamus illum diutile in Regno fuisse. Peruenit enim ad Annum Christi. 1300. Illa enim tempestate Daniæ Reges cū Holsatis conflixere crebrius, & ideo istis tantum rebus in Annales relatis, mirum silentium est de his quæ ad Aquilonem gererentur. Cùm interim Suetiæ quoq; Reges, frater in fratrem armarentur. Nec fidelius istā administrauêre Prouinciam, quàm olim Græci fratres Thebanum Regnum: de quo multæ extant ueterum tragœdiæ. In hoc tamen Ericus Noruagiæ, cæteris fortunatior existimatur, quòd nulla clade eius tempora insigniuntur. Inde creditum, quietè regnantem, tempora sua in extremam senectutem perduxisse. Potest fidelius aliquid, & expresius apud Noruagios seruari, quàm quòd nihil ediderunt: Diuinare de illorum rebus magis, quàm alijs nemo potest. Ericus Rex.I. An.1300.

Aquinus Erico fratri succedit in Regno. A Magno Suetiæ Rege bello opprimitur. Caput.iiij.

Aquinus Rex.IIII.



QVINVS Erici nouissimi Regis frater, quòd ille prolem masculã nõ reliquit, successit in sceptra. Filiam, quam solam Ericus reliquit, Aquinus honestis nuptijs collocauit: ipse ducens coniugẽ, filiam Comitis de Rupin: cui erat mater, filia Domini Ruginorum. Longinquis ille in Germaniam nuptijs ius sibi affinitatis quæsiuit. Sibi, Regnoq; prospiciens: si quod à Germanis Mercatoribus, ut Auorũ memoria nouaretur, promptũ ex ijsdem littoribus haberet auxiliũ. Senserat enim, quod res erat: Noruagiã iã pro magno piscationis questu habitatoribus plenã, nõ nisi aliũde inuectis frugibus, et auectis inde piscibus aridis, posse cõsistere. Inciderat aũt huic Regi bellũ undecunq; subortũ, cũ Magno Suetiæ Rege: qui Ductis in Noruagiã copijs Aquinũ oppressit: & Regnũ Noruagiæ suo Suetico Regno cõsociauit.

¶ Magnus Regno sufficitur. Kanutus miles Hallandicus, relictam huius Regis, uxorem ducit: Dux ex milite factus. Caput. V.



Magnus Rex.IIII.

AGNVS pridem Suetiæ, nunc quoq; uictor, Noruagię etiam dominatur: uxorem habuit Ingelburgem: quę illi peperit Aquinum, Magnumq;, Reges Sueonum atq; Noruagiorum. Cùm aũt Magnus necdiu post concessisset in fata, circa Annum Christi 26. post Mille Trecentos. Regina relicta nupsit Kanuto Duci Hallandiæ, uiro militaris tantùm generis. Quem pro uirtute sua, Christophorus Danorum Rex intantum euexit: ut esset ex milite Dux, & postea Reginæ coniunx. Multum auersos habuêre animos utriusq; Regni Proceres: quòd uir æqualis genere, uni eorum quasi duorum Regnorum, pro paruulis, quorum tutelã gerere uidebatur, legitimam haberet administrationem. Sed omnia ex consilio fuere Christophori Danorum Regis: qui Kanutum ad eum gradum prouexerat, ut ex milite Dux foret. Ioannes Holsatiæ Comes, uterinus Regis Christophori Danorum frater, has nuptias honestare uolens, contendit in Daniam. Sed cùm in ipsa profectione, ex rixa domesticorum suorum, quendam sibi fidissimum amisisset, oppressum à socijs. Magno amici tactus amore, retrò cursum uertit, ut intenderet uindictam in occisores.

Suetiæ. lib. 5. cap. 27.

¶ Magnus Magni filius, infelicibus auspicijs se nuptijs deuincit. Caput. VI.



Magnus Rex. V.

AGNVS MAGNI & Ingelburgis filius, cùm frater eius Aquinus, cui pater Noruagiam Regno deputauit, non diu superesset: Noruagiam, ut pater eius, Suetiæ consociauit. Satis autem diu Regnis præfuit ambobus: donec

filium

filium ex se natum Aquinum, ad regendam Noruagiam deputaret. Cui infelicibus auspicijs nuptias Elisabet de Holsatia Gerhardi Magni filiam, Henrici ferrei sororē, iungere destinauit. Quæ res illi perditionis fuit causa. Quod in Suetia diligenter executi sumus. Felicem illum dixerim: si primam fidem non irritam fecisset. Sed quia complacuit illi in Rege Daniæ Vualdemaro: ut eius filiam, filio iungeret: sibi magnum laborem, & Regnis mirabilem peperit perplexitatē. Ad hoc enim res deuenit: ut Regno quoq; Suetiæ priuaretur, exclusus ab Alberto Alberti Magnopolensis Ducis filio. Sed hæc de nostra Suetia petantur, si quis nosse uelit. Suetiæ lib. 5. cap. 28.



¶ Aquinus Rex, Margaretam prudentissimam uxorem ducit: post trium Regnorum Regina potentissima facta. Caput. vij.

AQVINVS Magni filius, patre uolēte Noruagiæ Regnum accæpit gubernandum. Duxit autem coniugem Margaretam illam insignem prudentia fœminam, quæ post longam memoriam, tria in se Regna cōiunxit. Quæ res & si aliquando labefactari tentata est: permansit tamen in hodiernum usq;. Sed de his postea. Aquinus autem posteaquàm coniugem accępisset Margaretam: patri propter se laborāti magno bello, quod illi Albertus Magnopolensis intulerat, suppetias diu tulit: sed minime profuturas. Quippè in angulum concedere cōactus Magnus, penè priuatus consenuit. Aquinus autem filium ex Margareta suscępit unicū Olauum, magnā spem futuræ potentiæ. Nam cùm pater eius Aquinus in fata cōcessisset: maternusq; auus Vualdemarus, non tam diu superfuisset: duo illi Regna (quòd mater ad secunda uota nō festinaret) hęreditaria fuêre. Cui postea per uictoriam, quam iure de Alberto Rege Suetiæ reportauit: ipsa quoq; accesit Suetia. ut triplex trium Regnorum funiculus inuictus uideretur. At hanc tantam de Olauo spem, mors inmatura præscidit. Et cùm iam tot Regnis nullus hęres masculus superesset: omnia in personam Reginæ Margaretæ concedunt: Daniæ quidem ex patre, Noruagiæ ex filio. Aquinus Rex. V.



¶ Margaretæ mira prouidentia, & trium Regnorum sedula administratio. Olaui ementiti exustio. Gregariorum, Vitalianorum, Ducis item Magnopolensis, & Vuolgosiensis deprædationes, & ultio. Caput. viij.

MARGARETA Vualdemari tertij, Danorū Regis filia, Aquini Noruagiæ Regis coniunx, Alberti Suetię Regis uictrix: post patrem, postq; filium Olauū, quem ex Aquino suscæpit, marito & filio superstes: trium Regnorū sola tenebat gubernacula. Mira fœ- Margareta Regina.

minæ induſtria:ut circumiẽs Prouincias & Regna omnia luſtrauerit, circumſpexerit, prouiderit, pacem ubiq; fouerit. Scaniã pater eius pignori dedit: pro irrogatis damnis Vuandalicis urbibus. Eam ubi recępit: expleto tempore præſtituto, ſenſit non peioratã. Per ſingulas Arces, ueteribus miſsis, nouos præfecit rerum ſuarum Curatores. Timebant eius induſtriam mali: reuerebantur omnes boni. Ita factũ eſt: ut longæua pace ſub fœmina florerent Regna. Mirũ dictu: quòd uiri Reges non poterãt, fœminam potuiſſe. Inuentus eſt audax iuuenis, filio eius Olauo non abſimilis: & qui multa noſſet percenſere pueritiæ ſuę acta, matris quoq; Reginæ ſecreta: ita, ut multis fidem faceret, ſe eſſe illum, quem mentiebatur Olauũ. Sed prudentẽ fœminam fallere non potuit. Deprenſum eſt, eſſe perdoctũ de occultis pernutricem quondam Olaui, quæ fallaciam unà inſtruebat. Regina illum de falſa oſtentatione conuictum, iubebat concremari. Noruagia interim ſub imperio fœminæ quieta fuit: donec Albertus Rex iã ſeptem annis Margaretæ Reginę carcere tentus, foret relaxandus. Quod cùm intelligerẽt Gregarij Roſtoxienſium, & Vuiſmarienſiũ milites, quos Vitalianos dixere: qui dum Rex captus teneretur: iure memoratarũ urbium, quę pro domino ſuo Rege (erat enim Princeps Magnopolenſis origine) bellum ſuſceperunt: & ſuſtinuerũt omni tempore captiuitatis: euocatis dictis ſatellitibus: ut propria ſorte, iure tamẽ urbium nauigarent in tria Regna: & quantam poſſent prædã agerẽt. Hi ergò Gregarij cùm intelligerent finem propinquare ſuæ graſſationis, enauigarũt in Noruagiam: oppidũ Bergenſe petẽtes: emporium omnium Mercatorum Germaniæ: qui piſcibus auectis, omniũ generũ merces inuehunt: pręcipuè tamen toſtas fruges, quarum diximus inopia, niſi inueheretur, Regnum laborare. Egreſsi de nauibus in terram, oppugnauêre oppidum: & ferro igniq; facile egerunt, ut cederent habitatores, ligneis domibus manſitantes. Vitaliani oppidũ ingreſsi, quantam uoluere prædam conferunt in naues: ſtipatisq; nauigijs, onuſti præda, redeunt in portus ſuarum ciuitatũ. Merces auectas ſiue Normannorũ, ſiue Germanorũ, ſine diſcrimine diſtraxerũt: ipſe, de more, omnia ligurientes, nihilo facti ſunt ditiores. Neq; enim cõſuetudo eorũ eſt, ut quicquàm colligant, aut ſeruẽt. Ciues uidebantur primùm locupletari: at inde nemine ſentiẽte, iniqui parta peius perierũt. Rege ergò laxato, cùm ſuis nauibus minorati milites uterentur: peregrina littora ſcrutari uoluere. Nauigarunt in Orientẽ rurſum per flumina, quæ de terris influũt mare: ingreſsiq; terrã congrediuntur. Inde quoq; facta pręda: inſtituunt (ut illi retulerũt q audaci huic nauigationi ſuperfuere) ſcrutari aliqua littora, quæ noſtri haberent incomperta. Ad Phinnos, & Vuermulanos

Danię. lib. 7. ca. 41. c.

Vitaliani.

Suetiæ. lib. 5. cap. 32. & 33. c.

Bergam Vitaliani prædantur.


nos arbitror perueniſſe. Nam hirtum genus hominum deprendiſſe memorabant: quod frigus regionis depoſcit: alioqui nudos, pilis innaſcentibus conueſtiri. Tradunt qui audiſſe ferunt redeuntes, perueniſſe in Caſpium mare. Sed hoc ego ab inſcitia & narrantium, & referentium, defendo fieri non potuiſſe. Nam poſt Gronlandiam, ſi non eſt aſsiduè congelatū mare: poſt Ripheos tamen montes, qui longè procurrunt in Boream, congelatum ſit neceſſe eſt: & illi relinquendi eſſent, prius quàm ad mare Caſpium perueniretur. Latera igitur Suetiæ ulterioris, & Noruagiæ tetigiſſe nauigantes crediderim. Sed iam ignotis Regionibus nauigantes, nullam in reliquum habuiſſe maris, aut plagarum cæli notitiam ferunt. Quod ipſum quoq; non probo. Nuſquàm enim tam rudis eſt nauita: qui non norit cœleſtem diſcernere regionem: præſertim cùm uiderit Orientem, & Occidentem ſolem. Et cùm ille tenetur in nubilo: aut noctibus fuerit nauigandum: Magnes tamen, quem omnes circumferūt nauigantes, declarat Aquilonem: unde facile de cæteris fiat diſtinctio. Sed quod ſequitur, fidem meretur. Vix mediam rediſſe tradunt partem eorum, qui enauigauerunt: partim fame, partim äeris iniquitate, partim etiam bello abſumptis ſocijs. Nam ad prædam egreſsi de nauibus, nonnunquàm manus contulerunt ignotis terrarum habitatoribus. Ex iiſdem Vitalianis alij Friſiæ littora apprenderunt, mare occiduum infeſtantes: cum quibus ingens & diuturna fuit lucta ciuitatibus Vuandalicis. Quod in Vuandalia locis ſuis commemorabimus. Per eadem tempora Beruham Dux Vuolgaſtenſis, cùm cerneret magnam eſſe nauigantium in mari licentiam (nam Vitaliani infeſtauêre omnia) magnis nauibus expeditis, cum multis copijs ingreſſus eſt mare: exterminandis, ut aiebat, de mari pyratis. At eius generis hominibus congredi, difficile reputabat: Mercatorum onerarias interpellat: earumq; non paucas capit in faucibus quæ uocantur Nordſund. Vix prædam partitus eſt: ſuperuenere de Lubeca mercatores, Noruagiam petituri: qui ſuaptè uiribus cùm plurimùm poſſent, conduxere tamen ex Gregarijs, qui unà nauigantes, ſecuritatem euntibus præberent ab incurſione Vitalianorum. Cum cernerent expoliatos à Duce Mercatores: hoſtiliter inuecti Ducalibus, claſſem illam diſsipauerunt: & quod poterant, captis laxamenta præbuerūt: rebus, & nauibus, quæ erant in conſpectu reſtitutis. Diſsipata claſsis Ducaliū, partim in Friſiam deuehitur. Minor pars recto curſu natiuā petit regionē. Vna de grandioribus nauibus quæ. 80. uexit armatos, in Daniā cōacta, ab Regina capi iubet. Quos reperit de recēti præda reſperſos, omnes iuſsit feriri gladio. Noruagia deinde diu manſit intentata per omnes dies Margaretæ Reginæ.

Phinni, & Vuermulani.

Autor.

Obiectio.

Reſponſio.



Erico Margareta adoptato, Regna concedit. Nauali expeditione Gregarij Bergam adeuntes, depredantur sine discrimine. Caput.ix

Ericus Rex.II.

RICVS Dux de Pomerania, ab Margareta iam senio delabente adoptatus, trium Regnorũ Rex, & perinde Noruagiæ deputatur. Hic cùm diuturnũ bellum haberet cum Ducibus Slesuici, filijs Gerhardi cęsi in Thietmarsia: cui se Vuandalicę urbes post aliquãta tempora implicuissent: multũ, diuq; laboratũ est: plurima utrinq; irrogata damna: Henrico seniore cadente apud Flensburgum, Adolphus proximus belli curam suscæpit. Sed quod ad Noruagiam pertinet, illud erat: Cùm uaria utrinq; fortuna diu pręliatum esset. Erat magna de ciuitatibus classis, Ducentarũ sexaginta nauium expedita. De sua quisq; ciuitate Præfectos nauiũ imposuêre. Omnium tamen Ductor erat Gerhardus, unus ex fratribus Ducis omniũ natu minor. Ferunt duodecim milia pugnatorũ extitisse sub Signis Gerhardi. Super has erant copias, Vitalianorum militũ Gregariæ manus ad octingentorum numerum. Præterea extra cæterorum sortem, Rostoxenses ac Vuismarienses Vitalianorum manum, ad numerũ sexcentorum habuêre. Horum erat Primipilarius, cuius hodiè nomẽ celebrè permansit, Bartholomeus Voet. Is cùm uideret grandem illam manum, diu se disse ad portum Mercatorum in Dania: ibiq; sine fructu multum esse desitum (quod in Dania diximus) Ducem interpellãs, ueniam poscit abeundi: & in reliquis Daniæ partibus prædã agendi. Dux non cunctanter annuit. Ille Daniam præternauigãs, cursum contendit in Noruagiam: Emporium Bergense petens. Iam enim Anglici portũ occupauêre: pisces aridos auecturi per absentiam Mercatorum Germanię: qui Regnum uitauêre ob bellum. Anglici ubi uiderunt adnauigare manum illam: arbitrati totum sequi agmen Holsatorum, & urbiũ maritimarum: rebus ad naues importatis fugam intentarunt. Idem quoquè Bergensis, qui tum aderat Episcopus, factitauit. Nam insiliens unam Anglicanarum, concessit in mare. Gregarij portum apprehendere: & oppidum ingressi, sine discrimine cuncta uastabant. Episcopi immunis non erat curia. Sacra & prophana omnia inuoluta: nullum rerum discrimen (ut solet apud id generis homines) franguntur sacra quæq;: nihil inperuium rapientibus. Aderant Norici cum piscibus & pellibus mercatum uenientes. Sed omnia sine commutatione & precio celeriter distrahuntur. Expleta præda, in naues onustas redeunt: Vuismariam repetunt. Inerant multorum merces de Germania Mercatorum. Sed quiduis inter Gregarios: Prædam partiuntur: nihilo tamen, ut fieri solet, ditiores inde facti.

Anglià Berga discedunt.

Berga depredatur.

Grega-

¶ Gregariorum uictoria erga Noruagios, & Bergæ alia depredatio narratur. Caput. x.



SPIRANTE uere ad nouā se accinxêre expeditionem, in idem ducturi emporiū. Quadringentis circiter septem nauibus ingrediuntur mare. Parua manus, quæ Regnis minaretur: & prêsertim, quæ emporium ibat spoliare. Eius rei euentum de priori metiētes Noruagij, se iam instructiores fecêre, si ad prædam redirent. Emporium Bergense recto cursu inuadūt. Qui inerant Norici, iam munitionibus firmabant Regis atq; Pontificis curias: inde oppidum propugnaturi. Sed Gregarij fortiter aggrediuntur munitiones eorum conuellere. Alij impigrè defendunt. Inter hæc adolescens quidam Germanici generis, quales solent ad rerum custodiam sub brumam Mercatores relinquere in terra: Bartholomeum secretius adoritur: rem se afferre cognitu dignam. Vbi uenit in propinquum, rogat: Maior ne sit à tergo manus auxiliorum his, qui sub aspectu sint potentia? Ille se auxilia alia neq; scire, neq; desyderare respondet. Tum Iuuenis. Vide quid aggrediaris. Tota Noruagia in armis est. Ante quatriduum aduentus uester innotuit. Dicto citius uidebis à mari & terra te circumuallari. Proinde tu rebus tuis consule. Ille non contemnens uocem monitoris, receptui canit. Iubet in naues regredi. Vix se in naues contulere: & ecce magna undiq; uelorum frequentia propinquat. Erant Noruagij, qui prædatoribus occurrerent. Nec mora: pugnam ineunt. Septem naues cum pluribus quàm centum iniêre pugnam. Primo certamine minor de septem cœpta est. Inerant armati circiter uiginti. Nihilo secius pugnauêre sex reliquæ. Maioribus Noruagiorum contulere manus: ex quibus statim duas cæpere: cæsis, & proiectis in mare qui inerant: suis armauêre captas. Interquè duas captas, simili suorum manu communierunt. Creuêre Nauigia Gregariorum: & Noruagiæ cuncta minorantur: cùm paruæ plurimæ mergerentur. Cunq; pugna crudesceret, cæsis plurimis qui superant, Noruagij fugam ineunt: uictores mare tenuêre Vitaliani. Noruagij fugiunt. Cùm autem se inuadendo Emporio rursum pararent: uident alibi de latere Germaniæ decem uela. Statim agnouere nauigia. Facilè enim est deprendere in mari: Mercator ne sit, an Pirata qui nauigat. Socij erant Gregariorum, qui de portu Vuismariensi secuti, eandem negociationem cum Bartholomeo inire uenerant: sed aliquanto ad laborem serius. Vnà tamē aggrediuntur oppidum expugnare. Sed nullus ibi labor. Nam habitatores Noruagij, ubi suorum in mari fugam uidere, uictoriam Germanorum: fuga sibi quisq; consuluit. Ita uacuum habitatoribus emporium inuadunt: despoliant: præda explentur.

Bartholo-

Bartholomeus cum suis potiores rerum partes detrahens, enauigat: Albim fluuiū petens. Cæteri, qui post uenēre, in uberiorem prædam ulterius sibi nauigandū desinunt. Erat autem tum post natum Christum Annus Millesimus Quadringentesimus & tricesimusnonus.

Ann. Christi. 1439.




¶ Christophorus Noruagiam nouem ferè annis pacificè regit. Caput. xi.

Christophorus Rex.

CHRISTOPHORVS Bauarius inde tenuit trium Regnorum gubernacula per annos ferè nouem. Sub quo penitus quieta erat Noruagia. Nimirum populus, qui in rupibus suis induruit: non facilè mobilis ab eo quod semel apprehenderat. Ante Christum agnitum nulla gens pertinacior errorum: post suscæptam Christi fidem, nulla immobilior. Ferunt, aliquando terra sua qualibet ex causa peregrinatos, cùm primum redierint, terramquè tetigerint: pronos cadere in terram: & facto signo crucis, eam in terris osculari. O inquiunt terra Christiana ante omnes. Adeò generis sui cultum at tollunt: cæterorum contemnunt.

Noruagiorum constans fides.



¶ Christiernus Rex pacificè Noruagiam regit. Olauus miles quidam Mercatoribus Germanis molestus: unà cum Episcopo Bergensi ab illis interimitur. Caput. xij.

Christiernus Rex.

CHRISTIERNVS inde Rex rerū potitus: natus de Oldenburg & Delmenhorst Comes: relictā Christophori ducens coniugem, trium Regnorum gubernacula dotem accæpit. Noruagia quoqȝ tum pacē habuit. Inuentus est tamen ex militibus quidam Olauus Nicolai: quem ferunt rebus nouis clam studuisse. Conspecta est uxor eius nauigare uelo purpureo: cui inerant arma Noruagiæ. Mercatoribus Germanis, emporio Bergensi negocianibus, ille grauis incubuit. Aliquot naues eorū diripi uel iussit, uel permisit dissimulans. Questi Mercatores, irridentur. Ad Regem Christiernū retulere querelam. Ille literis redditis: ostendit, sibi non placere insolētiam Militis memorati. Eam de literis interpretati sunt Regiam uoluntatē: si quid ille ob insolentiam pateretur incommodi: non multum Regi displicere. Cùm ea essent opinione Mercatores: non se Regem offensuros, si Militis frænarēt audaciam: & ille modum non poneret cæptis in Mercatores grauaminibus: in eodē tunc Bergensi oppido commorantem circumsistunt tumultuantes. Postulant ablata restitui: iusticiā de nonnullis exhiberi. Durius ille initio respondit. Vbi uidit crescere audaciam cum numero tumultuantium de Germania Mercatorum: nec ea tam esset præditus militari manu, qua obsisteret: declinauit in cœnobium Brigittanorum; ibiqȝ turrim apprendens, delituit. Aderat illi

Olauus Nicolai, miles.

Bergensis

Bergensis Episcopus: qui seditionem placare uel uultu, uel autoritate, uel mitescentibus uerbis diu sperabat. Vbi nihil profecit; rogatur ut abeat: linquatq; Militem. Ille miseratione amici abscedere non potuit: sperans parsurum propter se Militi populum. Sed ignescunt iræ: sæuiunt uno impetu in Episcopum & Militem. Ambo cæsi: ambo oppressi: incendium excitarunt, dum summum solum quærunt. At omnia postea damna Monasterio compensant. Apostolica deinde imploratione, occisi Episcopi pœnas soluunt. Militem filij queruntur occisum.



¶ Ioannes trium Regnorum Rex creatur. Sub eo Mercatoribus duæ naues Lubecen. capiuntur. Res indiscussa usq; huc hæret. Caput. xiij.

IOANNES Christierni filius, deinde Regnis præerat: & præsidet in hodiernum Millesimum Quingentesimum: apud quem filius occisi Militis causam resuscitat. Nam apud Christiernum, ubi minus audiebatur: imploratus Rex, iustitiam negare nec debuit, nec uoluit: Literis egit apud Mercatores, ut querelæ sopirentur. Tentata est causa sedari. Et uidebatur Mercatorum prioribus iam omnino consopita: cùm adhibiti non semel tractatus essent. Cùm ille permissu Regio, naues duas, mercibus de Lubeca onustas capit: & in manus Regias perducit. Hodiè queruntur Mercatores de tum ademptis rebus: ubi causæ prioris finem habuisse, & omnem querelam consopisse prius se contendunt. Ioannes Rex. Anno Christi. 1500.

Hic Autor defecit. Et rerum statum descripsit usq; ad initium mensis Maij, ad Annum Christi. 1502.

¶ Errata recognoscenda.

In Dania, fol. 3. in principio, pro Regnū Daniæ, lege, Regū Daniæ.
In Suetia, fol. 281. in margine, pro Theodoricus summa. lege, Theodorici summa.
289. pro frusta. lege, frustra.
538. in medio, pro dicti sunt. lege, dicti sint.
585. lin. 13. pro æuia. lege, deuia.
586. pro annotandum. lege, annotanda.
In Noruagia, fol. 622. sub capitale. lege, crudelissimè in Christianos.
718. lin. 21. pro triennium. lege, triremium.
eo. fol. lin. 22. pro paratissimumq;. lege, paratissimamq;.

Vt uerò

Vt uerò prudens Lector sciat, quæ præter DANIAE & SVETIAE & NORVAGIAE res, huic Historiæ inserta sint. In DANIAE libro Tertio Longobardorum series, & res gestæ, usquè ad Carolum Magnum narrantur: quòd Regno eorum ad quadringentos annos durante. De Danorum intereà Regibus nihil nobis relictum sit.

In SVETIA libro Primo & Secundo Gotorum origo, & Regum eorum facta heroica. Vuisigotorũ item libro Secundo, cap. 26. & libro Tertio, usq; ad cap. 9. ubi Ostrogotorum fit alternatim mentio, usq; in librum Quartum qui Suecorum est.

In NORVAGIA post Noruagios aliquot, celebrantur Normannorum facta egregia, & eorum Duces ac Reges à cap. 38. lib. Primo, Secundo, Tertio, & Quarto, usq; ad finem Quinti & Sexti. Liber Noruagiorum Regum rursum seriem & facta narrat.

Et licet inuiolatus sit titulus supra marginalis, DANIAE, SVETIAE, aut NORVAGIAE præscriptus, nihilominus tamẽ occasione iusta inmixti sunt suis locis Longobardi sub Danis, Goti sub Suecis, Normanni sub Noruagis: qualia prudẽs Lector penset suis locis, nullo errore præterita. Id quod & Index, & Regum ac Ducum Catalogus in Principio operis totius, clarè indicabit.

¶ ARGENTORATI apud IOANNEM Schottum. VIII. Kalend. Februarij. Anno M. D. XLVIII.

INDEX in tria Regna Daniæ, Suetiæ, & Noruagiæ, copiosus.

Saxonum

Ttt iij Virginum

¶ VICTORIAE Regũ, Nationum, & Ciuitatum aliquot.

Gepidarum

DVELLVM.

Skioldi

¶ Vocabula Latinagermanica, quę in hoc Libro ædita sunt.

Alba Iulia, Albanum, Regalis. Stůlweissenburg.
Alba Græca. Kryechisch Weissenburg.
Albania, Albanium, Albion. Engelland. A cretæ abundantia.
Albis fluuius. die Elb.
Alani, Salani. Sachßen am mör.
Allobroges. Sophoier.
Altitona. Hohenburg.
Amasus. die Emß.
Anisus. die Enß.
Antuates. ober Wallis. ad septentrionē
Aquisgranum. Ach. ciuitas.
Aquitania. Goscongia.
Arelatum. Arle. ciuitas.
Aurelianenses. Orlienser. Aurelian. Orliens.
Aquileia. Aglar.
Amiterium. Aquila.
Arelatum. Arle.
Athesis. die Etsch.
Auares. Beyer. Boij.
Austrasia. Reinstram/ Metzerland/ Lothringen/ Brabant.
Altaripa. Speir.
Antonaco. Andernach.
Agrippina. Cöll.
Angria. Engern.
Armorica. Britannien.
Alemanni. Alleman̄/ Teütschen.
Alpes summæ. Gotthart.
Allodium. ein eygen gůt/nit lehen.
Antuates. an Eolen/Grauschafft populi
Alsa. die Jll. Hinc Alsatia.
Arolla. der groß Gletscher.
Baiceri. Beheng.
Baltica. Skonland.
Bataui. Holländer. Batauia. Holand.
Bardi. Sachßen.
Belgæ. Brabänder/ Holänder.
Belgradum. Kryechisch Weissenburg.
Benacus. Gartsch.
Berga. Bergen in Finnen.
Biarnores. Phinner.
Bononia. Benong.
Borussia. Preussen.
Borysthenes. Der Neper/Boch/Diempt
Britannia. Engelland.
Brixia, ellum. Preßz.
Brundusium. Brundutio.
Bructeri. Westphaler.
Buda. Ofen.
Burgundia minor. Uechtland.
Bodobriga. Bopparten.
Boij. Boiarij. Beyer. Auares.
Calmar. ciuitas in Schmalland.
Cantium. Cantzelberg.
Carinthia. Kernten.
Catti. Hessen. Hundsrücker.
Canthi. Freyeßen.
Ceculia. Zeckenland in Sybenbürgen.
Cibinium. Hermenstatt.
Chauci. Fryeßländer.
Cherusci. Krachgäwer/ Otenwälder.
Cimbri. Den̄märcker/ Holsatzer.
Cimbrica Chersonesus. Den̄marck.
Coruatia. Croatia. Krabaten. Croacien.
Cinesius. mons Cinis.
Campidona. Kempten.
Cella Ratolffi. Cell am Underen See.
Corcira. Cursula. Corsun.
Dania. Datia. Dennmarck.
Dantiscum. Gedanum. Dantzge.
Daruernum. Douer.
Dofrini. Alpen.
Dofrefil. Norwegisch gebürg.
Draua. die Trag.
Daruernum. Doner.
Demuilia. Dzuina.
Diuion. Dision.
Eboracum. Yorck.
Eydora. die Eyder. fluuius.
Estones. Leifländer.
Ethruria. Toscon.
Finna. Finnland.
Falerinum. Monteflascon.
Forum Iulij. Forjul.
Fosen. Ynßel in Norwegen.
Falachia. Walachey.

Fabarium. Pfeffers.
Francia Orientalis. Francken.
Francia Occidentalis. Franckreich.
Gepidæ. der Gothen anstösser.
Gethæ. Gothen/Sybenbürger.
Gothia. Gothland. Gütland.
Grünland. Skonland.
Glessaria insula Succinum ferens.
Gratianopolis. Granobel.
Gades. Erythrea Insula Hispaniæ.
Germanni. Garmañ. Teütschen.
Geñ.10. Garmania.
Hannonia. Hennegaw.
Harelungi. Brißgawer.
Hedui. Burgunder.
Hermunduri. Moraui. Merrher.
Heruli. Sclauer.
Hercynia sylua. Hartzwald.
Hibernia. Yrrland.
Hister. Thünaw.
Histria. Histrich. Ernland.
Holsatia. Holsatz. Holsteyn.
Hafnia. Koppenhagen.
Hamo. Hamburg.
Hyrcanum mare. das Caspisch mör.
Hesperia. Hispanien.
Heluetij. Eydgnossen/Schweitzer.
Hydruntum. Otront.
Iburinga. Uberlingen.
Iaurinum. Rab.
Ihuri. hynder Hungeren.
Illyria. Wyndisch marck.
Insubria. Meyland.
Iutia. Jytland.
Iurassus. Jurtenberg. propè Bernam.
Isthmus. Zypffel/oder eingang im land
Iuuania. Saltzburg.
Lacus Podamicus. Bodensee.
Lacus Lemannus. Losanner see.
Lacus Benacus. der Garth see.
Lacus Venetus. Zeller see.
Leopolis. Lewenburg.
Liburnia. Croacia alijs.
Licus. der Lech.
Ligeris. die Loere.
Licopia. Licopint.
Liuonia. Lyfland.
Londinum. Londen.
Lubeca. Lübeck.
Ludocia. Newloß.

Lunæ mons. Lunrburg.
Lugdunum. Lyon.
Laudanum. Laon.
Laurissa. Lorsch closter.
Lupinum. Meyenfeld.
Laureacum. Lerch.
Letuania. Littow.
Magnopolis. Meckelburg.
Marcomanni. Märcker/Behem.
Mare mediterraneum. das grossz mör/ mittel mör.
Mare Balticum. Belt.
Martiana sylua. Schwartzwald.
Martinopolis. Merßburg.
Menapij. Gellerischen/Cleuischen.
Misia, Mœsia. kleyn Scythia.
Moldauia. Moldaw.
Montifalco. Monteflascon.
Mons pessulanus. Montpelier.
Mons Sempronius. Simpelberg.
Morauia. Merrhen.
Mosa. die Moß.
Mosella. die Moßel.
Moscouia. Moscowiter.
Moscus. die Mosco. fluuius.
Moscha. ciuitas inibi.
Munus datum. Mundat.
Mauri monasterium. Morßmünster.
Nagnia. Narnia.
Narbonensis Gallia. Langen docken.
Nemetes. Speirer.
Neugardia. Newgard in Litten.
Neustria. Normandey.
Nicopia. Nicopynt.
Nidrosia. Druntheym in Nor.
Nicea. Nissen/oder Nissa.
Nitria. Neutrach.
Norici. Nortgäwer/Beyer.
Nuithones. Nüchtländer.
Nouientum. Eberßheym münster.
Obotriti. Meckelburger/darumb Wismaren.
Obrinca. die Moßel.
Odera. die Oder/Eyder. fluuius.
Oceanus. das bodenloß mör. ult. Hispa.
Olruna. die Tolder.
Oximum. Ochßenfurt.
Oenotria. Italia.
Padus. der Po. fluuius Italiæ.
Pannonia superior. Osterreich.

Pannonia inferior. Hungeren.
Peones. Hungerer.
Pontus. Das Pontisch mör.
Peloponnesus. Morea.
Posonia. Preßsburg.
Pressouia. Cronstatt in Sybenbürgen.
Pyreneus mons. Runtzeual in Hispanie.
Pryn. Ciuitas in Merrhen.
Pœni. Pœnen. Carthaginenses.
Pœnina uallis. Wapelina, ab Hannibale pœno.
Pagus Rheticus. Walgöw.
Pharos. Lesinia.
Podanicuni. Der Bodensee.
Quadi. Schlesier.
Rascia. Rätzenland.
Raurici. Baßler.
Rheti. Algöwer/Bodēseer/Reingöwer.
Rheticanini. Graw bundter.
Rhodanus. der Rhodan in Wallis.
Rhotomagus. Roan.
Rhegium. Rheso.
Riga. Rick in Leiffland.
Riualia. Reues.
Roxani. Reüssen.
Rusia, Ruthenia. Reüssenland.
Saletion Seltz am Rein.
Salani, Alani. Sachßen.
Sarmatia. Hungeren.
Scania. Skonland.
Scandia. etwañ Gothia. Skonland.
Sclaui. Behem/Wenden/Lußnitzer.
Sclauonia. Wyndisch marck.
Seduni, Sedusij. Wallisser.
Sequani Burgunder.
Seruia. Syrfen.
Sēpronius mens. Simpelberg in Wallis
Sialandia. Soland.
Sicambri. Gellerischen/Cleuischen.
Sinus. ein Bußen des mörs.
Siesia. die Schlesy. à fluuio Sleso.
Sorabi. Wenden an der Elb. Thüringer
Sossauia, ciuitas in Moldauia, Sotzschen.
Stargard. Aldenburg in Holsatz.
Strigonia. Grän.

Sueuus. die Spree.
Sueonia. Sweden.
Suesson. Soeson.
Sona. die Arar.
Taurisci. Steirmärcker. od die von Ury.
Tanais. die Don. Altan.
Tergouistia. Teruiß.
Teruanna. Terben.
Tecto sages. Wirtenberger.
Ticinum. Pauey.
Tiguri. Zürcher.
Tissa. die Teiß. fluuius Vngariæ.
Tribrochi, otes. Straßburger/Vnder Elsässer.
Transyluani. Sybenbürger.
Tertrigestum. Triest.
Traiectum. Vtrich.
Tyberis. die Tyber.
Treberis. Tryer.
Tuscia. Toscon.
Trinacria. Sicilien.
Tentheri, aliâs, Fiscini. Märcker vmb Baden.
Taxgetium. Rotweil.
Tosconia, Ethruria. Tuscia.
Trauena. die Trah.
Valesia. Wallis.
Valeria. Steirmarck.
Vangiones. Wormßer.
Vbij. Cöllner.
Vesontium. Bisantz.
Verona. Bern Italiæ.
Viadus, aliâs, Odera. die Oder/Eyder.
Vicus Iulius. Weissenburg.
Vilna. ciuitas in Litten.
Vinda. die Wertach.
Vindelici. Lechgäwer. Augspurger.
Visurgis. die Wesel.
Vistula. die Wyxel.
Vocetius, Iura. der Bötzberg.
Vratislauia. Presszlen. ciuitas.
Verona. Dyetrichs Bern.
Vallis uenusta. Das fynster gäw.
Vindelicia. Augspurg.
Vallis Drusiana. Walgöw.

¶ Ein Stadium haltet iñ. 125. schritt. 24. stadia seind ein teütsche meil, Ein Welsche meil ist ein fyerteyl einer Teütschen.

